This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

QK
431
.L52

PLANTAE PREISSIANAE

SIVE

ENUMERATIO PLANTARUM

QUAS

IN AUSTRALASIA OCCIDENTALI ET MERIDIONALI-OCCIDENTALI ANNIS 1838 —1841

COLLEGIT

LUDOVICUS PREISS,

PHIL. DR. ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. NATUR. CURIOS. ET REG. SOCIET. BOT. RATISBONENS. SODALIS, CET.

PARTIM AB ALIIS PARTIM A SE IPSO DETERMINATAS DESCRIPTAS ILLUSTRATAS

EDIDIT

Johann Georg **CHRISTIANUS LEHMANN,**

M. ET PH. D., HIST. NAT. PROF. P. O., HORTI BOT. DIR., BIBL. P. CIVIT. HAMB. PRAEF. PRIM., ORD. BORUSS. AQUIL. RUB. CL. III. EQUES, ACAD. CAESAR. LEOP. CAROL. NAT. CURIOS. ADJUNCTUS, CET.

VOL. I.

HAMBURGI,

SUMPTIBUS MEISSNERI.

1844 — 1845.

VIRO

CELEBERRIMO PRAECLARISSIMO

GUILIELMO JACKSONIO HOOKER

EQUITI,
HORTI BOTANICI REGII KEWENSIS DIRECTORI,
ETC. ETC. ETC.

HUNC LIBRUM AMICAE OBSERVANTIAE PUBLICUM
MONUMENTUM ESSE VOLUIT

J. G. C. Lehmann.

Bot. Gard. (Gen. Lib.)
Weg
10-10-28
17731
2 vol.

PRAEFATIO.

Ludovicus Preiss, Philos. Dr., vir clarissimus, summo investigandae perscrutandaeque naturae studio commotus, ante aliquot annos, adhibita Hamburgi diligenti praeparatione, in occidentalem et meridionali-occidentalem Australasiam proficisci constituit. Quod iter laboribus et difficultatibus impeditissimum quam prospero successu perfecerit, rebus naturalibus e Preissiana collectione in musea translatis satis probatur, quae illorum corporum naturalium, quae antehac rara e Britannia ad nos migrare solebant, nunc opera ejus copiam non exiguam possident. Quanti ad vero thesauri botanicen, quae sine dubio imprimis ab eo adjuta et aucta est, ex hac expeditione redundaverint, hic ipse liber videtur testari.

In Europam Preissius anno MDCCCXXXXII reversus quid in universum itinere suo consecutus sit ipse narraturus, plantarum, quas collegerat, in notitiam omnium perferendarum curam mandavit mihi. Ex quarum ingenti multitudine, quae vel se-

cundum familias distribui haud brevi temporis spatio potuerat, facile cognovi, mihi soli opus suscepturo vires facultatesque ad examinandas describendasque omnes non esse suffecturas, maxime quum publici muneris officiis tum perquam occupatus otium, quo tantum opus perficerem, non haberem. Praeterea censui, in illustrandis tot plantis fore, ut conjuncta opera virorum in hoc negotio versatorum, quorum pro suo quisque commodo familias sibi describendas eligeret, non minus ad augendam doctrinam, quam ad opus celerius absolvendum conferret. Quod consilium a plerisque viris rei botanicae peritis etiam extra fines Germanicos est comprobatum. Nam praeter eos viros doctos, quos ipse invitaveram, multi rei herbariae cultores, Clarissimi Preissii rogatu arcessituque commoti*), sese in opere edendo mecum laborare velle ultro professi sunt, ita ut, quamquam majorem plantarum partem, quam antea describendam mihi elegeram, aliis tradebam, unicuique satis dare non possem. Quibus omnibus viris spectatissimis pro liberalitate et benevolentia mihi exhibita, pro insumpto studio et diligentia plurimas ago gratias Nomina hic enumerare non attinet, singulis enim operis partibus, cui summae laudi sunt et decori, praescripta reperiuntur.

Etiamsi certa quaedam ratio, qua omnes familiae determinarentur et explicarentur, a me proposita, a reliquis comprobata esset, tamen a me non potuit impediri, quin in expositionis genere inter singulos commentarios discrepantiae passim conspicuae essent. Cujus varietatis causa partim quidem in ingenio singulorum scriptorum, quorum alii accuratiore et uberiore, alii concisiore scribendi genere delectantur, partim vero et in exemplarium natura, quae haud semper eadem erat, est sita.

*) In ephemeridibus Florae 1842 No. 34.

Diversis temporibus complures investigatores, recentioribus imprimis diligentissimum J. Drummond Scotum, in eisdem fere regionibus Australasiacis, ad quas Clarissimus Preiss appulsus est, haud paucas plantas collegisse viris botanicâ arte eruditis satis est cognitum. Aptam Australasiae austro-occidentalis floram uno conspectu comprehendendam proposuit Vir Clarissimus J. Lindley in commentatione „a sketch of the vegetation of the Swan-River Colony", de plantis Drummondianis Vir Celeberrimus et Excellentissimus G. J. Hooker ingeniosissime passim disseruit. Harum plantarum jam antea congestarum numeros ubicumque indicari potuerunt, indicare non praetermisimus; etiamsi neque Drummondianam neque reliquas collectiones omnes inspicere semper licuit.

Accuratissima vero diligentia collocata est in proferendis numeris, quibus eae plantae Preissianae, quarum plura exemplaria exstabant, prius quam distributa est collectio, ideoque longe prius, quam hic liber editus est, insignitae sunt. Quicumque igitur plantas a Clariss. Preissio collectas acceperunt, in libro nostro et nomina et illustrationes earum, quatenus natura plantarum id feret, invenient. Praeterea observationes, quas Clariss. Preiss inter colligendum ipse de stirpium magnitudine, florum colore, aliisque rebus scitu dignis vel adeo futuris investigatoribus utilibus fecit, signis „ " inclusas addidimus.

Denique monendum est, nonnullas esse plantas, quae, quum exemplaria earum casu in aliarum familiarum loculos irrepserint, non ab iis, qui familias, ad quas pertinent, illustraverunt, sed ab iis, ad quos temere venerunt exemplaria, descriptae sint. Sic *Lawrencia squamata* (pag. 242) ab Illustrissimo Nees ab Esenbeck determinata est, non vero a Clarissimo Miquel Dr., qui quum reliquas omnes *Malvaceas* collectionis Preissianae adumbraret, hanc in manibus non habuit.

Ubicumque hoc accidit, adscripto auctoris nomine suum cuique vindicavi, et, si fieri potuit, has plantarum descriptiones e loco alieno in suum locum transtuli. Quae praeterea addenda vel emendanda reperientur, indicesque integri, quorum secundus ordinem numerorum herbarii Preissiani sequetur, alteri hujus operis volumini, in quo de plantis Monocotyledonibus et Acotyledonibus agetur, subjungentur.

Dabam Hamburgi pr. Cal. Sextiles MDCCCXLV.

J. G. C. Lehmann.

PLANTAE PREISSIANAE.

LEGUMINOSAE.

(Auctore C. F. Meisner.)

MIMOSEAE.

ACACIA (Linn.) Willden. Endl. gen. n. 6834. Bentham in Hooker London Journ. of Bot. I. p. 318. sq.

Series I. Phyllodineae Benth. l. c. p. 322.

I. Aphyllae, phyllodiis nullis. (Benth. l. c.)

1. **Acacia restiacea** *Benth.* l. c. p. 323, n. 1.

In locis limoso-arenosis ad radices montis Bakewell (York) d. 3. Sept. 1839. specim. florifera Herb. Preiss. No. 971.

β **scoparia**, *nob.*, ramis iterato-ramosis, erectis, bracteis ad gemmularum basin ovato-lanceolatis.

In rupestribus ad latus occidentale montis Currie (York) d. 10. Apr. 1840. fructifera Herb. Preiss. No. 972.

Forte n. sp., sed ex specimine suppetente unico, deflorato, non definienda. Accedit ad *A. spinescentem Benth.*, sed rami haud spinescunt.

„Frutex 6-pedalis, ramis pruinosis." *Rami* nunc simpliciores, stricti, nunc ramosi et saepius flexuosi. *Gemmulae* ad ramulorum ultimorum nodos minutae, sessiles; *bracteae* squamiformes erectae, fuscae, tenuiter striatae, 2-3 lin. longae, apice bifidae (e stipulis 2 inferne connatis conflatae) basi dilatata 1-1½ lin. latae; *bracteolae* paucae, imbricato-adpressae, ovatae, obtusae, minute puberulae. *Flor.* . . . . . *Legumen* (fragmenta separatim sub n. 972 missa) lineari-moniliforme, continuum, 1½? poll. longum, rectiusculum, glaberrimum, 1-loculare, 2-valve, 5-6-spermum, stipitatum, stipite lineari compresso, valvis coriaceis, extus secundum longitudinem tenuiter reticulato-venosis fuscis, intus laevibus pallide rufis, marginibus haud incrassatis, foveis seminiferis ellipticis 2-2½ lin. longis 1½-2 lin. latis, isthmis planis circ. 1 lin. longis latisque. *Semina* nigra, nitida, obovata, 1½ lin. longa, 1 lin. lata, facie una rotundato-convexa, altera medio obtusissime carinata; strophiola albida, submembranacea, ovata, acuminata, dimidiam fere partem seminis a latere amplectens eique adpressa.

2. **Acacia? tetragonocarpa** *n. sp.*, glabra, ramis ramulisque muticis, sulcatis, folii rudimento squamiformi lineari brevi suffultis; pedunculis axillaribus, subsolitariis, submonocephalis, minute bracteolatis; capitulis 3-1-floris; calyce minuto, obtuse 4-lobo; corolla striata, 4-fida; staminibus inclusis; legumine stipitato, acuto, subincurvo, acute tetraquetro, angulis nerviformibus aequalibus, faciebus lineari-lanceolatis planis, superiore et inferiore medio sutura tenui nerviformi vix prominula percursis caeterum laevibus, lateralibus reticulato-venulosis; seminibus 2-1 longitudinalibus, oblongis, strophiolatis.

In solo subturfoso-arenoso prope villam b. Spencer (Plantagenet) d. 8. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 866.

Species facie simillima *A. restiaceae Benth.*, sed foliorum vestigiis manifestis, inflorescentia et praecipue legumine distinctissima, forsan novi generis pignus. — *Caules* e radice simplici verticali parce fibrosa numerosi, 1½-2-pedales, „decumbentes", graciles, penna corvina fere tenuiores, teretes, egregie sulcato-striati, virides, a basi inde ramosi, nodis haud incrassatis, internodiis stricte continuis 1-3-pollicaribus. *Foliorum* rudimenta 1-2 lin. longa, fusca, ramo plus minus adpressa, supra canaliculata. *Pedunculi* filiformes, tenues, 5-6 lin. longi (nonnunquam gemini) basi apiceque (rarius etiam secundum longitudinem) bracteolis paucis squamiformibus vix semilineam longis muniti, demum recurvi. *Alabastra* oblonga, acutiuscula. *Corolla* flava? infundibuliformis, 1½ lin. longa, calyce fusco triplo longior, egregie striata, persistens, semi-4-fida, lobis erectis, acutis. *Stamina* numerosa, persistentia, haud exserta. *Legumen* coriaceum, fuscum, glabrum, circ. pollicare, stipite 2-4 lin. longo, angulis plus minus prominulis carinaeformibus, faciebus 2 lin. latis, dorsali et ventrali demum secundum suturam (facile saltem pressione fissilem) dehiscentibus?, valvis crassiusculis. *Semina* subsessilia, pendula, valvarum foveolis immersa, oblonga, fusca (immatura) 2-2½ lin. longa, strophiola adpressa truncata pallida triplo longiora.

II. Alatae, phyllodiis decurrentibus. (Benth. l. c. p. 323.)

3. **Acacia alata** *R. Brown.* — DC. prodr. 2. p. 448.

α **genuina** *nob.*, phyllodiorum mucrone recto v. (sursum) incurvo. — *A. alata Benth.* l. c. p. 324, n. 4. Wendl. diss. t. 1. Bot. Reg. t. 396.

In humidis umbrosis ad ripam fluvii Canning, Jul. 1841. cum flor. et fr. Herb. Preiss. No. 997. (Drummond n. 306! et ex parte 307!)

„Frutex 5-pedalis."

β **platyptera** *nob.*, phyllodiorum mucrone (deorsum) recurvo, ramorum alis plerumque latioribus. — *A. platyptera Lindl.* in Bot. Reg. 1841. misc. n. 10. Bot. Mag. t. 3933. Benth. l. c. n. 5. —

Swan River. (Drummond. n. 307! ex parte.)

Nisi graviter fallor, a genuina A. alata haud specifice distincta.

4. **Acacia diptera** *Lindl.* Swan River (Bot. Reg. 1839, Append.) p. XV. n. 62. Benth. l. c. n. 6.

α **latior** *nob.*, caulibus ramisque latius alatis (5-8 lin. latis) inferne et in costa plus minus pilosis (raro glabris) pilis patulis mollibus. — *A. diptera β erioptera Benth.* l. c. Bot. Mag. t. 3939! (ex ic.)

In arenosis sylvae prope Perth, d. 8. Maj. Herb. Preiss. No. 995, et in limoso-calculosis inter frutices sylvae prope Halfwayhouse (Darling's-range) d. 12. Sept. 1839. No. 996 cum fl. et fr.

β **angustior** *nob.*, caulibus vix 1-3 lin. latis, plerumque hispidulis, pedunculis solitariis v. geminis, rarius brevissime racemosis, capituli diametro plerumque vix longioribus. — *A. diptera Hook.* ic. t. 369!

In glareosis ad jugum montium Darling's-range prope cataractam, d. 3. Aug. 1839. — Herb. Preiss. No. 993. in asperis ad latus occidentale montis Wuljenup (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840. (No. 394.) et hinc inde in arenosis subumbrosis sylvae ad fluv. Cygnorum, d. 23. Jul. 1839. (sine No.)

Caules annotini, 2-pedales. *Legumen* (unicum, separatim sub n. 995 missum) coriaceum, planum, continuum, glaberrimum, subnitidum, bipollicare, 5-6 lin. latum, falcato-oblongum, ex apice rotundato oblique minuteque mucronatum, basi in stipitem brevissimum attenuatum, suturis nerviformibus incrassatis obtusissimis laevibus, valvulis transverse pulchre venosis leviter torulosis. *Semina* 12, transversa.

5. **Acacia stenoptera** *Benth.* l. c. p. 325, n. 8.

In arenosis ad fl. Cygnorum ubique, d. 12. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 991. et inter frutices sylvae districtus Sussex, d. 19. Dec. 1839. No. 992.

„Radix lignosa, caules annotini, pedales, v. frutescentes adscendentes.“ Phyllodia, maxime infima, interdum (praecipue specim. No. 991.) rectiuscula, margine superiore prope basin obsolete glanduligera. Folia infima nonnunquam perfecta, bipinnata, 1-juga, rhachi 1-1½ poll. longa anguste alata, petiolulis 3-6 lin. longis vix alatis, foliolis 2-jugis oblique obovatis medio 1-nerviis pennivenis mucronulo innocuo acutatis, jugi exterioris majoribus petiolulum aequantibus. Legumen desideratur.

6. **Acacia incurva** *Benth.* l. c. p. 325, n. 10.

In arenosis apertis inter frutices densos haud longe a villa col. Erwin, d. 24. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 990.

„Frutex erectus, 1-2-pedalis.“ Phyllodia medio crasse acuteque costata, quasi ancipiti-tetragona, patentissima, a basi leviter recurva, deinde vel recta vel apice paulo incurva v. rarius subrecurva, interdum bipollicaria, vix unquam linea 1 latiora.

7. **Acacia graminea** *Lehm.* delect. sem. Horti Hamburg. 1842, glabra, stipulis obsoletis; phyllodiis longissimis, subcompresso-filiformibus, trifariam angustissime decurrentibus, brevissime sphacelato-mucronatis muticisve, infra medium glandula poriformi munitis, 1-nerviis, nervo crassiusculo marginibus alisque scabriusculis; pedunculis solitariis, brevibus, 1-cephalis; capitulis multifloris.

In solo humoso vallis prope Mahogany creek (Darling's-range) d. 25. Apr. 1840. Herb. Preiss., No. 984 (Drummond n. 304.)

„Frutex 12-pedalis.“ (An inventor lapsu calami 12-ped. pro 1-2-ped. scripsit, quae statura e plantae aspectu verisimilior videtur?) *Rami* ramulique gracillimi, adscendentes, inferne acute angulati nec vere alati, extremitates versus 3-alati, alis vix ½ lineam latis cum venis 3 tenuioribus alternantibus. *Stipulae* exiguae, lanceolato-subulatae, fuscae, cito deciduae. *Phyllodia* 4-8-pollicaria, ½ lin. lata, semierecta, apice saepius recurva, marginibus nerviformibus cum costa alisque sub lente papilloso-scabriusculis, glandula foveaeformi in margine superiore 10-15 lin. a basi distante. *Pedunculi* 3-6 lin. longi, subtetragoni, glabri, scabriusculi, demum patuli. *Capitula* magnit.

seminis Viciae sativae, circ. 20-flora. *Flor.* 5-meri. *Calyx* turbinatus, corolla dimidio brevior, lobis brevissimis obtusis. *Legum.* . . . . . — Species *Alatas* inter et *Calamiformes* ambigua, illis tamen propius quam hisce affinis; valde accedit ad *A. calamifoliam Sweet* Bot. Reg. t. 839, quae ex lc. differt ramulis subteretibus, phyllodiis brevioribus, capitulis racemosis, caet.

8. **Acacia extensa** *Lindl.* Swan River p. XV. n. 64. Benth. l. c. p. 343, n. 68.

In rupestribus ad portum Princess Royal Harbour, m. Dec. 1840. Herb. Preiss No. 983.

„Frutex 5-pedalis.“ *Rami* inferne acute angulati, superne 3-alati, alis ½-1 lin. latis margine scabriusculis. *Stipulae* obsoletae. *Phyllodia* fere *A. gramineae*, sed saepius breviora, paulo crassiora et firmiora, stricta, apice brevissime uncinato-mucronulata. *Pedunculi* vix 3 lin. longi, subteretes, laeviusculi. *Capitula* pisi magnitudine. *Legumen* (separatim adjacens) anguste lineare, rectum, 3-pollicare, 1½ lin. latum, multiarticulatum, glaberrimum, laeve, obsolete venulosum, isthmis linea transversa (saepe obsoleta) notatis articulo oblongo (3 lin. longo) utrinque convexo parum angustioribus, suturis nerviformibus paulo incrassatis obtusis pallidis. — Species a. cel. Bentham inter *Calamiformes* suas (§. 5. l. c. p. 341.) recensita, sed secundum nostra saltem specimina (nisi, quod dubitamus, a planta Lindleyana specifice differant) certe ad *Alatas* transferenda.

III. Armatae, ramis apteris, stipulis spinescentibus, phyllodiis ex ovato ad lineare, pungentibus 1-v. rarius 2-3-nerviis, inflorescentia capitata simplici v. rarius subracemosa. (Benth. l. c. p. 326.)*)

9. **Acacia teretifolia** *Benth.* l. c. n. 13.

In arenosis inter frutices prope praedium rustieum Maddington ad fluv. Canning (Perth) d. 2. Nov. 1839 fructifera Herb. Preiss. No. 998. et prope cataractam ad caput fl. Cygnorum, sterile, d. 26. Jul. 1839. No. 975.

„Frutex 1-1½ pedalis.“ *Pedunculi* fructiferi semipollicares, crassiusculi. *Legumen* sessile, lineare, subcompresso-cylindricum, leviter arcuatum, utrinque acutum, 2-3-pollicare, 2 lin. latum, sublignoso-coriaceum, glaberrimum, laeve, fuscum, suturis obsoletis v. sulciformibus (interdum guttulas gummi sicci diaphani exsudatas ferentibus) valvula altera v. rarius utraque medio nervo longitudinali plerumque obsoleto percursa.

10. **Acacia laricina** *n. sp.*, ramis teretibus, costato-striatis ramulisque cano-tomentosis; stipulis setaceo-spinescentibus, rectis; phyllodiis tetragono-filiformibus, rectis v. recurvo-arcuatis, mucrone brevi recto pungentibus, 1-nerviis, glabris, marginibus nerviformibus eglandulosis; pedunculis axillaribus, solitariis, brevibus, erectis, monocephalis, tomentosis, fructiferis elongatis phyllodium subaequantibus deflexis; capitulis parvis, multifloris, glabris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 973.

---

*) **A crassistipula** Benth. l. c. n. 12. (Drummond n. 295!) inter plantas Preissianas deest. — Idem valet de **A congesta** Benth. l. c. p. 327, n. 19. (Drummond n. 293!) cujus legumen lineare, valde arcuatum, sesquipollicare, 2-3 lin. latum, 2-5-spermum, inter semina paulo contractum, suturis obsoletis submarginatum, valvis convexis enervibus pallidis.

„Frutex pedalis, ramis flaccidis.“ *Phyllodia* 6-10 lin. longa, $\frac{1}{2}$-$\frac{2}{3}$ lin. lata. *Pedunculi* floriferi 2-3 lin. longi, niveo-tomentosi, fructiferi 6-7 lin. longi, fusci, glabrescentes, arcuato-deflexi. *Capitula* (floribus nondum apertis) vix grani piperis magnitudine; alabastra obtusa, 5-gona. Legumen (nondum perfecte maturum) lineare, attenuato-substipitatum, compressum, continuum, pollicare, lin. 1 latum, leviter arcuatum et torulosum, cano-tomentosum, demum glabrum, longitudinaliter nervoso-striatum, 3-4-spermum, suturis simplicibus acutiusculis. — Differt ab *A. teretifolia Benth.:* ramis tomentosis, haud angulatis, stipulis tenuioribus erectis ramo fere adpressis rectisque, phyllodiis tenuioribus et brevioribus mucrone fortiore pungentibus, caet.; ab *A. barbinervi Benth.:* stipulis erectis, phyllodiis glabris, tetraquetris nec planis, dimidio angustioribus, brevius mucronatis; ab *A. striatula Benth.:* phyllodiis 1-nervilis, haud divaricatis, et ab *A. sulcata R.Br.*, cui etiam accedit, pubescentia, phyllodiis incurvis pungentibus, caet.

11. **Acacia barbinervis** *Benth.* l. c. n. 14.

In limoso-calculosis prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum d. 16. Jun. 1840. Herb. Preiss. No. 988.

„Frutex vix pedalis.“

12. **Acacia nervosa** *DC.* mém. lég. p. 444; prodr. 2. p. 249, n. 6. Benth. l. c. p. 327, n. 17.

In limoso-calculosis in summitate montis Greenmountain, alt. 800 ped., d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 936. (Drummond n. 298!)

„Frutex 1-pedalis.“ *Phyllodia* constanter videmus glandula poriformi (nunc in medio fere margine superiore, nunc 2-3 lin. a basi sita) munita, modo (praecipue in specim. Drummondianis) 1-1½-pollicaria 6 lin. lata, modo (ut a Candollio describuntur) dimidio fere minora. *Legumen* (unicum, separatim sub n. 936 missum, immaturum) sesquipollicare, 2-3 lin. latum, coriaceum, laeve, glaberrimum, spiraliter tortum, utrinque attenuato-acutum, valvis planis enervibus, suturis valde incrassatis teretibus medio linea tenui nerviformi percursis. — Cum *A. hastulata Sm.*, cui soli comparanda a Candollio dicebatur, nullam plane similitudinem monstrat, dum contra, ut recte jam observavit cl. Bentham, primo intuitu ad *A. myrtifoliam Willd.* valde accedere videatur.

13. **Acacia Bagsteri** (nonne rectius *Baxteri?*) *Benth.* l. c. n. 16?

In limoso-arenosis porrectis sylvae prope oppidum York, d. 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 977. (specim. manca.)

„Frutex humifusus.“ Ramuli subspinescentes. Stipulae dilapsae. Phyllodia semipollicaria, 3-4 lin. lata, submutica. Capitula pauca, pedunculis 2 lin. longis, flor. nondum expansis.

14. **Acacia Hügelii** *Benth.* in Hüg. Enum. p. 42, et apud Hook. l. c. n. 22. Hügel Bot. Archiv t. 10!

In sylvaticis arenosis prope Limekiln (Perth) d. 5. Nov. fructifera No. 961. et in colliculis ad portum Leschenault (Wellington) d. 13. Dec. 1839. florens No. 953. Herb. Preiss.

Legumen (fere maturum) sessile, lineare, falcatum, pollicare, 2 lin. latum, planum, obtusum, basi attenuatum, puberulum, 2-3-spermum, inter semina paululum angustatum, venis longitudinalibus tenuibus irregulariter anastomosantibus lineatum, suturis nerviformibus v. subincrassatis obtusis. Pedunculi fructiferi phyllodio paulo longiores; plerumque arcuato deflexi.*)

*) Nova sp. hic inserenda est: **Acacia Shuttleworthii** nob., hispidulo-pilosa, ramis teretibus; stipulis minutis, subspinescenti-setaceis; phyllodiis oblique

15. **Acacia obovata** *Benth.* l. c. p. 329, n. 24.

β **minor** *nob.*, stipulis spinescentibus, phyllodiis ¼-1-pollicaribus pedunculo longioribus. —

In glareosis inter frutices montis Greenmountain (York) d. 26. Apr. 1840. florens, Herb. Preiss. No. 931.

„Frutex 1-1½-pedalis."

16. **Acacia urophylla** *Benth.*, in Bot. Reg. 1841, misc. p. 24, n. 61., et in Hook. Lond. Journ. 1. p. 329, n. 25. —

In lapidoso-sublimosis umbrosis montium continuorum Darling'srange, haud longe a capite fluvii Cygnorum d. 9. Aug. 1839, Herb. Preiss. No. 918. et in humidis umbrosis ad ripam fl. Canning, m. Jul. 1841. No. 913, (steril.)

„Frut. 3-4-6-pedalis." Specim. glaberrima, phyllodiis summis vix 1-1½-pollicaribus 8-10 lin. latis, inferioribus duplo majoribus, margine levissime crenatis, glandula conspicua ovali concava ad basin marginis superioris, petiolo semipollicari utrinque puberulo. Variat etiam (No. 913.) phyllodiis fere lanceolatis 2 poll. longis 5-7 lin. latis.

IV. Triangulares, ramis apteris, stipulis setaceis v. subnullis, phyllodiis parvis plus minus triangularibus 1-v. rarius plurinerviis, angulo inferiore mucronato, superiore mutico plerumque glandulifero, inflorescentia simplici capitata. (Benth. l. c. p. 330.)

17. **Acacia decipiens** *R. Br.* DC. prodr. II. p. 449, n. 3. Benth. l. c. n. 27. — *Mimosa decipiens* Koen. Bot. Mag. t. 1745. —

In littore arenoso ad Middleton Bay. d. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 964.

„Frutex 5-pedalis."

β? **incrassata** *Benth.* l. c. — *A. incrassata* Hook. ic. t. 370.

In regionibus interioribus Australiae merid.-occid. m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 962. et in glareosis sylvae prope fontem Bejoording (Victoria) d. 15. Mart. 1840. fructifera No. 967. (Drummond n. 296!)

„Frut. 3-pedalis." Legumen pollicare, 1-1½ lin. latum. suturis incrassatis. Specim. Preissiana alia (No. 967.) ab icone paulo recedunt phyllodiis apice plerumque truncatis, angulo superiore minus elongato marginibusque

---

obovatis v. suborbicularibus, mucronulatis, undulatis, 1-2-nerviis, obscure penninerviis, punctato-scabris, marginibus vix incrassatis, superiore prope medium glandulifero; pedunculis axillaribus, solitariis, phyllodio brevioribus, capitulis parvis 10-12-floris villosis; legumine brevi, late oblongo, compresso, 2-3-articulato, utrinque rotundato, puberulo. — Swan River. (Drummond n. 294! in Herb. Shuttleworth.) — Omnes partes pube brevi, molli, in ramis pedunculis floribusque densiore, patula, in leguminibus phyllodiisque parciore et breviore, tectae. Phyllodia 5-6 lin. longa, 3-5 lin. lata, nervo conspicuo parum excentrico in mucronulum excurrente, accedente saepius nervo altero tenuiore illum inter et marginem superiorem (magis arcuatum) medium tenente plerumque obsoleto v. ante marginem evanescente. Pedunculi 5 lin. longi. Legumen circiter semipollicare, 3 lin. latum, articulis linea impressa interstinctis, valvis levissime convexis, suturis simplicibus obtusis. — Species proxime affinis **A. Hügelii**, sed notis indicatis satis superque distincta, nec non accedens ad **A. idiomorpham** et **obovatam** Benth., et **A. sertiformem** et **piligeram** Cunningh., quae abhorrent sive stipulis longioribus recurvisque, sive phyllodiorum forma et magnitudine, caet.

minus incrassatis; alia (No. 962.) phyllodiis saepe latioribus quam longis, angulo superiore subinde obtusissimo.

γ? **elongata** *Benth.* l. c.

In solo sublimoso juxta oppidum Guildford, d. 29. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 955.

„Frutex spithamaeus, erectus," ubique breviter molliterque puberulus. Phyllodia 4-5 lin. longa, 5-7 lin. lata, margine inferiore subrecto, nervo arcuato in mucronem brevem saepius deorsum spectantem excurrente, venis nonnullis (plerumque 2-4 magis conspicuis) e nervo ortis versus angulum superiorem obtusum glanduliferum convergentibus ibique evanescentibus.

δ? **trapezoidea** *DC.* l. c. β. — *A. decipiens, var. praemorsa* Bot. Mag. t. 3244!

In colliculis arenosis ad mare prope Vasse, d. 25. Dec. 1839. fructifera Herb. Preiss. No. 968.

„Frut. 12-15-pedalis." Phyllodia pleraque 8-10 lin. longa, 4-5 lin. lata, ramorum sterilium nonnunquam pollicaria 8-10 lin. lata, a basi ad angulum superiorem 2-pollicaria; omnia tenuiter foliacea (nec coriacea) pallida, margine haud incrassata. Legum. lineare, arcuatum, bipollicare, 1-1½ lin. latum, obtusissime subtetragonum, suturis incrassatis marginatum, valvis planis laevibus vix torulosis.

18. **Acacia cuneata** *Benth.* in Hügel Enum. p. 42, n. 125; ap. Hook. l. c. p. 332, n. 32.

In clivulis calcareis juxta oppidum Freemantle, d. 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 957. (Drummond n. 297!)

„Frut. 4-9-pedalis." Pedunculi initio 3 lin. longi, demum phyllodia subaequantes. Adjectae sunt leguminis valvulae separatae, lineares, 2-2½ poll. longae, 2 lin. latae, valde arcuatae, incrassato-marginatae, vix torulosae, extus pube densa patula molli canescentes, — an vere ad hanc plantam pertinentes?

β? **glabra** *nob.*, glaberrima, stipulis obsoletis fugacissimis, phyllodiorum nervo parum excentrico margini inferiori approximato, angulo superiore glandulam concavam gerente, pedunculis phyllodio brevioribus.

Cum praecedente Herb. Preiss. No. 957. d. 15. Aug. 1839. No. 956.; et in arenosis inter frutices vix penetrabiles insulae Rotenest d. 19. Aug. 1839. florens No. 954.

An n. sp.? Inter *A. decipientem* γ. et *A. cuneatam* ambigua; phyllodia praeter nervum nunquam exacte centralem glandulamque magis conspicuam omnino posterioris. „Frutex 4-7-ped., erectus; flor. fragrantes."

19. **Acacia divergens** *Benth.* ap. Hook. l. c. p. 331, n. 28.

Ad sinum Regis Georgii III., m. Nov. 1840. fructifera Herb. Preiss. No. 960.

20. **Acacia horridula** *n. sp.*, ramis teretibus, pubescentibus; stipulis setaceis, rigidis, subpersistentibus; phyllodiis patentissimis, ovato-v. lanceolato-triangularibus, 1-nerviis, pungenti-mucronatis, glabris, angulo superiore parum prominente minute glandulifero; pedunculis brevibus, capitulis 2-3-floris; legumine sessili, lineari, tereti, utrinque acuto, obscure venoso-lineato.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 965, cum fruct. jun. et in arenosis ad fluv. Canning (Perth) d. 4. Dec. 1839. florescens No. 1151.

„Frutex 2½-pedalis.“ *Stipulae* semi-erectae, 2-3 lin. longae. *Phyllodia* patentissima, crassiuscula, rigidissima, avenia, 3-4 lin. longa, 1-2½ lin. lata, nervo recto, angulo superiore basi approximato parum prominulo subinde obsoleto, glandula minuta. *Pedunculi* fructiferi phyllodium aequantes, floriferi dimidio breviores. *Flor.* 4-meri, calyce brevissime obtuseque 4-lobo dimidiam corollam aequante. *Legum.* bipollicare, 1½ lin. latum, junius minute cano-puberulum, demum glabrescens. —

Ab *A. biflora R.Br.*, cui simillima quidem, evidenter tamen differt legumine nequaquam marginato; ab *A. triangulari Benth.*: phyllodiis longioribus quam latis, rigidis, spinescentibus, nunquam 2-nerviis; a reliquis affinibus denique *(A. divergente, decipiente, hastulata)* capitulis 2-3-floris etc.

21. **Acacia triangularis** *Benth.* in Hüg. En. p. 42, in not.; ap. Hook. l. c. n. 30.

In region. interior. Australiae merid.-occid., Herb. Preiss. No. 966. et in sublimoso-glareosis sterilibus sylvae cis fluv. Gordon (Hay) d. 7. Nov. 1840. fructifera No. 963.

„Frutex 3-pedalis.“ Legumen (junius) lineare, suturis crassiusculis marginatum, valvis parce puberulis mox glabris. (Flor. non vidimus.)

22. **Acacia hastulata** *Sm.* DC. prodr. II. p. 449, n. 5. Bot. Mag. t. 3341! Benth. ap. Hook. l. c n. 31. —

In solo arenoso-turfaceo ad Stirling'sterrace (Plantagenet) d. 21. Sept. 1840, florens Herb. Preiss. No. 959.

„Rami 2-3½-pedales.“

23. **Acacia bidentata** *Benth.* l. c. p. 333, n. 38.

β **pubescens** *nob.*, ramis phyllodiisque minute puberulis.

In arenosis planitici ad fluv. Avon, 9 mill. ab oppido York, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 958, florif. et in sterilibus sylvae ad montem prope praedium rusticum Dom. Barker, d. 11. Apr. 1840. sterilis No. 969. —*)

„Frutex decumbens v. 1-1½-pedalis.“ Ramuli divaricati, pallidi, saepe nivei. Phyllodia crassiuscula, dente superiore semper obtusissimo, inferiore acuto v. obtuso nunquam pungente, nervis vix conspicuis.

V. PUNGENTES, ramis apteris, stipulis setaceis v. obsoletis, phyllodiis rigidis acuminato-pungentibus subulato-teretibus v. planis angustis 1-plurinerviis, inflorescentia capitata simplici v. spicata. (Benth. in Hook. Lond. Journ. 1. p. 334.)

24. **Acacia latipes** *Benth.* l. c. n. 40.

β **pubescens** ramis cano-tomentosis, phyllodiorum nervis minute pilosiusculis.

---

*) Novam hujus sectionis speciem ad calcem addere liceat: **Acacia Latrobii** nob., glaberrima, ramis gracilibus acute angulatis; stipulis obsoletis; phyllodiis oblique oblongis v. subtriangulari-obovatis planis, infra apicem obtusum mucronulatis, 1-nerviis, nervo subcentrali ante apicem evanescente, venis obsoletis, margine inferiore parum arcuato, superiore curvato prope medium obscure glandulifero; pedunculis axillaribus aggregatis, 1-cephalis, phyllodium subaequantibus, capitulis parvis multifloris. In colonia ad „Port Philipp“ Australiae meridionali-orientalis legit cl. Latrobe, coloniae praefectus (v. s. in Herb. Musei Neocomensis.) Phyllodia 5-8 lin. longa, 2-3 l.

In planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. 1840. sterilis Herb. Preiss. No. 989.

(Nec flores, nec fruct. vidimus, caetera vero cum diagnosi l. c. bene conveniant.)

25. **Acacia cochlearis** *Wendl.* — DC. prodr. 2. p. 451, n. 24. Benth. l. c. n. 41. — *Mimosa cochlearis Labill.* Nov. Holl. t. 234!

In arenosis prope oppidum Freemantle (Perth) d. 15. Aug. 1839. florens Herb. Preiss. No. 933. (Drummond n. 288! cum fr.) —*)

„Frutex 8-pedalis."

26. **Acacia sulcata** *R.Br.* — DC. l. c. p. 450, n. 15. Bot. Reg. t. 928! Benth. l. c. n. 45.

In rupestribus summitatis montis Clarence (Plantagenet) d. 30. Sept. 1840. florens Herb. Preiss. No. 978.

„Frutex 6-pedalis."

27. **Acacia Benthamii,** *n. sp.,* glabra, ramulis subteretibus; phyllodiis patulis, rigidis, linearibus, rectis, planis, acuminato-pungentibus, striato-plurinerviis, supra basin attenuatam obscure glanduliferis; pedunculis solitariis geminisve, brevibus, capitulis multifloris; sepalis liberis, angustis, apice sphacelato-spathulatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. 1840, Herb. Preiss. florens No. 949. (Drummond n. 284!)

Rami ramulique stricti, interdum obsoletissime angulato-striati, juniores apice minute puberuli. *Phyllodia* coriacea (in specim. Preiss. crassiuscula) 1-rarius 1½ poll. longa, vix ultra lineam lata, recta v. levissime incurva, mucrone recto fere 1 lin. longo, nervis 3 tenuibus bene tamen conspicuis. *Pedunculi* 2 lin. longi, glabri, in specim. Drummondianis semper solitarii semierecti, in Preissianis plerumque gemini divaricato-patuli. *Capitula* pisi magnit., aurea, glabra, calyce dimidiam corollam aequante. Legumen ignot. — Affinis sequenti, sed glabritie fere perfecta, phyllodiis duplo majoribus, pedunculis semper conspicuis facile distinguenda; nec non *A. striatulae Benth.* (n. 47.) quae differt (ex diagn.) phyllodiis divaricatis v. recurvis, subcompressis, dimidio minoribus.

28. **Acacia sessilis** *Benth.* l. c. p. 336, n. 48.

In colliculosis et arenosis sylvaticis ad fluv. Cygnorum, prope praedium rusticum Dom. S. Moore, d. 29. Jun. Herb. Preiss. No. 979. cis oppidum Guildford, d. 14. Sept., No. 980. florens, et in districtu Wellington d. 23. Nov. 1839. fructifera No. 982.

---

lata, mucronulo innocuo, saepius obsoleto, nervo interdum margini inferiori paulo approximato. Pedunculi capillares, plerumque phyllodio paulo breviores. Capitula circ. 10-flora, magnit. sem. Viciae sativae. Flor. 5-meri, sepalis subliberis linearibus ciliatis. Affinis **A. translucenti** Cunn. (Benth. l. c. n. 143.) et **vestitae** Ker (ib. n. 87.) sed ab illa phyllodiis 1-nerviis apice haud incrassatis, ab hac inflorescentia non racemosa distincta; nec non **A. amblygonae** Cunn. (ib. n. 35.) quae differt pubescentia, phyllodiis plurinervis, etc. — Species inter Triangulares et Uninervias latifolias ambigua, illis tamen potius quam hisce adsocianda.

*) Species, ut videtur nova, sed e specimin. sterilibus mancis haud definienda, hinc **A. cochleari** et **venulosae** Benth. (l. c. n. 152.) inde etiam **A. spirorbi** Labill. (Benth. n. 185.) affinis, in planitie arenosa sylvae inter praedia rustica dom. Barker et Leonard d. 12. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 937. — „Frutex 3-pedalis."

„Frutex 1-4-pedalis, erectus. Flor. fragrantes.“ Legumen lineare, rectum, continuum, 1-1½ poll. longum, 1½ lin. latum, attenuato-substipitatum, mucronato-acuminatum, suturis incrassatis obtusissimis marginatum, 2-5-spermum, inter semina quandoque constrictum, valvis leviter torulosis arachnoideo-lanatis demum glabrescentibus. — Phyllodia saepe in eodem specimine ½ et 1 poll. longa, ½ lin. lata, nunc dense approximata, nunc remotiora, semierecta v. patentia.

29. **Acacia sphacelata** *Benth.* l. c. p. 338, n. 54.

In lapidosis ad tergum montis Currie (York) d. 15. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 985. (Drummond n. 299!)

„Frutex 4-6-pedalis.“ *Ramuli* divaricato-patentes, pube brevi densa albida lanato-tomentosi, v. (in n. 299.) subglabri. *Phyllodia* 4-8 lin. longa, patentia, 4-sulco-tetragona, recta v. vix arcuata, basi v. subtus pubescentia aut (in n. 299.) glaberrima. *Legumen* (separatim sub. n. 985 missum) lineare, valde arcuatum (semilunare) circ. semipollicare, 1½-2 lin. latum, 2-5?-articulatum, atrofuscum, glaberrimum, suturis obsoletis, valvis parum convexis obscure venoso-rugulosis.

VI. Calamiformes, ramis apteris, stipulis obsoletis, phyllodiis elongatis subulatis v. subcompresso-linearibus, mucrone brevi vix pungente saepe recurvo, inflorescentia capitata simplici v. breviter racemosa. (Benth. l. c. p. 341.)

30. **Acacia leptoneura** *Benth.* l. c. n. 64.

Phyllodia pleraque pollicaria v. parum longiora, raro 2-pollicaria. (Drummond n. 303!)

β? **pungens** *nob.*, phyllodiis duplo fere crassioribus, nervis magis conspicuis, mucrone recto pungente. An species distincta?· Accedit etiam ad *A. colletioidem* et *striatulam Benth.* l. c. n. 46. 47.

In regionibus interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. sterilis Herb. Preiss. No. 976.

31. **Acacia Hookeri,** *n. sp.*, ramis teretibus, apice minute puberulis; stipulis linearibus, deciduis; phyllodiis anguste linearibus, rectis v. arcuatis, muticis glabris v. parce ciliato-pilosiusculis, supra planis v. canaliculatis, dorso convexo obsolete nervoso-striatis; pedunculis solitariis geminisve, phyllodio demum aequalibus v. sublongioribus, capitulis parvis, multifloris.

In solo sublimoso prope villam Cl. Mitchell ad fluv. Cygnorum, d. 29. Jun. 1839. florens Herb. Preiss. No. 981. (Drummond n. 300!)

„Frutex vix pedalis.“ *Rami* tenues, rectiusculi, plerumque graciles, fusci, tuberculoso-cicatrisati, inferne glabri nunc simplices folioso a medio inde floriferi, nunc conferte ramulosi cinerascentes. *Stipulae* subfoliaceae, rigidae (haud spinescentes) erectae, lanceolato-lineares, acutae, 1½-2 lin. longae, ½ lin. latae, paucae hinc inde superstites. *Phyllodia* erecta, 5-11 lin. longa, ¾ lin. lata, obtusa v. acuta, nunquam manifeste mucronata nec pungentia, recta v. leviter recurvo-arcuata, raro subincurva, nervis striolisque obsoletis v. nullis, marginibus obtusis, facie superiore in specim. Preiss. plus minus concava, in Drummondianis plana v. subplana. *Capitula* aurea, diametro 2 lin., evolutione ab apice ramorum incipiente, descendente! *Pedunculi* glabri, 1-cephali, filiformes, superiores phyllodia sensim decrescen-

tia aequantes v. paulo superantes, 5-6 lin. longi, inferiores dimidio breviores. *Alabastra* obtusissima. *Sepala* libera, spathulato-linearia, obtusa, apice haud sphacelata, corolla semi-5-fida dimidio breviora. *Legum*..... — Species habitu proxima *A. sulcatae*, sed distinctissima phyllodiis minoribus, inermibus, exsulcis, caet.

32. **Acacia squamata** *Lindl.* Swan River (Bot. Reg. 1839. Append.) p. XV, n. 63. Hook. ic. t. 367! Benth. l. c. p. 343, n. 69.

In limoso-calculosis sylvae district. York, d. 12. Sept. 1839. deflorata Herb. Preiss. No. 970. (Drummond n. 305!)

„Frutex 2-pedalis.“ Legumen (junius) lineare, planum, continuum, rectum v. subtortum, utrinque attenuatum, glabrum, 1-1½ poll. longum, 2 lin. latum, suturis nerviformibus acutis anguste marginatum.

VIII.*) Uninerviae, ramis apteris, stipulis obsoletis, phyllodiis 1-raro 2-nerviis forma variis haud pungentibus, inflorescentia capitata simplici v. racemosa. (Benth. l. c. p. 345.)

33. **Acacia Meisneri** *Lehm.* Delect. Sem. h. Hamburg. 1842, glaberrima, glauco-pruinosa, ramulis ancipitibus triquetrisve; phyllodiis obovato-oblongis, subcuneatis, oblique submucronato-acutis, 1-nerviis, penniveniis, planis, plerumque eglandulosis, capitula solitaria multiflora superantibus.

In limoso-arenosis sylvae prope oppidum York, d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 930.

β **angustifolia** *nob.* phyllodiis lineari-lanceolatis, subfalcatis, tenuioribus.

In colonia Swan River legit Jac. Drummond, n. 292!

„Frutex 7-9-ped., pruinosus.“ *Ramt* stricti, inferne teretes, subangulato-lineati, cicatricibus prominulis quasi dentati, fusci; apice ramulique acute angulati, compressi v. triquetri, plus minus glauci. *Stipulae* caducae v. nullae. *Phyllodia* nunc valde pruinoso-caesia, nunc viridia, pleraque 10-12 lin. longa (raro paulo longiora) 3-4-lin. lata (in var. *β* 10-15 lin. longa, 2 lin. lata) subpetiolata, plus minus obliqua, mucronulo obtusiusculo brevissimo acuminata, rarius obtusa, nervo centrali v. vix excentrico venisque copiosis parallelis tenuibus rectis parum prominulis (ubique tamen conspicuis) margine superiore circa medium obsolete glandulifero v. saepius nudo. *Pedunculi* filiformes, 3-4 lin. longi. *Capitula* magnit. grani piperis, alabastris obtusissimis, floribus minutis. *Legumen junius* lineare, tortum, laeve, glabrum, ½-1 poll. longum, 2 lin. latum, 1-3-spermum, utrinque et inter semina angustatum, valvis planis, suturis obsoletis; *maturum* (unicum, separatim sub. n. 930 missum, an vere ejusdem speciei?) 3-4-pollicare, egregie moniliforme, fere rectum, 10-12-spermum, isthmis 1-1½ lin. latis, 1-2 lin. longis haud articulatis, loculamentis ovalibus 4 lin. longis 3 lin. latis aequaliter convexis enervils laevibus, suturis obsoletis. *Semina* lenticulari-oblonga, nigra, laevia, vix nitida, caruncula parva obtusa. — Species valde, ut videtur, affinis *A. ancipiti DC.* (nobis haud visae) et forsan ejusdem var.?; recedit tamen glaucedine et phyllodiis angustioribus, mucronulatis.

*) E Benthamii §§. VII et XI, et e serie II, inter plantas Preissianas et Drummondianas nullam speciem invenimus.

34. **Acacia celastrifolia** *Benth.* l. c. p. 349, n. 92.

In regionibus interior. Australiae merid.-occid., m. Febr. Herb. Preiss. No. 915. et in montosis glareosis sterilibus distr. Grantham, d. 21. Mart. 1841. No. 916. (Drummond n. 281!)

„Frutex 2½-6-pedalis, glaucus."

35. **Acacia myrtifolia** *Willd.* — Bot. Mag. t. 302. DC. prodr. 2. p. 452, n. 32. Benth. l. c. n. 93.

In rupestribus promontorii Cape Riche et montis Baldhead, d. 20. Nov. 1840. cum fl. et fr. Herb. Preiss. No. 917.

„Frut. 5-pedalis." — Specim. cum Sieberianis (n. 437!) exacte congrua.

36. **Acacia marginata** *R. Br.* — Wendl. diss. t. 5. DC. l. c. n. 41. Benth. l. c. p. 350, n. 94. — *A. trigona A. DC.!* 8^e^ not. pl. rar. Jard. Genev. p. 20. (fide specim. ab auctore.)

In turfosis per hiemem inundatis prope villam b. Spencer (Plantagenet) d. 11. Oct. Herb. Preiss. No. 920. et in glareosis sylvae ad latus meridionale montis Clarence, d. 30. Sept. 1840. No. 927, ex parte cum fl. et fr.

„Frut. 4-8-ped." Legumen, ut videtur, omnino *A. myrtifoliae*, sed nondum maturum et paulo tortum.

β? **angustata** *nob.*, phyllodiis **elongato-linearibus** (3-4 poll. longis, 2-raro 3-4 lin. latis) nervo crassiore, racemis abbreviatis in apice rami corymboso-approximatis. — An species distincta?

Herb. Preiss. No. 927 ex parte. —*)

37. **Acacia Lindleyi** *n. sp.*, glaberrima, glauca, ramulis subflexuosis, acute triquetris, lineatis; phyllodiis coriaceis, elongato-lanceolatis, obtusis (?) basi longe attenuata glanduliferis, 1-nerviis, parallele pinnato-venosis, marginatis, planis; racemis axillaribus, brevibus, oligocephalis, pedunculis longis, capitulis majusculis dense multifloris; sepalis 5 subliberis, spathulato-linearibus, truncatis, glabris, corolla angusta 5-fida plus dimidio brevioribus, ovario glabro.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 947.

---

*) Addere hic liceat speciem nondum descriptam: **A. glaucifolia**, Baumann! (cat. hort. Bollwill. et Mulhus. 1843, p. 24.) glaberrima, glauca, inermis; ramis gracilibus, subangulatis; stipulis obsoletis; phyllodiis triangularibus, 1-nerviis, penninervibus, nervo subcentrali arcuato in anguli inferioris mucronulum innocuum excurrente, angulo superiore obtuse glandula minuta (rarius nulla) munito; racemis terminalibus et e summis axillis polycephalis, phyllodio longioribus, pedunculis brevissimis, capitulis multifloris. Colitur in hortis Baumannianis Mulhusiae et Bollwiller, Alsatiae, ubi vivam florentemque vidi. Species forsan Triangularibus adsociandа, quibus phyllodiis convenit, sed capitulis racemosis ab omnibus abhorrens; affinis **A. cultriformi** Cunn., ex Hook. ic. t. 170, quae differt phyllodiis longioribus, angustioribus, marginibus rectilineis, nervo excentrico, racemis longioribus, capitulis minoribus longius pedunculatis. — Rami circ. pedales, simplices, nutantes, dense foliosi. Phyllodia 5-8 lin. longa, 2-5 lin. lata, marginibus (praecipue superiore) plus minus arcuatis, interiore et inferiore subinde fere rectis, venis tenuibus, anastomosantibus. Racemi circiter pollicares, 6-10-cephali, paniculam terminalem parvam formantes, pedunculis 1 lin. longis, capitulis globosis pisi magnitudine aureis.

Ramus inferne subteres. *Phyllodia* erecta, rigida, 8-pollicaria, 1 poll. lata (omnia plus minus mutilata, unico minus laeso obtuso mutico) nervo centrali crassiusculo, utrinque obtuse prominulo; venis creberrimis, tenuibus, angulo valde acuto e costa utrinque nascentibus, rectis, parallelis, vix 1 lin. ab invicem distantibus, obscure anastomosantibus; marginibus nerviformibus, vix incrassatis. *Racemi* ante evolutionem squamis tecti, 4-6-cephali, interdum phyllodio parvo interrupti; *squamae* ovatae, acutae, 3 lin. longae, 2 lin. latae, striatae (hinc inde ad basin superstites); rhachis vix 3-5 lin. longa; pedunculi 8-10 lin. longi substriati, patuli v. demum deflexi. *Capitula* aurea, diametro 4 lin., flor. 2 lin. longis, pallidis, tenere membranaceis; corollae tubus anguste cylindricus, demum basi fissa (in petala singula soluta) e calyce subpersistente secedens, limbi lobis erectis angustis acutiusculis. *Stamina* parum exserta, basi monadelpha. *Stylus* capillaris, longius exsertus, basi flexuosus. *Legumen* . . . . . — Species ab omnibus distinctissima; phyllodiorum forma, magnitudine et colore quidem ad sequentem accedens, sed ad Benthamii subsectionem quartam (Squamatas) referenda.

38. **Acacia cyanophylla** *Lindl.* in Bot. Reg. 1839, misc. not. p. 45, n. 64. Benth. l. c. p. 352, n. 101.

In arenosis subhumidis ad ripam fl. Cygnorum, d. 17. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 925; (Drummond n. 284!)

„Frutex 12-18-pedalis, divaricatus; incolis: Black Wattle," Phyllodia plerumque multo minora, praecipue angustiora, quam plantae cultae.

39. **Acacia microbotrya** *Benth.* l. c. p. 353, n. 104.

In glareosis sylvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, d. 12. Apr. 1840. florens Herb. Preiss. No. 923. (Huc quoque, v. forsan ad *A. subcoeruleam Lindl.*, Benth. l. c. n. 97, referenda videntur specim. sterilia, in rupestribus vallis Toodyay, Victoria, m. Mart. 1840 lecta, Herb. Preiss. No. 939.)

„Frut. 7-pedalis. Flor. suaveolentes." — A diagnosi l. c. paulo recedit glaucedine nulla, phyllodiis apice parum angustatis et glandula a basi plerumque magis (6-7 lin.) distante. Ab *A. leiophylla Benth.* differt phyllodiis acutis, vix marginatis et racemis haud ramosis.*)

40. **Acacia leiophylla** *Benth.* l. c. n. 99.

β? **microcephala** *nob.*, racemis subsimplicibus, capitulis parvis.

In regionibus interior. Australiae meridionali-occidentalis m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 921.

---

*) Hujus loci n. sp. est: **A. myriobotrya** nob., glauca? glabra; ramulis subangulatis, mox teretibus, divaricatis; phyllodiis lineari-lanceolatis, utrinque longe attenuatis, acutis, subfalcatis, planis, haud marginatis, tenuiter 1-nervis et penninerviis, glandula minuta a basi remota v. saepe nulla; racemis patulis, polycephalis, phyllodio brevioribus subsessilibus, pedunculis patentissimis capitula multiflora aequantibus; sepalis spathulatis (sphacelatis? nigricantibus) glabris, corolla dimidio brevioribus. — Swan River (Drummond n. 286!) — Phyllodia vix coriacea, 3-5-pollicaria, 2-6 (plerumque 3) lin. lata, nervo tenui plerumque plus minus excentrico, venis tenuissimis confertis subparallelis, glandula 6-10 lin. a basi distans, minuta, nunc nulla. Racemi indivisi, 1-1½-pollicares, 15-20-cephali, demum patentissimi, summi in paniculam subaphyllam congesti, rhachi strictiuscula, pedunc. 2-3 lin. longis vix 1-2 lin. ab invicem distantibus. Legum. . . . . — Species proxima **A. microbotryae** Benth. et **penninerviae** Sieb., ab illa distincta phyllodiis haud marginatis, glandula a basi remota, racemis longioribus polycephalis et calyce; ab hac phyllodiis minus coriaceis, angustioribus, glandulis obsoletis, racemis simplicibus brevioribus haud laxis et calyce. Ab **A. leiophylla** et **falciformi** Benth. l. c. n. 99 et 100 abhorret phyllodiis immarginatis, racemis nec flexuosis nec ramosis nec tomentosis, calyce, etc.

Forte n. sp., sed specim. nimis imperfecta. *Phyllodia* margine tenuissimo nerviformi sanguineo haud incrassato cincta, mucronulo terminali v. laterali (rarius nullo) munita; glandula nunc unica 1-4 lin. a basi distante saepe obsoleta, nunc duabus, altera prope medium marginis sita. *Racemi* 8-10 lin. longi, plerique haud ramosi, rhachi demum subflexuosa. *Capit.* (flor. nondum expansis) magnit. grani piperis. *Legum.* omnino *A. letophyllae.* — Ab *A. amoena Wendl.* (Benth. l. c. n. 113) cui valde accedere videtur, differt phyllodiis vix marginatis, racemis multo brevioribus, caet.

Alteram varietatem (nisi forte speciem distinctam) e speciminibus suppetentibus sterilibus haud determinandam, phyllodiis longioribus (3-3½ poll. longis, 3-5 lin. latis) utrinque magis angustatis falcatisque, subeglandulosis diversam, sistere videntur specimina „in solo sublimoso-arenoso distr. York d. 8. Mart. 1840“ Herb. Preiss. No. 922. (? Drummond n. 291.) — „Arbor circiter 30 pedum. Aboriginibus: *Menna.*“

41. **Acacia xanthina** *Benth.* l. c. p. 355, n. 111.

In calcareis subhumidis ad ripam fl. Cygnorum prope oppidum Freemantle, d. 23. Aug. 1839. florens Herb. Preiss. No. 928. (Drummond n. 283!)

„Frutex 16-pedalis. Ramuli pruinosi. Phyllodia verticalia.“ Axillae hinc inde gallas duras rugosas ferunt, Raphani siliquam fere simulantes.

42. **Acacia subbinervia** *n. sp.*, glabra, ramulis angulatis, mox teretibus; phyllodiis lanceolato-linearibus, subfalcatis, utrinque attenuatis, immarginatis, apice obtuso recurvo hinc mucronulatis, 2-nerviis, nervo altero subcentrali, altero margini superiori approximato tenuissimo superne evanescente v. interdum deficiente, venis tenuibus obsoletisve, glandula a basi distante obsoleta v. nulla; racemis phyllodio multo brevioribus, simplicibus, oligocephalis, capitulis multifloris, calyce truncato-dentato.

In colliculis arenosis insulae Rotenest, d. 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 924. (Drummond n. 285!)

„Frutex 6-pedalis.“ — A praecedente proxime affini differt: glaucedine nulla (exceptis forsan ramis phyllodiisque junioribus) phyllodiis minus rigidis, plus dimidio angustioribus (2½-raro 3½ lin. latis) haud marginatis, nervis tenuioribus, altero centrali v. vix excentrico, racemis phyllodio dimidio v. plus brevioribus, capitulis paucis (3-6) minoribus. Phyllodia saepe puncticulis elevatis copiosis (ut in *A. xanthina* sed minoribus) granuloso-scabriuscula. — Valde quoque accedit ad *A. rostelliferam Benth.* n. 114, sed huic tribuuntur phyllodia crassiuscula, 1-nervia.

43. **Acacia crassiuscula** *Wendl.* diss. p. 31, t. 8. DC. prodr. 2, p. 453, n. 47, Benth. l. c. n. 115?

In arenosis ad portum Princess Royal Harbour, d. 27. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 929.

„Frutex 6-7-pedalis.“ Phyllodia e medio apice mucronulo recto brevissimo sphacelato subito acutata v. interdum rotundato-obtusa (nec, ut ap. DC. l. c. dicuntur, apice rotundato inflexo mucronata) et capitula tantum 12-15-flora. Praeterea specimina Preissiana a Sieberianis haud differunt.

44. **Acacia ramosissima** *Benth.* l. c. p. 356, n. 116?

In solo sublimoso et glareoso sylvae cis fluv. Gordon (Hay) d. 7. Nov. Herb. Preiss. No. 951. et ad radices montis Bakewell (York) d. 30. Mart. No. 940. in solo coenoso exsiccato ad marginem lacus Mathildae (Hay) d. 7. Nov. No. 941.

ad promont. Cape Riché, d. 10. Nov. 1840. No. 952. et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Febr. 1841. No. 943.*)

„Frutex 3-5-pedalis, pruinosus.“ Specimina (pleraque manca v. sterilia) in descriptionem bene quadrant, excepto tantum calyce truncato (nec sepalis liberis sphacelato-spathulatis.)

45. **Acacia apiculata** *n. sp.*, glabra (junior glauca?) ramis acute triquetris; phyllodiis crasse coriaceis, oblongo-lanceolatis, mucronulo acuto subincurvo apiculatis, vix marginatis, subimmerse 1-nerviis, aveniis, planis, basi obsolete glanduliferis; racemis (?), phyllodio longioribus (?) legumine coriaceo, oblongo, continuo, complanato, anguste marginato, juxta suturas transverse venoso, seminibus oblique transversis.

In glareosis sterilibus porrectis promont. Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 919.

Species, ut videtur, affinis *A. anctpitti, ellipticae et oleaefoliae* (Benth. l. c. n. 82, 83 et 90) tamen certe distincta, sed e specimine suppetente unico floribus carente et legumen unicum gerente non satis cognita nec rite collocanda. — „Frutex 2-pedalis.“ *Phyllodia* pollicaria, 4 lin. lata, utrinque (apice praecipue) parum angustata, apice nunc sensim in mucronulum abeuntia, nunc rotundato-obtusissima et subito mucronulo ½ lin. longo acuto leviter incurvo rubro apiculata, plana, integerrima, margine tenuissimo nerviformi sanguineo saepe obsoleto, textura crassa subcarnoso-coriacea (unde facies exsiccatione rugulosae) nervo vix prominulo parum excentrico margini superiori paululum approximato. (Flor. non vidi.) *Pedunculus* gracilis, circ. semipollicaris, teretiusculus, cicatriculis obsitus (hinc verisimiliter racemoso-polycephalus.) *Legumen* sesquipollicare, 5-6 lin. latum, subsessile, utrinque obtusum, breviter acuminatum, glaucum, 6-spermum, suturis nerviformibus tenuibus, valvis coriaceo-membranaceis parum toruloso-convexis nudis aveniis.

46. **Acacia dentifera** *Benth.* in Botanist, 4, t. 179; ap. Hooker l. c. 363, n. 139. Bot. Mag. t. 4032.

In limoso-arenosis et lapidosis planitiei prope Maddington ad fl. Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 932. in jugo montium Darling's-range (Perth) m. Sept. 1841. No. 944. et in depressis ad fl. Murray (Wellington) d. 7. Dec. 1839. No. 946. (Drummond coll. I, sine No., et II. n. 298!)

„Frutex 4-8-pedalis.“ *Stipulae* nunc fugacissimae, nunc subpersistentes, in eodem ramo saepe variae, superiores scil. setaceo-lineares subfalcatae, 3-4 lin. longae, erectae, diu persistentes; inferiores 1-1½ lin. longae dentiformes, manifeste spinescentes, basi crassiusculae. *Phyllodia* recta v. levissime incurva v. falcata, saepe 2-2½ lin. lata, apice interdum uncinato-recurva et utrinque glandulis minutis fuscis punctata, venis nunc obsoletis, nunc conspicuis (quamvis tenerrimis) parallelis. *Pedunculi* 5-8 lin. longi, gemini, rarius solitarii, debiles, in specim. nostris semper 1-cephali sed prope medium constanter sive bractea exigua sive cicatricula denticuliformi muniti. *Legumen* sessile, lineare, 1½-2 poll. longum, 1½-2 lin. latum, membranaceum, glabrum, inter semina (4-6) leviter contractum, suturis obsoletis, valvis turgido-convexis laevibus v. obsolete venoso-rugulosis. Specim. nostra, etsi inflorescentia stipulisque in diagnosin haud exacte quadrent, tamen nonnisi varias hujus speciei formas, nec ab hac ipsa nec inter se certis limitibus distinctas, sistere opinamur. An species potius *Armatis* adsocianda?

---

*) **A. nerlifolia** Cunn. Benth. l. c. p. 357, n. 117., species in ora orientali detecta, nuper, ni fallor, a Drummondio in colonia ad fl. Cygnorum reperta (ejus No. 291?) inter plantas Preissianas non occurrit.

IX. Brachybotryae, ramis apteris, stipulis obsoletis, phyllodiis 3-multinerviis inermibus, inflorescentia capitata subsimplici v. saepius breviter racemosa. (Benth. l.c. p. 363.)

47. **Acacia heteroclita** *n. sp.*, glabra ramulis angulatis, mox teretibus; phyllodiis linearibus, rectiusculis, utrinque attenuatis, mucrone vix pungente subrecurvo acuminatis, acute sulcato-trinerviis, glandula supra basin minuta v. nulla; pedunculis axillaribus solitariis geminisve, monocephalis, capitulo vix longioribus; sepalis liberis, anguste spathulatis, apice sphacelatis.

Ad promont. Cape Riche, d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 938.

Facies et phyllodia fere *A. trinervatae et elongatae Sieber* (Herb. Nov. Holl. n. 445, 443!) — a priore diversa phyllodiis longioribus, minus rigidis, vix pungentibus, pedunculis dimidio brevioribus; a posteriore pedunculis nunquam racemosis (plerumque solitariis et brevioribus) ramulisque glabris; ab utraque praeterea phyllodiis apice *sensim* in mucronem angustatis, glandula (etsi obsoleta) saepius obvia, et praecipue sepalis liberis corolla vix dimidio brevioribus apice nigricantibus. Ab *A. multinervia* et *eglandulosa* DC. discrepat phyllodiorum forma, nervatione, glandula etc.

Ejusdem speciei var. (nisi forte n. sp.) recedens tantum phyllodiis paulo rigidioribus latioribusque (fere 2 lin. latis) apice simpliciter acutis v. breviter mucronatis vix acuminatis, nervis acutius prominulis, nobis videtur stirps a cl. Preiss in region. interior. Australiae merid.-occ. m. Nov. 1840 lecta (No. 950.) propter capitula nondum evoluta haud certe determinanda.

48. **Acacia cyclopis** *Cunningh.* in G. Don gen. syst. 2. p. 404. Benth. l. c. p. 367, n. 153.

In arenosis ad fl. Cygnorum et ins. Rotenest, d. 26. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 926.

„Arbuscula 16-ped., ramis subfastigiatis."

49. **Acacia melanoxylon** *R. Br.* Benth. l. c n. 154. var.?

In arenoso littore maris prope Vasse (Sussex) m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 948. (Ad Port Philipp in ora australi orientem versus a cl. Latrobe lectam vidi in Herb. Mus. Neocomens.)

Specimina sterilia, quaedam gallis squarrosis fere strobiliformibus ad latera ramulorum et in axillis phyllodiorum subsessilibus (inflorescentiis? insecti cujusdam acu mutatis) insignia. „Frutex 3-pedalis."

X. Juliferae, ramis apteris, stipulis obsoletis, phyllodiis forma variis, haud pungentibus, plerumque plurinerviis, inflorescentia spicata. (Benth. l. c. p. 369.)*)

50. **Acacia ephedroides** *Benth.* l. c. p. 370, n. 162.

In rupestribus sylvae cis Halfwayhouse. (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 974.

„Frutex 8-pedalis." *Ramuli* subcompresso-obtusanguli, juniores minute cinereo-puberuli. *Spicae* in uno specimine oblongae, fere semipollicares, in altero (caeterum penitus simili) fere globosae.

---

*) **A. filifolia** Benth. l. c. n. 161. (Drummond n. 302!) in collect. Preissiana non occurrit. — Spicae fere globosae.

51. **Acacia oncinophylla** *Lindl.* Swan River p. XV, n. 66. Benth. l. c. n. 165.

In rupestribus aridis montium Darling's-range prope Preiss's well, d. 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 914, (Drumm. coll. I.!)

„Frutex 5-pedalis." — *Legumen* (separatim adjacens) lineare, subtortuosum, 1-1½ poll. longum, 2 l. latum, continuum, plano-compressum, breviter albido-villosum, 5-8-spermum, suturis nerviformibus inconspicuis glabriusculis. *Semina* ovali-lenticularia, atro-fusca, nitida, caruncula albida bicruri semiamplexa.

52. **Acacia doratoxylon** *A. Cunningh.* Benth. l. c. p. 373, n. 174?

In rupestribus ad radices montium Currie (York) d. 10. Apr. 1840. Herb. Preiss. (No. 935, „arbor circiter 35-pedalis, junior tota pruinosa") et in sublimosis distr. Minto, d. 8. Mart. 1841. (No. 945, „frutex 12-pedalis")

Specimina insufficientia, praeter locum natalem et phyllodia longiora (8-10-pollicaria, 1½-3½ lin. lata) diagnosi bene congrua. *Spicae* pleraeque defloratae. *Legumen* (separatim adjacens) omnino *A. acuminatae Benth.*, cui planta nostra admodum similis videtur, sed calyce subtruncato certe distincta.

53. **Acacia acuminata** *Benth.* l. c. p. 373, n. 175. (Drummond n. 287!)

β **ciliata** *nob.*, phyllodiis anguste linearibus, margine diu brevissime denseque albo-ciliatis. — *A. Lehmanni* Preiss. mss.

In solo sublimoso-arenoso sylvae circa oppidum York. Herb. Preiss. No. 934.

„Arbor circ. 35 pedum, diametro 6-8 unciarum, gracilis, glaberrima: epidermis laevis, subnitida, cinerea. *Rami* subfastigiati, teretes, albocinerei. *Phyllodia* patentia, 6 unc. et ultra longa, 1½-2 lin. lata, adultiora bivenoso-striata" (quod specimina suppetentia haud ostendunt.) „*Spicae* erectae, graciles, unciam longae, floribus flavis aggregatis. *Sepala* 4 ovata" (potius spathulata) „concava, acuta. *Legumen* non vidi. — *Obs.* Radicem adstringentem aborigines comedunt eamque remedium optimum contra odontalgiam, scorbutum dentiumque cariem habent. Arboris lignum siccum, odore baccarum Rubi Idaei insigne, ab iisdem ad varia arma (v. g. „Keili et Mero") conficienda adhibetur. Arbor, ab indigenis *Manjart* ab incolis Anglis *Raspberry-jam* vocatur." Ita Preiss in schedis.

54. **Acacia microneura** *n. sp.*, ramulis subangulatis mox teretibus phyllodiisque junioribus minute cinereo-puberulis; phyllodiis anguste linearibus, subflexuosis falcatisve, utrinque attenuatis, apice subulato-acuminatis recurvis vix pungentibus, eglandulosis, tenerrime nervoso-lineatis, nervo medio saepe crassiore; spicis (?) ovatis v. globosis, sessilibus, solitariis geminisve, multifloris; calyce breviter dentato, corollam dimidiam aequante, vix puberulo.

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 942.

Affinis praecedenti et *A. leptoneurae* Benth. (an igitur potius ad *Calamiformes* referenda?) sed ab omnibus satis distincta. *Phyllodia* 3-4 lin. longa, vix linea una unquam latiora, rigida, medio crassiora, nervo medio tenui plerumque conspicuo prominulo, lateralibus utrinque 2-3 tenerrimis parallelis. *Capitula* (ut in *A. ephedroide*) perfecte globosa aut vix ovata, nunquam vere spiciformia. *Legumen* desideratur.

Series II. Bipinnatae, foliis perfectis bipinnatis, pinnis 1-plurijugis.

XIII. Pulchellae, inermes v. spinis axillaribus armatae, inflorescentia capitata v. spicata simplici, capitulis spicisve axillaribus, singulis e gemmula multibracteata ortis. (Series III, Benth. l. c. p. 386.)

55. **Acacia nigricans** *R. Br.* Bot. Mag. t. 2188. DC. prodr. 2. p. 466, n. 179. Benth. l. c. n. 219. — *Mimosa nigricans Labill.* Nov. Holl. 2, p. 88, t. 238!

„In rupestribus montis William ad portum Princess Royal Harbour, d. 30. Sept. Herb. Preiss. No. 887. et planitiei collium Konkoberuphills (Kent) d. 19. Nov. 1840. (No. 889. ex parte) nec non in limoso-lapidosis cacuminis montis Bakewell (York) d. 5. Sept. 1839. No. 891. florens et fructifera (Drummond n. 314!)

„Frutex 2-4-pedalis."

56. **Acacia obscura** *Alph. DC.* in 6e not. pl. rar. Jard. Genev. p. 23, n. 10, t. 3. Benth. l. c. p. 387, n. 220?

In rupestribus planitiei collium Konkoberuphills (Kent) d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 889, ex parte (specim. insufficiens, floribus nondum expansis.)

„Frut. 3-pedalis."

β? **canescens** *nob.*, cano-pilosiuscula, pinnis sub-1-jugis, foliolis 2-3-jugis lineari-spathulatis margine revolutis apice obtuso subrecurvis, legumine undique pilis albis brevibus villoso-hispidulo.

Ad sinum Regis Georgii III. absque florib. Herb. Preiss. No. 910.

An n. sp.? Specim. insufficiens. Pinnarum par inferius superiori aequale aut plerumque deficiens; foliola 3-4 lin. longa, propter margines arcte revolutos in media facie inferiore sibi contiguos vix ½-¾ lin. lata.

γ? **Preissiana** *nob.*, tota hispidula, pinnis 1-3-jugis, foliolis 3-5-jugis linearibus margine revolutis hispidulo-scabris.

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 885.

„Frutex pedalis." — *A. Preissiana Lehm.!* delect. sem. Horti Hamburg. 1842.

Forsan cum β propriam speciem sistens, foliola ejusdem magnitudinis et formae, apice tamen nunquam dilatata nec recurva, paulo magis scabriuscula. Caules, petioli pedunculique pilis patentibus v. retrorsis satis dense hispiduli.

57. **Acacia strigosa** *Link.* — DC. prodr. 2, p. 466, n. 180. Benth. l. c. p. 387, n. 222.

β **brevifolia** *nob.*, ramis hispidulis, dense foliosis, pinnis 1-rarius 2-jugis petiolisque 2-3 lin. longis, foliolis 2-3-jugis ovalibus v. obovatis (1-2½ lin. longis) margine subrevoluto serrulato-ciliatis v. saepius demum nudis.

In solo turfaceo-arenoso ad Stirling's-terrace (Plantagenet) d. 22. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 902.

„Frut. 4-pedalis.“ Legumen glabrum caeteraque omnia cum descriptione apud Benth. exacte conveniunt.

58. **Acacia Endlicheri** *n. sp.*, ramis strictis, apice subangulatis, glabris v. pilosiusculis; stipulis lineari-setaceis, ciliatis; foliis glabris, petioli glandulis 2-3 concavis, seta terminali subciliata, pinnis 2-3-jugis; foliolis jugi infimi 2-jugis, superiorum 5-7-jugis, oblongis, obtusis, margine revoluto nudis; pedunculis folio subbrevioribus, capitulis globosis, glabris.

In districtu Plantagenet m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 888 et 905.

„Frutex 1-2-pedalis.“ — Simillima *A. strigosae* et forte potius ejus var. Constanter tamen differt foliolis numerosioribus (plerumque 5-6-jugis) margine nunquam serrulato-ciliatis et pedunculis folio plerumque brevioribus 6-7 lin. longis. *Legumen* non vidimus.

59. **Acacia denudata** *Lehm.!* delect. sem. Horti Hamburg. 1842.; glabra, ramis divaricatis, angulatis, rigidis, subspinescentibus, spinis axillaribus subnullis; foliis subsessilibus, petiolo brevi v. subnullo in spinulam excurrente et ad hujus basin glandula concava longe stipitata munito, pinnis 1-jugis; foliolis 5-jugis, lineari-oblongis, obtusiusculis, planis, nudis; pedunculis solitariis geminisve, folio longioribus, capitulis multifloris glabris, calyce truncato-dentato subciliato.

In depressis umbrosis prope Woodman's-point, d. 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 893. (Drummond n. 312!)

β **gracilis** *nob.*, ramis gracilibus, laxis, vix angulatis, foliis sessilibus plerumque spina axillari praeditis, glandula petiolari tenuissima v. saepe nulla, pedunculis folium vix superantibus. — An sp. distincta?

In umbrosis ad ripam fluvii Preston (Wellington) m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 904.

γ **spinosissima** *nob.*, ramis gracilibus, teretibus, lineatis, ramulis divaricato-patentibus subangulatis; spinis axillaribus solitariis geminisve, subulatis, patentissimis gemmuliferis, altera longiore (saepe semipollicari) glandula petiolari minuta (vix 1 lin. longa) v. saepissime nulla, foliolis linearibus, pedunculis solitariis capitulum aequantibus (3-4 lin. longis.)

Colitur in Horto Baumanniano Mulhusiae Alsatorum, ubi florentem vidi vere 1843.

„Frutex (Preiss. No. 893.) 5-pedalis.“ *Rami* rigidi, crassitie fere pennae anserinae, subflexuosi, teretes, lineis nerviformibus a foliorum insertionibus decurrentibus acute prominulis, alas angustissimas referentibus (in *β* et *γ* obsoletis) angulati, glaberrimi; ramuli late divergentes, rigidi, apice subspinescentes (in *β* et *γ* debiliores et inermes) internodiis ½-1 poll. longis. *Spinae* axillares, tenues, rectae, 2-6 lin. longae, in *β* et *γ* fere semper, in *α* rarius obviae. *Stipulae* setaceae, 1-2 lin. longae, fugaces. „*Folia* glauca, plus minus sensitiva“; petiolus nunc subnullus, ad punctum fere tuberculumve et setam terminalem redactus, nunc (No. 893.) 2-4 lin. longus subpersistens; seta terminalis crassiuscula, rigida, 2-3 lin. longa, recta v. subreclinata; glandula pinnarum jugo interposita, 1-2½ lin. longa, suberecta, stipite apice in cyathulum dilatato; pinnarum rhachis 3-8 lin. longa, tetraquetra, rigida, decidua aut (in specim. Drummond.) post foliolorum lapsum persistens et

spinulam simulans; foliola caduca, 3-4 lin. longa, 1-1½ lin. lata (in β et γ fere dimidio minora et diutius persistentia) obscure 1-nervia, avenia, integerrima, glaberrima. *Pedunculi* erecti, filiformes, teretes, glabri, e gemmula minute squamellata nascentes, ½-1 poll. longi. *Capitula* globosa, pisi magnitudine, circ. 30-flora, flava, glaberrima, receptaculo parvulo ovato papilloso. *Calyx* membranaceus, turbinatus, 5-gonus, oris dentibus 5 brevibus latiusculis obtusis sub lente ciliolatis. *Corolla* 5-fida, calyce vix dimidio longior. *Ovarium* glabrum. *Legumen A. pulchellae*, cui stirps nostra proxime affinis, sed distincta ramis angulatis, petiolo aristato, axillis saepius inermibus, caet. Varietates indicatae facile pro totidem speciebus haberi possent, nisi formis intermediis, praecipue speciminibus Drummondianis, arctissime invicem connecterentur.

60. **Acacia pulchella** *R.Br.* — Bot. Cab. t. 212. DC. prodr. 2, p. 455, n. 73. Benth. l. c. p. 387, n. 224.

α **glaberrima** *nob.*, omnibus partibus penitus glabris.

In arenosis sylvae ad fl. Cygnorum Herb. Preiss. No. 884 et. 907. (Drummond n. 310.)

β **hispidula** *nob.*, ramis pube brevi patente albida plus minus hispidulis, demum glabratis.

In limoso-calculosis sylvae inter Mahogany creek et Halfwayhouse (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 908. (Drummond n. 309, 311!)

γ **hispidissima** *nob.*, ramis pilis albidis patentissimis dense hispidis. — *A. hispidissima DC.* l. c. n. 74. Benth. l. c. n. 226.

Ad fluvium Canning (Perth) d. 4. Dec. Herb. Preiss. No. 899 in lapidosis montis Bakewell (York) d. 5. Sept. No. 895. et ad radices montium continuorum Darling's-range prope cataractam, d. 26. Jul. 1839. (No. 908.) (Drummond collect. I.)

Valde suspicor, praeter duas sequentes etiam *A. lasiocarpam*, *fagonioidem* et *denudatam* ad hanc speciem mire polymorpham reducendas esse.

61. **Acacia lasiocarpa** *Benth.* in Hügel. enum. p. 43, n. 130; ap. Hook. l. c. p. 388, n. 225.

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 906. (Drummond n. 313!)

62. **Acacia Cygnorum** *Benth.* l. c. n. 227.

In depressis arenosissimis ad ripam fl. Cygnorum prope Freemantle, d. 14. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 897. in glareosis et sublimosis sylvae prope oppidum Guildford, d. 9. Aug. 1839. No. 886, 898. et inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, d. 12. Apr. 1840. No. 909. in clivulis arenosis prope oram maris, d. 23. Sept. 1839. No. 900. in lapidosis et subumbrosis montis Bakewell (York) d. 5. Sept. 1839. No. 892, 894 et 896. (Drummond n. 308!)

„Frutex 2-5-pedalis. Aboriginibus *Päjang*."

β **sedifolia** *nob.*, foliolis 2-3-jugis, crassiusculis, abbreviatis (1-1½ lin. longis) margine revolutis, legumine pilosiusculo.

In sublimoso-glareosis sylvae district. Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 911.

„Frut. 2½ pedalis." — *A. sedifolia Lehm.!* mss. in Herb. Preiss.

γ? **minutifolia** *nob.*, ramosissima, ramis filiformibus rigidis flexuosis, foliis vix 2 lin. longis, foliolis 1-2-jugis vix 1 lin. longis.

In region. interior. Australiae merid.-occid., d. 7. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 912.

Forsan species distincta. Flor. et fr. ignoti.

63. **Acacia Drummondii** *Lindl.* Swan River p. XV, — n. 67. Benth. l. c. n. 288.

In limoso-calculosis umbrosis montium continuorum Darling's-range (Perth.) d. 13. Sept. 1839. florens Herb. Preiss. No. 901. (Drummond n. 315.)

„Frut. 4-pedalis.“ Specim. glabrescentia.

ALBIZZIA Durazzini.

Albizzia lophantha *Durazz.* ex Benth. in Hook. Lond. Journ. 1. p. 527. — *Acacia lophantha* Willd. DC. prodr. 2 p. 457, n. 93. Bot. Reg. t. 361! Bot. Cab. t. 716. — *Mimosa distachya* Vent. Cels. t. 20. (non Cav.) — *M. elegans* Bot. Repos. t. 563.

In humosis umbrosis ad fl. Cygnorum prope Peninsulam Herb. Preiss. No. 903.

„Arbuscula 12-16-pedalis.“

CAESALPINIEAE.

LABICHEA Gaudich. Endl. gen. n. 6782.

1. **Labichea diversifolia** *n. sp.*, foliis impari? — pinnatis, sessilibus, foliolis 6-3-1 lanceolatis, spinoso-mucronatis, coriaceis, marginatis, supra laevibus, terminali brevissime petiolulato caeteris sessilibus multo longiore, junioribus subtus ramulisque puberulis; racemis axillaribus, simplicibus v. ramosis brevibus, paucifloris, calyce corollaque 4-meris, anthera altera biloculari apice 1-porosa, altera duplo longiore acuminata apice obtusa clausa.

α **brevifolia**, foliis omnibus compositis, foliolis 3–6 brevibus, racemis simplicibus folium subaequantibus.

Inter fragmenta rupium (Quartz) ad latus occidentale montis Bakewell (York) et in rupestribus ad fluv. Canning (Darling's-range) d. 8. Sept. 1839 et m. Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 1027.

β **longifolia**, foliis plerisque unifoliolatis, anguste lanceolatis, interdum foliolis 2 lateralibus brevibus auctis, racemosis folio dimidio brevioribus saepe ramosis (v. s. e Drummondii collect. I. in Herb. Shuttleworth.) An *L. lanceolata Benth.* in Hüg. enum. p. 41. hujus forma constanter unifoliolata?

α. „Frutex 7-pedalis.“ *Rami* ramulique patentes, teretes, glabri, nigricantes, satis dense foliosi. *Stipulae* nullae (in foliola mutatae?) *Folia* sparsa, e rami tuberculo nascentia, petiolo communi nullo; foliola divaricato-patula, plerumque 2-5 (raro 6) lateralia 3-6 lin. longa, 2-3 lin. lata, ovato-v. elliptico-lanceolata, extimo (terminali?) 8-16 lin. longo (in *β* 2-3½ pollicari) 2½-3 lin. lato, petiolulo crassiusculo vix 1 lin. longo suffulto, omnibus margine nerviformi tenui scabriusculo cinctis, rigide coriaceis, pallide viri-

dibus, supra avenlis laevissimis nitentibus glabris, subtus nervo medio valido prominente et in mucronem pungentem rufum fere 1 lin. longum excurrente costatis, obsolete pinnato-venosis (in β reticulatis) demum glaberrimis. *Racemi* axillares, solitarii, indivisi, demum folium subaequantes, laxi, pedicellis 2-3 lin. longis cum rhachi calycibusque minute puberulis. *Alabastra* oblonga, incurvo-acuminata, 3-4 lin. longa. *Sepala* 4 sordide viridia, antico (extimo) complicato-concavo undique coriaceo-herbaceo, reliquis subplanis margine membranaceis. *Petala* 4, sepalis aequilonga, suborbicularia, brevissime unguiculata, tenera, flava, aestivatione convolutivo-imbricata. *Antherae* 2 subsessiles. *Ovarium* breviter stipitatum, rufo-pilosum. *Stylus* filiformis, rectiusculus, glaber, stigmate minuto. *Legumen* lanceolatum, compressum, laeve, glabrum, suturis obsoletis, valvis demum contortis. *Semina* . . . . — Species distinctissima, proxime accedens ad *L. cassioidem Gaudich.*, quae (fide ic. Freyc. voy. t. 112.) differt petiolo semipollicari, foliolis omnibus inter se subaequalibus (8-10 lin. longis) spathulato-lanceolatis, oppositis, 1-3-jugis cum impari, et racemis 2-3-pollicaribus. — Var. β nostra nisi foliis saepe 3-foliolatis et anthera longiore certe uni-nec biporosa a *L. lanceolata Benth.* vix distinguenda videtur; cum α vero praeter notas indicatas omni modo congruit.

2. **Labichea punctata** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XV, n. 69.

In solo sublimoso-glareoso ad radices montium Darling's-range (Perth) m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1026. (Drummond collect. I et II, n. 279!)

„Suffrutex pedalis." *Folia* elliptico-oblonga et lanceolata, minus punctata. *Racemi* simplices aut basi ramosi.

β **lanceolata** *nob.*, foliis omnibus lanceolatis v. lineari-lanceolatis (2-4 poll. longis, 2-7 lin. latis) supra valde reticulatis et punctato-scabris, racemis simplicibus v. basi ramosis.

In limoso-calculosis umbrosis sylvae prope Mahogany creek (Darling's-range, Perth) d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1025.*)

„Suffrut. pedalis. Flor. flavi." — A *L. lanceolata Benth.* abhorret antheris aequalibus conformibus, etc.

PAPILIONACEAE.

Tribus I. Podalyrieae. Subtribus I. Eupodalyrieae, Benth. in Hügel Enum. p. 27; Ann. Wien. Mus. II, p. 65.

BRACHYSEMA R.Br. Endl. gen. n. 6425. Meisn. gen. p. 81. (57.)

1. **Brachysema lanceolatum** *n. sp.*, foliis oppositis v. sparsis, lanceolatis, mucronatis, reticulato-venosis, subtus

*) **Cassia nemophila** Cunn. Vogel synops. gen. Cass. p. 47. n. 158. Walpers repert. 1. p. 827, a Drummondio in colonia fl. Cygnorum lecta (n. 288.) inter plantas Preissianas non occurrit.

sericeis glabrisve; floribus axillaribus, solitariis; calyce sericeo, ebracteolato, pedunculo triplo longiore, vexillum aequante, dimidiam carinam paulo superante.

α **hypargyreum,** foliis oppositis sparsisve, lineari-lanceolatis, margine undulatis, subtus ramulisque argenteo-sericeis.

In planitie arenosa prope montem Manypeak l. Tjilberup (Kent) 16. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 823.

β **glabrescens,** foliis sparsis, lanceolatis v. oblongo-lanceolatis, planis v. vix undulatis, mox glaberrimis.

Ad promontor. Cape Riche, 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 822.

γ **planifolia,** foliis oppositis sparsisve, ovato-oblongis v. lanceolatis, margine planis, subtus ramulisque sericeis.

In glareosis sylvae 15 mill. a Kojonup (Goderich) m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 815.

Rami graciles, teretes, juniores compressi, sericei, demum glabri, internodiis 1-2-pollicaribus. *Stipulae* setaceae, satis rigidae; 2-2½ lin. longae, sericeae, demum recurvae glabrae. *Petioli* 1-1½ lin. longi, sericei. *Folia* in var. *α* 1-1½ poll. longa, 2½-3 lin. lata, in *β* 2-4 poll. longa, 6-10 lin. lata, in *γ* bipollicaria 9 lin. lata, mucrone subspinescente lineam longo fusco, recto v. recurvo, reticulatione eadem (tantum paulo grossiore) ac in *B. latifolio.* *Calyx* campanulatus, 6 lin. longus, lobis 5 ovato-triangularibus acutis circ. 2 lin. longis, infimo paulo profundius distincto et angustiore, superioribus duobus paulo latioribus. *Corolla* rubra? glabra; carina falcata, acutiuscula, 8-9 lin. longa; alae et vexillum calycem vix superantes . . . . . — Species ex habitu et flore absque dubio hujus generis, foliis distinctissima. Petalorum forma in speciminibus perfectioribus recognoscenda.

2. **Brachysema latifolium** *R.Br.* Bot. Reg. t. 118. Bot. Mag. t. 2008. DC. prodr. 2. p. 105.

In glareosis sylvae district. Hay, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 807.

„Frutex radicans. Legumen pisiforme."

3. **Brachysema undulatum,** *R.Br.* Bot. Reg. t. 642. Bot. Cab. t. 778. DC. l. c.

In subarenosis inter frutices densos prope villam Spencer (Plantagenet) 5. Oct. Herb. Preiss. (No. 808, steril) et in glareosis planitiei prope lacum Mathildae (Hay) d. 7. Nov. 1840. No. 809.

„Frutex 2-3-pedalis." Forma foliis sueto minoribus, 10-12 lin. longis, 5-6 lin. latis, demum glaberrimis.

4. **Brachysema praemorsum** *n. sp.,* foliis ternis oppositisque v. subsparsis, obverse triangularibus, penninerviis, angulis obtusis v. rotundatis, apice truncato v. breviter acuminato mucronulato, junioribus subtus cum ramulis pedunculis calycibusque pubescentibus; pedunculis axillaribus, solitariis, apice bracteatis, bifidis, bifloris, folio parum brevioribus; calyce laxo, ebracteolato; vexillo subpanduraeformi, exserto; filamento vexillari basi geniculato.

In solo limoso ad ripam fluvii Preston (Wellington) d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 824.

„Frutex 2-3-pedalis“, erectus? *Rami* primarii stricti, teretes, glabri, virescentes, crassitie calami scriptorii; secundarii ternatim verticillati, subsimplices, graciles, tenues, adscendentes, molliter pubescentes, superne compressi; internodia ½-3 poll. longa. *Stipulae* setaceae, 2-3 lin. longae, patulae v. recurvae, fuscae, vix rigidae, tarde deciduae. *Folia* in ramis primariis ternatim verticillata, in secundariis opposita v. rarius alterna (tumque fere semper per paria approximata) petiolo puberulo 1-1½ lin. longo; lamina (Passiflorarum quarundam, v. g. P. Leschenaultii DC. P. rotundifoliae L., Cav. diss. t. 290, etc. forma) 9-18 lin. longa lataque, basi rotundata, lateribus leviter arcuatis, apice truncato rectilineo v. emarginato v. saepius acuminato, acumine brevi lato lobos laterales rotundatos latos vix unquam superante, mucronulo fusco rigidulo semilineam longo plerumque recurvo armato; margines (exsiccatione?) leviter recurvi et plus minus undulati; nervatio supra impressa, subtus prominula, nervo medio recto valido, venis primariis utrinque 4-5 divaricatis intra marginem anastomosantibus, interstitiis tenuiter reticulatis. *Pedunculi* erecti v. semipatentes, tenues, stricti, glabriusculi, apice compressi et bracteis 2 membranaceis lanceolatis bifidis (stipulis connatis) pubescentibus fuscis marcescentibus muniti; *pedicelli* 2 (altero interdum abortiente) incurvi v. recurvi, 2-2½ lin. longi, sicut calyces tomentoso-puberuli. *Alabastra* oblonga, subfalcata, acuta. *Calyx* late infundibuliformi-campanulatus, 6 lin. longus, coloratus (ruber? purpurascens?) semiquinquefidus, lobis (praecipue lateralibus infimoque, subcarinato-concavis) falcato-incurvis, superioribus latioribus et minus profunde divisis, infimo reliquis paulo longiore. Corollae et genitalium structura omnino *B. undulati*. *Corolla* sanguinea v. punicea? glabra, fere pollicaris; carina alaeque subaequales, longe exsertae, subfalcato-lanceolatae, obtusiusculae, basi supra auriculatae; vexilli lamina ungue longior quasi panduraeformis, sc. basi subrotunda, medio constricta, superne in processum oblongum complicato-fornicatum subemarginatum e calyce paulo exsertum producta. *Filamenta* glabra, longissima, capillaria, basi complanata et brevissime monadelpha, decimo basi geniculata vexilli ungui adnato. *Ovarium* ovoideum, albido-villosum, intus glabrum, 1-loculare, pluriovulatum, stipite brevi basi annulo membranaceo fusco cincto. *Legumen* . . . . . .

CALLISTACHYS Vent. Endl. gen. n. 6426. Meisn. gen. p. 81. (57.)

CALLISTACHYA Sm. Benth. in Ann. Wien. Mus. II, p. 69.

1. **Callistachys ovata** *Sims.*, Bot. Mag. t. 1925. DC. prodr. 2, p. 104. — Forma foliis lanceolato-v. elliptico-oblongis.

In littore arenoso prope oppidum Albany (Plantagenet) 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 849. (flor. et fr.)

„Arbuscula 8-14-pedalis.“

2. **Callistachys lanceolata** *Vent.* Malm. t. 115. Bot. Reg. t. 216. DC. l. c.

In solo humoso umbroso ad fl. King'sriver (Plantagenet) 25. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 850. (fl. fr.)

„Arbuscula 15-pedalis.“

3. **Callistachys parviflora** *Benth.* in Hügel enum. p. 27, n. 68. Walpers repert. 1, p. 566.: foliis oblongo-linearibus,

mucronatis, reticulatis, basi longe angustatis, planis; racemis terminalibus, laxiusculis.

In paludosis sylvae prope Toby's Julet (Sussex) 27. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 852. (fl. fr.)

„Arbor circ. 25 pedum." *Flores* lutei, sequenti minores. *Legumen* coriaceum, durum, oblique nervosum, omnino *C. ovatae.*

4. **Callistachys linearis** *Benth.* l. c. n. 67. Walpers l. c.: foliis elongatis, linearibus, mucronatis, reticulatis, margine revolutis; racemis terminalibus, laxiusculis. — Bot. Mag. t. 3882!

In limosis umbrosis ad ripam flum. Preston (Wellington) d. 1. Jan. Herb. Preiss. No. 851. in arenosis inter frutices densos ad fl. Cygnorum (Perth) d. 27. Oct. No. 853. et in paludosis district. Sussex, m. Dec. 1839. No. 854. florens et fructifera (Drummond No. 188!)

„Frutex 8-10-pedalis. Flor. purpurei." Variat foliis 1-4 lin. latis et flor. flavis (No. 854.) — A praecedente vix distincta nisi floribus paulo majoribus et legumine tenuiore, magis inflato, obsolete venuloso.

5. **Callistachys carinata** *n. sp.*, ramis cano-pubescentibus apice corymbosis; foliis exstipulatis, sparsis, sessilibus, coriaceis, oblongis, utrinque obtusis, obsolete mucronulatis v. muticis, complicato-canaliculatis, subtus pubescentibus, demum glabris; racemis terminalibus, brevibus, laxiusculis.

In glareosis inter frutices ad latus meridionale collium Konkoberuphills (Kent) d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1068.

„Suffrutex vix pedalis." *Rami* adscendentes, apice tantum in ramulos paucos breves subcorymbosos divisi, teretes. *Stipulae* plane nullae! *Folia* sparsa, subinde subopposite approximata, subadpressa, 4-7 lin. longa, 1½-2 lin. lata, nunc ubique aequilata, nunc apice (rarius basi) paululum dilatata, apice interdum subretusa, rigide coriacea, laete flavo-viridia, plus minus complicato-concava, nervo medio subtus prominulo carinata, caeterum laevia aut transverse venosa et subreticulata, supra glabra, subtus juniora pubescentia, marginibus simplicibus v. obsolete incrassatis numquam recurvis. *Racemi* ½-1-pollicares (fructiferi paulo elongati) rhachi, pedicellis, calycibusque pilis albidis laxiusculis cano-hirsutis; pedicelli 1-2 lin. longi, medio bracteolis 2 oppositis lineari-setaceis 2 lin. longis pilosis muniti. *Calyx* laxus, 4 lin. longus, lobis tubo infundibuliformi longioribus lineari-lanceolatis subaequalibus. *Corolla* vitellina, glabra, calyceu parum superans, petalis subaequilongis breviter unguiculatis, vexillo subrotundo, alis obovatis carinaque gibbo-semiorbiculari acutiuscula basi supra obtuse auriculatis. *Filamenta* glabra. *Ovarium* subsessile, pilosum, 1-loculare, pluriovulatum, intus glabrum. *Legumen* ventricoso-ovatum, turgidum, hirsutiusculum, bivalve, valvis intus transverse striatis nec septuligeris. *Semina* . . . . . Affinis *C. sparsae* Cunn., sed jam foliis, floribus majoribus, caet. satis superque distincta.

6. **Callistachys oxylobioides** *n. sp.*, ramulis pubescentibus; stipulis capillaribus, recurvis; foliis ternis, oppositis sparsisque, subsessilibus, oblongo-linearibus, subcuneatis, obtusis, mucronatis, utrinque reticulatis glabris, complicato-canaliculatis v. planis, margine haud recurvis; floribus axillaribus 2-3 fasciculatis, calycibus cum pedicellis (ipsis brevioribus) leguminibusque subsericeo-villosiusculis.

In arenosis sylvae prope deversorium publicum Pineapple (Perth) d. 6. Jun. Herb. Preiss. No. 842. et in calcareis inter frutices densos prope oppidum Freemantle, d. 18. Dec. 1839. No. 841.

Species inflorescentia a reliquis *Callistachyis* recedens habituque toto *Oxylobiis* (praecipue *O. capitato*) similior, sed propter legumen intus manifeste, quamvis incomplète, septulatum certe priori generi accensenda. — „Frutex procumbens v. 2-pedalis erectus.“ *Rami* ramulique teretes, strictiusculi, demum glabrati, internodiis ½-1½ pollicaribus. *Stipulae* capillari-setaceae, nigrae, glabrae, 2 lin. longae, valde recurvae. *Folia* ramorum primariorum ternatim verticillata, secundariorum opposita v. rarius sparsa, coriacea, 1-2-pollicaria, 1½-3 lin. lata, basin versus plus minus cuneato-attenuata, pleraque (exsiccatione?) plus minus complicata, venis anastomosantibus (subtus magis prominulis, fere *Oxylobii reticulati* more) grossiuscule reticulata, nervo medio subtus parum prominulo, mucrone tenui semilineam longo rectiusculo. *Pedicelli* 1-2 lin. longi. *Calyx* ebracteolatus, campanulatus, lobis tubo aequalibus v. demum paulo longioribus. *Alae* et *carina* subaequilongae, obtusae, purpureae, (alae apice luteae) *vexillum* iis longius, amplum, orbiculare, emarginatum, medio purpureum, margine aurantiacum. *Legumen* subsessile, subglobosum, cano-subvillosum, 8-spermum, valvis coriaceis intus glabris et septulorum membranaceorum reliquias gerentibus. *Semina* (immatura) obsolete strophiolata.

OXYLOBIUM Andr. Endl. gen. n. 6427. Meisn. gen. p. 80. (57.)

1. **Oxylobium ovalifolium** *n. sp.*, stipulis setaceis, petiolum subsuperantibus; foliis quaternatim et ternatim verticillatis oppositisque, ovalibus, obtusis v. emarginatis, mucronulatis, subtus ramulisque sericeis; capitulis axillaribus terminalibusque, breve pedunculatis, dense multifloris; calycibus leguminibusque villosis.

In glareosis inter frutices densos prope montem Manypeak (Kent) d. 27. Nov. Herb. Preiss. No. 813. et in rupestribus ad radices montis Baldhead (Sinus Regis Georgii III.) d. 16. Oct. 1840. No. 820.

„Frutex 5-pedalis, elegans.“ *Rami* ramulique inferne teretes, glabri, apicem versus 3-4-angulati v. compressi cano-pubescentes. *Folia* 1-1½ poll. longa, 6-9 lin. lata, alia perfecte ovalia, alia oblonga, alia obsolete ovata v. obovata, basi rotundata, apice truncata v. plus minus emarginata (nonnunquam obcordato-subrotunda) mucronulo brevissimo v. nullo, coriacea, supra laete viridia glabra venis venulisque elevatis dense eleganterque reticulata, subtus pube alba adpressa dense sericeo-villosa, demum glabrata, nervo medio subtus prominulo valido supra impresso. *Stipulae* 2-3 lin. longae, subulatae, rigidulae, rectae, puberulae, demum subrecurvae deciduae. *Pedunculi* terminales et e summis axillis 3-6 lineas longi, angulati, tomentosi, corymbo composito in capitulum subglobosum contracto terminati, pedicellis 1 lin. longis ebracteolatis. *Calyx* 3 lin. longus, corolla dimidio brevior, sordide albido-v. flavido-villosus, infundibuliformis, semi-5-fidus, lobis aequilongis ovato-lanceolatis acutis, superioribus 2 paulo latioribus. *Vexillum* subreniforme, ungue cuneato 1½ lin. longo, lamina 2½ lin. longa 5 lin. lata centro purpurea marginem versus basique aurantiaca; carina purpurea alaeque subaequales luteae obovato-oblongae subincurvae, vexillo parum breviores. *Filamenta* capillaria, glabra. *Ovarium* subsessile, villosum, 4-ovulatum. *Stylus* glaber, stigmate acuto. *Legumen* ovatum, turgidum, pilosum. *Semina* . . . . — Affinis *O. obovato* Benth., sed folia nunquam cuneata.

2. **Oxylobium obovatum** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XII, n. 42. Walpers repert. 1. p. 567: Lindl. in Bot. Reg. 1843, t. 36! foliis cuneato-obovatis oblongisve, obtusis retusisve, v. 2-3-lobis, mucronulatis, coriaceis; racemis axillaribus capituliformibus, densifloris, calycibus sericeo-villosis, ovario 4-ovulato.

α **latifolium** *nob.*, foliis obovato-triangularibus, apice valde dilatato truncatis v. subtrilobis, lobis lateralibus rotundatis muticis, intermedio plerumque brevi v. obsoleto acutiusculo v. obtuso cum mucronulo recurvo.

In region. interior. Australiae meridionali-occidentalis Herb. Preiss. No. 828. (Drummond coll. I, sine No.)

β **angustatum** *nob.*, foliis cuneato-spathulatis, apice modice dilatato emarginatis v. truncatis v. rotundatis mucronatis v. acuminato-subtrilobis, lobis lateralibus obtusis intermedio acuto saepe breviori-bus. — *O. cuneatum* Benth. l. c. n. 41. Cfr. Lindl. l. c.

In rupestribus jugi montium Darling's-range, haud longe a cataracta ad caput fluvii Cygnorum (Perth) d. 16. Jan. 1840. specim. fructifera. Herb. Preiss. No. 818. (Drumm. n. 207, et coll. I, sine No.)

„Frutex 2-3-pedalis."

3. **Oxylobium dilatatum** *Benth.* l. c. n. 43. Walpers l. c.: foliis basi angustatis, apice dilatato-subbilobis mucronulatis, crasse coriaceis; racemis axillaribus, dense capitatis, multifloris, calycibus sericeo-villosis, ovario 4-ovulato.

In glareosis sylvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard (York) d. 12. Apr. 1840. No. 827 et 834. et in region. interior. Australiae No. 1132. Herb. Preiss. specim. imperfecta.

„Frutex 3-pedalis."

?*β* **trilobum** *nob.*, foliis apice dilatato 3-lobis, lobis mucronatis, intermedio minore. — An species distincta?

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Febr. 1841. specimen mancum Herb. Preiss. No. 827.

4. **Oxylobium reticulatum** *n. sp.*, foliis oppositis, obovatis oblongisve, obtusis v. emarginatis, mucronulatis, grosse reticulatis, junioribus subtus ramulisque puberulis, demum glabris; stipulis setaceis, petiolo aequalibus, deciduis; racemis axillaribus, brevibus, paucifloris, calycibus canosericeis.

In clivulis arenosis ad littus maris, d. 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 840. et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Febr. 1841. No. 831. (Drummond n. 215.)

Species praecedenti (maxime var. *β*) valde affinis, sed distincta: foliis nunquam vere cuneatis, reticulatione insigni multo grossiore, stipulis brevioribus (vix 1-1½ lin. longis) tenuioribus, fere capillaribus, deciduis, racemis plerumque ad umbellam 3-5-floram redactis, calycis pube albida (nec fulvo-villosa) minus nitente. — „Frutex 2-pedalis, erectus." *Folia* pleraque pollicaria, 5-7 lin. lata. „Vexillum suborbiculatum, emarginatum, extus basique intus purpureum, margine intusque aurantiacum, carina alaeque purpureae." *Ovarium* 4-ovulatum.

5. **Oxylobium capitatum** *Benth.* in Hügel enum. p. 28, n. 69. Walpers l. c. p. 566. Bot. Reg. 1843, t. 16!, foliis inferioribus, obovatis, superioribus oblongis v. linearibus, mucrone recurvo; racemis axillaribus, densis, capitatis, folio brevioribus, paucifloris *).

In arenosis inter frutices sylvae prope deversorium publicum Pineapple (Perth) m. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 843, 844. (Drummond n. 214.)

„Frutex 2-pedalis, ramis strictis."

?*β* **ternifolium** *nob.*, foliis ternatim verticillatis, crassiuscule coriaceis, ramis validioribus (nec gracilibus.) — An species distincta? Specimina manca, fructifera. Legumen 3-spermum. Semina strophiolata!

In glareoso-lapidosis inter frutices densos sylvae ad radices montis Manypeak v. T'jilberup (Plantagenet) d. 23. et 28. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 805 et 814.

6. **Oxylobium tricuspidatum** *n. sp.*, humifusum, glabrum; stipulis rectis, spinuliformibus; foliis oppositis, subsessilibus, cuneato-obovatis, apice truncato 3-mucronulatis, utrinque reticulatis; floribus breve pedunculatis, paucis, axillaribus v. in ramulorum apice aggregatis; calycis dentibus setaceo-acuminatis; ovario 4-6-ovulato.

In sublimoso-glareosis districtus Hay, m. Oct. 1840. specim. florifera. Herb. Preiss. No. 1064. (fructifera. Drummond n. 266.)

„Frutex humifusus", facie *Cliffortiarum* quarundam, ubique glaberrimus. *Radix* lignosa, tortuosa, digiti crassitie, *caules* emittens plures prostratos, spithamaeos, divergentes, inferne teretes, superne plus minus compresso-angulatos, ubique dense foliosos et ramosos. *Stipulae* erectae v. patulae, 1-2 lin. longae, e basi viridi paulo dilatata in mucronem pungentem rectum fuscum abeuntes. *Folia* 4-7 lin. longa, 2½-4 lin. lata (petiolo ⅓ lin. longo) coriacea, plana, basi rotundata v. rarius acutiuscula, apice rotundato-truncata v. rarius acutata et mucronibus 3 fuscis pungentibus armata, mucrone intermedio recto 1-2 lin. longo e nervo medio subtus prominulo, lateralibus rectis v. paulo divergentibus 1-2 lin. ab illo remotis et plerumque brevioribus e summis venis primariis ortis, venis pinnatis venulisque rete acute prominulum formantibus. *Pedunculi* axillares 2-4 fasciculati (interdum solitarii) vix calycem aequantes. *Calyx* subcampanulatus, viridis, 2½ lin. longus (cum pedicello sub lente parce puberulus) subbilabiatim semi-

*) **Oxylobium Drummondii** n. sp., ramis apice puberulis, mox glabris; stipulis setaceis, petiolo vix longioribus, deciduis; foliis oppositis, lineari-lanceolatis, emarginato-retusis, obsolete mucronulatis muticisve minute reticulatis, mox glabris, margine nec incrassatis nec revolutis; capitulis ramulos terminantibus, densifloris, inter folia subsessilibus, calyce ovarioque villosis. — Swan River, Drummond n. 210. — **Oxylobio capitato** valde affine, vix tamen mera ejus varietas, recedens, praeter notas indicatas, foliis basin versus vix attenuatis, rarius subcuneatis, apice magis retusis v. emarginato-bilobis, lobis rotundatis, reticulatione paulo minore et (praecipue in pagina superiore) magis obsoleta, petiolo magis conspicuo 1-2 lin. longo, maximeque racemis magis contractis, capituliformibus, nunquam immediate axillaribus, sed ramulos (etsi saepe brevissimos) semper foliosos terminantibus, floribus brevius pedicellatis v. subsessilibus folia haud superantibus, calyce fulvo-villosiusculo minus sericeo, lobis acutis non acuminatis, stylo tenuiore et paulo longiore (qui in **O. capitato** nostro est compressus, crassiusculus, inferne paulo attenuatus.) — Ab **O. obtusifolio** Sm. apprime differt foliis margine haud revolutis, inflorescentia, floribus minoribus caet.

quinquefidus, lobis lanceolatis acuminatis apice fere setaceis aequilongis, superioribus paulo latioribus et altius connatis, inferiorum sinubus sphacelatis. *Corolla* calyce vix duplo longior, vexillo suborbiculato integro flavo, dorso medioque purpurascente, carina parum incurva purpurea alas oblongas flavas aequante. *Filamenta* libera, glabra. *Ovarium* subsessile, basi disco brevissimo cinctum, sericeo-villosum, 4-6-ovulatum, stylum filiformem incurvum acutum glabrum aequans. *Legumen* sessile ovatum, turgidum, puberulum, intus glabrum haud septulatum. *Semina* estrophiolata.

7. **Oxylobium parviflorum** *Benth.*, in Lindl. Swan River p. XII, n. 40. Walpers repert. 1. p. 566.: foliis oblongo-linearibus cuneatisve, emarginatis retusisve, muticis; racemis axillaribus et terminalibus, elongatis, laxis; calycibus subsericeis; ovario 4-ovulato.

In sterilibus sylvae prope praedium rusticum Dom. Parker (York) d. 10. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 798. et in lapidosis summitatis montis Bakewell, alt. 1200 ped., d. 5. Sept. 1839. No. 801.

„Frutex 5-7-pedalis. Carina alaeque purpureae, vexillum rotundatum aurantiacum, basi purpureum."

ISOTROPIS Benth. Endl. gen. n. 6429.

1. **Isotropis striata** *Benth.* in Hügel Enum. p. 28, n. 73; Ann. Wien. Mus. 2, p. 70. Walpers l. c. p. 567: procumbens, piloso-pubescens; foliis sessilibus, inferioribus obovatis, superioribus cuneato-oblongis v. linearibus, integris; stipulis inferioribus ovatis, superioribus lanceolatis.

In arenosis umbrosis et glareosis montium continuorum Darling's-range, haud longe a cataracta, d. 26. Jul. 1839. (No. 1062 ex parte) et in solo turfoso clivuli ad portum Princess Royal Harbour, d. 28. Sept. 1840. (No. 1065 ex parte) Herb. Preiss. (Drummond n 274.)

„Herba perennis, humifusa" (fide Preiss. in sched. No. 1062.) „Suffrutex dodrantalis" (Id. No. 1065.) *Folia* saepe in eodem specimine alia apice rotundata, alia truncata, alia obsolete biloba, in formam sequentis transeuntia, quam igitur mere ejusdem speciei varietatem sistere suspicamur. *Vexillum* aurantiacum, radiatim purpureo-venosum, alae carinaque atropurpureae.

2. **Isotropis biloba** *Benth.* l. c. p. 29, n. 74; Ann. Wien. Mus. l. c. Walpers l. c.: caule erectiusculo; foliis cuneatis, apice bilobis v. superioribus linearibus integris; stipulis inferioribus lanceolatis, superioribus parvis.

In solo sublimoso-glareoso district. Hay, d. 8. Nov. 1840. fructifera (Herb. Preiss. No. 1066.) et cum praecedente florens (No. 1062, 1065, ex parte) (Drummond n. 275, 276.)

„Suffrutex spithamaeus." — Variat caule foliisque pilosis et fere glabris. *Legumen* clavato-lanceolatum, acutum, turgidum, 8-10 lin. longum, in stipitem calyce breviorem attenuatum, subdepressum, adpresse sericeo-pilosiusculum, albidum, suturis vix prominulis. *Semina* 6-8 (immatura) estrophiolata. An praecedentis var.? Folia tamen rigidiora, subcoriacea, distinctius venosa. *)

*) **I. Drummondii** n. sp., caulibus subsimplicibus, strictis, striatis, adpresse pilosiusculis, superne aphyllis, inferne paucifoliis; foliis coriaceis, spathulatis v. lancco-

CHOROZEMA Sm., Benth. Endl. gen. n. 6431.

Chorizema Labill. DC. prodr. 2. p. 102. Meisn. gen. p. 81, (57.)

1. **Chorozema (Euchorozema) cordatum** *Lindl.* in Bot. Reg. 1838, t. 10! Walpers repert. 1. p. 567: foliis subsessilibus, cordatis, ovato-oblongis, obtusis, aequaliter spinuloso-dentatis, glabris; racemis terminalibus axillaribusque, laxis, nutantibus, paucifloris, calycis pubescentis dentibus tubo aequalibus.

In humidis umbrosisque ad ripas fluvii Canning prope Kelmscott (Perth) m. Jul. 1841. (No. 1042, fl. et fr.) et in arenosis sylvae ad portum Leschenault (Wellington) d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1056. (Drummond n. 185, et coll. I. sine No.)

„Frutex 1-5-pedalis, ramis flaccidis.“ — Variat foliis saepe in eodem specimine aliis sinuato-dentatis, dentibus subspinulosis, aliisque subintegerrimis sparse minuteque ciliato-denticulatis. *Racemi* saepe fere pedales. *Legumen* clavato-oblongum, turgidum, glabrum.

2. **Chorozema (Euchorozema) varium** *Benth.* in Bot. Reg. 1839, misc. p. 45, n. 63, t. 49! Walpers l. c.: foliis subsessilibus, subrotundo-cordatis, undulatis, spinoso-dentatis integrisque, pubescentibus; racemis erectis, multifloris, folio paulo longioribus; calycibus pilosis, basi obtusis, dentibus tubo subaequalibus.

In clivulo calcareo Arthur'shead (Perth) d. 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1046. (Drummond n. 184.)

„Frutex adscendens. Flores miniati.“ *Legumen* subclavato-oblongum, turgidum, glabrum.

3. **Chorozema (Euchorozema) triangulare** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1513! Walpers l. c.: foliis subhastatis, pinnatifidis, spinosis, acumine integro laciniis longiore; bracteolis ad apicem pedicelli.

In calcareis inter frutices densos ad tergum montis Baldhead, d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1041.

„Frutex pedalis. Flores coccinei.“

4. **Chorozema (Euchorozema) rhombeum** *R.Br.*, DC. prodr. 2, p. 103, n. 3. Sweet. Fl. Austral. t. 40.

---

latis, integris, acutis, subnervosis, demum glabris; stipulis ovato-lanceolatis; racemo terminali, laxo, pedicellis calycem aequantibus v. demum superantibus, bractea stipulaeformi suffultis. In colonia ad fl. Cygnorum legit Jac. Drummond (n. 277.) Herba basi suffrutescens? spithamaea. Rhizoma tortuosum, ex apice multicipiti emittens caules subfasciculatos, erectos v. adscendentes, fere junciformes, basi stipulis ovatis imbricatis decoloribus squamatos. Folia vix semipollicaria, $1\frac{1}{2}$-2 lin. lata, venis subflabellato-pinnatis plus minus conspicuis. Flores **J. striatae**, sed alae aurantiacae.

In glareosis sylvae ad tergum montis Clarence, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1128. (fl. et fr.)

„Suffrutex decumbens."

Obs. Ab hac specie vix satis distincta videntur *Ch. diversifolium*. Alph. DC. 7° not. pl. rar. Jard. Genev. p. 44, t. 8. et *Ch. ovatum* Lindl. in Bot. Reg. t. 1528. Cfr. Benth. in Hügel Enum. p. 28, n. 71.

5. **Chorozema (Euchorozema) angustifolium** *Benth.* in Hügel Enum. p. 28, n. 72. Walpers l. c. p. 568. *Dillwynia? glycinaefolia* Sm., DC. prodr. 2 p. 109, n. 9. Bot. Reg. t. 1514!

In solo turfoso-arenoso ad Stirling'sterrace, d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1127 et 1147. (fl. fr.)

„Suffrutex dodrantalis. *Vexillum* aurantiacum, alae carinaque coccineae." *Folia* ¼-2-pollicaria, 1-2 rarius 2½-3 lin. lata, basi constanter rotundata, subtus molliter pubescentia v. demum glabriuscula.

6. **Chorozema (Euchorozema) costatum** *n. sp.*, ramulis pubescentibus; foliis subsessilibus, coriaceis, ellipticis v. lanceolatis linearibusve, costato-penninerviis, submarginatis, glaberrimis, margine scabriusculis, apice acuto subrecurvo pungenti-mucronatis; racemis terminalibus, laxiusculis, paucifloris; calyce piloso, basi vix attenuato, lobis acuminatis.

α **lanceolatum**, foliis lanceolatis (semipollicaribus, 2 - 2½ lin. latis.)

In solo sublimoso-glareoso ad radices montium continuorum Darling's-range (Perth) m. Sept. 1839 et 1841. Herb. Preiss. No. 1036, fl. fr. (Drummond n. 183.)

β **lineare**, foliis linearibus (1 lin. latis) longius mucronatis.

In arenosis district. Victoriae, d. 22. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1039. (sine fl.)

γ **brevifolium**, foliis ellipticis, parvulis (2-3 lin. longis, 1½ lin. latis) apice valde recurvis, brevissime mucronatis. —

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Febr. 1841. fructif. Herb. Preiss. No. 1040.

„Frutex 1½ pedalis."

„Frutex 1½-3-pedalis", ramosissimus, *ramis* ramulisque gracilibus, adscendentibus, plerumque strictiusculis, satis dense foliosis, pube brevi adpressa canescentibus, demum glabratis. *Stipulae* nullae. *Folia* sparsa, raro subopposita, rigida, laete viridia, margine tenui nerviformi sub lente parce denticulato-scabriusculo, nervo medio venisque primariis costaeformibus vix anastomosantibus utrinque prominulis, interstitiis haud reticulatis, mucrone terminali ½-¾ lin. longo recto pungente. *Racemi* ramulos terminantes, 1½-2½-pollicares, circ. 6-flori, laxiusculi, erecti, inferne nudi; pedicelli 1-2 lin. longi, bractea lineari minuta caducissima suffulti. *Calyx* 4 lin. longus, basi brevissime attenuata bibracteolatus, adpresse cano-v. rufo-pilosus, lobis tubo parum longioribus lanceolatis acuminatis subaequalibus, superioribus 2 paulo latioribus alte connatis. „*Corolla* coccinea"; vexillum calyce duplo longius, ungue brevi, lamina late suborbiculata (latiore quam longa) emarginata, basi macula pallidiore (lutea?) notata; carina valde curvata, obtusa (purpurea?) calyce alisque obovatis (purpureis?) paulo brevior. *Ovarium* stipitatum, villosum, 8-ovulatum. *Stylus* brevis, incurvus, glaber; stigma subcapitatum, superne penicillo brevi albo barbatum.

Legumen (jam apertum, vacuum) oblongum, turgidum, pilosiusculum, bivalve, 4-5 lin. longum. *Semina* . . . . — Valde accedit ad *Orthotropidem pungentem* Benth., sed jam carina admodum incurva abhorret.

7. **Chorozema (Euchorozema) reticulatum** *n. sp.*, ramis gracilibus, superne pubescentibus; foliis petiolatis, lanceolatis, submarginatis, apice recto acutis vix mucronatis, glabris, margine scabriusculis, subtus reticulato-venosis; racemis terminalibus, longiuscule pedunculatis, laxis; calyce basi attenuato, adpresse cano-pilosiusculo, lobis lanceolatis vix acuminatis.

In solo subarenoso inter frutices densos prope montem Wuljemup (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1045.

„Frutex 1-2-pedalis.“ — Species a praecedente, cui habitu et foliorum magnitudine formaque simillima, distinguitur: foliis minus coriaceis, rectis, vix pungentibus, venis intra marginem arcuatim anastomosantibus, interstitiis plus minus reticulatis, petiolo ½-1 lin. longo, racemis longioribus 8-12-floris, pedunculi parte infera nuda 2-3- pollicari, pedicellis 2-3 lin. longis, calyce vix 3 lin. longo ejusque lobis vix acuminatis. Corollam, stamina et stigma non vidimus. Vexillum (teste Preiss. in sched.) retusum, basi sulphureum. *Ovarium* subsessile, pilosum, 10-ovulatum.

8. **Chorozema (Aciphyllum) Henchmanni** *R.Br.* in Bot. Reg. t. 986. Bot. Mag. t. 3607.

In confragosis summitatis montis Bakewell (York) m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1048. (sine fr.)

„Frutex pedalis.“

9. **Chorozema (Aciphyllum) Baueri** *Benth.* in Ann. Wien. Mus. 2, p. 71. Walpers repert. 1, p. 568: ramis puberulis; foliis divaricatis, linearibus, pungentibus, margine revolutis, glabris, supra laevibus; floribus subsessilibus, folio subbrevioribus.

In limoso-lapidosis ad latus occidentale montis Bakewell (York) d. 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1037, sine fr. (Drummond n. 192.)

„Frutex 1-2-pedalis.“ *Radix* lignosa, crassa, ramosa, subflexuosa. *Folia* interdum fere pollicaria, rigidiora et paulo latiora quam *Ch. Henchmanni*, nunc patentissima v. deflexa, nunc semierecta. *Pedicelli* 1-2-raro 3 lin. longi. *Calyx* dimidio fere longior quam *Ch. Henchmanni*. *Corolla* (fide Preiss) sulphurea (in illo pallide carnea, caeterum simillima.)

Obs. Podolobium? aciculare DC. prodr. 2, p. 103, n. 6, quod jam cl. Bentham (l. c. p. 72.) „alteram hujus sectionis speciem“ esse suspicabatur, ex diagnosi saltem a speciminibus nostris *Ch. Bauert* distinguere nequimus.

10. **Chorozema (Aphyllon) daviesioides** *n. sp.*, ramosissimum, erectum, aphyllum, glabrum; ramis teretibus, costatis; ramulis foliii rudimento squamaeformi adpresso acuminato suffultis, sulcato-4-6-angulatis, apice mucronato-pungentibus; racemis terminalibus lateralibusque, subflexuosis, pedicellis brevibus, basi medioque bracteolatis; floribus nutantibus; calycis labio superiore truncato, emarginato, brevissime 2-dentato, inferiore 3-fido; ovario 4-8-ovulato.

Daviesia ramulosa Benth in Lindl. Swan River p. XIV, n. 56?

α **Preissianum**, calyce ovarioque glabris, pedicellis calyce multo brevioribus (plerumque vix 1 lin. longis).

In lapidosis montium cis oppidum York, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1183. et in region. interior. Australiae occidentalis, d. 7. Mart. 1840. No. 1136.

β **Drummondianum**, calyce parce minuteque adpresso-puberulo, ovario setuloso-piloso, pedicellis calycem subaequantibus (2 lin. longis). — An species distincta?

In colonia ad fl. Cygnorum legit Jac. Drummond, n. 190.

Species insignis, habitu, praecipue ramificatione et foliorum genuinorum defectu *Jacksoniis Daviesiisque* quibusdam similis, sed calycis forma discrepans et propter ovarium pluriovulatum *Eupodalyrieis* accensenda. A *Chorozemate* re vera habitu magis quam characteribus (sc. vix nisi calycis labio superiore subintegro) abhorret, quare generice eam separare non audemus. „Frutex 5-pedalis." *Ramuli* rigidi, steriles plerumque trifidi, ultimi ½-1-pollicares, interdum minute gemmuliferi, patentes, recti v. subrecurvi, angulis nerviformibus sub lente scabriusculis, apice sphacelato fusco nunc sensim acutato nunc subito in mucronem rectum pungentem semilineam longum excurrente. *Squamae* (foliorum rudimenta) ramis ramulisque arcte adpressae, 1-2 lin. longae, e basi triangulari latiuscula viridi carinato-costata in mucronem sphacelatum fuscum sensim abeuntes. *Racemi* summos ramulos terminantes, erecti, simplices v. ramosi, 6-10-flori, subsecundi, rhachi mutica ramulis simili subflexuosa; pedicelli 1-2½ lin. longi, 2-3 lin. ab invicem distantes, singuli squamula sphacelata 1-1½ lin. longa suffulti, patuli v. recurvi, glabri v. in β puberuli, prope medium bracteolis 1-2 minutis acutis muniti. *Calyx* subcampanulatus, basi angustatus, subenervis, 2 lin. longus, dimidiam corollam aequans; labium superius inferiore paululum longius, latum, fornicatum, levissime repando-emarginatum (*Hoveae* more fere truncatum) dentibus exiguis acutiusculis divergentibus, inferioris dentibus 3 subaequalibus triangularibus acutis ⅔ lin. longis rectis. „*Corolla* aurantiaca"; vexillum late orbiculare, emarginatum, centro areola atropurpurea venosa cincto marginibusque aurantiacis; alae vexillo paulo breviores, obovatae, basi brevissime auriculatae, aurantiacae, ungue falcato; carina alis brevior, ovata, ventricosa, obtusa, carnea? v. purpurascens? auriculis basilaribus minutis. *Annulus perigynus* dimidium fere calycis tubum vestiens. Genitalia calycem aequantia. *Filamenta* libera, complanata, glabra. *Ovarium* brevissime stipitatum, oblongum, stylo crassiusculo compresso glabro apice incurvo vix brevius, ovulis 4-6-8 estrophiolatis?, funiculis brevibus. *Stigma* obtusum, subcapitatum. *Legumen* (maceratione semidestructum) subsessile, oblongum, turgidulum, 4-5 lin. longum, bivalve . . . . . .

GOMPHOLOBIUM Sm. Endl. gen. n. 6432. Meisn. gen. p. 81. (57.)

I. Folia simplicia, solitaria, sparsa.

1. **Gompholobium ovatum** *n. sp.*, glaberrimum, ramis angulatis compressisque; stipulis setaceo-linearibus, patentibus; foliis subsessilibus ovatis v. suborbicularibus, subcordatis, acutiusculis v. submucronatis, planis, penninerviis, supra reticulatis; pedunculis terminalibus, geminis, elongatis, me-

dio minute bibracteolatis; calyce dimidiam corollam aequante, carina nuda.

In arenosis sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1105.

Suffrutex? ramis gracilibus subcompresso-triquetris, angulis linea nerviformi a foliorum insertionibus decurrente obsolete marginatis. *Stipulae* angustissime lineares, 1-1½ lin. longae, rectae v. recurvo-arcuatae, pallidae, diu persistentes. *Folia* sparsa, coriacea, sessilia v. petiolo fusco vix ½ lin. longo fulta, late ovata v. quandoque subrotunda, integerrima, ½-1½ poll. longa, 6-14 lin. lata, pallide viridia, nunc obsolete attenuato-acuminata, nunc obtusa, mucronulo brevissimo obtuso (rarius nullo) terminata, basi rotundata v. leviter cordata, nervo venisque supra prominulis, subtus tenuibus subimmersis. *Pedunculi* terminales, 1-flori, gemini, aequales, sesqui pollicares, filiformes, erecti, singuli basi bractea solitaria lineari squamaeformi 1-1½ lin. longa medioque bracteolis 2 illi similibus approximatis (nec oppositis) muniti. *Flores* speciosi, magnitudine fere *G. barbigeri*, calyce tantum paulo minore (5 lin. longo) vix dimidium vexillum aequante, basi ebracteolata, utrinque glaberrimo, profunde 5-partito, lobis obtusiusculis. *Vexillum* amplum, coccineum? *cartna* calycem aequans, alis purpureis obovato-oblongis paulo brevior, obtusa, glaberrima, pallide carnea. *Legumen* . . . . .

2. **Gompholobium amplexicaule** *n. sp.*, glaberrimum; ramis gracillimis, superne subcompresso-angulatis; stipulis setaceis, minutis, recurvis; foliis subsessilibus, cordatis, semiamplexicaulibus, anguste ovato-oblongis, acutis, submucronatis, utrinque reticulatis; pedunculis axillaribus terminalibusque, solitariis geminisve, folia subaequantibus, basi et prope medium minute bracteolatis; calyce dimidiam corollam aequante, carina imberbi.

In arenosis sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1106.

„Suffrutex decumbens.“ *Rami* 1-2-pedales, subsimplices, fere filiformes, basi teretes, superne (praecedentis more, sed minus distincte) angulati. *Stipulae* vix 1 lin. longae, demum nigrescentes. *Folia* 1-1½ poll. longa, 2½-3½ lin. lata, e basi rotundata plus minus (nunquam tamen profunde) cordata sursum sensim attenuata (textura, colore et nervatione omnino praecedentis) margine (exsiccatione?) plerumque leviter recurva et subundulata. *Pedunculi* ½-1-pollicares. *Flores* praecedentis, sed ⅓ minores (magnit. *G. virgati Steb.!*) petalorum colore eodem. *Legumen* subglobosum, cerasi minoris magnitudine, laeve, prope suturas obsoletas tenuiter transverse venosum. *Semina* 12-14, funiculis longiusculis.

II. Folia palmatim 3-v. rarius 5-foliata, petiolo nullo v. obsoleto.

3. **Gompholobium marginatum** *R.Br.* DC. prodr. 2, p. 105. n. 5. Bot. Reg. t. 1490! — Variat petiolis, praecipue plantae junioris v. cultae vix 1 lin. et 2-3 lin. longis, pedunculis 1-floris et laxe racemoso-plurifloris.

In solo glareoso-sublimoso inter frutices prope oppidum Guildford, d. 8. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1107. (Drummond n. 219.)

„Suffrutex spithamaeus. Flores sulphurei.“

4. **Gompholobium pedunculare** DC. l. c. n. 6.

In solo turfoso inter frutices densos haud longe a monte Wuljenup (Plantagenet) d. 14. Oct. Herb. Preiss. No. 1112. et in arenosis district. Kent, d. 19. Nov. 1840. No. 1113. (Drummond, n. 221.)

„Suffrutex vix pedalis.“ Foliola etiam foliorum superiorum saepe obovata.

Obs. Specimina Drummondiana recedunt foliorum inferiorum foliolis spathulatis, sc. ratione longitudinis angustioribus (5 lin. longis, vix 1½ lin. latis); accedunt igitur ad *G. lattifolium Sm.*, quod tamen differt petiolis paulo longioribus, foliolis omnibus conformibus obtusis, carina fimbriata, caet. — *G. venulosum Lindl.* Bot. Reg. t. 1574. a nostra planta vix differt, nisi foliolis nunquam (?) obovatis, stipulis petiolo longioribus, pedunculis paulo brevioribus, petalis omnibus concoloribus vitellinis.

5. **Gompholobium tenue** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1615. Walpers repert. 1, p. 568: glaberrimum, caulibus filiformibus laevibus; foliolis 3 linearibus, angustissimis, mucronulatis, margine revolutis; floribus solitariis, pedunculatis; vexillo emarginato, carina imberbi duplo longiore.

In limoso-calculosis sylvae ad radices jugi montium Darling's-range (Perth) d. 2. Nov. (No. 1109, ex parte) in limosis sylvae prope fl. Vasseriver (Sussex) d. 24. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1111. et in regionibus interior. Australiae meridionali-occident., m. Oct. 1840. No. 1114. (Drummond n. 222: et coll. I sine No.)

?*β* **volubile** *nob.*, caulibus volubilibus, stipulis (2–2½ lin. longis) foliolisque longioribus (plerumque sesquipollicaribus). An spec. distincta? (Herb. Preiss. No. 1109 ex parte.)

Species admodum variabilis, a praecedente, cui foliis superioribus floribusque simillima, distinguenda foliis omnibus conformibus et petalis concoloribus vitellinis. Suffrutex (v. „herba perennis,“ fide Preiss in sched. No. 1109.) nunc digitalis, (No. 1114.) nunc pedalis. *Caules* graciles, tenues, striati v. rarius fere laeves, erecti v. (in speciminibus nonnullis sub No. 1109, a reliquis caeterum non distinguendis) volubiles! *Stipulae* 1-rarius 2-2½ lin. longae. *Petioli* nunc (No. 1114.) fere nulli, nunc 1-2-rarius 3 lin. longi. *Foliola* ½-1-rarius (in 1109.) 1½-pollicaria, supra obsolete transverse venulosa v. interdum (No. 1109.) laevia. *Bracteolae* superiores nunc calyci proximae, nunc in medio fere pedicelli sitae. *Carina alaeque* apice et interdum (in specim. Drummondianis nonnullis) etiam vexillum purpurea. *Legumen* brevissime stipitatum, ovato-subglobosum, magnit. cerasi minoris, glabrum, tenuiter denseque transverse venoso-lineatum, suturis nerviformibus. *Semina* 16, ovalia, subcompressa, cinerea, umbilici lateralis oblongi margine tumidulo diaphano rugoso, funiculis rectis 2 lin. longis strophiola obsoleta emarginato-biloba subcapitatis. — Var. *β* forsan distinctam speciem sistit, sed specimina nostra ad eam rite definiendam insufficientia sunt et ab ipso lectore a reliquis haud distincta fuerunt. In specim. Drummond. (coll. I) ramuli interdum etiam subvolubiles videntur.

6. **Gompholobium polymorphum** *R.Br.* DC. l. c. p. 106, n. 8. Bot. Mag. t. 1533. — *G. grandiflorum* Andr. Bot. Repos. t. 642. (non Sm.)

In subarenosis umbrosis sylvae prope oppidum Albany, d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1108.

„Herba 4-pedalis.“ Caulis filiformis, volubilis!

7. **Gompholobium burtonioides** *n. sp.*, ramis ramulisque teretibus, laevibus, puberulis, demum glabris; stipulis minutis, deciduis; foliis subsessilibus, inferioribus 3-, summis 5-foliolatis, foliolis anguste linearibus v. sub-

spathulatis, obtusiusculis, muticis, margine revolutis, supra ciliato-pilosiusculis demum glabris; capitulis terminalibus, sessilibus, paucifloris; calycis pubescentis corolla vix dimidio brevioris lobis breviter aristato-acuminatis.

α **subspathulatum**, foliolis lineari-subspathulatis.

In arenosis prope oppidum Albany, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1100.

β **subacerosum**, foliolis angustissime linearibus.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1198.

„Frutex ½-1-pedalis," erectus, a basi ramosus; rami adscendentes, subvirgati, graciles, dense foliosi. *Petiolus* foliorum inferiorum vix ullus, denticuliformis, summorum ½-1½ lin. longus. *Foliola* 3-6 lin. longa, in α ⅔ lin. longa, in β dimidio angustiora, 1-nervia, supra obsolete venosa. *Flores* 3-6 in capitula terminalia approximati, raro solitarii, pedunculis 1-2 lin. longis. *Calyx* 3-4 lin. longus, laxiuscule cano-pilosiusculus, lobis apice in aristam mollem 1 lin. longam attenuatis. *Petala* vitellina, concolora?; carina rubescente? imberbi calycem subaequante vexillo duplo breviore. *Legumen* subglobosum, calycem vix superans, pisi magnitudine, glabrum, 8-spermum. — Valde accedere videtur ad *G. aspalathoides* Cunn. (Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 72) quod differt: ramulis angulatis, foliis omnibus 3-foliolatis, floribus subracemosis et vexillo carinam vix superante. — Affine etiam *G. capitato* Cunn. et *G. aristato* Benth. l. c., sed ab utroque differt foliolis tantum 1-2-jugis, venosis, muticis, carina haud ciliata, et a posteriore insuper floribus pedunculatis, calycibus corolla multo brevioribus, breviter aristatis, caet.

III. Folia pinnata, rhachi conspicua, foliolis 2-multijugis cum impari.

1199 8. **Gompholobium aristatum** *Benth.* in Hüg. enum. p. 29, n. 77; Ann. Wien. Mus. 2, p. 72. Walpers repert. 1, p. 569, foliis petiolo brevissimo 3-7-foliolatis; foliolis lineari-subulatis, rigidis, mucronatis, margine revolutis; floribus in axillis superioribus subsessilibus, calycibus longe aristatis corolla parum brevioribus legumen subaequantibus, carina ciliata.

α **hispidum** Benth. l. c.

In arenosis secundum fluv. Cygnorum prope oppidum Freemantle, d. 17. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1199.

Specimina nostra a descriptione l. c. recedunt foliolis 5 v. rarius 3 (nunquam 7) floribus terminalibus solitariis (nec axillaribus) et carina brevissime ciliata. Caet. exacte congruunt. De identitate igitur vix dubitandum. — „Frutex 2-pedalis." Stipulae setaceae. Foliorum insertio transverse semilunaris, pallida. „Flores vitellini."

1200 9. **Gompholobium capitatum** *Cunn.* mss. Bot. Reg. t. 1563! Walp. l. c. p. 568; pilosum, foliolis 3-4-jugis, subulato-linearibus, mucronatis, supra laevibus, rhachi interdum subnulla; floribus capitatis, calycibus hirsutis, carina ciliata.

In arenosis sylvae district. Sussex, d. 17. Dec. 1839. (No. 1201 et in solo subturfoso-arenoso inter frutices ad Stirling'sterrace, m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1200.

„Frutex pedalis et ultra, strictus.“ *Rami* teretes, laeves, minute puberuli. *Stipulae* setaceae, albae, ½-1 lin. longae, deciduae. *Petioli* cum rhachi 2-rarius 3-4 lin. longi, quandoque brevissimi. *Foliola* 7, rarius 9 v. 5-3, subfiliformia, 2-8 lin. longa, vix rigidula, nunc breviter setaceo-mucronata et interdum subuncinata, nunc (No. 1201.) mutica, pilis albis tenerrimis laxis 1 lin. longis ciliata (juniora fere arachnoidea) demum glabra. *Capitula* plerumque, 3-flora, rarius pluri-v. 1-flora. *Calyx* dense canovillosus, pedicello longior v. subaequalis, 3 lin. longus, lobis arista 1½ lin. longa acuminatis petala paulo superantibus. *Petala* vitellina, concolora, carina vexillo breviore breviter denseque albo-ciliata. *Legumen* subglobosum, laeve, 8-spermum, magnit. seminis Viciae sativae. *Semina* pallida, flava. — A *G. aristato* distinguitur praecipue petiolo conspicuo, foliis tenuioribus minus rigidis et corolla calycem haud superante.

10. **Gompholobium Shuttleworthii** *n. sp.*, ramulis teretibus, puberulis; stipulis obsoletis; petiolo brevissimo, foliolis 5 (raro 7 v. 3) filiformibus, obtusiusculis, submuticis, margine revolutis, laevibus, glabris; racemis terminalibus capituliformibus, pedunculatis, 3-6-floris, alabastris carinato-5-gonis; calycis lobis acutis, muticis, extus glabris, intus ad marginem pubescentibus, corolla parum breviori-bus, carina minute ciliata.

In calculosis ad radices jugi montium Darling's-range (Perth) d. 17. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1178. (Drummond n. 200 et coll. 1 sine No.)

„Frutex ½-1½-pedalis,“ a basi ramosus, ramis erectis gracilibus satis dense ericoideo-foliosis. *Stipulae* lineares, semilineam longae, fugaces. *Petiolus* ½-1½ lin. longus. *Foliola* rigidula, 2½-5 lin. longa. *Pedunculus* communis ½-1 poll. longus, nudus; pedicelli apici approximati, 2 lin. longi, bractea parum breviore lineari subpersistente fulti. *Calyx* 2½-3 lin. longus, atropurpureus (in sicco nigricans), ante expansionem ovatus breviter acuminatus, basi vix attenuata bracteolis 2 linearibus sinus attingentibus 1 lin. longis munitus, lobis obsolete 1-nerviis aestivatione valvata marginibus contiguis in carinam prominentibus, unde alabastra egregie pentagona viden-tur. *Petala* „rubro-purpurea,“ breviter unguiculata; vexillum suborbiculare, leviter emarginatum, calyce ⅓ v. vix dimidio longius, basi purpureum; carina falcato-oblonga, apice rotundato purpurea, margine superiore minute albo-ciliata, alas obtusas dimidio angustiores calycemque subaequans. *Genitalia* glabra. *Ovarium* breviter stipitatum, 4-ovulatum, stylo filiformi falcato acuto. *Legumen* subglobosum, valvis transverse tenuissime venulo-sis, suturis obsoletis. *Semina* (immatura) ovalia, pallida, funiculis vix 1 lin. longis. — Accedit ad *G. glabratum* DC. (Sieber n. 362!) sed foliolis fere teretibus, inflorescentia maximeque calyce angulato abunde distinctum.

11. **Gompholobium viscidulum** *n. sp.*, ramis subangulatis, glabris, glutinoso-viscidulis; stipulis obsoletis; foliis pinnatis, petiolatis, jugis distantibus; foliolis 5-9 filiformibus, apice obtusiusculo mutico subuncinatis, margine revolutis, laevibus, glabris v. parce ciliato-pilosiusculis; floribus terminalibus, solitariis, breviter pedunculatis, alabastris sub-5-gonis; calyce mutico, glabro, dimidiam corollam aequante, carina nuda?

In glareoso-lapidosis ad latera collium Konkoberuphills (Kent) d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1196.

Praecedenti habitu, foliorum florumque forma et magnitudine et legumine simillimum, sed notis indicatis, praecipue foliorum rhachi 3-4 lin. longa,

foliolorum jugis lineam ab invicem distantibus inflorescentiaque facile distinguendum. A *G. uncinato* Cunn. differt foliis pinnatis petiolatis, foliolis duplo longioribus minus uncinatis, floribusque. — „Frutex sesquipedalis, foliis viscosis."

12. **Gompholobium venustum**, *R.Br.*, DC. prodr. 2. p. 106, n. 11. (non Reichenb. ic. exot. 1. p. 54, t. 76, quae certe ad *G. pinnatum* Sm. spectat!)

In solo torfoso-arenoso inter frutices densos planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1102.

„Flores incarnati." *Calyx* dimidiam corollam superans, brevissime acuminatus. *Legumen* subglobosum, pisi magnitudine, brevissime stipitatum, glabrum.

13. **Gompholobium tomentosum** *Labill.* Nov. Holl. 1. p. 106, t. 134! DC. l. c. n. 9. Bot. Reg. t. 1474.

In arenosis circa oppidum Perth, d. 20. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1198. (Drummond No. 202.)

„Frutex 1-3-pedalis. Flores sulphurei."

14. **Gompholobium Preissii** *n. sp.*, molliter laxeque pilosiusculum, stipulis minutis; foliis pinnatis, 6-8-jugis, rhachi longiuscula, foliolis anguste linearibus, margine revolutis, acutiusculis v. minute mucronulatis, apice paulo dilatatis saepiusque recurvis, punctato-scabriusculis, terminali caeteris breviore saepius latiore obtusoque; capitulis terminalibus 3-1-floris, sessilibus, foliis superatis, floribus breve pedicellatis; calyce piloso, corollam dimidiam superante, lobis breve setacco-acuminatis, carina imberbi.

In solo subturfoso-arenoso inter frutices ad Stirling'sterrace, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1194. (Drummond n. 201.)

Praeter notas indicatas praecedenti simillimum. — „Frutex 1-2-pedalis, strictus." Specimina Drummondiana fruticosa, semipedalia; Preissiana vero herbacea? digitalia, radice simplici, caule a basi diffuse ramoso. *Stipulae* subulatae, ½-1 lin. longae. *Folia* subsessilia, plerumque 14-foliolata, rhachi 3-7 lin. longa, foliolis jugorum superiorum 3-6 lin. longis ½-½ lin. latis, infimorum et terminali (apice saepe 1 lin. lato) dimidio brevioribus, plerisque propter mucronulum minutum recurvum obtusa mentientibus. *Flores* paulo minores, sed (in sicco saltem) ejusdem coloris ac *G. tomentosi*.

15. **Gompholobium Knightianum** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1468! Walpers repert. 1. p. 568: glabrum, foliis petiolatis; foliolis 3-15, subrotundis obovatis ovatis linearibusque, mucronatis; cymulis terminalibus, pedunculatis, foliorum longitudine.

G. heterophyllum Cunn. in G. Don gen. syst. 2, p. 118.

In limoso-arenosis montis Bakewell (York) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1104. et in subarenosis sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 22. Sept. 1840. No. 1103. (Drummond n. 220. et coll. I. sine No.)

„Suffrutex ½-1-pedalis." Flores et legumina *G. venusti*, paulo tantum minora.

Subtribus II. Pultenaeae, Benth. in Hügel Enum. p. 30; Ann. Wien. Mus. II, p. 73.

BURTONIA R.Br. Endl. gen. n. 6423. Meisn. gen. p. 81. (58.)

I. Folia trifoliolata; pedicelli axillares, ad apicem ramorum glomerati, Benth. l. c.

1. **Burtonia scabra** *R.Br.* DC. prodr. 2, p. 106, n. 1.

In solo turfoso-arenoso circa oppidum Albany (Plantagenet) d. 21. Sept., et floribus albis d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1177.

„Frutex 3-pedalis.“ Flores interdum albi. Legumen subglobosum, pubescens, magnit. nuclei cerasini.

2. **Burtonia pulchella** *n. sp.*, ramis laevibus, apice puberulis, mox glabris; foliolis laevibus, glabris, angustissime linearibus, obtusis, muticis, rectis, margine revolutis; pedunculis axillaribus, folio brevioribus, calycem aequantibus, basi medioque 2-bracteolatis, calycis lobis margine intus pilosiusculis.

In arenosis sylvae inter oppida Perth et Guildford, d. 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1173. (Drummond n. 199.)

Praecedenti simillima, sed distincta glabritie, foliolis laevibus obtusioribus, vix ac ne vix uncinatis, perfecte sessilibus, basi haud angustatis, et legumine plus dimidio minore, glabro. — „Frutex 2-pedalis strictus. Flores roseo-violacei.“

3. **Burtonia villosa** *n. sp.*, ramis foliis calycibusque breviter villosis; foliolis breviter petiolulatis, lineari-subulatis, obtusiusculis, muticis, margine revolutis, demum glabrescentibus punctato-scabris; pedunculis axillaribus, folia subaequantibus, calyce brevioribus, basi medioque bracteolatis.

In subarenosis sylvae prope montem Wuljenup (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1172.

Facies *B. scabrae*, sed facile distinguenda ramorum follorumque pubescentia fortiore et longiore, foliis paulo crassioribus brevioribusque, 4-5 lin. longis (in illa saepius 6-7 lin. longis) nunquam uncinatis, floribus majoribus (pro genere maximis, speciosis) calyce 4 lin. (in illa vix 3 lin.) longo extus undique sed breviter subsericeo-villoso. — „Frutex 6-pedalis.“ *Calyx* viridis, ultra medium 5-fidus, lobis oblongo-lanceolatis acutis aequilongis, superioribus 2 paululum latioribus et altius connatis. *Vexillum*, amplum 6-7 lin. longum et paululum latius, suborbiculare, emarginatum, persicinum, basi medio luteum, ungue sesquilineam longo; *alae* parum breviores, obovato-oblongae, persicinae, basi luteae et utrinque breviter auriculatae; *carina* alis paulo brevior, obovata, acutiuscula, carnea, apice purpurascens, margine superiore recto, inferiore valde curvato. *Filamenta* filiformia, glabra, rufa, pistillum aequantia, carinam subsuperantia, antheris oblongis. *Stylus* inferne valde dilatatus, compressus, margine superiore ciliatus, apice filiformis glaber, stigmate subcapitato minuto glabro. *Legumen B. scabrae* (insecti cujusdam e Hymenopterorum ordine exuvias includens; semina destructa).

II. Folia simplicia, sparsa; corymbi terminales. Benth. l. c.

4. **Burtonia conferta** *DC.* prodr. 2, p. 106, n. 4. Benth. in Hüg. enum. p. 30. Bot. Reg. t. 1600.

In arenosis sylvae cis oppidum Guildford et ad radices jugi montium Darling's-range, d. 17. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1174; in arenosis inter frutices humiles vallis prope Two peopled Bay No. 1175. et clivuli ad portum Princess Royal Harbour No. 1176. nec non ad promontorium Cape Riche No. 1179. m. Nov. 1840. (Drummond n. 197, 198 et coll. I sine No.)

„Frutex 1-2-pedalis. Folia interdum No. 1176. purpurascentia. Flores No. 1175. coerulei." — Variat foliis 3-10 lin. longis, nunc tenuiter filiformibus, nunc crassioribus, corymbis laxiusculis contractisque, pedicellis 3-10 lin. longis. *Legumen* globosum, magnit. pisi, glabrum.

5. **Burtonia diosmaefolia** *Benth.* in Hügel enum. p. 30, n. 82; Ann. Wien. Mus. 2, p. 73. Walpers repert. 1, p. 569: foliis confertis, oblongo-linearibus lanceolatisve, obtusis, crassis, carinatis ramisque glabris; floribus capitato-corymbosis, calycibus leguminibusque pilosissimis.

In solo turfoso-arenoso prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 13. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 857. et in limoso-arenosis sylvae ad fluv. Avon, 10 mill. ab oppido York, d. 10. Sept. 1839. No. 858.

„Frutex 1-sesquipedalis. Vexillum flavum, alae carinaque rubro-purpureae."

β **glabrescens** *nob.*, pedicellis calycibusque glabrescentibus glabrisve.

In arenosis ad Sinum Regis Georgii III., d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 883.

6. **Burtonia? tenella** *n. sp.*, glaberrima; caulibus prostratis, gracillimis, ramosissimis, ramis filiformibus; foliis angustissime linearibus, acutis, subcarinatis; corymbis 3-1-floris, floribus parvulis; calyce profunde 5-partito, lobis setaceo-linearibus aequalibus; legumine subsessili, lanceolato, compresso, tenuiter marginato, parce adpresseque pilosiusculo.

In arenosis inter frutices prope oppidum Perth, d. 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 878.

An novum genus? Praeter habitum tamen et praecipue leguminis formam cum *Burtoniae* characteribus bene convenit. — „Suffrutex prostratus." Caulis sesquipedalis et ultra, a basi inde ramosus, penna corvina vix crassior, teres, laevis; rami multo tenuiores, filiformes, internodiis 2-4 lin. longis (in caule saepe duplo longioribus.) *Folia* sparsa, simplicia, exstipulata, semipatentia, 2-4 lin. longa, vix ¼ lin. lata, complicato-canaliculata, rigidula, acuta, margine sub lente parce punctato-scabriuscula. *Pedicelli* terminales gemini, rarius terni v. solitarii, 2-4 lin. longi, subaequales, erecti, nudi v. infra medium bracteolis 2 oppositis setaceis fugacissimis-muniti. *Flores* vix 3 lin. longi. *Calyx* corolla circ. ⅓ brevior, viridis, fere regularis, lobis lineari-setaceis erectis carinatis basi paululum dilatatis tubo turbinato duplo longioribus, infimo caeteris paulo longiore, sinubus acutiusculis extrorsum in denticulum exiguum saepe sphacelatum plicato-prominulis. *Petala* lutea, brevissime unguiculata; vexillum ovatum, obtusum, integrum; alae carinaque aequales; rectiusculae, oblongae, obtusae, supra basin vix auriculatae, vexillo parum breviores. *Filamenta* libera, glabra. *Ovarium* subsessile, sericeo-pubescens, 2-ovulatum. *Stylus* capillaris, incurvus, glaber, ovario

longior, basi vix dilatatus, stigmate acutiusculo. *Legumen* brevissime stipitatum, 3-4 lin. longum, 1 lin. latum, lanceolatum, rectum, breviter acuteque acuminatum, pilis brevibus adpressis parce conspersum, valvis parum convexis, suturis tenuibus nerviformibus. *Semina* estrophiolata (immatura).

JACKSONIA R.Br. Endl. gen. n. 6434. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Jacksonia floribunda** *Endl.* in Ann. Wien. Mus. 2, p. 197; nov. stirp. decad. 1. p. 76, n. 87. Walpers rep. 1. p. 569: ramulis sterilibus compressis (phyllodia referentibus) oblongis, basi cuneatis, sinuato-dentatis, utrinque venosis glabris; floribus racemosis, calycibus sericeis corolla longioribus; legumine stipitato.

In arenosis supra oppidum Guildford (Perth) d. 20. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 811 et 812.

„Frutex 2-4-pedalis, erectus."

J. densiflora Benth. in Lindl. Swan River p. XIII., n. 44, ab hac vix satis distincta videtur.

2. **Jacksonia alata** *Benth.* in Hügel enum. p. 30, n. 83; Ann. Wien. Mus. 2, p. 74. Walpers l. c., ramis ramulisque subangulatis, bialatis, inermibus, apice sericeis; floribus subsessilibus, racemulosis; calycibus corolla longioribus sericeis; legumine sessili.

In colonia ad fl. Cygnorum legit Jac. Drummond (coll. I, sine No.)

Ramuli stricti v. rarius hinc inde obsolete flexuosi, ½-1½ lin. lati. *Calyx* basi minute bibracteolatus, nec (ut a cl. Benthham describitur) ebracteolatus.

β **flexuosa** *nob.*, ramulis egregie flexuosis, compressissimis, foliaceo-bialatis (1-2 lin. latis.) — An distincta species? — sed praeter notam indicatam omnia *J. alatae*.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1119. (Drummond n. 193 et coll. I. sine No.)

3. **Jacksonia Sternbergiana** Hügel Bot. Archiv t. 3! Benth. l. c. n. 84. Walpers l. c., ramis laxe divaricatis; ramulis alternis, angulatis, glabriusculis, apice spinescentibus; floribus lateralibus, laxe racemosis; legumine longiuscule stipitato, ventricoso.

In arenosis ad fluv. Cygnorum, d. 16. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1076. (Drummond coll. I.)

„Aboriginibus *Käbbur*. Frutex 4-12-pedalis, ramis pendulis." *Ramuli* steriles ultimi 1-1½-pollicares, stricti, pungentes. „*Flores* aurantiaci." *Calyx* ante expansionem 4 lin. longus, obovato-oblongus, brevissime acuminatus, teres, (sepalorum marginibus inconspicuis vel obsoletissime prominulis) glaber. *Stamina* aptera! *Ovarii* stipes 1½-2½ lin. longus.

β **puberula**, *nob.*, summitatibus calycibusque (leviter 5-costatis) minute sericeo-puberulis (pedicellis interdum vix 2 lin. longis.) — An species distincta? (Vidimus specimen unicum, insufficiens.)

In porrectis arenosis sylvae prope Bassandeen ad fluv. Cygnorum, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1072.

„Frutex 2-pedalis."

γ **filicaulis** *nob.*, glaberrima, ramis ramulisque tenuissimis, angulato-filiformibus (vix ¼–⅓ lin. crassis) debilibus. — An n. sp.?

In colonia ad fl. Cygnorum legit Drummond, No. 260.

4. **Jacksonia sericea** *Benth.* l. c., n. 85. Walpers l. c.: ramulis brevissimis spinescentibus ramisque angulatis pubescentibus; floribus solitariis gemmis v. subracemosis, bracteolis infra apicem pedicelli, calycibus sericeis; legumine brevissime stipitato, ventricoso.

In arenosis inter frutices ad lacus prope Woodman'spoint (Perth) d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1158.

„Frutex adscendens, divaricatus."

5. **Jacksonia gracilis** *n. sp.*, ramis teretibus, striatis ramulisque angulatis gracillimis minute cano-puberulis, sterilibus indivisis inermibus; floribus laxe racemosis, subsecundis, pedicellis calyce dimidio brevioribus infra apicem bibracteolatis; calycis sericei lobis tubo triplo longioribus, linearibus, brevissime acuminatis, erectis; ovarii villosi stipite calycis tubum parum superante.

In arenosis circa oppidum Perth, d. 29. Nov. 1839.

„Aboriginibus *Waljumel.* — Frutex decumbens." — An *J. sericeae* var.? Differt tamen ramis gracilioribus, minus acute angulatis, inferne teretibus, ramulis subfiliformibus debilibus fere omnibus floriferis, sterilibus abbreviatis spinescentibus vix ullis, floribus paululum majoribus, 4 lin. longis (in illa 3 lin. longis) magis sericeis, calycis laciniis demum egregie convolutis vix ¼ lin. latis. *Filamenta* aptera. *Legumen* non suppetit.

6. **Jacksonia dumosa** *n. sp.*, tota subsericeo-puberula; ramis teretibus, striatis, junioribus angulatis, sterilibus ditrichotomis indivisisve mucronato-pungentibus; floribus ad ramulorum apicem racemosis, majusculis; pedicellis calyce quadruplo brevioribus, apice v. medio bibracteolatis; calycis lobis semierectis; ovarii villosi stipite calycis tubo brevissimo duplo longiore.

In arenosis ad fluv. Cygnorum, d. 13. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1081. in calcareo-arenosis district. Wellington, m. Dec. 1839. No. 1069. in solo sublimoso distr. Hay, m. Oct. 1840. No. 1070. et in solo humoso ad ostium fl. King'sriver (Plantagenet) d. 25. Nov. 1840. „Frutex 2-3-pedalis. No. 1071."

β **glabrata**, ramis ramulisque (tenuibus, plerumque divaricato-2–3-fidis rigidis) glabratis, floribus sericeis.

„In Australia occidentali" Herb. Preiss. No. 1075.

„Frutex 12-18-pedalis," ramosissimus, ubique (v. in β calyce tantum) eodem modo puberulus ac *J. sericea* et *gracilis*, ramis validis, strictis, ramulis sterilibus erectis v. demum squarroso-divaricatis, compresso-angulatis, ⅓-½ lin. latis, in mucronem spinescentem rectum fuscum excurrentibus, nunc valde rigidis spiniformibus, nunc tenuioribus vix rigidis, forma et magnitudine variis, 3-12 lin. longis, aliis indivisis, aliis furcatis v. bis bifi-

fis trifidisve, crure medio indiviso, lateralibus 2-3-fidis. *Flores* „aurantiaci," magnitudine et forma fere *J. Sternbergianae*, sed pedicelli multo breviores et calyx extus sericeus ante expansionem subpentagonus, laciniis vix acuminatis. *Ovarii* fulvo-villosi stipes 1½-2 lin. longus. — Valde accedere videtur ad *J. furcellatam DC.*, quae discrepat ramulis inermibus omnibus (?) furcellatis. A *J. gracili* et *sericea* distinguitur floribus circ. ⅓ majoribus, calycis lobis latioribus planisque et praecipue ramulis sterilibus plerumque 2-3-fido-ramosis; a *J. spinosa* denique, cui ramulorum sterilium forma proxime accedit, differt ramis pubescentibus, floribus plus duplo majoribus et ovario longius stipitato *).

7. **Jacksonia spinosa** *R.Br.*, DC. prodr. 2, p. 107, n. 2. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 74. — *Gompholobium spinosum* Labill. Nov. Holl. 1, p. 107, t. 136! (Lam. ill. t. 949, f. 4.)

In clivulis arenosis ad sinum Two-peopled Bay, d. 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1074.

„Frutex 3-4-pedalis." *Rami* ramulique glabri, juniores tantum minutissime puberuli. *Flores* paululum minores quam in icone citata et *legumen* subfalcatum. De identitate tamen vix dubitandum.

8. **Jacksonia horrida** *DC.* l. c. n. 3. Benth. l. c.

In arenosis circa oppidum Albany (Plantagenet) d. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1080.

„Frutex 5-pedalis." *Rami* validi, fortiter costato-angulati, apice acute triquetri, pube brevi cano-villosi v. demum glabri; steriles folia simulantes, crasse coriacei, rigidissimi, ½-fere 1½ lin. lati, in mucronem rectum fuscum abeuntes, trifidi (raro indivisi) cruribus plerumque semipollicaribus lanceolato-linearibus nervo excentrico valido subtus carinatis quasi triquetris, lateralibus divaricatis saepe furcatis. *Flores* fere *J. dumosae*, sericei. *Calyx* 4 lin. longus, pedicello fere duplo longior; lobis planis, brevissime acuminatis, corollam parum superantibus, demum reflexis. *Petala* subaequilonga, vexillo alisque aurantiacis, carina purpurascente. *Filamenta* aptera. *Ovarium* villosum, stipite calycis tubum superante circ. 2 lin. longo. *Legumen* oblongum, turgidum, 4-5 lin. longum, arcuatum, puberulum v. demum glabrescens, intus minutissime puberulum, epicarpio ab endocarpio demum facile secedente.

9. **Jacksonia capitata** *Benth.* in Ann. Wien. Mus. 2, p. 74, n. 9. Walp. l. c.: ramis ramulisque inermibus, aphyllis, teretibus, striatis, subglabris; floribus ad apicem ramorum capitato-corymbosis; calycibus pubescentibus, corollam aequantibus, sub-5-partitis.

In solo sublimoso-glareoso district. Peel, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1078.

---

*) Ejusdem affinitatis nova sp. est: **J. hakeoides** nob., ramis ramulisque teretibus, leviter striatis, demum glabris, sterilibus rigidis 2-3-fidis, cruribus divaricatis pungenti-acutis mucronatisve plerumque iterum 2-3-fidis; floribus ad apicem ramulorum racemosis; pedicellis calyce triplo brevioribus, prope apicem bibracteolatis; calycis extus fulvo-villosi lobis breviter acuminatis, patulis; ovarii villosi stipite calycis tubum brevissimum vix superante. In colonia ad fl. Cygnorum legit Jac. Drummond, n. 261. Species insignis, a praecedentibus distincta praecipue ramis ramulisque (immo sterilibus) teretibus v. vix ac ne vix compressiusculis ½-¾ lin. crassis (duplo crassioribus quam J. dumosae) leviter v. obsolete sulcato-striatis (folia **Hakearum** et **Petrophilarum** quarundam imitantibus.) Flores **J. dumosae**, calyce tantum pube longiore et laxiore villosiusculo.

„Suffrutex vix pedalis," caespitoso-multicaulis, caulibus ramisque erectis v. adscendentibus, debilibus, filiformibus, levissime striatis, subsericeo-incanis, demum glabratis. *Capitula* plerumque 3-flora, pedicellis vix lineam longis bractea minuta ovata acuta fusca suffultis. *Calyx* 2½ lin. longus, basi adpresse bibracteolatus, sericeo-villosus, profunde 5-partitus, lobis linearibus planis breviter acuminatis semipatentibus. *Filamenta* aptera. *Ovarium* subsessile.

10. **Jacksonia restioides** *n. sp.*, aphylla, ramis ramulisque inermibus, teretibus, leviter sulcato-striatis, subsericeo-incanis, demum glabrescentibus; racemis terminalibus, laxe paucifloris; floribus majusculis, subsecundis, brevissime pedicellatis; calyce sericeo-villoso, basi valde attenuata bracteolis 2 lanceolatis cuspidatis adpressis munito, 5-partito, lobis lanceolatis acuminatis erecto-patulis vexillo brevioribus alas carinamque superantibus, filamentis apteris, ovario stipitato.

In arenosis sylvae prope praedium rusticum Dom. S. Moore ad fl. Cygnorum, d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1079. (Drummond n. 263.)

„Suffrutex 1-1½-pedalis, praecedenti similis, sed statura altiore, robustiore, ramis distinctius striatis, inflorescentia et praecipue floribus duplo majoribus (5-6 lin. longis) distantibus in pedicellum 1-1½ lin. longum sensim attenuatis bene distinctus. *Calycis* lobi tubo infundibuliformi vix longiores. *Vexillum* suborbiculare, emarginatum, aurantiacum; alae falcatae, flavae, carina purpurea ventricosa obtusa paulo longiores. Cyathulus perigynus plus dimidio calycis tubo adnatus ovarii stipitem aequans, fere 2 lin. longus, margine staminifer. *Ovarium* intus puberulum.

11. **Jacksonia Lehmanni** *Meisn.* aphylla, inermis, ramis ramulisque teretibus, profunde sulcatis, saepe incurvis, junioribus pubescentibus, mox glaberrimis; floribus lateralibus sparsis v. laxe racemosis, majusculis, pedicellis, calycem subaequantibus medio 2-bracteolatis, alabastris incurvo-rostratis; calyce adpresse puberulo, lobis lanceolatis acuminatis corollam superantibus, petalis subaequilongis, filamentis apteris, ovario stipitato.

In arenosis planitiei prope praedium rusticum Maddington ad fluv. Canning, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1077. (Drummond No. 262.)

„Frutex pedalis," habitu florumque magnitudine et forma praecedenti similis, facile tamen distinguendus ramis fortiter sulcatis, fere angulatis, sterilibus nonnunquam subdichotomis aut flexuosis, nonnisi prima juventute pubescentibus; pedicellis circ. 4 lin. longis, medio (nec apice) bibracteolatis, alabastris egregie acuminatis; calycis pube brevissima vix sericea, tubo attenuato lobis triplo breviore ovarii stipite breviter superato. — Specimen Drummondianum nobis obvium (imperfectum) paulo recedit ramis plerisque minus profunde sulcatis, pedicellis dimidio fere brevioribus et alabastris 5-gonis.

DAVIESIA Sm. Endl. gen. n. 6435. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Daviesia juncea** *Sm.*, DC. prodr. 2, p. 114, n. 12. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 75, n. 2.

In arenosis sylvae prope oppidum Perth, d. 22. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1159. in glareosis sylvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, d. 12. Apr. No. 1181. et in solo subturfoso humido inter frutices prope montem Wuljenup (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840 No. 1160. (Drummond No. 257.)

„Frutex 1-3-pedalis." *Rami* apice saepius plus minus spinescentes. *Flores* „coccinei" (fide Preiss in sched. No. 1160.) v. „atropurpurei, vexillo margine supra aurantiaco" (fide Preiss in sched. No. 1159.)

2. **Daviesia divaricata** *Benth.* in Hügel Enum. p. 31, n. 87; Ann. Wien. Mus. 2. p. 75, n. 3. Walpers repert. 1. p. 570: glabra, ramis floriferis aphyllis, teretibus, sulcatis; racemulis lateralibus, bracteis minutis.

In arenosis sylvae prope lacum Kei-er-me-lu vel Monger'slake (Perth) d. 16. Jan. Herb. Preiss. No. 1167. et in arenosis prope Perth d. 22. Sept. 1839. No. 1166. (Drummond No. 239, ex parte.)

„Aboriginibus *Manō*." — Frutex (fide sched. No. 1167.) 2-4-pedalis, erectus, — v. 10-15-pedalis (fide sched. No. 1166.) „*Vexillum* rotundatum, emarginatum, aurantiacum; *alae carinaque* atropurpureae." *Pedicelli* apice articulati. — An *D. paniculata* Benth. l. c. satis distincta? Rami huic apud Hügel. l. c. dicuntur „apice spinescentes" (ut in D. divaricata) in Ann Wien. Mus. l. c. vero „apice inermes." Racemuli in speciminibus nostris omnibus sunt laterales, — in D. paniculata vero dicuntur terminales et rami minus validi.

3. **Daviesia hakeoides** *n. sp.*, glaberrima, ramis ramulisque teretibus, striatis, undique foliosis; foliis adscendentibus, rigidis, teretibus, striatis, mucronato-pungentibus, inferioribus compressis planisve linearibus; racemulis axillaribus, brevissimis, paucifloris, basi bracteatis; bracteis squamiformibus, imbricatis, concavis, subpersistentibus, pedicellos subaequantibus; calycis dentibus brevissimis, carina falcata obtusiuscula.

Occurunt formae tres sequentes.

α **robusta**, foliis elongatis (2-4 poll. longis) crassioribus (diametro fere lin. 1) ramisque rigidissimis (Preiss. No. 1156.)

β **intermedia**, foliis elongatis (2-4-poll.) tenuioribus (diam. ½ lin.) ramisque modice rigidis (Preiss. No. 1157.)

γ **gracilenta**, foliis plerisque abbreviatis (1-1½-poll., raro longioribus) tenuibus (diam. ¼-⅓ lin.) modice rigidis, ramis gracilibus laxis. (Drummond No. 258.)

α Inter fragmenta rupium prope Cataractam ad caput fl. Cygnorum, d. 25. Jul. Herb. Preiss. No. 1156. et *β* in solo sublimoso „Colonial Church Grant" (Perth) d. 29. Jun. 1839. No. 1157. *γ* in colonia ad fl. Cygnor., Jac. Drummond, No. 258.

„Frutex 1-2-pedalis, erectus." Inflorescentia omnino *D. juncea*. *Racemi* ante expansionem strobiliformes, 2-3 lin. longi. *Bracteae* pallide

rufae, laeves, inferiores minores vix ½-1 lin. longae, semiorbiculares v. late ovatae, obtusae, arcte adpressae, superiores sensim majores; summae laxae, 1-2 lin. longae, obovato-oblongae, obsolete 1-nerviae, convoluto-concavae, acutiusculae (fere cochleariformes.) *Pedicelli* persistentes, apice articulati. *Calyx* rubescens? vix 1 lin. longus, corolla duplo brevior, turbinatus. *Petala* rosea? vexilli centro carinaeque apice atropurpureis. *Genitalia* glaberrima. (Legumen non vidimus.) — Folia inferiora saepe perfecte plana, 1-1½ lin. lata, superiora teretia v. obsolete triquetra, basi paulo dilatata sensim in ramum deliquescentia, apice in mucronem fuscum ½-1 lin longum sensim excurrentia. — Proxime accedit ad D. *genistifoliam* et *collettoidem* Cunn. (Benth. in Ann. Wien. Mus. II, p. 75.) sed ab utraque foliis longioribus, racemulis brevioribus (?) et praecipue bracteis distincta. *)

4. **Daviesia colletioides** *A. Cunn.*, Benth. in Ann. Wien. Mus. p. 75, n. 6. Walpers repert. 1. p. 570. (sphalmate „coluteoides") glabra, ramis rectiusculis; foliis lineari-teretibus, subenerviis, crassis, rigidis, apice spinescentibus; racemis folio subduplo brevioribus; carina subrostrata calyce vix duplo longiore.

In solo turfoso planitiei prope oppidum Albany, d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1180. et in region. interior. Australiae meridionali-occid. No. 1163.

„Frutex bipedalis." *Folia* 6 lin. (raro 10-18 lin.) longa, ½-⅔ lin. lata, recta, patentia, basi haud incrassata, enervia et sicut rami leviter ruguloso-striata. *Pedicelli* 2-4 e rhachi brevissima v. subnulla quasi fasciculatim orti, 2-3 lin. longi, basi bracteolis exiguis patulis cochleariformibus suffulti, apice articulati, calyce subduplo longiores. *Calyx* corolla dimidio brevior, purpureus, turbinatus, subpentagonus, dentibus brevibus acutis. „*Corolla* coccinea,", petalis subaequilongis, carina valde inflexa breviter obtusiuscule subrostrata apice purpurea. *Genitalia* glaberrima. *Ovarium* lanceolatum, falcatum, haud gibbum. — Specim. No. 1163. (mancum) recedit habitu robustiore, foliis saepe sesquipollicaribus, apice plerumque leviter recurvis; absque dubio tamen ejusdem speciei forma.

---

*) Hujus loci sunt novae species duae inter Preissianas haud obvae: **D. Benthamii** nob., glaberrima, ramis foliisque teretibus, leviter rugoso-striatis; foliis patentibus, strictis, rigidis, mucronato-pungentibus; racemulis axillaribus, brevissimis, paucifloris; bracteis minutis, laxis, concavis; pedicellis exsertis, calycem brevissime dentatum subaequantibus, carina acutiuscula. — Swan River Drummond No. 241. Similis **D. hakeoidi**, sed facile distinguenda foliis patentibus rectis (1-2½ poll. longis, diametro ½ lin.) basi vix ac ne vix dilatatis ramisque potius rugoso-striatis quam nervoso-sulcatis et bracteis omnibus minutis patulis. — An **D. genistifolia** Cunn. quoad specimina Baueriana ex ora occidentali-australi? (cfr. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 75.) At **D. genistifolia** ex ora orientali (secundum specimina nostra Andersoniana, cum diagnosi bene congrua) certe diversam speciem sistit.

D. chordophylla nob., glaberrima, ramis gracilibus, teretibus, acute costatis; foliis longissimis, laxis, filiformibus, sulcato-striatis, scabriusculis, breviter mucronatis v. demum muticis; racemis axillaribus terminalibusque laxis, pedunculatis, basi nudis, pedicellis basi bractea exigua acuta stipatis; calycis dentibus brevissimis obtusiusculis, superioribus 2 brevioribus obtusioribus, carina obtusa. — Swan River No. 239, ex parte, et 240. — Folia 3-9-pollicaria, diametro semilineae, incurva v. varie flexa, rarius strictiuscula, parum rigida, vix pungentia, mucrone brevissimo nigricante cito deciduo, nervis sub lente dense puncticulato-scabriusculis. Racemi circiter pollicares, solitarii v. in summis axillis 2-3 fasciculati, erecti, apice tantum aut a medio inde floriferi, pedunculo prope basin bractea unica vix conspicua munito; pedicelli filiformes 1-2½ lin. longi, nunc 1-2 lin. abinvicem distantes, nunc valde approximati et corymbum umbellamve imitantes. Calyx turbinato-campanulatus, sesquilineam longus, corolla vix dimidio brevior, coloratus, laevis. Petala aurantiaca, carina apice purpurascens. Genitalia glabra. Ovarium lanceolatum, inferne gibbum.

5. **Daviesia brachyphylla** *n. sp.*, glaberrima, foliis brevibus, crassis, rigidis, teretibus, semipatentibus, rectis, apice obtusiusculo mucrone recto pungente armatis ramisque laevibus v. obsolete rugoso-striatis; racemis axillaribus fasciculiformibus, vix folium aequantibus, paucifloris, basi minute bracteatis, pedicellis calyci subaequalibus, calycis viridis dentibus brevibus acutis, carina obtusiuscule subrostrata.

In planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. Herb. Preiss. No. 1162. et in region. inter. Austr. merid.-occ., m. Nov. 1840. No. 1161. (Drummond n. 242.)

Praecedenti adeo similis, ut pro ejus varietate brevifolia et parviflora haberi posset, attamen, ni fallor, notis indicatis specifice distincta. — „Frutex bipedalis.“ *Folia* 2-3-raro 4 lin. longa, ½-⅔ lin. lata, saepe coerulescentia, mucrone ⅔ lin. longo atrofusco recto v. raro subrecurvo. *Calyx* 1-1½ lin. longus, sub lente punctatus, caeterum laevis v. obsolete costato-pentagonus. Legumen coriaceum, triangulare, rostratum, 6 lin. longum, 4-5 lin. latum, laeve, glabrum, valvis convexis, stipite calycem haud superante. (Caet. omnia *D. colletioidis*.)

6. **Daviesia physodes** *A. Cunn.* in G. Don gen. syst. 2, p. 125. Benth. in Hügl. Enum. p. 31, n. 89; Ann. Wien. Mus. 2. p. 75. Walpers repert. 1. p. 570., glabra, ramis rectiusculis; foliis linearibus v. subteretibus, striatis, apice spinescentibus, versus apicem saepe dilatatis et utrinque binerviis; carina subrostrata, calycem duplo superante.

In arenosis, prope oppidum Freemantle, d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1164. in sylva et collinis prope Preston Creek (Perth) d. 28. Jul. 1839. No. 1184, 1170. locis depressis hyeme inundatis prope oppidum Perth, d. 23. Sept. et 2. Oct. 1839. No. 1165, 1169. et in rupestribus prope Preissveil (Darling's-range) d. 16. Jul. 1840, No. 1168. (Drummond No. 236.)

„Frutex 1-5-pedalis, erectus, pruinosus.“ *Rami* teretes, rugoso-striati, apice subspinescentes. *Folia* polymorpha, saepe glauca; nunc omnia subulata, 2-8 lin. longa, ½-1 lin. lata, teretia, recta v. levissime recurvo-arcuata; nunc nonnulla aut pleraque compressa, linearia, verticalia, 1-1½ lin. lata, apice vix dilatata aut supra obtuse gibba; nunc denique (et quidem ramorum tam fertilium quam sterilium) aut omnia aut tantum inferiorum nonnulla plana, verticalia, cuneata, ½-1½ poll. longa, 1-2 lin. lata, apice supra in processum margini superiori continuum erectum 2-8 lin. longum 1-2 lin. latum sursum attenuatum muticum, infra in angulum triangularem pungenti-mucronatum margini inferiori continuum rectum v. refractum 1-2 lin. longum producta, nervis duobus e folii basi in apicis angulum quemque excurrentibus, interstitiis venoso-rugosis, marginibus nerviformibus. *Inflorescentia* et legumen praecedentis, *flores* tantum paululum majores „miniati,“ carina apice atropurpurea breviter rostrato-acutiuscula.

7. **Daviesia incrassata** *Sm.*, DC. prodr. 2, p. 114.

In limoso-calculosis sylvae prope Halfwayhouse (Darlings-range) 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1150 et in asperis montis Greenmountain (Perth) 26. April 1840. No. 1155.

„Frutex bipedalis.“ *Rami* spinescentes, patentissimi. *Folia* basi lata verticaliter inserta, patentissima, 1-4 lin. longa, 1-1½ lin. lata, enervia, leviter rugulosa, margine utroque v. rarius superiore solo arcuato, mucrone brevi recto pungente. *Pedicelli* solitarii, 1-1½ lin. longi, basi minute bracteati, calyce colorato acute denticulato paulo longiores. *Corollae* magnitudo,

structura, color et *legumen D. brachyphyllae. Genitalia* glabra. *Ovarium* lanceolatum, margine inferiore gibbo, stipite calycem paulo superante *).

8. **Daviesia polyphylla** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIV, n. 58. Walpers repert. 1. p. 570: glabra, ramis inermibus; angulatis, angulis angustissime subalatis; foliis lanceolatis, leviter recurvo-falcatis v. rarius rectiusculis, marginatis, 1-nerviis v. striato-rugosis, pungenti-mucronatis, crassis, basi plus minus angustata haud decurrentibus; racemis fasciculiformibus, folio brevioribus; calyce pedicello sublongiore obsolete 5-gono; carina semilunari, antice subdilatata vix rostrata, acutiuscula.

In limoso-calculosis ad latus occidentale montis Greenmountain (Perth) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1149. (Drummond No. 232, 233. et coll. I.)

Species *D. angulatae* Benth. simillima quidem, sed notis indicatis certe distincta et facile dignoscenda. „Frutex bipedalis.“ Ramorum anguli minus prominuli, vix alati; folia dimidio breviora et pro longitudine latiora, 3-6 lin. longa, 1-2 lin. lata (in illa 6-12 lin. longa, ½-1½ lin. lata) plus minus falcata, raro recta (in illa strictissime recta, rarius levissime incurvo-falcata) flores dimidio minores, calyce semilineam longo; petala subconcolora, carnea v. purpurea? (in illa rubra v. aurantiaca? vexilli medio carinaque saturatioribus) carina 2 lin. longa, extra medium latior, apice atropurpureo minus attenuata (in illa 3 lin. longa, extra medium sensim attenuata.) — A *D. incrassata* haec et praecedens species differt ramis inermibus foliisque minus patentibus.

9. **Daviesia Preissii** *n. sp.*, glabra, ramis inermibus, teretibus, strictis v. obsolete flexuosis; foliis verticalibus, linearibus, leviter incurvis rectisve, rigidis, pungenti-mucronatis, nervoso-pluristriatis, basi nec angustatis nec decurrentibus; racemis axillaribus, brevissimis, paucifloris, pedicellis calyce longioribus; carina falcata, erostri, acutiuscula, staminibus monadelphis, legumine stipitato, acute brevirostri.

In sublimoso-glareosis prope praedium rusticum D. Hassel (Hay) m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 1153.

„Frutex 1½-pedalis,“ glaucus? *Folia* ½-1 poll. longa, 1 lin. lata, plerumque recta, rarius leviter incurvo-falcata v. apice levissime recurva, haud marginata, sed nervis 3-5 aequalibus parallelis tenuibus sulcato-striata, basi nequaquam angustata nec decurrentia, mucrone 1 lin. longo recto fusco. *Racemi* solitarii, basi minute bracteati, cum pedicellis 3-4 lin. longi. *Flores* pro genere majusculi, 4 lin. longi. *Calyx* coloratus, campanulatus, 1½ lin. longus, basi attenuatus, dentibus subaequalibus acutis erectis tubo vix brevioribus. *Vexillum* luteum, late obovatum, alis parum longius; *alae* carneae, lineari-oblongae, obtusae, subrectae; *carina* purpurea, semilunaris,

*) **D. angulata** Benth. in Lindl. Swan River p. XIV, n. 57. Walpers repert. 1. p. 570: glabra, ramis 4-5-gonis, angulis hinc inde anguste alatis; foliis linearibus et lineari-lanceolatis, subfalcatis rectisve, spinescentibus, validis, crassis, marginatis, laevibus v. substriatis, basi vix attenuata non decurrentibus; racemulis fasciculiformibus, folio dimidio brevioribus; calyce pedicello subbreviore, laevi; carina basi subito incurva, antice attenuato-rostrata, recta, acutiuscula. In colonia Swan River legit Jac. Drummond No. 231. (Inter plantas Preissianas non occurrit.)

acuta, 1 lin. lata, alis angustioribus aequilonga. *Stamina* omnia in tubum connata! *Legumen* coriaceum, glabrum, laeve, triangulare cum rostro (lineam longo acutissimo) 5 lin. longum, 4 lin. latum, turgidulum, stipite calycem paulo superante, suturis obtusiusculis (haud nigro-marginatis) vexillari leviter convexo-arcuata. *Semina* . . . . .

10. **Daviesia spinosissima** *n. sp.*, glabra, ramis teretibus, sulcatis, multifariam densissime foliosis; foliis patentissimis, crassis, rigidissimis, verticalibus, linearibus, rectiusculis, sulcato-striatis, attenuato-spinescentibus, basi lata subdecurrentibus; pedunculis axillaribus 1-floris; subsolitariis, folio dimidio brevioribus, calycem subaequantibus, calycis lobis superioribus brevissimis; carina falcata, obtusiuscula; staminibus monadelphis; ovario subsessili.

In solo glareoso inter frutices prope montem Wuljenup (Plantagenet) d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1152.

„Frutex 5-pedalis.“ *Rami* validi, penna anserina parum tenuiores, apice subcorymboso-ramosi, de facto teretes, sed costis obtuse prominulis a foliorum basi decurrentibus quasi sulcato-multanguli, undique foliis fere spiniformibus horridi. *Folia* vix lineam ab invicem distantia, ordine spirali $^3/_8$? disposita, angulo recto patentia, recta v. levissime recurvo-arcuata, 5-6 lin. longa, ex ima basi (1-$^5/_4$ lin. lata) sensim attenuata et in mucronem fuscum acutissimum $^1/_2$-1 lin. longum excurrentia. *Pedunculi* solitarii (rarissime gemini) 2-4 lin. longi, basi minutissime bracteati. *Calyx* viridis v. subcoloratus, enervis, $2^1/_2$-3 lin. longus, campanulatus, basi attenuatus, dentibus 2 superioribus brevissimis, inferioribus 3 tubo parum brevioribus lanceolatis rigidis subcarinato-complicatis sinubusque acutis. *Vexillum*..... *Alae*..... *Carina* calyce duplo longior, semilunaris, exauriculata, apice atropurpurea, infra carnea? *Stamina* omnia in tubum connata! *Legumen* (separatim sub eodem No. missum) fere praecedentis, sed erostre, rufofuscum, laeve v. obsolete venulosum, stipite calycem subaequante, suturis linea nigra utrinque comitatis, superiore recta, inferiore angulo recto rotundato curvata. *Semina* . . . . .

11. **Daviesia flexuosa** *Benth.* in Hügel Enum. p. 32, n. 90; Ann. Wien. Mus. 2. p. 75. Walp. repert. 1. p. 570: glabra, ramis ancipitibus v. angulatis, flexuosis; foliis divaricatis, crassis, rigidis, linearibus, acutis, spinescentibus, sulcatis; racemis folio vix brevioribus, carina obtusa.

In turfoso-arenosis ad Stirling'sterrace (Plantagenet) d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1180 ex parte.

„Frutex 5-pedalis.“ *Rami* saepe (praecipue inferne) stricti acuteque quadranguli, superne plus minus compressi, ramuli tantum extremi vario gradu flexuosi. *Folia* verticalia, 2-5 lin. longa, apicem versus attenuata, basi vix 1 lin. lata, in ramuli angulum angustissime decurrentia. *Flores* magnit. et colore *D. polyphyllae*. *Calyx* coloratus, $1^1/_2$ lin. longus, pedicellum aequans v. paulo superans, dentibus lateralibus brevissimis obtusiusculis, infimo acuto, labio superiore truncato. *Ovarii* glabri stipes calyce brevior. *Legumen* (separatim adjacens) subcoriaceum, nitidum, glabrum, subsessile, falcato-triangulare, 8 lin. longum, 4-5 lin. latum, brevissime acuteque rostratum, sordide flavo-fuscum, nigro-punctatum, margine inferiore acuto angulo recto rotundato curvato, superiore obtuso leviter arcuato, valvis parum convexis. *Semina* oblonga, fere 2 lin. longa, turgida, nitida, sordide flavovirentia, nigro-punctata, strophiola carnosa crassa integra vix dimidio longiora.

12. **Daviesia decurrens** *n. sp.*, glabra, ramis strictis, acute triquetris; foliis verticalibus, rigidis, linearibus, rectis v. vix falcatis, pungentibus, trifariam anguste decurrentibus, tenuiter nervoso-multistriatis; racemis axillaribus folio dimidio brevioribus, pedicellis calyce subbrevioribus bracteola cochleariformi patula suffultis; calycis dentibus brevibus; carina falcata, obtusiuscula; staminibus liberis; ovario stipitato.

In arenosis sylvae prope oppidum Perth, d. 22. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1147 a. (Drummond No. 234.)

„Frutex 2-3-pedalis, erectus.“ *Rami* graciles, erecti, angustissime alato-triquetri. *Folia* 5-15 lin. longa, 1-2 lin. lata, a basi (in ramum anguste decurrente) ad apicem pungenti-mucronatum sensim attenuata, nunc strictissime recta, nunc levissime recurvo-falcata, semipatentia (vix unquam angulo recto patentia.) *Racemi* multiflori, rhachi brevissima; pedicelli circ. 1 lin. longi, bracteas calycesque subaequantes. *Bracteae* stramineae, striatae, initio imbricatae, demum patentes, inferiores sensim breviores. *Flores* magnitudine. Ervi hirsuti. *Calyx* coloratus, turbinato-campanulatus, labio superiore truncato, inferioris dentibus 3 triangularibus acutiusculis. „*Vexillum* rotundatum, emarginatum, planum v. subrecurvum, basi atropurpureum, apice aurantiacum; *alae carinaque* (angusta) vexillo breviores, atropurpureae. *Genitalia* glabra, antherae flavae.“ *Ovarii* stipes calycem paulo superans. *Legumen* desideratur,

13. **Daviesia prionodes** *n. sp.*, glabra, ramis striatis, alato-triquetris; foliis verticalibus, rigidissimis, lanceolatis oblongisve, subrecurvo-falcatis, pungenti-acutis, basi lata decurrentibus, tenuissime striato-multinerviis; racemis axillaribus folio brevioribus; pedicellis calyce brevioribus, bractea cochleariformi patula subpersistente suffultis; calycis dentibus brevibus; carina obtusiuscula; staminibus liberis; ovario stipitato.

In limoso-calculosis jugi montium Darling's-range (Perth) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1148. et in region. interior. Australiae occidentalis, d. 12. Mart. 1840. No. 1141. (Drummond No. 235.)

An prioris var.? Differt tamen ramorum frondisque colore subglaucoviridi, foliis duplo-triplo latioribus (usque ad 4 lin. latis) semper, etsi leviter, arcuatis saepeque angulo recto patentibus, magis decurrentibus ideoque ramis latius alatis, nervis tenuioribus v. interdum obsoletis. Caet. omnino praecedentis. *Legumen* (immaturum) 4 lin. longum latumque, fere aequilatero-triangulare, obtuse rostratum, marginibus a basi angulo recto divergentibus, superiore leviter gibbo-convexo, inferiore in angulum obtusissimum deorsum valde producto.

14. **Daviesia quadrilatera** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIV, n. 59. Walpers repert. 1. p. 571: glabra, glauca, ramis teretibus; foliis verticalibus, oblongo-quadrilateris, planis, angulo inferiore affixis, angulo superiore interiore rotundato, exterioribus spinescentibus, superioris spina sursum, inferioris deorsum tendente; racemulis folio sublongioribus.

In regionibus interioribus Australiae occidentalis fragmentum sterile Herb. Preiss. No. 1139. (Drummond No. 228.)

Tota glaberrima. *Folia* ½-1-pollicaria, 2-4 lin. lata, nervosa. *Racemi* 6-8-flori, pedunculati, subumbelliformes, pedicellis valde approximatis 1-2 lin. longis basi minute bracteatis. *Flores* praecedentibus dimidio majores. *Calyx* viridis, turbinatus, basi attenuatus, subcostato-pentagonus, dentibus brevissimis latis acutiusculis. *Petala* carnea? *vexillum* calyce plus duplo longius; *carina* latiuscula, subacuta, apice purpurascens. *Filamenta* libera. *Ovarium* lineare, infra gibbum, stipite calycem superante, stylo capillari longiusculo. Legumen non vidimus.

15. **Daviesia pedunculata** *Benth.* l. c. n. 60. Walpers l. c. p. 571: humilis, ramis subteretibus, pubescentibus; foliis oblongis, utrinque attenuatis, spinescentibus, glabris; pedunculis folio pluries longioribus, apice umbelliferis.

In limoso-arenosis inter frutices ad radices jugi montium Darling's-range (Perth) d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1043. (Drummond No. 229.)

β **minor** *nob.*, foliis linearibus, inermibus, brevissime mucronulatis, subenervibus, avenis, pedunculum acquantibus v. subsuperantibus, umbellis 2-3-floris.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberuphills (Kent) d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1154.

„Frutex procumbens v. adscendens." *Rami* ramulique glaberrimi, v. in *β* minutissime puberuli. *Folia* ½-1-poll. longa, 1½-3 lin. (in *β* 1-1½ lin.) lata, brevissime petiolata, 1-nervia, pennivenia *Pedunculi* 1-1½-pollicares, tenues, sparse minuteque bracteati; pedicelli 4-6, umbellati, basi bracteis minutis cincti, 2-3 lin. longi, apice articulati, subpersistentes. *Calyx* coloratus, basi attenuatus, labio superiore subintegro, inferioris dentibus 3 brevibus acutis. *Petala* carnea? carina latiuscula, erostris, subacuta. Filamenta libera. *Ovarii* glabri stipes calyce brevior. *Legumen* (in *α* ignotum) in *β* parvum, subsessile, mucronatum, valvis parum convexis *).

16. **Daviesia nudiflora** *n. sp.*, glabra, ramis inermibus, teretibus, apice subangulatis comosis; foliis horizontalibus, sessilibus, rigidis, lanceolatis, pungenti-acuminatis, basi valde attenuatis, planis, tenuiter marginatis, 1-nerviis, utrinque penniveniis; pedunculis axillaribus v. folii rudimento spinuliformi suffultis, unifloris, folio multo brevioribus,

*) **D. Drummondii** n. sp., glabra, ramis inermibus, strictis, acute triquetris; foliis sessilibus, horizontalibus, rigidis, elliptico-lanceolatis, planis v. complicatis, submarginatis, apice subrecurvo mucronato-spinescentibus, 1-nervis, avenis, marginibus nervoque in rami angulos decurrentibus; pedunculis axillaribus solitariis, 1-floris, folio dimidio v. plus brevioribus, calycis labio superiore truncato subintegro, inferioris dentibus 3 brevibus acutis; carina falcata, angusta, obtusa; filamentis liberis; ovario subsessili glabro. — Swan River, James Drummond n. 227. — Folia 3—6 lin. longa, 2½-3 lin. lata, utrinque aequaliter attenuata, laevia v. subinde obsoletissime penivenia, marginibus subincrassatis fere nerviformibus apice in mucronem fuscum pungentem fere lineam longum excurrentibus basi in rami costam decorsum deliquescentem productis, nervo medio subtus conspicuo apicem versus saepe evanescente basi magis prominulo et cum rami angulo (acuto quidem, nec tamen unquam alaeformi) continuo. Pedunculi constanter solitarii, 2-3 lin. longi, supra medium articulati, apice vix incrassati, basi minute bracteati, bracteis paucis obtusis concavis patulis vix ½ lin. longis. Calyx sesquilineam longus, corolla duplo brevior, coloratus, laevis, basi breviter et abrupte attenuatus, dentibus vix ½ lin. longis. Petala carnea v. aurantiaca? vexilli basi carinaeque apice purpurea. Legumen non vidimus.

laxiuscule pluribracteatis, sursum incrassatis, persistentibus; calycis dentibus brevibus, acutiusculis; carina valde incurva, acuta, subrostrata; legumine subsessili.

In arenosis sylvae prope Kei-er-mu-lu v. Monger'slake (Perth) d. 16. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1143. (Drummond n. 226.)

„Frutex 2-pedalis, erectus." *Rami* inferne tenuiter sulcati, apice corymboso-ramosi, ramulis erectis gracilibus rectis hinc inde (praecipue ad pedunculorum basin) spinula subadpressa 1-2 lin. longa fusca (folio abortivo) praeditis, apice foliosis. *Folia* perfecta 1-2½-pollicaria, 3-6 lin. lata, coriacea, pallide viridia, erecta, utrinque aequaliter angustata, recta, plana v. subcomplicata, apice spinescente recto fulvo valde pungentia, venis tenuibus copiosis nervoque medio subtus magis prominulis. *Racemi* totam fere ramulorum partem aphyllam et subinde axillam unam alteramve summitatis foliosae occupantes, solitarii, erecti v. patuli; pedunculus communis vix 1-2 lin. longus, bracteis pluribus spathulatis obtusis laxis fulvis dense obsitus, transiens in pedicellum unicum 2-3 lin. longum basi filiformem pallidum sursum sensim incrassatum et nigricantem (⅓ lin. crassum) cum calycis basi indistincte articulatum persistentem, apice post floris lapsum truncato. *Flores* magnitudine et forma *D. Drummondii*, *carina* tantum apice magis attenuata et hamato-inflexa. *Filamenta* libera. *Legumen* glabrum 6-7 lin. longum, brevissime acuminatum, suturis tenuibus nerviformibus, superiore recta, inferioris angulo recto rotundato, valvis planis v. subconvexis laevibus v. tenerrime venosis. — Species insignis, a *D. Drummondii* distincta ramis teretibus, foliis angustioribus rectis venosis, ad pedunculorum basin abortientibus, pedicellis incrassatis, carinae forma, caet. — Accedit quoque ad *D. umbellulatam Sm.*, quae ex Ic. Labill. N. Holl. t. 137. differt: ramis apice spinescentibus, foliis angustioribus, pedunculo duplo longiore apice 3-floro, pedicellis haud incrassatis, caet.

17. **Daviesia daphnoides** *n. sp.*, glabra, glaucescens, ramis teretibus apice ramulisque angulatis; foliis horizontalibus, subsessilibus, coriaceis, lanceolatis, utrinque attenuatis, mucrone brevi pungentibus, nervo venisque obsoletis; racemis axillaribus brevissimis, laxe paucifloris, minute bracteatis; calyce basi attenuato, pedicello longiore; carina obtusiuscula.

In planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1144. (Drummond n. 225.)

Praecedenti primo vultu, praecipue foliorum forma et magnitudine, similis, sed bene distincta: ramis apice acute triquetris v. subancipitibus, foliis brevius mucronatis, nervo venisque utrinque subimmersis multo minus conspicuis, et inflorescentia. — „Frutex 2-3-pedalis." *Racemi* 2-4 lin. longi, 3-5-flori, pedunculo tenui, pedicellis sparsis ½-1 lin. longis basi bractea exigua concava patula fultis. *Flores* praecedente paulo minores, rubri v. aurantiaci? calyce basi magis attenuato. *Legumen* desideratur.

18. **Daviesia horrida** *Preiss mss.*, *n. sp.*, glabra, ramis teretibus, apice ramulisque aphyllis, spinescentibus, rigidissimis, corniformibus, simplicibus v. divaricato-2-3-fidis, squamula minuta suffultis, inferioribus foliosis: foliis horizontalibus, coriaceis, planis, lanceolatis v. linearibus, pungentibus v. demum inermibus obtusis, 1-nerviis, obsolete venosis; racemis e ramulis aphyllis lateraliter ortis, brevibus, laxe sparsifloris bracteatisque, calyce acute dentato, ovario subsessili.

In regionibus interior. Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1142. et in limoso-arenosis ad latus montis prope cataractam ad caput fl. Cygnorum, d. 26. Jul. 1839. No. 1171. (Drummond n. 230.)

„Frutex 3-pedalis.“ *Rami* tenuiter striati, aphylli, nunc valide circiter pollicares basi fere lineam crassi, nunc tenues longiores et magis sulcati, recti v. levissime incurvi, squamula triangulari acuta vix lineam longa adpressa fusca suffulti, hinc inde minute gemmuliferi. *Folia* sessilia, 1-5-pollicaria, 2½-5 lin. lata, obsoletissime marginata, nervo venisque nunc semiimmersis (faciebus potius dense leviterque rugosis quam nervoso reticulatis) nunc acutiuscule prominulis, mucrone brevi recto demum saepius deciduo. *Racemi* ½-1-pollicares, interdum ramosi, pedicellis 1-2 lin. longis bractea patula concava obtusa vix 1 lin. longa fusca suffultis. *Calyx* corolla dimidio brevior sesquilineam longus, subhemisphaericus, basi attenuatus, laevis, dentibus brevibus acutis. „*Petala* flava“, *carina* falcata obtusa. *Filamenta* libera. *Ovarium* glabrum, lanceolatum, inferne gibbum, stipite calycem haud aequante. — Species inter Benthamii §§. 2, 3 et 5 ambigua, proxima *D. umbellulatae Sm.*, praecipue *var. angustifoliae* Labill. N. Holl. t. 137, quae differt foliis multo brevioribus, inflorescentia etc.; nec non ramis sterilibus et inflorescentia simillima *D. divaricatae Benth.*, sed distincta ramis sulcato-angulatis foliosis, caet.

19. **Daviesia longifolia** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIV, n. 61. Walp. rep. 1. p. 571: glabra, foliis longe linearibus, compressis, apice subincurvo muticis, striatis; racemulis axillaribus, laxis, folio brevioribus; ovario sessili. 854

In arenosis planitiei district. Sussex, d. 23. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1184.

„Frutex decumbens.“ *Rami* graciles, pedales et ultra, compresso-angulati, angustissime subalati. *Folia* 3-6-pollicaria, 1-2 lin. lata. *Racemi* axillares et terminales, erecti, 1-3-pollicares, saepe gemini; pedunculi filiformes, a medio inde laxe-pluriflori; pedicelli patuli, 2-6 lin. ab invicem distantes, tenues, 2-4 lin. longi, persistentes, bractea foliacea setacea 1-5 lin. longa decidua suffulti. *Flores* magnitudine, forma et? colore praecedentis. *Calyx* viridis, labio superiore truncato subintegro, inferioris dentibus brevissimis obtusiusculis. *Petala* parum inaequilonga, purpurea? carina obtusiuscula. *Filamenta* libera. *Legumen* non suppetit.

20. **Daviesia alternifolia** *Endl.* in Ann. Wien. Mus. 2, p. 149; Nov. Stirp. decad. 1. p. 48, n. 54. Walp. l. c. p. 570: foliis alternis, oblongis, apice subspinescentibus; involucri subtriflori bracteis scarioso-membranaceis, ovalibus, planis. 855

In solo turfoso-arenoso planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 855.

„Frutex decumbens. *Bracteae* post anthesin clausae. *Vexillum* emarginatum, igneum, basi sulphureum; *alae* purpureae.“ *Legumen* acutum, vix 2½ lin. latum, basi turgidum.

21 **Daviesia oppositifolia** *Endl.* l. c.; decad. p. 49, n. 56. Walpers l. c.: foliis oppositis v. ternis, ellipticо-oblongis, marginatis submucronatis; involucri triflori bracteis coriaceis, complicatis. 856

In glareosis inter frutices densos sylvae prope montem Waljenup (Plantagenet) d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 856.

„Frutex 5-pedalis.“ *Legumen* inaequilatero-triangulare, 6 lin. longum, 3 lin. latum, obtusum, vix mucronulatum, sutura superiore levissime arcuata, inferioris angulo fere recto rotundato, valvis levissime convexis tenuiter re-

ticulato-venosis. *Semina* ovalia, turgida, fusca, laevia, subnitida, strophiola pallida vix ⅓ longiora.

22. **Daviesia cordata** *Sm.* DC. prodr. 2, p. 114, n. 10. Bot. Reg. t. 1005!

In limoso-calculosis sylvae cis Halfwayhouse (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1137. et in rupestribus sylvae montis Wuljenup (Plantagenet) d. 14. Oct. 1840. No. 1136. (Drummond No. 223.)

„Frutex 2-3-pedalis.“ *Folia* patentia, 2-6-pollicaria, 1-2½ poll. lata. *Pedunculi* axillares 1-3, folium subaequantes v. dimidio breviores, infra apicem corymbiflorum bracteis nonnullis minutis dentiformibus sparsis, apice vero bracteis cordatis 4-6 lin. longis 4-5 lin. latis submembranaceis corymbum involucrantibus deciduis praeditis; pedicelli 2-3 lin. longi, singuli bracteolis minutis linearibus suffulti. *Flores* pro genere majusculi. *Calyx* corolla dimidio brevior, coloratus, campanulatus, basi breviter angustatus, 3 lin. longus, costato-5-nervis v. laevis, labio superiore truncato subintegro, inferioris dentibus 3 late triangularibus acutiusculis ⅔ lin. longis. *Carina* obtusa. *Filamenta* libera. *Ovarium* subsessile.

23. **Daviesia rhombifolia** *n. sp.*, ramis inermibus, teretibus, apice angulatis, glabris v. pubescentibus; foliis sparsis, subsessilibus, torsione baseos verticalibus, rigide coriaceis, rhombeo-subrotundis ellipticisve, mucronato-pungentibus, planis, 1-nerviis, reticulato-venosis; racemis axillaribus brevissimis fasciculiformibus, basi bracteatis, pedicellis persistentibus apice demum incrassatis; calycis subcostati labio superiore truncato subintegro, inferioris dentibus brevibus acutiusculis, carina obtusa, legumine sessili.

In arenosis sylvae districtus Sussex, d. 17. Dec. 1839, fructifera Herb. Preiss. No. 1145. et in glareosis prope fontem Ronau'swell (Darling's-range) d. 25. Apr. 1840. No. 1146. (Drummond n. 224.)

„Frutex 1½-2-pedalis,“ subcorymboso-ramosus. *Rami* graciles, recti v. adscendentes, semipatentes, apice sulcati acuteque compresso-angulati, nunc (sicut reliquae partes) glaberrimi, nunc No. 1146 superne pube brevi patente hispiduli. *Folia* 6-15 lin. longa, 3-16 lin. lata, basi apiceque acuta, lateribus rotundatis, margine nerviformi paululum incrassato, nervo venisque irregulariter anastomosantibus utrinque prominulis, apice plus minus acuminato in mucronem rectum validum acutissimum ½-1 lin. longum rufum excurrente. *Racemi* 2-6-flori, sessiles, rhachi subnulla, bracteis squamiformibus ½-1 lin. longis obtusis concavis imbricatis demum patentibus diu persistentibus, pedicellis filiformibus 2-3 lin. longis apice articulato demum paulo incrassatis. *Calyx* coloratus, sesquilineam longus, corolla dimidio brevior, nervis interdum prominulis, dentibus tubo triplo brevioribus. *Petala* purpurea? *Filamenta* libera. *Legumen* 7 lin. longum, 4-5 lin. latum, subacuminato-acutum, laeve, glabrum, angulo inferiore fere recto, margine superiore levissime incurvo. . . . . — Proxima *D. ruscifoliae* Cunn., quae differre videtur ramulis spinescentibus et foliis ovatis 4 lin. longis *).

*) **D. virgata** Cunn. Bot. Mag. t. 3196. Walpers l. c. p. 569. ad Port Philipp lecta est a cl. Latrobe, fide specim. in Herb. Mus. Neocom.

VIMINARIA Sm. Endl. gen. n. 6436. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Viminaria denudata** *Sm.* Exot. Bot. t. 27. Bot. Mag. t. 1190. DC. prodr. 2. p. 107. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 76. — *Daviesia denudata* Vent. choix t. 6. — *Sophora juncea* Schrad. Sert. Hannov. t. 3.

In solo subarenoso ad fluv. Cygnorum, d. 19. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1023. (Drummond n. 249.) Vidi etiam specimina ad Port Philipp lecta. (Herb. Mus. Neocomens.)

„Frutex 12-20-pedalis, ramis pendulis." — Specimina Drummondiana cum Sieberianis (Herb. Nov. Holl. n. 369; fl. mixt. n. 553.) exactissime congruunt; Preissiana nonnihil recedunt calyce quidquam minore et ramis acutius lineatis.

2. **Viminaria? Preissii** *n. sp.*, floribus racemosis, calyce bilabiato impunctato, labio superiore latiore sublongiore acute bifido, inferioris laciniis erectis angustis acutissimis.

In subarenosis hyeme inundatis ad fluv. Canning m. Aug. 1841. Herb. Preiss. No. 1024.

An potius *Sphaerolobii* sp.? Sed praeter calycem omnia *Viminariae*. „Frutex bipedalis." *Racemi* laxiflori, pedicelli remotiores et solitarii, calyce breviores, vix 1 lin. longi, calycis labium superius fere lineam longum.

SPHAEROLOBIUM Sm. Endl. gen. n. 6437. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Sphaerolobium stenopterum** *n. sp.*, ramis angulatis, anguste alatis; calycis impunctati tubo labiis breviore; carina obtusa, alas superante; ovario stipitato; stylo subexserto, apice hinc membranula auriculato.

In subarenosis sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1117.

Ramorum alae inferne 1-2 lin. latae, superne multo angustiores et in angulum acutum nerviformem abeuntes. *Racemi* 4-6-flori. *Calyx* pedicello fere duplo longior, circ. 2 lin. longus, corolla dimidio brevior, dentibus plerumque nigro-marginatis. *Legumen* subglobosum, vix grani piperis magnitudine, laeve, glabrum, atrum. — Species proxima *S. alato Benth.*, sed notis indicatis, praecipue stylo alato, bene distincta.

2. **Sphaerolobium grandiflorum** *Benth.* in Hügel Enum. p. 32, n. 93; Ann. Wien. Mus. 2. p. 76. Walpers repert. 1. p. 571.: ramis teretibus; calycis tubo labiis aequilongo; carina arcuata, extus obtusissima, intus obtuse producta; stylo a basi arcuato, apice subexserto recurvo hinc membranaceo.

In solo turfoso-arenoso clivuli prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1116. (sine fr.)

„Frutex 2-3-pedalis. *Flores* igniei." *Calyx* dense nigro-punctatus.

3. **Sphaerolobium fornicatum** *Benth.* l. c. n. 94. Walp. l. c.: ramis teretibus; calycis tubo labiis subaequilongo; carina apice extus fornicato-producta, intus obtusa; stylo supra basin geniculato, apice incluso hinc membranaceo.

In solo humoso inter gramina alta prope villam Dom. Helms (Perth) d. 24. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1124. et in turfoso-humidis ad radices montis Melville (Plantagenet) d. 21. Oct. 1840. No. 1122.

„Frutex 3-5-pedalis. *Rami* patentes," saepius, steriles praecipue, foliis oppositis capillaceis 1-2½ lin. longis patulis remote obsiti. *Flores* nunc subverticillati, nunc sparsi, „igneo-aurantiaci v. purpurei." *Legumen* subglobosum, latius quam longum, vix grani piperis mole.

4. **Sphaerolobium medium** *R.Br.* DC. prodr. 2. p. 107, n. 2.

In solo humoso in umbrosis inter frutices densos prope lacum Kei-er-mu-lu vel Monger'slake (Perth) d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1115 b. (Drummond coll. I. sine No.)

Species inter praecedentem et *S. virgineum* vere intermedia, illi styli carinaeque forma, huic florum magnitudine calyceque similis, ab illa distinguenda floribus minoribus et calycis labio superiore minus cuneato, ab utraque calycis tubo labiis breviore et corolla amoene rubra (purpurea?) *)

5. **Sphaerolobium acuminatum** *Benth.* l. c. n. 95. Walp. l. c.: ramis teretibus; calycis tubo labiis multo breviore; carina oblonga, recta, acute acuminata, vexillum superante; stylo basi rectiusculo, apice incurvo hinc anguste membranaceo.

In limoso-calculosis montium continuorum Darling's-range (Perth) d. 18. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1123. —? in sublimoso-arenosis sylvae district. Wicklow, m. Oct. 1840. (No. 1126, specim. imperfect.) — in solo subarenoso inter frutices densos prope montem Wuljenup, d. 15. Oct. No. 1120.) alibique in distr. Plantagenet, m. Dec. 1840. No. 1118. (Drummond n. 216, 218.)

ROEA Hüg. Endl. gen. n. 6438. Meisn. gen. comm. p. 350.

1. **Roea linophylla** *Hügel mss.* Benth. in Hüg. en. p. 34, n. 99; Ann. Wien. Mus. 2. p. 77. Walpers repert. 1. p. 571: caulibus procumbentibus v. adscendentibus, filiformibus, tenuissime striatis; foliis anguste linearibus; pedicellis calycis tubum aequantibus, bracteis bracteolisque diu persistentibus.

In solo sublimoso ultimorum arvorum Peninsulae (Perth) d. 30. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 880. et in distr. Plantagenet, m. Dec. 1840. No. 1115 a et 1121. (Drummond n. 252.)

„Herba perennis, procumbens v. adscendens, 1-1½ pedalis."

---

*) **S. virgineum** Sm. DC. l. c. n. 1. Bot. Mag. t. 969. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2. p. 76. — **S. minus** Labill. N. Holl. t. 138. (Lam. ill. t. 952.) Swan River, Drummond n. 217 et coll. I. — A cl. Preiss. non lectum.

2. **Boea nudiflora** *n. sp.*, caulibus erectis v. adscendentibus, costato-angulatis; foliis confertis, spathulato-lanceolatis, acutiusculis, planis; pedicellis calycis tubo brevioribus, bracteis bracteolisque nullis v. fugacissimis.

In solo subturfoso-arenoso circa oppidum Albany (Plantagenet) Cape Riche et Toby's Inlet (Sussex) d. 27. Dec. 1839. et 25. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1018.

„Suffrutex dodrantalis." *Caules* praecedente vix crassiores, attamen haud laxi, simplices, conspicue sulcati et superne fere angulati, inferne dense foliosi, apice in racemum aphyllum simplicem $1\frac{1}{2}$-2-pollicarem erectum 10-16-florum abeuntes. *Folia* 3-6 lin. longa, 1-2 lin. lata, basi attenuata subsessilia, avenia, nervo medio vix conspicuo immerso. *Flores* patuli v. nutantes aut demum deflexi, 4-5 lin. longi, structura et colore praecedentis. *Pedicelli* vix 1 lin. longi, apice basique cicatriculas bractearum et bracteolarum jam ante floris expansionem delapsarum (nusquam superstitum) exhibentes. *Stylus* apice refracto barbatus. *Leguminis* stipes calycem paulo superans.

PHYLLOTA (DC.) Benth. Endl. gen. n. 6439. Meisn. gen. comm. p. 350. Pulteneae sect. II. DC. prodr. 2. p. 113.

Phyllota barbata *Benth.* in Hügel. Enum. 2. p. 33, n. 97; Ann. Wien. Mus. 2, p. 77. Walp. rep. 1. p. 572: ramulis subsericeis; foliis glabris, muticis, minute tuberculosis, floralibus bracteolisque flore brevioribus; spicis terminalibus, brevibus, paucifloris; corollis calyce sericeo plus duplo longioribus, vexillo integro; stylo hinc a medio ad apicem dense barbato, caeterum glabro v. basi villosulo.

Inter frutices densos in turfosis promontorii Cape Riche (Kent) d. 17. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 846.

„Frutex 4-pedalis."

AOTUS Sm. Endl. gen. n. 6440. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Aotus gracillima** *n. sp.*, ramis gracilibus, laevibus, glabris, apice minute puberulis; foliis sparsis v. suboppositis, erectis patulisve, anguste linearibus, obtusis v. mucronulo exiguo innocuo recurvo apiculatis, laevibus, glabris, margine revolutis, supra convexis v. obsolete 1-sulcis, axillis 1-3-floris; pedicellis brevissimis calycibusque adpresse pilosis, calycis labio superiore truncato levissime emarginato.

Inter frutices in depressis arenosis prope oppidum Perth d. 20. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 863. (Drummond n. 246 et coll. I.)

β **uncinata**, foliis patentibus, brevibus (vix $2\frac{1}{2}$ lin. longis) apice magis recurvo-mucronulatis.

In region. interior. Australiae meridionali-occidentalis. Herb. Preiss. No. 869.

Ab *A. villosa* Sm. (fide specim. Sieber.) cui habitu, foliorum, longitudine florumque dispositione structura et magnitudine convenit, differt: glabritie, foliis haud punctato-scabris et floribus copiosissimis, spicas 3-5-pollicares foliosas satis densas formantibus. Specimina Drummondiana No. 246. forsan identica cum planta Hügeliana quam cl. Bentham (Ann. Wien. Mus. 2. p. 78.) aut *A. villosae var. microphyllam* aut propriam speciem sistere suspicatur. Var. β nostra fortassis species distincta, sed specimina insufficientia. *Flores* in axillis solitarii, subsessiles, rari, *calyx* paulo major et villosior. *Petala* non vidimus. *Legumen* calyce paulo majus, subrotundum, compressum, pilosum, 2-valve. Caet. omnia ut in α.

2. **Aotus intermedia** *n. sp.*, ramis gracilibus, strictis, laevibus foliisque junioribus tomentoso-pubescentibus; foliis sparsis et suboppositis, patulis, anguste linearibus, obtusis, muticis, laevibus, mox glabris, margine revolutis, supra 1-sulcis, axillis 1-3-floris; floribus subsessilibus, calycis laxe cano-villosi labio superiore acute bifido.

In subarenosis planitiei inter frutices densos prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 11. et 14. Oct. Herb. Preiss. No. 864, 1192. et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. No. 871.

Species pubescentia ad *A. virgatam*, habitu et foliis laevibus vero ad *A. gracillimam* accedens, ab utraque tamen, ni fallor, bene distincta. A posteriore differt ramis strictioribus, foliis plerisque duplo longioribus (semipollicaribus) floribusque paulo majoribus. *Bracteolae* duae ad pedicellorum basin laterales, oppositae, ovatae, obtusae, concavae, 1 lin. longae, puberulae, saepius diu persistentes, in *A. gracillima* vero fugacissimae, ante florum expansionem jam defluentes.

3. **Aotus procumbens** *n. sp.*, procumbens, ramis pubescentibus, apice adscendentibus et cum foliis junioribus patentim pilosis; foliis sparsis oppositisque v. ternatim approximatis, patulis, linearibus, obtusiusculis, muticis, mox glabris, margine revoluto subscabris laevibusve, supra convexis laevibus nitidis exsulcis, subtus canaliculatis, saepius subtortis; pedicellis geminis v. solitariis, brevissimis, calycis laxe cano-pilosiusculi labio superiore acute bifido.

In arenosis sylvae ad fluv. Cygnorum, d. 9. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 845. et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 882.

A praecedente, cui proxime affinis, dignoscitur statura humili, ramis „procumbentibus“, vix spithamaeis debilibus adscendentibus apice pilis patentibus fere lineam longis mollibus albis (etiam in foliis novellis parce obviis) dense tectis, foliis 5-11 lin. longis more *Dillwyntarum* saepius tortis, supra rotundato-convexis exsulcis (v. basi tantum obsolete 1-sulcis) laevissimis v. rarius secus margines punctis prominulis paucis scabriusculis. *Calyx* nunc No. 845. ejusdem magnitudinis ac *A. intermediae*, nunc vero (No. 882, cui etiam folia pleraque majora, 8-11 lin. longa, et robustiora) paulo major. *Species* in speciminibus perfectioribus denuo examinanda.

4. **Aotus? dillwynioides** *n. sp*, ramis gracilibus, erectis, glabris, apice pubescentibus; foliis sparsis v. suboppositis, anguste linearibus, obtusis, muticis v. submucronulatis, laevissimis, glabris, supra canaliculatis, subtus convexis; floribus axillaribus, subsolitariis, spicam terminalem foliosam saepe interruptam formantibus; pedicellis brevissimis,

decussatim 4-bracteatis, bracteis 2 inferioribus ovatis, superioribus 2 longioribus angustioribusque; calyce albo-villoso, labio superiore bifido, inferiore 3 partito, lobis omnibus acuminatis; vexillo dilatato; stylo brevi, crassiusculo, glabro.

In arenosis subhumidis planitiei ad fluv. Canning. m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 872.

Species *Aotum* inter *Dillwyntiam* que ambigua, praecedentibus habitu simillima, nec generice ab iis separanda, nisi invita natura, quamvis characteribus pluribus, sc. pedicellis bracteolatis, vexilli lamina latiore quam longa et foliis marginum involutione *supra* (nec subtus) canaliculatis potius cum *Dillwynia* quam *Aoto* conveniat. Immoque stylo brevi crassiusculo ab utroque genere recedat. *Semina* non vidimus, sed ovula ne vestigium quidem strophiolarum ostendunt. — „Frutex 4-5-pedalis." *Rami* teretes, tenues, striati, purpureo-fusci, laeves v. minute denseque papilloso-punctati. *Folia* 3-4-lin. longa, plerumque subteretia (diametro vix ¼ lin.) raro explanata ½-⅔ lin. lata, apiculo vel nullo vel brevissimo innocuo subrecurvo. *Flores* in axillis plerumque gemini; pedicelli 1-1½ lin. longi, bracteis fuscis puberulis tecti, bracteis 2 inferioribus circ. 1½ lin. longis 1 lin. latis ovatis obtusiusculis subconvexis, superioribus 2 paulo longioribus et dimidio angustioribus acutiusculis. *Alabastra* ovato-oblonga, breviter acuminata. *Calyx* dimidiam corollam paulo superans, 3 lin. longus, labiis aequilongis tubo paulo longioribus, lobis lanceolatis acuminatis, superioribus vix latioribus sed altius connatis. *Vexillum* emarginatum, dimidio latius quam longum, aurantiaco-cum v. miniatum? basi purpurascens, *alis* concoloribus anguste oblongis obtusis parum longius; *carina* carnea? calycem haud superans, rectiuscula, oblonga, obtusa, alis brevior, pistillum totum includens. *Ovarium* subsessile, oblongum, villosum, stylo brevissimo (vix ⅔ lin. longo) crassiusculo incurvo longius; *stigma* capitatum; *ovula* 2, funiculis brevissimis affixa, subrotundo-reniformia, estrophiolata.

5. **Aotus cordifolia** *Benth.* in Hügel Enum. p. 33, n. 96; Ann. Wien. Mus. 2, p. 78. Walpers repert. 1. p. 572: foliis ternatim verticillatis, ovato-lanceolatis, basi cordatis, margine revoluto undulato-denticulatis, supra reticulato-venosis.

Inter frutices densos in solo humoso ad marginem lacus prope oppidum Perth, d. 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1050. (Drummond n. 251.)

„Frutex 4-6-pedalis."

6. **Aotus passerinoides** *n. sp.*, ramis erectis, gracilibus; foliis ternis v. subinde sparsis, sessilibus, erectis, ovato-oblongis, obtusiusculis, muticis, margine leviter revolutis ramisque adpresse sericeo-villosis, supra demum glabrescentibus; floribus axillaribus, subsolitariis, sessilibus, folio brevioribus; calyce parvo, membranaceo, basi villoso, superne glabro, labii superioris truncato-emarginati inferiorisque 3-fidi lobis ciliatis; stylo inferne barbato.

In turfoso-humidis inter frutices densos planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 868.

Species praecedenti affinis, distinctissima, pulchella, habitu *Passerinarum* et *Gnidiarum* quarundam Capensium. *Caules* „sesquipedales, stricti", vix penna corvina crassiores, nunc simplicissimi, nunc parce ramosi v. apice subcorymbosi, inferne nudi et foliorum cicatribus levissime prominulis notati.

superne dense foliosi, pube molli adpressa albida sericea canescenti-villosi, internodiis 3-5 lin. longis. *Folia* plerumque exacte ternato-verticillata, nonnunquam (praecipue inferne) verticillorum solutione sparsa, 3-5 lin. longa, 1½ lin. lata, basi minus quam apicem versus attenuata. *Flores A. cordatae*, petalis, excepta carina atropurpurea, flavis. *Ovarium* sessile, subrotundum, compressum, calycem subaequans, stylo triplo brevius, apice longe comoso-villosum, 2-ovulatum. *Stylus* lateralis, capillaris, subrectus, apice incurvus, ad medium usque laxe pilosiusculus, superne glaber. *Legumen* non visum.

DILLWYNIA Sm. Endl. gen. n. 6441. Meisn. gen. p. 81. (58.) *)

1. **Dillwynia (Xeropetalum) acicularis** *Sieb.* DC. prodr. 2. p. 109, n. 5. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2. p. 79, n. 10.

In solo limoso-lapidoso ad radices montium continuorum prope cataractam, d. 25. Jul. Herb. Preiss. No. 881. et in lapidosis cacuminis montis Bakewell (York) d. 5. Sept. 1839. No. 875. (Drummond n. 243, 244, et coll. I.)

„Frutex 1-3-pedalis, strictus.“ *Ramuli*, praecipue steriles, apice plerumque spinescentes. — Duplicem distinguere licet formam, *α longifoliam*, foliis rectis et suberectis, 5-9 lin. longis No. 881. et *β brevifoliam*, foliis patentibus saepiusque leviter recurvo-arcuatis, vix 3-4 lin. longis No. 875. Inter utramque specimina Drummondiana medium tenent foliis raro ultra 5-6 lin. longis saepiusque patulis. — Variat praeterea racemis terminalibus dense multifloris ovatis et sphaeroideis calycibusque canescentibus v. parce puberulis (specim. Preiss.) et racemis laxiuscule pauciforis, calycibus parce puberulis (Drumm. n. 244 et coll. I) et glabris pauloque minoribus (Drumm. n. 243.) — A. sequente differt praecipue foliis firmioribus, plerumque strictis, nunquam tortis.

2. **Dillwynia (Xeropetalum) laxiflora** *Benth.* in Hügel Bot. Archiv t. 9; Ann. Wien. Mus. 2. p. 79, n. 11.: ramis adpresse pubescentibus; foliis subpatentibus, rectis, muticis vel mucrone innocuo incurvo, glabris v. junioribus puberulis; racemis subpaniculatis, terminalibus, laxis.

---

*) E prima generis sectione (**Dillwynialestrum** DC.) nulla species inter Preissianas occurrit. Habemus vero inter plantas Andersonianas circa Sydney lectas **D. phylicoidem** Cunn. (Benth. l. c. n. 2.) **D. adenophoram** Endl. Nov. Stirp. decad. 1. p. 24, n. 30, et novam speciem, quam hic describere liceat. **D. brunioides** nob., ramis ramulisque corymbosis, canescenti-puberulis; foliis sparsis, approximatis, patulis, rectis v. subrecurvis, haud tortis, brevibus, obtusiusculis, muticis, dense punctato-scabriusculis, dorso subangulato-convexis, supra unisulcis; capitulis terminalibus sessilibus, calycis canescenti-villosiusculi tubo bracteas ellipticas vix superante, labio superiore acute bifido. — Species proxima **D. phylicoidi** Cunn., sed distincta: ramificatione fere umbelliformi (nec racemosa) ramis ramulisque validioribus, magis pubescentibus, foliorum cicatricibus denticuliformi-prominulis, foliis crassioribus magisque (saepe angulo recto) patentibus glabris nunquam tortis (2-3 lin. longis) capitulis (3-12-floris, ramulos circiter bipollicares terminantibus) in ramorum apice corymbum formantibus (in illa vero ramulos laterales tenues vix 1-½ pollicares terminantibus et secus ramum primarium in racemum laxum dispositis) floribus brevissime pedicellatis arctius congestis paulo majoribus et calyce densius longiusque pubescente.

In limoso-calculosis sylvae inter **Mahogany creek** et **Halfwayhouse** (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839, Herb. Preiss. No. 873.

„Frutex sesquipedalis." *Ramuli* vix ac ne vix puberuli, steriles apice saepius breviter spinescentes. *Folia* debilia, evidenter torta, saepe varie curvula. *Calyx* glaberrimus. *Vexilli* lamina medio atropurpurea, macula basilari lutea nulla. Caetera in descriptionem l. c. optime quadrant. A praecedente aegre distinguenda ramis minus strictis foliisque debilioribus, foliis tortis plerumque recurvo-mucronulatis, pedicellis paulo longioribus et calycis labio superiore latiore —*).

EUTAXIA R.Br. Endl. gen. n. 6442. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Eutaxia dillwynioides** *n. sp.*, glabra, ramulis filiformibus, laxis; foliis oppositis, subteretibus, muticis, supra 1-sulcis; racemis capituliformibus, terminalibus v. axillaribus 6-1-floris; floribus subsessilibus, 2-bracteatis; calyce bracteas foliaceas aequante, membranaceo, fusco, semiquinquefido, lobis acuminatis, superioribus 2 paulo latioribus altiusque connatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1191.

Species *Dillwyniam* inter *Eutaxiam* que subambigua, priori accedens habitu ericoideo foliisque (omnino *D. ericifoliae*) marginum involutione subteretibus; recedens vero calyce profundius diviso, vexillo orbiculari nec dilatato et legumine compresso vix ventricoso; potius igitur *Eutaxiae* adnumeranda, cui characteribus fere omnibus convenit, ab utroque tamen genere discrepans seminibus (si ex ovulis recte judico) haud strophiolatis. — Proxime affinis sequenti, sed distincta ramis ramulisque haud strictis, foliis confertioribus internodia constanter (in illa vix unquam) superantibus nunquam planis nec canaliculatis sed sulco tantum angustissimo exaratis dorso convexis v. subcarinatis et calyce subscarioso-membranaceo fusco bracteolas duplo-triplo superante laxe subturbinato, lobis tubo paulo longioribus magisque acuminatis. — „Frutex pedalis." *Flores* nunc 3-6 in ramorum apice approximati, capitula terminalia simulantes, nunc 3-1 ramulos laterales brevissimos terminantes, primo vultu axillares sparsos mentientes. *Petala* marcescentia, subpersistentia, forma, magnitudine et colore omnino sequentis. *Stylus* uncinatus, brevis, basi paulo dilatato pilosus, apice capillaris glaber; stigma capitatum. *Legumen* (immaturum) sessile, 3 lin. longum, $1\frac{1}{2}$ lin. latum, compressum, parce adpresseque pilosiusculum, sutura superiore subrecta, inferiore arcuata, valvis vix convexis.

2. **Eutaxia ericoides** *n. sp.*, glaberrima, ramis gracilibus, erectis; foliis oppositis, erecto-patulis, anguste linearibus, subacutis, muticis, planis v. subcanaliculatis; pedicellis axillaribus v. subterminalibus, calycis herbacei viridis labio superiore acute bidentato, inferioris lobis lanceolatis acutis.

In colonia ad fluv. Cygnorum legit Jac. Drummond, n. 245 et coll. I.

---

*) **D. (Xerocarpum) cinerascens** R.Br. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2. p. 79, n. 12. exstat inter plantas a cl. Latrobe ad Port Philipp lectas, fide specim. in Herb. Mus. Neocomens.

?*β* **filicaulis**, ramis ramulisque tenellis, elongatis, floribus in ramorum v. ramulorum apice paucis (4-1) subsessilibus follisque minoribus. — An species distincta?

In dumetis arenosis ad fl. Cygnorum, d. 9. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 877.

Plurimis notis convenire videtur cum *E. virgata* Benth., sed differt ramis, etsi strictiusculis, tamen debilibus, penna corvina tenuioribus (nec virgatis) follis haud cuneatis et axillis bi-nec (nisi abortu) unifloris. „Frutex 2-pedalis, debilis;" rami dense corymboso-ramosi, internodiis plerumque folia aequantibus. *Folia* 3-6 lin. longa, ⅓-raro 1 lin. lata (in ramulis novellis saepe dimidio minora et confertiora) obsolete 1-nervia, avenia, plus minus complicato-canaliculata v. demum plana, rigidula, haud pungentia, laete viridia. *Pedicelli* 1½ lin. longi, recti, medio bracteolis 2 angustis acutis 1 lin. longis ipsos superantibus muniti. *Flores* erecti v. patuli. *Calyx* viridis, 2½ lin. longus, subcampanulatus, parum curvatus, basi brevissime attenuatus, obsolete nervosus, tubo labiis subaequali, laciniis petalis genitalibusque *E. epacridoidis*. Var. *β* praeter notas indicatas a planta Drummondiana non differt nisi floribus constanter dimidio fere minoribus nec unquam immediate axillaribus, sed ramulos (etsi saepe brevissimos) terminantibus. Utrum propterea specifice separanda sit nec ne, ex paucorum speciminum inspectione dijudicare non audemus.

3. **Eutaxia epacridoides** *n. sp.*, glaberrima, caulibus strictis, simplicissimis v. parce ramosis; foliis oppositis, sessilibus, lineari-lanceolatis, subpungenti-acutis, supra concavis, dorso convexo obsolete 1-nerviis, aveniis; pedicellis axillaribus geminis, brevissimis, basi medioque bibracteolatis, floribus pendulis; calyce nervoso-striato, basi attenuato, labii superioris paulo longioris lobis divergentibus brevibus acutis, inferioris linearibus acuminatis.

In solo turfoso inter frutices densos prope montes Melville et Elphinstone (Plantagenet) d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 412 et 867.

„Frutex pedalis, strictus." Habitus quodammodo *Epacridearum* et *Struthiolarum*. *Caules* ramique basi divisi, superne simplicissimi v. parce ramosi, graciles, strictiusculi, foliis quamvis copiosis non (ut in sequentibus) absconditi, cortice laevi sanguineo-fusco epidermide tenera demum longitudinaliter rimosa cinerea decidua tecto. *Folia* 6-8 lin. longa, 1 lin. lata (in ramulis interdum dimidio minora) internodio plerumque ¼ longiora, erecta, initio subadpressa, dein laxiuscula, recta v. apice subrecurva, utrinque attenuata, basi obtusa, apice acutata et satis pungentia (etsi mucrone proprio destituta, supra laete viridia et marginum involutione concava, subtus plus minus convexa et livide pallescentia, nervo medio parum conspicuo apicem versus saepius evanescente, venis obsoletissimis faciem dorsalem parallele striantibus v. nullis, facie utraque calycibusque sub lente punctato-scrobiculatis. *Flores* saepe ab inferiore caulis parte incipientes, quasi spicas foliosas formantes. *Pedicelli* e singulis axillis gemini, rarius solitarii, 1-1½ lin. longi, constanter apice patentes v. recurvi, rubri, ima basi bractea ovata v. oblonga obtusa vix ½ lin. longa medioque bracteolis 2 oppositis paulo minoribus acutis dentiformibus pedicello brevioribus praediti. *Calyx* herbaceus, viridis v. erubescens, infundibuliformi-campanulatus, parum curvulus, basi attenuatus, 2 lin. longus, corolla dimidio brevior, tubo labiis subaequali nervis 10 tenerrimis ad sinus et laciniarum apicem tendentibus striato, labii superioris lobis ½ lin. longis. *Vexillum* obovato-subrotundum, leviter emarginatum, atropurpureum margine aurantiacum. *Alae* parum breviores, cuneato-spathulatae, aurantiacae, apice rotundato ⅔ lin. latae. *Carina* recta, alis brevior, calyce paulo longior, lanceolata, acutiuscula, apice atropurpurea. *Ovarium* sessile, obovatum, apice parce villosum, 2-ovulatum,

stylo tenui apice uncinato paulo longius; stigma minutum, subcapitatum. *Legumen* desideratur. — Affinis *E. virgatae* Benth., quae differt foliis cuneatis, muticis, pedicellis solitariis, bracteolis pedicellum superantibus, caet.

4. **Eutaxia parvifolia** *Benth.* in Hüg. Enum. p. 34, n. 102; Ann. Wien. Mus. 2, p. 80. Walp. rep. 1. p. 573: ramosissima, foliis confertis, obovatis, obtusiusculis; floribus subsessilibus; calycis labio superiore apice bifido, laciniis acuminatis, inferioris laciniis subulato-acuminatis.

In rupestribus clivuli arenosi ad portum Princess Royal Harbour m. Dec. 1840 Herb. Preiss. No. 1020.

„Frutex 4-pedalis."

5. **Eutaxia reticulata** *n. sp.*, ramis strictis, pubescentibus; foliis ternatim verticillatis, imbricato-adpressis, ovatis, obtusis, glabris, leviter carinato-complicatis, 1-nerviis, reticulatis; pedicellis infra ramorum apicem axillaribus, solitariis; calycis villosi labio superiore acute bifido inferiorisque lobis lanceolatis acuminatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840 specimina pauca imperfecta Herb. Preiss. No. 870.

„Frutex pedalis, strictus." *Rami* tenues, tamen rigidi, foliis undique tecti. *Stipulae* nullae. *Folia* sessilia, 2-3 lin. longa, basi 1-2 lin. lata, obtusa, venis acute prominulis dense anastomosantibus scrobiculato-reticulata, laete viridia. *Flores* magnitudine et structura fere *E. parvifoliae*, sed calyx cano-villosus latior basi vix attenuatus et laciniae latiores minus (nec setaceo-) acuminatae. *Carina* latior ovato-oblonga obtusissima atropurpurea. *Alae* aurantiacae. *Vexillum* orbiculare, leviter emarginatum, dorso atropurpureum, antice aurantiacum. *Ovarium* subsessile, villosum, biovulatum, stylo glabro fere longius. Caet. ignota. — An vere hujus generis?

6. **Eutaxia cuneata** *n. sp.*, ramosissima, glaberrima; foliis oppositis, obovato-oblongis, cuneatis, apice rotundatis v. obtusiusculis, dorso convexis 1-nerviis subaveniis; pedicellis axillaribus, solitariis, floribus nutantibus; calycis labio superiore truncato emarginato, inferioris lobis lanceolatis acutis.

In rupestribus collium Konkoberuphills (Kent) d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1022.

„Frutex 3-pedalis." *Rami* ramulique semipatentes, foliorum cicatricibus densissime denticulati. *Folia* exstipulata, decussato-opposita, coriacea, supra laete viridia, subtus saepe sanguinea, initio erecta imbricato-adpressa et plus minus complicato-concava, demum laxiuscula saepeque fere plana, nervo parum prominulo, venis supra magis quam subtus conspicuis. *Pedicelli* infra ramulorum apicem axillares, vix lineam longi, bracteolis exiguis acutis. *Calyx* subcurvo-campanulatus, sanguineus, laevis, subenervis, labiis subaequilongis, superioris laciniis 1 lin. latis. *Petala* aurantiaca v. rubra? vexillo orbiculari subemarginato medio saturatiore, carina atropurpurea fere recta. *Legumen* sessile, lanceolatum, turgidulum, parce pilosum, 2-spermum. *Semina* atra, opaca, strophiola parva subbifida. — Affinis *E. parvifoliae* et *myrtifoliae;* a priore distincta: foliis obtusis apice magis dilatatis floribusque dimidio majoribus et praecipue calycis laciniis haud acuminatis, labio superiore brevissime emarginato; a posteriore: ramis haud virgatis, foliis magis approximatis (vix 1 lin. ab invicem distantibus) obtusissimis v. vix acutiusculis (nec unquam attenuato-pungentibus) aveniis v. obsolete penni-

venis, minoribus (3-4 lin. longis, 1½-2½ lin. latis) floribus solitariis, pendulis, dimidio majoribus et calyce ampliore.

7. **Eutaxia myrtifolia** *R.Br.* DC. prodr. 2, p. 109. *Dillwynia myrtifolia* Sm. — *D. obovata* Labill. Nov. Holl. t. 140. (Lam. ill. t. 952.) Bot. Mag. t. 1274.

In clivulo arenoso ad portum Princess Royal Harbour, d. 27. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1019.

„Frutex 2-5-pedalis."

GASTROLOBIUM R.Br. Endl. gen. n. 6443. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Gastrolobium bilobum** *R.Br.* Bot. Reg. t. 411! DC. prodr. 2, p. 110.

In rupestribus circa oppidum Albany (Plantagenet) d. 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 799. (fl. et fr.)

„Frutex 6-pedalis." *Folia* pleraque non cuneata, sed arcuato-attenuata. *Racemi* fructiferi fere umbelliformes, rhachi vix 2-3 lin. longa, pedicellis radiantibus 4-5 lin. longis.

2. **Gastrolobium trilobum** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIII, n. 52. Walpers repert. 1. p. 573: glabrum, foliis oppositis ternisve, crassis, cuneato-trilobis, lobis late lanceolatis, integerrimis, spinoso-mucronatis, intermedio majore; racemis axillaribus terminalibusque, laxis, folium subaequantibus, calycis leviter sericei labio superiore longiore breviter bifido, ovario stipitato villoso.

In glareosis sterilibus prope Williams (Wicklow) m. Mart. 1841. sterile. Herb. Preiss. No. 825. (Drummond n. 187 et coll. I.)

„Frutex bipedalis."

3. **Gastrolobium tricuspidatum** *n. sp.*, ramis pubescentibus, foliis oppositis ternisque, cuneatis, apice truncato- v. emarginato-bilobis, medio lobisque mucronatis, supra laeviusculis, subtus dense minuteque scrobiculato-reticulatis, junioribus cano villosiusculis; pedicellis axillaribus, fasciculatis, brevissimis; calycis sericei lobis subaequilongis, lanceolatis, acuminatis, superioribus altius connatis parum latioribus, ovario sessili sericeo, stylo compresso glabro.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 839.

β **latifolium**, foliis majoribus, dilatatis, explanatis.

Swan River. Drummond n. 212.

γ **subinerme**, foliis parvis, apice rotundatis retusisve medio tantum mucronatis.

In planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. 1840. sterile. Herb. Preiss. No. 830.

Frutex facie fere *Lambertiae echinatae*, ramis rigidis, erectis, dense foliosis ramulisque teretibus pube molli densa brevi sordide cinerea v. albida villoso-tomentosis, internodiis semipollicaribus v. brevioribus. *Stipulae* setaceae, vix rigidae, 3-4 lin. longae, erectae, nigrae, pubescentes. *Folia* ternatim verticillata, rarius opposita v. hinc inde sparsa, rigide coriacea, laete viridia, cum petiolo (vix ½-1 lin. longo) 8-10 lin. longa, apice 3-4 lin. lata, complicata (in var. β 1-1½ poll. longa, 5-7 lin. lata plana; in γ 3-6 lin. longa, 2-3 lin. lata, explicata, margine recurvo) cuneato-attenuata, basi acuta v. rarius (in γ) obtusa, apice nunc emarginata v. satis profunde biloba, nunc (praecipue in β) rotundata v. subretusa, lobis lateralibus rotundatis (rarius acutiusculis) mucronulo pungente recto semilineam longo fusco (in var. γ deficiente) sinuque intermedio simili mucrone nervum medium terminante apiculatis, nervatione supra immersa obsoleta, subtus prominula, nervo medio crassiusculo, venis pinnatis obsoletis, interstitiis reticulatione densa minute scrobiculatis v. quasi impresso-punctatis; juniorum pagina utraque cano-villosiuscula, demum (praecipue superiore) glaberrima. *Pedicelli* in singulis axillis 2-3 (raro solitarii) e tuberculo obsoleto (racemi axi contracto) orti, ½-1 lin. longi, ebracteati. *Calyx* campanulatus, rufus, pube brevi adpressa albido-subsericeus, 3 lin. longus, semiquinquefido-bilabiatus, lobis erectis triangulari-lanceolatis acuminatis, labii superioris altius connatis vix latioribus. (Petala staminaque non vidimus.) *Ovarium* sessile, ovatum, acuminatum, sericeo-pilosiusculum, 2-ovulatum, stylo compresso-filiformi basi puberulo supra glabro apice incurvo fere brevius. *Stigma* acutum. *Legumen* . . . . . — Species stylo compresso et ovario sessili ad *Spadostylem* quodammodo accedens, sed calyce discrepans et certe *Gastrolobio* adnumeranda. Formas tres nobis obvias, etsi primo vultu foliis satis diversas, mere tamen unius speciei varietates esse, probatur foliorum consistentia et reticulatione, stipulis et ramorum pubescentia in omnibus speciminibus penitus iisdem. Var. γ sola, ejus flores ignoti, forsan specifice distincta, quod tamen dubitamus.

4. **Gastrolobium ilicifolium** *n. sp.*, ramis, foliis junioribus calycibusque subsericeo-villosiusculis; foliis ternis oppositisque, obovatis oblongisve, basi integra cuneatis, apice v. ultra medium spinoso-dentatis, planis v. undulato-sinuatis, supra laevibus, subtus penniveniis minuteque reticulatis glaucis? demum glabris; racemis axillaribus abbreviatis, calycis lobis subaequalibus, superioribus 2 altius connatis vix latioribus, ovario stipitato villoso.

In limoso-lapidosis umbrosis ad latus septentrionale montis Bakewell (York) d. 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 821. et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Febr. 1841. No. 829. (Drummond n. 211.)

„Frutex 4-pedalis," ramis validis, strictis, erectis, pubescentia *G. tricuspidati*. *Folia* (fere *Plagiolobiorum*) brevissime petiolata, terna v. rarius opposita, 1-2-pollicaria, 5-16 lin. lata, rigide coriacea, laete viridia (juniora subtus glauca?) reticulatione tenui densa (paulo tamen laxiore ac praecedentis); variant (saepe in eodem ramo) circumscriptione obovata, elliptica et oblonga, basin versus brevius longiusve cuneato-angustata, margine ab apice ad medium usque vel ultra sinuato-dentato, sinubus levissimis fere rectilineis aut profundioribus 1½-6 lin. latis, mucronibus ¼-1 lin. longis, apice acuto aut praemorso-truncato (semper tamen mucronato.) *Racemi* circiter semipollicares (juniores contracti, fere capituliformes) satis dense multiflori. *Calyx* paulo minor quam praecedentis, structura fere eadem. *Corolla* calyce vix duplo longior, *vexillo* suborbiculari leviter emarginato *alisque* „aurantiacis", *carina* obtusissima purpurea. *Filamenta* libera. *Ovarium* longiuscule villosum, 2-ovulatum, stylo glabro filiformi compresso brevius, stipite vix calycis tubum aequante. *Stigma* obtusum. *Legumen* . . . . .

5. **Gastrolobium spinosum** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIII, n. 48. Walpers repert. 1. p. 573: glaberrimum, foliis oppositis, sessilibus, late ovatis, cordatis, sinuato-dentatis, spinescentibus; racemis terminalibus, calycis labio superiore lato breviter bifido, ovario longiuscule stipitato villoso, legumine glabro.

In solo sublimoso inter rupium rimas prope Cataractam ad caput fluvii Cygnorum, d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1130. in planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. 1840. No. 1135. et in regionibus interior. Australiae merid.-occid. No. 1129 et 1134. (Drummond n. 186.)

„Frutex 2-4-pedalis, squarrosus.“ *Rami* juniores glauci. *Folia* eleganter denseque reticulata, nervo venis venulisque in utraque pagina acute prominulis. *Racemi* terminales et axillares, 1-1½-pollicares, folia summa duplo et ultra superantibus, pedicellis calycem subaequantibus; *calyx* 2½-fere 3 lin. longus vix dimidiam corollam aequans. *Legumen* glabrum, oblongum, subventricosum, utrinque acutum, turgidum, 5 lin. longum, valvis 2 lin. latis obsolete venosis laevibus fuscis. *Semina* oblonga, nigra, laevia, strophiolata. — Variat foliis nunc ovatis, fere bipollicaribus sesquipollicem latis, margine subnerviformi utrinque 4-5-spinoso (No. 1134.) nunc late triangulari-ovatis, saepe latioribus quam longis (5-12 lin. longis, 8-18 lin. latis) basi saepius rectilineo-truncatis, margine utrinque 2-4-spinosis (No. 1130.) foliis deltoideo-ovatis, basi semper plus minus cordatis, 8-16 lin. longis, 6-12 lin. latis, margine simplici prope medium 2-1-spinulosis v. hinc inde inermibus, spinulis totiusque laminae consistentia tenuioribus (Preiss. n. 1129 et Drumm. 186.) denique foliis spinoso-5-angulis, 4-8 lin. longis latisque basi subtruncatis.

6. **Gastrolobium Preissii** *n. sp.*, glabrum, foliis oppositis, subsessilibus, crassiuscule coriaceis, cordatis, spinoso-mucronatis, margine sinuatis spinoso-dentatis integrisve, utrinque laevibus; racemis terminalibus axillaribusque, folio vix longioribus; calycis labio superiore breviter bifido, lobis obtusiusculis, inferioris lobis acutis vix angustioribus, ovario longiuscule stipitato villoso.

In solo sublimoso district. Hay, d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1131. et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 1133.

α foliis late ovatis (8-12 lin. longis, 7-10 lin. latis) sinuato-dentatis, dentibus spinescentibus utrinque 2-3. No. 1131.

β foliis cordato-deltoideis (8-11 lin. longis, basi 3-6 lin. latis, apicem versus sensim attenuatis) integerrimis No. 1133.

Species praecedenti simillima, sed praeter notas indicatas floribus minoribus et ovario longius villoso facile dignoscenda. „Frutex 3-pedalis.“ *Foliorum* nervus venaeque primariae visibiles quidem, sed omnino immersae aut vix ac ne vix prominulae et interstitia potius minute puncticulata quam vere reticulata. *Racemi* 6-10 lin. longi. *Calyx* pedicello plerumque duplo longior (2 lin. longus) lobis margine pubescentibus. *Ovarii* stipes calycem fere aequans. — A *G. cordato Benth.* differt foliis acutis, pungentibus, angustioribus, non semper integerrimis, floribus multo minoribus.

7. **Gastrolobium villosum** *Benth.* l. c. n. 46. Walp. l. c. p. 573: foliis oppositis, ovato-lanceolatis, cordatis, obtusis, setaceo-mucronatis, margine undulatis, subtus ramisque molliter villosis; racemis terminalibus axillaribusque

demum elongatis; bracteis lanceolatis, acutis, fuscis, calyce subbilabiato longioribus, deciduis, ovario longiuscule stipitato villoso.

In limoso-calculosis sylvae prope Halfwayhouse (Darling's-range) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 810. (Drummond n. 194.)

„Frutex decumbens.“ *Rami* adscendentes? satis firmi. *Stipulae* setaceae, 3-6 lin. longae. *Folia* 10-20 lin. longa, 5-14 lin. lata, reticulata, margine constanter integerrima inermia, interdum immo (Drumm. n. 194.) plana v. vix undulata. *Racemi* erecti, cum pedunculo 1-2-pollicari demum 5-7-pollicares, floribus (fere *G. Preissii*) oppositis v. subverticillatis, bracteis 3-5 lin. longis calycibusque pubescentibus, pedicellis calyce dimidio brevioribus. *Vexillum* aurantiacum, *carina alae*que purpureae. *Legumen* subglobosum, pisi majoris mole, pilosiusculum, stipite calycem subaequante (immaturum.)

8. **Gastrolobium parvifolium** *Benth.* l. c. n. 47. Walp. l. c.: ramis pubescentibus, foliis ternis, erectis, oblongis, obtusis, mucronatis, integerrimis, crassiusculis, reticulatis, glabris, junioribus glaucis; racemis terminalibus; bracteis oblongis, fuscis, deciduis; calycis glabriusculi labio superiore lato, emarginato, ovarii villosi stipite incrassato. 1017

In limoso-arenosis planitiei montis Bakewell (York) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1017.

„Frutex 4-pedalis.“ *Rami* graciles, erecti. *Stipulae* tenerae, setaceae, 1-1½ lin. longae, deciduae. *Folia* vix semipollicaria, sesquilineam lata. *Racemi* 2-3-pollicares. *Flores* fere *G. villosi* et *Preissii*, calyce fere *G. spinosi*, labio superiore lato truncato brevissime emarginato.

9. **Gastrolobium calycinum** *Benth.* l. c. n. 51. Walp. l. c.: ramis glabris, foliis ternis oppositisque, lanceolatis oblongisve, aristato-mucronatis, integerrimis, glaucis; racemis axillaribus et terminalibus laxe paucifloris, calycis ampli glabriusculi labio superiore lato bifido, ovario stipitato, legumine villoso.

In limoso-calculosis montis Bakewell (York) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 836. et in sublimosis district. Goderich, m. Dec. 1840. No. 835. (Drummond n. 203.)

„Frutex 2 3-pedalis.“ *Stipulae* setaceae, subspinescentes, demum patentes 2-3 lin. longae. *Folia* plerumque pollicaria, 5-6 lin. lata, petiolo ½-1½ lin. longo. *Racemi* 2-3 pollicares. *Bracteae* fuscae, ovatae, acuminatae, florem amplectentes, 3-5 lin. longae. *Calyx* 3-4 lin. longus, laxus, basi breviter attenuatus, labio superiore latiusculo bifido. *Petalorum* forma et color praecedentium. *Ovarii* villosiusculi ovato-subglobosi (mole nuclei cerasini) stipes vix calycis tubum aequans *).

*) **G. Drummondii** n. sp., ramis gracilibus, puberulis; stipulis setaceis, erectis, petiolos longiusculos vix superantibus; foliis ternis, lanceolatis, pungenti-mucronatis, reticulatis, glaucis; racemis axillaribus terminalibusque, laxiusculis, calyce pubescente. . . . . Swan River. Drummond n. 204 et coll. I. — Habitu foliisque **G. calycino** simillimum, sed notis indicatis, praecipue petiolo duplo-triplo longiore (1½-2½ lin. longo) foliorum reticulatione fortiore, calyce minore (2½-3 lin. longo) adpresse canopubescente ejusque labio superiore angustiore facile dignoscendum. Folia nonnunquam elliptica, 14 lin. longa, 8 lin. lata.

10. **Gastrolobium oxylobioides** *Benth.* l. c. n. 50? Walp. l. c., *β microcarpum nob.*, ramis apice puberulis; stipulis setaceis, erectis, petiolo brevissimo multo longioribus non spinescentibus; foliis ternis, elliptico-lanceolatis, spinoso-mucronatis, utrinque attenuatis, tenuiter reticulatis, subtus subsericeis; racemis axillaribus terminalibusque, folia subsuperantibus, calycis labio superiore obtuso bifido; legumine stipitato, ovato, turgido calyceque pilosiusculis parvis.

In region. interior. Australiae meridionali-occidentalis, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 816, 817. (Drummond. n. 205.)

An nova sp.? e speciminibus suppetentibus imperfectis a diagnosi l. c. nimis brevi non satis dignoscenda, *G. calyctno* foliis simillima, et calyce jam distinctissima. *Stipulae* tenues, erectae, 3 lin. longae, nunquam patentes nec spinescentes (in specim. Drummond. 1½-2 lin. longae; petiolo vix longiores.) *Racemi* laxiusculi, bracteae fugaces, ... *Pedicelli* ½-1 lin. longi. *Flores* nutantes, iis *G. parviflori* paulo minores, aurantiaci, *carina* purpurea. *Calyx* 2 lin. longus, corolla vix dimidio brevior pubescens, labiis subaequalibus tubo basi vix attenuato brevioribus, superioris lobis parum latioribus rotundatis, inferioris ovatis acutis. *Legumen* vix 2 lin. longum (in *G. calyctno* circ. duplo majus) stipite calycem (in illa vix ejus tubum) subaequante.

11. **Gastrolobium Lehmanni** *n. sp.*, ramis tomentosis; stipulis setaceis, petiolum subsuperantibus; foliis oppositis, oblongis, obtusis, obsolete mucronulatis muticisve, margine subrevoluto obsolete crenulatis, supra reticulatis glabris, subtus adpresse cano-villosis, racemis axillaribus brevissimis, fasciculiformibus, calycibus sericeis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occid., m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 806.

Species foliis, inflorescentia floribusque *Oxylobio capitato* multo similior quam congenerum ulli. *Rami* virgati, teretes, albido-tomentosi. *Folia* 1½-2-pollicaria; 6-7 lin. lata, utrinque aequaliter attenuata, apice obtuso v. interdum retuso mucronulo vix conspicuo deciduo terminata, margine leviter recurvo nervulis prominulis quasi irregulariter minuteque crenulata, coriacea, supra viridia et minute reticulata (nervo medio impresso venisque inconspicuis) subtus pube albida densa adpressa brevi reticulationem praeter nervum venasque primarias occultante tecta, petiolo sesquilineam longo. *Racemi* axillares, propter pedunculum communem valde contractum obsoletum potius capitula v. fasciculos referentes, 6-10-flori, pedicellis vix lineam longis, calyce dimidio brevioribus. *Calyx* sericeus, campanulatus, semi-5-fidus, lobis 2 superioribus paulo altius connatis latioribusque. *Petala* subaequilonga, longiuscule unguiculata, vexillo ovato-subrotundo integro medio atropurpureo margine *altis*que obovato-oblongis cuneatis aurantiaco, *carina* rectiuscula obtusa atropurpurea. *Filamenta* filiformia, glabra. *Ovarium* breviter stipitatum, oblongum, villosum, biovulatum! stylo tenui compresso incurvo paulo brevius. *Ovula* estrophiolata. *Legumen*. . . . . .

874. 12. **Gastrolobium obovatum** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIV, n. 53. Walp. l. c. p. 573: foliis oppositis sparsisve, cuneato-obovatis, acutis, mucronatis, integerrimis, junioribus ramisque sericeis, adultis glabris; racemis axillaribus, densis, paucifloris; calycis sericei labio superiore bifido; ovario stipitato, villoso.

In solo limoso-arenoso et in calculosis ad latus occidentale et septentrionale montis Bakewell (York) d. 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 874, et ex parte No. 800. et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 819. (Drummond coll. I, sine no.)

β **verticillatum** *nob.*, foliis ternatim v. quaternatim verticillatis, rarius oppositis sparsisve, rhomboideo-ellipticis (6-9 lin. longis, medio 4-6 lin. latis, utrinque aequaliter cuneato-attenuatis.)

Swan River. Drummond n. 206.

„Frutex 2-3-pedalis.“ *Folia* 5-10 lin. longa, 2½-5 lin. lata, plerumque complicata et basin versus cuneato-angustata, apicem versus (nec medio) latiora, utrinque minute reticulata, apice saepius paulo recurva. Inflorescentia, petala et stamina *G. Lehmanni*, sed flores fere duplo minores. *Pedicelli* calycem aequantes v. parum breviores, 1½ lin. longi. *Calycis* lobi setaceo-acuminati. *Vexillum* suborbiculare, levissime emarginatum. *Ovarii* breviter albo-villosi biovulati stipes calycem subaequans pilosus. *Legumen* non vidimus.

13. **Gastrolobium spathulatum** *Benth.* l. c. n. 54. Walp. l. c.: foliis ternis sparsisve, spathulatis, apice dilatato retusis v. emarginato-bilobis, margine integerrimis, deorsum valde angustatis, junioribus ramisque sericeis, adultis glabratis; racemis axillaribus, abbreviatis, subcapitatis; calycis sericei labio superiore emarginato-bifido; ovario stipitato, villoso.

In calculosis ad latus septentrionale montis Bakewell (York) d. 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 800, ex parte. (Drummond n. 208 et coll. I.)

„Frutex bipedalis.“ *Folia* apice emarginato-biloba, lobis rotundatis, sinu mucronulo debili recto v. recurvo deciduo munito, reticulatione paulo grossiore et stipulis longioribus quam *G. obovati*, cui inflorescentia florumque magnitudine structura et colore simillimum, *Legumen* ventricoso-ovoideum, magnit. pisi, villosiusculum, intus papillosum!

14. **Gastrolobium Brownii** *n. sp.*, ramulis puberulis; stipulis minutis, setaceis, deciduis; foliis ternis oppositisque, subsessilibus, cuneato-oblongis obovatisve, obtusis, mucronatis, planis, reticulato-penniveniis, glabris, pedunculis axillaribus folio dimidio brevioribus, corymboso-paucifloris; calyce pedicello vix longiore, puberulo, dentibus 2 superioribus brevibus obtusiusculis, inferioribus 3 acutis; ovarii villosi stipite pubescente, calycem subaequante.

In rupestribus summitatis montis Wuljenup (Plantagenet) d. 13. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 802.

„Frutex 8-pedalis.“ Habitus praecedentium. Differt a *G. spathulato*: foliis basin versus minus angustatis, apice nunquam emarginato-bilobis, mucrone fortiore pungente semilineam longo recto; a *G. obovato*; foliis apicem versus nunquam attenuato-acutatis, mucrone breviore; ab utroque: foliis basi obtusis, reticulatione laxiore, venis primariis magis quam venulae interstitiales conspicuis, pedunculo communi magis conspicuo ebracteato apice tantum 2-3-floro et calyce parce puberulo vix sericeo subglabrescente *).

*) **G. Hookeri** n. sp., ramis villosiusculis; stipulis setaceis, parvis, persistentibus; foliis oppositis, ovali-oblongis, utrinque vix angustatis, basi rotundatis, apice obtuso v. subretuso submuticis, tenuiter reticulatis, junioribus pubescentibus; racemis

15. **Gastrolobium epacridoides** *n. sp.*, ramis virgatis, gracilibus, villosis; foliis ternis, exstipulatis, sessilibus, patulis, ovatis, acutis, pungenti-mucronatis, utrinque reticulatis glabris, axillis 1-2-floris, pedicellis calycem subaequantibus, calycis adpresse cano-pilosi lobis tubo brevioribus acutis, superioribus 2 altius connatis, ovario brevissime stipitato.

In rupestribus ad jugum montium Darling's-range prope Cataractam (Perth) d. 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 837. (Drummond n. 196.)

„Frutex 3-pedalis.“ *Folia* sessilia, basi rotundata, haud cordata, nervo subtus acute prominulo, venis primariis in reticulatione vix distinguendis. *Legumen* ovato-globosum, nuclei cerasini mole, mucronatum, pilosiusculum, 2-spermum, intus laeve glabrum. — A *G. acuto*, (saltem quoad specim. nostra et Bot. Mag. t. 4040.) cui pubescentia, inflorescentia, florumque magnitudine convenit, differt: stipularum defectu! foliis late ovatis (3-7 lin. longis, 2-5 lin. latis) reticulatione densiore paulo obtusiore v. minus prominula, calycis lobis acutis, nec acuminatis, et petalis (praecipue alis carinaque) paulo majoribus.

EUCHILUS R.Br. Endl. gen. n. 6444. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Euchilus obcordatus** *R.Br.* Bot. Reg. t. 403! Bot. Cab. t. 60. DC. prodr. 2, p. 110. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 80.

In calculosis ad jugum montis Baldhead (Sinus Regis Georgii III.) d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 804.

„Frutex decumbens. *Vexillum alae*que crocea, *carina* purpurea.“

2. **Euchilus linearis** *Benth.* in Hügel Enum. p. 35, n. 104; Ann. Wien. Mus. 2, p. 80. Walpers repert. 1. p. 574: foliis alternis (rarius oppositis) linearibus, margine revolutis; pedicellis axillaribus, 1-floris, folium aequantibus.

In arenosis inter frutices densos prope Pineapple (Perth) m. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 879 et 1110. (Drummond n. 195 et coll. I.)

---

axillaribus brevissimis, fasciculiformibus, densiusculis; calyce sericeo, pedicello multo longiore, labio superiore bifido, inferiore 3-partito, lobis acuminatis; ovarii villosi stipite calycem subaequante. — Swan River. James Drummond, n. 209. — Simillimum **G. Brownii**, sed ramorum calycisque pubescentia fortiore, foliis haud cuneatis basi rotundatis v. subcordatis, mucronulo brevissimo deciduo, venis primariis in reticulatione vix distinguendis, inflorescentia densiore pluriflora et calycis dimidio longioris densiusque pilosi lobis acuminatis bene distinctum. **G. acutum** Benth. l. c. n. 55. Walp. l. c. p. 574. Bot. Mag. t. 4040! ramis villosis; foliis ternis, ovatis v. ovato-lanceolatis, acutis, pungenti-mucronatis, integerrimis, adultis glabris; racemis axillaribus abbreviatis, pauciforis; calyce villoso, subbilabiato; ovario sessili, villosissimo. — Swan River. J. Drummond, n. 213. — Folia speciminum nostrorum (cum ic. cit. exacte convenientium) 6-9 lin. longa, 2-2½ lin. lata (nunquam ovata) acutato-pungentia, grosse reticulata novella subsericeo-pubescentia. Calyx pedicello dimidio longior, 2½ lin. longus, basi attenuatus, cano-villosus, lobis tubum aequantibus acuminatis.

„Suffrutex pedalis et ultra, strictus v. adscendens. *Flores* aurantiaci.“ *Legumen* ovale, compressum, tumidum, 4-4½ lin. longum, 3 lin. latum, muticum, adpresse pilosum, demum glabratum, suturis acutis, valvis convexis scrobiculato-punctatis intus laevibus glabris, stipite vix dimidium calycem (reflexum) aequante. *Semina* 2, oblonga, subsessilia, umbilico laterali estrophiolato.

PULTENAEA Sm. Endl. gen. n. 6446. Meisn. gen. p. 81. (58.)

Pulteneja Hoffmannsegg. — Pulteneae sect. I, DC. prodr. 2. p. 110.

1. **Pultenaea Brunonis** *Benth.* in Ann. Wien. Mus. 2. p. 81, n. 1. Walpers repert. 1. p. 574: glabra, foliis exstipulatis, anguste linearibus, apice latioribus, acutiusculis, subtus convexis enervibus; floribus ramulos terminantibus, solitariis, subsessilibus, bracteis ad basin ramulorum paucis, bracteolis exiguis nullisve; calyce brevissimo, membranaceo, subaequaliter 5-dentato; legumine compressiusculo, ovato, acuminato, calyce multo longiore.

In solo torfoso inter frutices densos planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 876.

„Frutex 2-3-pedalis.“

2. **Pultenaea genistoides** *n. sp.*, glaberrima, ramis apice subangulatis; foliis sparsis, exstipulatis, oblongo-linearibus, obtusis, muticis, enerviis, laevibus, canaliculatis, dorso convexo apice carinato-incrassatis, junioribus ciliatis; floribus in apice ramulorum brevium basi squamato-bracteatorum solitariis, inter folia sessilibus; calyce brevissimo, subaequaliter 5-dentato; legumine brevissime stipitato, ovato-oblongo, adpresse pilosiusculo.

In solo turfoso prope villam b. Spencer (Plantagenet) d. 23. Sept. Herb. Preiss. No. 1021. et ad portum Princess Royal Harbour m. Nov. 1840. No. 1101.

Cum praecedente, cui inflorescentia et floris structura omnino convenit, propter calycem a *Pultenaeis* genuinis longe discrepantem (membranaceum, cupulaeformem, vix lineam longum) forsan generice separanda. A *P. Brunonis* differt: ramis validioribus, subvirgatis, obsolete angulatis, nigricantibus, foliis majoribus (4-5 lin. longis, 1½-2 lin. latis) apice dorso in carinulam brevissimam obtusam albidam incrassatis, caeterum laevibus v. obsoletissime 1-nerviis, nec rugulosis, squamis ad ramulorum basin duplo majoribus (1½ lin. longis) triangularibus complicatis, flore ⅓ majore. — „Frutex 1-2-pedalis. *Folia* obscure viridia. *Flores* flavi.“

3. **Pultenaea aspalathoides** *n. sp.*, ramis corymbosis, subsericeo-canescentibus; stipulis minutis, adpressis, deciduis; foliis linearibus, utrinque attenuatis, mucronato-pungentibus, reticulatis, in ramorum apice fasciculato-confertis laxe ciliato-pilosis, inferne remotiuscule sparsis

glabris; floribus in ramulorum apice subsolitariis, sessilibus, folia vix superantibus, bracteolis scariosis; calyce corolla duplo breviore, membranaceo, sericeo, subaequaliter 5-fido.

In solo turfoso-subarenoso sylvae et planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) m. Oct. et Nov. 1840, Herb. Preiss. No. 838 et 1195.

Facies fere *Aspalathi araneosae*. Sequenti valde similis, sed inflorescentia et praecipue calycis indole praecedentibus affinior. A sequente differt: ramis apice corymboso-ramosissimis, ramulorum foliis approximatis fasciculos mentientibus subacerosis multo angustioribus (¼-½ lin. latis) pilis tenerrimis fere lineam longis patentissimis diu persistentibus constanter vestitis, floribus subsolitariis folia vix ac ne vix superantibus et praecipue calyce dimidio minore tenuiter scarioso-membranaceo bracteolas (fuscas, diaphanas, truncato-obtusissimas) vix superante. — „Frutex bipedalis.“ *Folia* inferiora remotiora, sparsa, erecta, plana, glabra, saepe 10 lin. longa, 1½ lin. lata, summa dimidio breviora et triplo angustiora, carinato-v. complicato-subtriquetra, omnium nervo medio venisque primariis sub angulo recto ex eo ortis marginemque petentibus vix anastomosantibus utrinque prominulis. *Bracteolae* apice subtruncatae obsolete emarginatae v. 2-3-denticulatae, evidenter e stipulis connatis conflatae. *Calyx* subturbinatus, 2 lin. longus, lobis tubum subaequantibus triangularibus setaceo-acuminatis. *Vexillum* unicolor *alae*que aurantiacae, *carina* purpurascens. *Legumen* non vidimus.

4. **Pultenaea aciphylla** *Benth.* in Hügel Enum. p. 35, n. 105; Ann. Wien. Mus. 2. p. 81. Walp. l. c. p. 574: ramis leviter canescentibus, stipulis minutissimis, adpressis; foliis lanceolatis, rigidis, pungentibus, reticulatis, adultis glabris; floribus ad ramulorum apicem subsolitariis v. paucis fasciculatis, bracteis paucis imbricatis, leguminibus ventricosis villosis.

In solo sublimoso district. Sussex, d. 9. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 833. in solo subturfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, d. 21. Sept. No. 847. et in planitie prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 11. Oct. 1841. No. 848.

β **latifolia** *nob.*, foliis ovato-oblongis (6-14 lin. longis, 3-6 lin. latis. Nec flor. nec fr. vidi, caet. vero P. aciphyllae.

In solo sublimoso distr. Sussex, m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1044.

„Frutex 6-8-pedalis.“ *Folia* 6-12 lin. longa, 1½-2½ lin. lata, novella saepe pubescentia, mox glaberrima. *Flores* foliis summis paulo breviores. *Bracteolae* ad basin capituli 4-1-flori paucae, adpresse imbricatae, vix ½-1 lin. longae, inferiores triangulares acutae, superiores obtusae, dorso sericeae. *Calyx* herbaceus, sericeus, subcampanulatus, lobis tubo longioribus lanceolatis setaceo-acuminatis rigidulis, superioribus 2 paulo altius connatis latioribusque, sinubus extrorsum denticuliformi-prominulis. *Vexillum* luteum, mudio atropurpureum, flabellato-venosum; *carina* atropurpurea. *Legumen* junius oblique obovatum, compressum, 3 lin. longum, 2½ lin. latum, adpresse pilosum; maturum subgloboso-turgidum, 4 lin. longum latumque, laxe molliterque pilosum, valvis intus dense pilosiusculis! *Semina* oblonga, nigra, subnitida, strophiola pallida biloba parum longiora. — Variat ramis ramulisque glabris v. vix sericeis et dense cano-pubescentibus. — Species meo judicio ad generis sectionem secundam (Capitatas) nec ad primam (Pauciflloras, quibus a cl. Bentham adscribitur) referenda; flores enim in nostris speciminibus, descriptioni l. c. caeterum optime congruis, plerumque 2-4 subcapitati, rarissime vero solitarii sunt et ab ipso cl. Bentham apud Hüg. l. c. subcapitati, in Ann. Wien. Mus. l. c. vero subsolitarii dicuntur.

5. **Pultenaea ochreata** *n. sp.*, glabra, ramis filiformibus; stipulis membranaceis ochreiformibus, demum laceris deciduis; foliis sparsis, lanceolatis ellipticisve, muticis, planis v. supra concavis, utrinque reticulatis; floribus . . . . .; legumine ventricoso-ovali, turgido, extus intusque pubescente.

In districtu Wellington, d. 5. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1038.

A praecedente, proxime affini, notis indicatis facile distinguenda. *Rami* tenuissimi, laxi, flexiles, laeves, apice compresso-angulati. *Stipulae* intra axillam connatae in vaginam 1-1½ lin. longam, ramum arcte cingentem, tenere membranaceam, albam, basi rufam, nitidam, ochreas *Polygonorum* e sect. *Avicularia* imitantem, mox laceram, demum deciduam. *Folia* 3-4 lin. longa, 1-1½ lin. lata, obtusa v. vix acutiuscula, absque mucrone ullo, reticulatione penitus *P. actphyllae*. *Flores* ramulos terminantes, solitarii, pedicello brevissimo squamulis scariosis imbricatis bracteolato. *Calyx* circ. 1½ lin. longus, lobis inferioribus triangulari-lanceolatis acutis. *Petala* . . . . . *Legumen* sessile, 4 lin. longum, 2½ lin. latum, obtusum, 2-spermum, suturis acutiusculis, valvis convexis extus nigricantibus minute puberulis, intus pallidis dense pilosiusculis.

6. **Pultenaea ericaefolia** *Benth.* in Lindl. Swan River p. XIII, n. 45: ramis pubescentibus; stipulis erectis; foliis sessilibus, linearibus, muticis, margine involuto subteretibus, supra sulcatis, glabris, exsiccatione corrugatis; capitulis terminalibus, dense multifloris, hinc inde proliferis; bracteis laxiuscule imbricatis, membranaceis, fuscis, 3-fidis, laciniis ciliatis, lateralibus lanceolatis, intermedia bracteolisque subulatis; calycis bilabiati lobis subulatis ciliato-plumosis.

In glareosis inter frutices montis Greenmountain (Perth) d. 26. Apr. Herb. Preiss. No. 1189. in solo turfoso-arenoso inter frutices sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 11. Oct. No. 1187. et in confragosis collium Konkoberup-hills (Kent) d. 19. Nov. 1840. No. 1186. (Drummond n. 248 et coll. I.)

„Frutex ½-1½-pedalis.“ *Rami* graciles, plerumque parum ramosi, apice interdum corymbosi. *Stipulae* demum semper, nec adeo tarde, deciduae. *Folia* acuta, mutica, rarius subobtusa, patula, scabriuscula. *Involucri* squamae laxiusculae.

7. **Pultenaea strobilifera** *n. sp.*, ramis divaricatis, pubescentibus; stipulis setaceis, minutis, deciduis; foliis brevibus, subtriquetro-teretibus, obtusis, muticis, laevibus v. minute corrugatis, supra 1-sulcis; capitulis terminalibus, strobiliformibus, ovoideis; bracteis imbricatim adpressis, fuscis, pubescentibus, ovatis, apice 3-fidis, lobis lateralibus lanceolatis acuminatis, intermedio subulato; calycis bilabiati lobis acuminatis dense sericeo-plumosis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. Herb. Preiss. No. 1185. et in districtu Minto, m. Nov. 1840. No. 1190. (Drummond n. 247.)

Praecedenti admodum similis, sed specifice distincta statura humiliori („spithamaea-pedali“) caulibus a basi jam magis et iterato ramosis, ramis plerumque trichotomis et angulo lato divergentibus, stipulis minoribus fugacibusque, foliis dimidio brevioribus (1-2 lin. longis) semper obtusis, laevissimis et subadpressis (rarius leviter rugulosis et semipatentibus, nunquam punctato-scabris) capitulis dimidio minoribus ovoideis (nec subglobosis) nunquam proliferis, bracteis arcte adpressis floribusque circ. ⅓ minoribus, calyce praecipue ⅓ breviore et pilis arctioribus erectis mollibus albidis plumoso-ciliato

(nec pilis rigidulis rufis patentibus hispido). *Folia* juniora, aeque ac in illa, patentim hispido-ciliata.

8. **Pultenaea empetrifolia** *n. sp.*, ramulis canescentibus; stipulis membranaceis, lanceolatis, adpressis, persistentibus; foliis confertis, triquetro-linearibus, obtusis, brevibus, glabris; capitulis terminalibus, sessilibus, pauciforis, basi imbricato-squamatis, saepe proliferis; calyce bracteas bracteolasque superante, bilabiato, laciniis acutis rigidulis, inferiorum sinubus tuberculiformi-sphacelatis.

In Australia occidentali Herb. Preiss. No. 865.

„Frutex pedalis", dense ramosus; *rami* inferne defoliati, undique stipulis fuscis acutis vix ½ lin. longis earumve reliquiis tecti, inter stipulas pubem parcam albidam ostendentes. *Folia* vix semilineam ab invicem distantia, semipatentia, 1-2 lin. longa, mutica, laevia, glabra, dorso convexa v. triquetra, supra plana v. canaliculata. *Capitula* nucis avellanae minoris mole, 4-8-flora, plerumque in ramulum foliosum brevissimum excrescentia, basi bracteis stipularibus adpresse imbricata; *bracteae* membranaceae, fuscae, 1-1½ lin. longae, semibifidae (e stipulis duabus connatis formatae) lobis lanceolatis acutis albo-ciliatis, sinu plerumque folium genuinum viride minutum gerente; *bracteolae* paleaceae, oblongae, integrae, calyce duplo v. triplo breviores. *Calyx* 3-bracteolatus, corolla vix ⅛ brevior, 2 lin. longus, glaber, subcampanulatus, tubo membranaceo tenui decolore laevi lobis paulo longiore, labiis aequilongis virescentibus, lobis triangularibus apice subcomplicatis rigidulis, superioribus duplo fere latioribus et paulo altius connatis, inferiorum sinubus in denticulum tuberculumve exiguum sphacelato-fuscum obsolete prominulis. *Petala* subaequilonga, *vexillo* subrotundo leviter emarginato medio purpureo-venoso *alis*que vitellinis, *carina* atropurpurea. *Ovarium* sessile, villosum, stylo capillari basi pilosiusculo. *Legumen* . . . . . — Species nobis cognitarum nulli similis, sectioni Proliferarum adnumeranda.

9. **Pultenaea tenuifolia** *R.Br.* Bot. Mag. t. 2086. DC. prodr. 2, p. 113, n. 17. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 82, n. 36.

In summitate montis Baldhead (Sinus Regis Georgii III.) d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1203.

„Frutex 6-uncialis."

Subtribus III. Mirbelieae, Benth. in Hügel Enum. p. 35; Ann. Wien. Mus. 2, p. 83.

MIRBELIA Sm. Endl. gen. n. 6448. Meisn. gen. p. 81. (58.)

1. **Mirbelia (Eumirbelia) dilatata** *R.Br.* DC. prodr. 2, p. 115, n. 3. Bot. Reg. t. 1041!

In depressis subarenosis umbrosis Peninsulae (Perth) d. 27. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 1049. (Drummond n. 189 et coll. I.)

„Frutex 6-8-pedalis, gracilis," glaberrimus. *Rami* ramulique acute angulati, stricti. *Folia* sparsa v. opposita aut terna v. quaterna v. saltem opposito-v. verticillato-approximata, reticulata, 6-10 lin. longa, apice dilatata (saepe latiora quam longa) triloba, lobis lateralibus 3-5-fidis, intermedio indiviso saepe breviore et plus minus recurvo, laciniis omnibus pun-

gentibus. *Pedicelli* axillares solitarii, raro gemini, 2 lin. longi, calycem aequantes, erecti, infra medium bracteola minuta subulata decidua muniti. *Calyx* viridis, laxe campanulatus, bilabiatus, laciniis subulato-acuminatis. *Corolla* calyce triplo longior, amoene rosea. *Ovarii* glabri, 6-8-ovulati stipes calycis tubum aequans. *Stylus* falcato-filiformis, glaber, inferne paulo incrassatus. *Legumen* exsertum, oblongum, 3-4 lin. longum, turgidum, acutum, transverse venosum, epicarpio fusco endocarpioque pallido ab invicem solutis secundum suturas dehiscentibus, utriusque valvis apice demum breviter fissis, endocarpii complete bilocularis sutura utraque valde inflexa intusque leviter pubescente. *Semina* parva, subreniformi-ovata, compressa, atra, nitida, estrophiolata.

2. **Mirbelia (Eumirbelia) ovata** *n. sp.*, foliis ternis oppositisve, breviter petiolatis, patentibus, ovatis v. ovato-oblongis, obtusis, muticis, margine revolutis, supra reticulatis et punctato-scabriusculis demum glabris, subtus ramulisque adpresse sericeo-pilosiusculis; floribus terminalibus 3-1 (raro 5-6) brevissime pedicellatis; calycis pilosi laciniis lanceolatis subaequalibus tubo longioribus, ovario 8-ovulato, legumine subsessili villoso.

In sublimoso-glareosis sylvae cis flum. Gordon (Hay) 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 803 et ad portum Princess Royal Harbour Dec. 1840. No. 1202.

Facies fere *Oxylobii cordifolii*, sed stipulae plane nullae et legumen omnino *Mirbeliae*. — „Frutex 2-pedalis.“ *Rami* teretes, graciles, debiles, diffuse ramosi, ramulis semipatentibus. *Folia* 3-4 lin. longa, 1-2 lin. lata, ovata, rarius subrotunda v. oblonga, basi rotundata et plerumque subcordata, nervo subtus prominulo, juniora utrinque, adulta subtus tantum adpresse albido-pilosiuscula, supra mox glabra dense reticulata et sub lente punctiuculis elevatis scabriuscula. *Flores* plerumque terni ramulos terminantes (accedentibus interdum 2-3 in summis axillis, lateralibus); *pedicelli* vix lineam longi, basi bractea subulata ipsis vix longiore-apiceque bracteolis duabus similibus calyci adpressis ejusque tubum aequantibus muniti. *Calyx* membranaceus, rufus, adpresse pilosiusculus, laxe campanulatus, 2-2½ lin. longus, ultra medium 5-fidus, lobis lanceolatis acutis fere aequalibus. *Petala* breviter unguiculata, *vexillo* orbiculari subemarginato *alis*que aurantiacis basi purpureis, *carina* obovata subrecta atropurpurea. *Ovarium* subsessile, villosum, 8-ovulatum, sutura superiore valde inflexa. *Stylus* capillaris, incurvus. *Legumen* (immaturum) oblongum, calycem parum superans, turgidum, fulvo-villosum, valvis coriaceis apice bifidis intus glabris. *Semina* estrophiolata.

DICHOSEMA Benth. Endl. gen. n. 6449. Meisn. gen. comm. p. 350.

1. **Dichosema spinosum** *Benth.* in Hügel Enum. p. 35, n. 106; Ann. Wien. Mus. 2, p. 84: ramis subvirgatis, glabriusculis, apice inermibus; foliis ad basin spinae patentis ipsis sublongioris fasciculatis, linearibus, margine revolutis, obtusiusculis, glabris, axillis 3-1-floris, floribus subsessilibus, calyce sericeo-pubescente.

In limoso-calcareosis sylvae cis oppidum York, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 862. et in region. interior. Australiae merid.-occ., m. Oct. 1840. No. 860. (Drummond coll. I.)

„Frutex 2½-pedalis.“ *Rami* teretes, plerumque parce ramosi. *Petala* carnea v. rosea v. purpurea? (ex Benth. flava.)

2. **Dichosema subinerme** *n. sp.*, ramis fastigiato-ramosis ramulisque tenuibus teretibus puberulis apice inermibus; foliis sparse fasciculatis, patentibus, spina axillari plerumque destitutis, linearibus, obtusis, muticis, glabris, supra convexis, subtus 1-sulcis; floribus axillaribus, solitariis, subsessilibus; calyce subsericeo-pilosiusculo.

In solo glareoso-limoso sylvae prope oppidum Guildford, d 8. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 859. (Drummond n. 191.)

„Frutex 3-pedalis.“ *Rami* dense ramosi, graciles, ramulis debilibus filiformibus adscendentibus elongatis, pube adpressa subsericeo-canescentibus, inferne glabrescentibus; lateralibus nonnunquam (rarissime tamen) apice spinescentibus inferne foliosis. *Folia* omnino praecedentis, saepe paulo tenuiora et in ramorum extremitate solitaria (nec fasciculata) infimis axillis rarissime spinulam gracilem patulam folia aequantem exserentibus. *Ovarium* sessile, 6-ovulatum. — Caet. omn. *D. spinosi*, a quo tamen notis indicatis facile dignoscitur.

3. **Dichosema racemosum** *n. sp.*, corymboso-ramosum, ramulis rigidis sulcato-subangulatis glabris apice spinescentibus; foliis oppositis verticillatisque v. subsparsis, linearibus, obtusis, muticis; margine revolutis, glabris; racemis terminalibus, brevibus, aphyllis, pedicellis geminis ternisve brevibus calycibusque pubescentibus.

In solo subturfoso-arenoso inter frutices planitiei prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 861.

„Frutex sesquipedalis.“ *Stipulae* nullae. *Folia* praecedentium, sed nunquam fasciculata, opposita, rarius terna v. quaterna v. sparsa, axillis semper inermibus. *Racemi* circ. pollicares, terminales et nonnunquam e summis axillis, circ. 9-flori, bracteis minutis caducis, pedicellis calyce paulo brevioribus. *Flores* (ut reliqua omnia) praecedentium, sed ⅓ minores, et calycis (1½ lin. longi) labium superius rotundato-subtruncatum levissime emarginatum. *Ovarium* sessile, pubescens, 1-loculare? 4-6-ovulatum, stylo brevi crassiusculo pubescente apice uncinato. *Legumen* desideratur.

Tribus II. Loteae, DC. Subtribus I. Genisteae, DC.

HOVEA R.Br. Endl. gen. n. 6451. Meisn. gen. p. 82. (58.)

1. **Hovea pungens** *Benth.* in Hügel Enum. p. 37, n. 110. Hügel Bot. Archiv t. 7! Walpers repert. 1, p. 577: stipulis setaceis, foliis rigidis, linearibus, mucronato-pungentibus, margine revolutis, reticulatis, glabris v. pilosiusculis, pedicellis calyce parum longioribus, ovario stipitato glabro.

In arenosis sylvae prope Pineapple (Perth) d. 20. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1054. (Drummond n. 177 et coll. L.)

„Frutex pedalis, erectus. Flores laete coerulei.“

2. **Hovea stricta** *n. sp.*, caulibus simplibus, erectis, strictis, villosiusculis; stipulis linearibus, parvis, mollibus, caducis; foliis linearibus, breviter mucronatis, margine revolutis laxe ciliatis, supra reticulatis; junioribus laxe pilosiusculis, demum glabris; pedicellis solitariis, calycem villosiusculum subaequantibus; legumine stipitato, glabro, 2-spermo.

In arenosis sylvae districtus Sussex, m. Dec. 1839. Herb Preiss. No. 1057.

A praecedente proxime affini caute distinguenda: caulibus pedalibus simplicissimis, stipulis bracteolisque complanatis nec, nisi apice, vere setaceis, haud rigidis, fugacissimis, foliis plerumque pollicaribus 1-$^5/_4$ lin. latis, apice obtuso mucronulo vix $^1/_4$ lin. longo apiculatis, ciliatis, pubescentia caulis calycisque paulo longiore et laxiore. Caet. omn. *H. pungentis*. (Petala non vidimus.) — A *H. ramulosa* et *pannosa* Cunn. et *H. purpurea* Sweet differt: pubescentia haud ferrugineo-tomentosa, pedicellis solitariis, caet.; a *H. villosa* Lindl.: foliis minoribus, praecipue angustioribus, caet.; a *H. Manglesii* Lindl.: stipulis haud setaceis, floribus pedicellatis, caet.

3. **Hovea trisperma** *Benth.* l. c. n. 111. Walp. l. c.: foliis inferioribus ellipticis oblongisve, superioribus lanceolatis linearibusque, supra reticulatis, subtus pubescentibus; pedicellis calyce brevioribus; legumine stipitato, glabro, trispermo.

In arenosis sylvae circa oppidum Perth, d. 8. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1051. (Drummond n. 179, 180.)

„Suffrutex pedalis, erectus. Variat floribus albis.“ *Leguminis* stipes calycem aequans.

4. **Hovea Celsi** *Bonpl.* Bot. Reg. t. 280. DC. prodr. 2. p. 115, n. 6.

Locis umbrosis in solo humoso ad margines lacus Kalbenup (Sussex) d. 27. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1053. in rupestribus sylvae ad latus septentrionale montis Melville et in chasmate ad latus occidentale montis Clarence (Plantagenet) d. 5. Sept. 1840. No. 1055.

„Frutex 5-8-pedalis, erectus, strictus.“ *Ramuli* calycesque ferruginei. *Folia* usque ad 3 poll. longa et $1^3/_4$ poll. lata*):

5. **Hovea crispa** *Lindl.?* in Bot. Reg. 1839. Misc. p. 19, n. 19. Walpers repert. 1. p. 577: ramis gracilibus, pilosis; foliis ovato-oblongis, mucronatis, margine crispis utrinque pilosis; pedunculis subternis petiolorum longitudine, bracteolis sub calyce villoso setaceis; ovario stipitato, glabro, 4-ovulato.

---

*) **H. elliptica** DC. l. c. n. 41 — Swan River, Drummond n. 118. — Diagnosis l. c. insufficiens, a planta Drummondiana paulo recedens „foliis emarginatis, pedicellis folio triplo brevioribus geminis.“ Habitus **H. Celsi**; folia huic similia, sed acuta v. acutiuscula. Stipulae setaceae, rigidulae, petiolo 1-$1^1/_2$ lin. longo vix longiores, fugaces. Pedicelli axillares 2-4, $1^1/_2$-2 lin. longi, apice setaceo-bibracteolati. Calyx 4 lin. longus, basi attenuatus, adpresse pilosiusculus, labio superiore maximo tubum subaequante, inferioris duplo brevioris lobis ovato-lanceolatis acutis. Corolla ampla, calyce subduplo longior, coerulea. Ovarii stipes calycis tubum aequans. — Species florum magnitudine reliquas omnes superans.

In glareosis sylvae montis Greenmountain (Darling's-range) d. 15. Apr. 1840. sterilis Herb. Preiss. No. 1063.

„Frutex vix pedalis," (bipedalis, floribus purpureis, fide Lindl. l. c.) — *Specimina* nostra tota glabra; ramuli punctis ferrugineis prominulis glandulosis? conspersi.

PLAGIOLOBIUM Sweet. Endl. gen. n. 6452. Meisn. gen. p. 85. (60.)

1. **Plagiolobium chorozemaefolium** *Sweet* Fl. Austral. t. 2, foliis ovalibus oblongisve, vix marginatis, concoloribus, plus minus sinuato-dentatis, dentibus spinuloso-mucronatis, stipulis setaceis subspinescentibus; pedicellis axillaribus 2-4 calycem subaequantibus, bracteolis 2 setaceis a calyce remotiusculis ejusque tubum subaequantibus.
   Hovea chorozemaefolia DC. prodr. 2. p. 116, n. 7. Bot. Reg. t. 1524.

   α **subintegrum** *nob.*, ramulis pubescentibus; foliis planis, subtus parce puberulis, subintegris v. levissime sinuato-dentatis, dentibus obsoletis breviter mucronulatis.

   In calculosis sylvae inter Greenmountain et Mahogany creek (Darling's-range) d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1052. (Drummond n. 181.)

   β **dentatum** *nob.*, ramulis vix apice puberulis, foliis utrinque glabris, sinuato-dentatis undulatis, dentibus longiuscule spinescentibus.

   In rupestribus ad latus montis Melville (Plantagenet) d. 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1058.

   „Suffrutex sesquipedalis." *Radix* lignosa, crassa, divaricato-ramosa, apice multicaulis. *Legumen Hoveae Celsi*, 2-spermum, stipite vix calycis tubum aequante.

2. **Plagiolobium ilicifolium** *Sweet* l. c.? (Walp. repert. 1. p. 577.) foliis ovatis v. ellipticis, subtus subglaucescentibus parce pilosiusculis marginatis, sinuato-dentatis, subundulatis, dentibus stipulisque spinescentibus; pedicellis axillaribus 2-4 calyce brevioribus, vix petiolo longioribus; bracteolis 2 subspinescentibus, calyci proximis ejusque tubo (plerumque dimidio) brevioribus.

   In region. interior. Australiae occidentalis, d. 7. Mart. 1840. sterile. Herb. Preiss. No. 1060. (Drummond n. 182 et coll. I.)

   An vera stirps Sweetiana? An a praecedente, quacum haec a cl. Lindley conjungitur, satis distincta? Praeter notas indicatas ab ea recedit ramis validioribus, foliis crassiuscule coriaceis subtus pallidis margineque plus minus recurvo nerviformi subcartilagineo cinctis et reticulatione obsoletiore supra plerumque immersa, nec non calycis pube densiore subvillosa. *Stipulae*, bracteolae pedicellique longitudine variant saepiusque a praecedente non differunt. „Frutex pedalis." *)

*) E genere **Platylobio**, cujus nulla species inter plantas Preissianas occurrit, novam addere liceat speciem: **P. macrocalyx** nob., foliis deltoideis ovatisve, apice

BOSSIAEA Vent. Endl. gen. n. 6455. Meisn. gen. p. 82. (58.)

1. **Bossiaea ensata** *Sieber* Herb. N. Holl. n. 434! DC. prodr. 2, p. 117, n. 2.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. Herb. Preiss. No. 1033. et in glareosis ad radices montis Barrow (Plantagenet) d. 9. Nov. 1940. No. 1125. *)

„Suffrutex pedalis." *Rami* ubique aphylli. *Calyx* pubescens. *Carina* imberbis.

2. **Bossiaea sulcata** *n. sp.*, glaberrima, ramosissima, ramis ramulisque aphyllis, compresso-ancipitibus, strictis, rigidis, acute sulcato-lineatis, apice-spinescentibus, margine alternatim obtuse dentatis; floribus e ramulorum denticulis nascentibus, subsolitariis, subsessilibus, bracteolis minutis; calycis lobis subaequalibus brevibus, obtusis; carina nuda; ovario subsessili, oblique obovato-oblongo, glabro, 4-ovulato.

In limoso-arenosis planitiei ad fluv. Avon, 10 mill. ab oppido York (York) d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1028.

„Frutex 7-pedalis." *Rami* validi, demum subteretes, ramuli compressi, faciebus convexis lineis nerviformibus acute prominulis parallele striatis, marginibus acutiusculis tuberculis obtusis (foliorum abortivorum? v. fugacissimorum? pulvinis) 2-3 lin. ab invicem distantibus denticulatis, omnibus apice in spinam rectam 1-2 lin. longam satis validam pungentem exeuntibus. *Stipularum* foliorumque vestigia, praeter setulas exiguas in ramulorum nascentium denticulis conspicuas, nulla. *Flores* illis *B. ensatae* paulo minores. *Calyx* coloratus? campanulatus, 1-1½ lin. longus, corolla dimidio brevior, lobis tubo brevioribus (⅓ lin. longis) obtusis erectis, superioribus 2 paululum latioribus magisque rotundatis. *Stamina* monadelpha. *Legumen* (semimaturum) 4 lin. longum, 2 lin. latum, stylo multo breviore sublaterali uncinato glabro, marginibus haud incrassatis.

3. **Bossiaea paucifolia** *Benth.* in Bot. Reg. Jul. 1841. Misc. p. 53, n. 108. (non ib. 1843, t. 63.) Walpers repert. 1. p. 578: glabra, inermis; ramis compressis, alatis; stipu-

---

mucronatis, lobis basilaribus nunc acutis mucronatis nunc rotundatis muticis; bracteis imbricatis, exterioribus ovatis obtusis interioribus sensim majoribus oblongis acutis dimidium calycem aequantibus; calyce amplo, corollam subaequante, adpresse sericeo-piloso, labii superioris lobis maximis subrotundis. — Ad Port Philipp in Novae Hollandiae ora australi legit cl. Latrobe (Herb. Mus. Neocomens.) — A. **P. triangulari** R.Br., cui praeter notas indicatas, simillimum, differt: calyce duplo majore (5 lin. longo) bracteis quadruplo majoribus, foliis basi saepe inermibus rotundatisque subinde cordatis et plerumque majoribus (usque ad 10 lin. longis, 9 lin. latis.) Vexilli apex calycem brevissime superans, carina alaeque eum vix aequantes. — An a **P. obtusangula et Murrayana** Hook. Bot. Mag. t. 3258, 3259. (Walpers repert. 1. p. 577.) nobis ignotis, satis distinctum?

*) **B. rufa** R.Br. DC. l. c. n. 3. The Botanist 2, t. 81. — Swan River. Drummond n. 258 et coll. I. (Inter Preissianas non obvia.) — Facies omnino **B. ensatae**, sed rami hinc inde folia lanceolato-linearia 6-8 lin. longa 1-2 lin. lata obtusa sub mucronulata plana penninervia glabra, petiolo tenui 1-1½ lin. longo suffulta, gerentia. Calyx glaberrimus. Carina biceps, apice obtuso breviter denseque albo-ciliata.

lis membranaceis, minutis; foliis sparsis, obovatis oblongis linearibusve, obtusis retusisve; pedicellis folio brevioribus basi medioque minute bracteolatis; calycis labiis subaequalibus, tubo brevioribus, superioris breviter bifidi lobis parum latioribus.

B. virgata **Hook. in Bot. Mag. (Dec. 1842.) t. 3986. Walp. repert. 2, p. 833.**

Locis umbrosis in solo limoso ad ripam fluv. Preston (Wellington) d. 1. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1029.

„Frutex 5-pedalis." *Rami* fere *B. ensatae*, 2-3 lin. lati, sed foliosi. *Stipulae* fuscae, petiolo 1½ lin. longo multo breviores. *Folia* sparsa (nec fasciculata, nec approximato-conferta) herbacea, cum petiolo 6-10 lin. longa, 2-5 lin. lata, apice obtusa v. retusa, nonnunquam obcordato-emarginata, tenuiter penninervia. *Pedicelli* solitarii, filiformes, circ. 3 lin. longi. *Flores* magnit. *B. scolopendrtae*. *Calyx* 1½-2 lin. longus, corolla duplo-triplo brevior, lobis acutis. *Vexillum* aurantiacum, atropurpureo-striatum; *carina alae*que? purpureae. *Legumen* lineare, rectum, circ. pollicare, 2½ lin. latum, apice rotundatum, 4-10-spermum, in stipitem calycem subaequantem attenuatum, valvis planis glabris laevibus, suturis vix incrassatis.

4. **Bossiaea spinescens** *n. sp.*, glabra, ramosissima, ramis adultis teretibus, junioribus ramulisque patentibus compressis subalatisve apice spinescentibus; stipulis setaceis, petiolum aequantibus; foliis confertis, obovato-oblongis, obtusis retusisve, muticis, planis; pedicellis solitariis, folium superantibus, apice bibracteolatis; calycis labio superiore lato subtruncato emarginato, inferiore breviore acute 3-dentato; carina apice minute villoso-ciliata.

B. paucifolia **Bot. Reg. 1843. t. 63. (non Benth.)**

In limoso-lapidosis sterilibus summitatis montis Bakewell (York) d. 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1031. fl. et fr. et in glareosis sylvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard (York) d. 12. Apr. 1840. No. 1030. fr. (Drummond n. 259 et coll. I.)

A praecedente, proxime affini, praeter notas jam indicatas differt: ramis minus gracilibus, rigidioribus, ramosioribus, ramulis distichis plerumque divaricatis, junioribus angulo fere recto patentibus saepiusque aphyllis spiniformibus, raro complanato-subalatis, subinde parum compressis vix ancipitibus, faciebus valde convexis, margine angustissimo nerviformi; foliis duplo minoribus (cum petiolo ½-1 lin. longo 3-5 lin. longis, 1-2 lin. latis) apice rotundatis, rarissime emarginatis, saepius ternatim pseudo-fasciculatis (lateralibus scil. revera axillaribus, ex ima basi ramuli, saepe nondum evoluti, nascentibus) stipulis setaceo-subspinescentibus; pedunculis fere semper folium paulo superantibus, apice (nec medio) bibracteolatis, bracteolis magis conspicuis ⅔ lin. longis erectis oblongis acutis; calyce dimidiam corollam aequante, labio superiore quasi abscisso levissime emarginato; legumine plerumque breviore, 4-6-rarius 8-10 lin. longo, 4-6-spermo. *Valvae* intus haud septulatae! — Valde etiam similis *B. microphyllae* Sm. (Sieber Herb. N. Holl. No. 355! Bot. Mag. t. 863.) quae differt: ramulis vix compressis, junioribus puberulis, foliis coriaceis constanter late obovatis et plerumque emarginatis, pedicellis vix 1-2 lin. longis et carina imberbi.

5. **Bossiaea Preissii** *n. sp.*, glabra, ramis ramulisque foliosis, teretibus, apice vix compressis spinescentibus; stipulis spinuliformibus, petiolum brevissimum aequantibus;

foliis oblongo-lanceolatis, obtusiusculis, muticis, planis; pedicellis solitariis, folium subaequantibus, medio bibracteolatis, apice incrassatis; calycis labio superiore lato, emarginato-bifido, inferiori acute 3-fido subaequali.

In glareosis sterilibus inter frutices promontorii Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. specimina pauca, manca. Herb. Preiss. No. 986.

A praecedente distincta ramis teretibus, ramulis vix compressis et foliis omnibus oblongo-lanceolatis utrinque attenuatis 3 lin. longis vix 1-1¼ lin. latis obtusiusculis subacutisve. *Corollam* non vidi. „Frutex 2-pedalis."

6. **Bossiaea linophylla** *R.Br.* Bot. Cab. t. 174. Bot. Mag. t. 2491. DC. prodr. 2, p. 117, n. 4. Benth. in Hügel. En. p. 36, n. 107.

Locis umbrosis in solo humoso ad lacum Kalbenup (Sussex) d. 27. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1013. fructif. in subarenosis sylvae prope oppidum Albany (Plantagenet) d. 23. Sept. No. 1012. fl. et fr. et inter frutices in clivulo arenoso prope Baldhead (Sinus Regis Georgii III) d. 16. Oct. 1840. No. 1011. fl. et fr.

„Frutex bipedalis."

7. **Bossiaea eriocarpa** *Benth.* in Hügel. Enum. p. 36, n. 108. Walpers repert. 1. p. 578; inermis, ramis junioribus compressis, pubescentibus; foliis oblongo-linearibus, obtusis, mucronatis; leguminis villosi unilocularis stipite calyce breviore.

In arenosis et collinis sylvaticis ad fluv. Cygnorum, d. 28. Jul. Herb. Preiss. No. 1009. fl. et fr. jun. et ad portum Leschenault (Wellington) m. Dec. 1839. No. 1005, fruct. nec non in planitie arenosa Quangen (Victoria) d. 20. Mart. 1840. No. 1004. steril. (Drummond n. 256 et coll. I.)

„Frutex 1-1½-pedalis, ramis distichis. *Flores* atropurpurei." *Bracteolae* prope medium pedicelli caducissimae. *Legumen* 8-10 lin. longum, 2½ lin. latum, rectum, utrinque obtusum, planum, 1-loculare, 8-12-spermum, suturis paulo incrassatis, valvis pilis longiusculis albidis laxiuscule villosis. *Semina* subsessilia, transversa, oblonga, laevia, rufa, strophiola pallida lunulata circ. duplo longiora, fere lineam longa.

8. **Bossiaea Endlicheri** *nob.*, inermis, stipulis membranaceis, linearibus, petiolum superantibus; foliis ovalibus oblongis linearibusve, mucronulatis v. muticis, subtus ramulisque teretibus villosis; pedicellis folio brevioribus, supra medium bibracteolatis; calycis adpresse sericei labiis aequalibus, superioris bifidi inferiorisque lobis acuminatis; ovario sessili, villoso.

α **ovalifolia**, foliis coriaceis ovalibus oblongisve (5-6 lin. longis, 2-3 lin. latis) margine obsolete recurvis, mucronulo tenui (rarius nullo) apiculatis, interdum demum glaberrimis.

B. ovalifolia Endl. nov. stirp. decad. 1. p. 21, n. 26. Walpers l. c.

An ab hac satis distincta *B. distticha* Lindl. in Bot. Reg. 1841, Misc. p. 38, n. 67, t. 55? quae ex ic. cum nostra bene convenit, ex descr. vero recedit foliis planis, nequaquam coriaceis, omnino laevibus, fere avenis, sed hae differentiae forsan ex cultura ortae.

In solo limoso inter frutices sylvae prope villam cl. Harris ad fluv. Cygnorum, d. 1. Jul. 1839. Herb. Preiss. n. 1008.

β **angustifolia**, foliis linearibus v. lineari-oblongis (6-9 lin. longis, 1-1½ raro 2 lin. latis) obtusis, plerumque muticis.

Swan River. James Drummond n. 255 et coll. I.

γ **minor**, foliis linearibus (4-6 lin. longis, vix 1 lin. latis, pedicellos plerumque superantibus) obtusis, muticis, margine revolutis.

In region. interior. Australiae occidentalis et meridionali-occidentalis, m. Nov. 1839 et. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1000.

Species satis variabilis, cujus nomen primitivum, quum non omnibus formis (certe tamen haud specifice separandis) conveniat, mutandum videbatur. *Ramt* ramulique superne cano-villosiusculi, inferne glabrati. *Stipulae* omnes membranaceae, adpressae, lineares, acuminatae (in var. γ sola apice setaceae.) *Folia* plus minus coriacea, supra transverse venosa (venis in β et γ plerumque obsoletis) et sub lente minute punctato scabriuscula (in α sublaevigata) subtus viridia v. in β sordide albida (glauca?) villosa v. secus nervum solum parce pilosiuscula v. demum glabrata. *Pedicelli* 6-7 lin. longi (in γ paulo breviores) supra medium bracteolis 2 stipulis conformibus diu persistentibus (in γ saepius apici approximatis) instructi. *Calyx* adpresse sericeo-pubescens. „Suffrutex pedalis v. dodrantalis, erectus. *Vexillum* flavum, carina alaeque purpureae.“ — A *B. ertocarpa*, cui praecipue var. β et γ valde accedunt, dignoscitur stipulis omnibus membranaceis (nec superioribus setaceis) foliorum venis transversis minus conspicuis, pagina inferiore plerumque villosa, bracteolis calyci magis approximatis diutius persistentibus et calyce ramisque cano-pubescentibus.*)

9. **Bossiaea pulchella** *n. sp.*, laxe ramosa, ramis gracilibus, teretibus, apice minute puberulis; stipulis minutis, obtusis, deciduis; foliis subsessilibus, cordato-subrotundis, acutiusculis, muticis, planis, coriaceis, laevibus, glabris; pedicellis solitariis, folio brevioribus, bracteas basilares obtusas vix superantibus; calycis glabri labio superiore emarginato-bilobo, inferiore aequali acute 3-dentato.

In umbrosis limoso-calculosis sylvae inter Mahagony creek et Halfwayhouse (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1032. (Drummond n. 250 et coll. I.)

Proxima *B. nummulariae* Endl. nov. stirp. dec. 1. p. 22, n. 27, quae differt stipulis subulatis petiolum aequantibus, foliis mucronulatis, pedicellis folia subsuperantibus (3¼ lin. longis) deflexis, caet. — „Frutex 2-3-pedalis, ramulis secundis.“ *Stipulae* obsoletae, vix ¼ lin. longae, membranaceae, ovatae, obtusae, fuscae. *Folia* cum petiolo (vix ⅓ lin. longo) 2½-3½ lin. longa et fere aeque lata, basi rotundata semperque cordata (sinu petiolum aequante) antice sensim angustata, nervo venisque subimmersis vix conspicuis, margine plano sub lente obsolete et irregulariter crenulato. *Bracteae* ad pedicellorum basin quatuor, decussatae, membranaceae, tenuiter striatae, ovatae v. oblongae, obtusiusculae; interiores? duae longiores, 2½ lin. longae,

*) Inter plantas a cl. **Latrobe** circa Port Philipp in N. Holl. ora australi lectas exstat **B. tenuicaulis** Grah. in Edinb. New Phil. Journ. Jun. 1840. XXIX, p. 171. Bot. Mag. t. 3886! Walpers repert. I. p. 578, quam a **B. cordifolia** Sweet. Fl. Austral. t. 20. (fide specim. in Anglia cult.) vix distinctam credimus, nisi ramorum pube brevissima adpressa, foliorum basi rotundata nec cordata et calyce paulo majore. An utraque ad **B. cineream** R.Br. reducenda?

fuscae, minutissime ciliatae, concavae, florem amplectentes, mox a basi solutae apice invicem cohaerentes et corollae apici calyptrae bilobae instar diu insidentes; interiores? duae duplo breviores, pallidae, persistentes. (Bracteas majores nunquam quidem in situ primario, scil. basi adhaerentes, vidimus, sed ex aliarum specierum analogia interiores fuisse vix dubitamus.) „Flores tristes." *Calyx* campanulatus, corolla plus duplo brevior, 2 lin. longus, basi vix attenuatus, lobis subaequalibus tubo brevioribus late triangularibus acutiusculis, superioribus latioribus. *Vexillum* aurantiacum, medio cum *alis carina*que purpureum. *Staminum* vagina supra fissa. *Ovarium* glabrum, 2-ovulatum, stipite calycis tubum aequante. *Legumen* . . . . . .

10. **Bossiaea biloba** *Benth.* in Hügel En. p. 36, n. 109. Walpers repert. 1. p. 578: ramis subteretibus, villosis; foliis linearibus, apice dilatato bilobis; leguminibus coriaceis glabris, stipite calyce breviore.

In saxosis ad latus collis prope Cataractam ad caput fluvii Cygnorum, d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1061. (Drummond n. 265.)

β **stenophylla** *nob.*, foliis linearibus (saepe 1½-2 poll. longis, 1 lin. latis) apice nequaquam v. vix dilatatis retusis v. obsolete bilobis aut acutis mucronulatis muticisve.

Swan River. James Drummond n. 264.

Frutex 1-1½-pedalis, basi ramosus, ramis erectis strictis subsimplicibus. *Folia* supra punctato-scabra. *Bracteolae* duae calyci approximatae, lineares, breves. *Corolla* calyce duplo longior, flava? v. carnea? carina valde incurva obtusa imberbi. *Legumen* 16 lin. longum, 7 lin. latum, utrinque obtusum, breviter mucronatum, 6-spermum, inter semina membranaceo-septulatum, valvis viridibus parum convexis laevibus aveniis, suturis obsoletis. *Semina* oblonga, 1½ lin. longa, fusca, laevia, opaca, strophiola pallida crassa truncata triplo longiora. *)

LALAGE Lindl. Endl. gen. n. 6453. Meisn. gen. p. 82. (58.)

1. **Lalage ornata** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1722! ramis gracilibus pubescentibus glabrisve, apice compressiusculis;

*) E plantis Andersonianis addenda est nova species: **Bossiaea humilis** nob., ramis subdecumbentibus, debilibus, teretibus; stipulis subherbaceis, lanceolatis, acutis, adpressis, petiolo brevissimo longioribus; foliis coriaceis, obovatis ovalibusve, mucronulatis, margine subrecurvis, supra glabris subvenosis, subtus ramulisque adpresse pubescentibus; pedicellis solitariis geminisve, folio dimidio brevioribus, basi apiceque bracteis 2 linearibus deciduis instructis; calycis puberuli labiis tubum subaequantibus, superioris bifidi lobis latis divaricatis acutiusculis, inferioris brevioris trifidi lobis lanceolatis acutis. — Circa Sydney, ora orient., legit Anderson, n. 78. (v. s. in Herb. Shuttleworth.) — Proxima **B. prostratae** R.Br. et **B. ovalifoliae** Endl.; a priore (fide specim. Sieber. Hb. N. Holl. n. 351!) differt: pubescentia, ramis paulo firmioribus et crassioribus, stipulis majoribus (1 lin. longis, fere ½ lin. latis) foliis minoribus (cum petiolo vix ⅓ lin. longo 2-2½ lin. longis, 1-2 lin. latis) basi obtusis v. angustato-subacutis (nec emarginatis) margine plus minus recurvis (nec unquam perfecte planis) et calyce paulo majore (3½ lin. longo, dimidium corollam aequante.) — A **B. ovalifolia** Endl. discrepat: stipulis haud setaceis, petiolo breviore, foliis minoribus basi haud emarginatis, pedicellis brevioribus (vix 2 lin. longis.) — Vexillum alaeque lutea, carina carnea? v. purpurascens? obtusissima imberbis. Legumen desideratur.

TEMPLETONIA R.Br. Endl. gen. n. 6457. Meisn. gen. p. 83. (59.)

Templetonia retusa *R.Br.* DC. prodr. 2. p. 118.

In calcareis ad latus montis Eliza d. 18. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1083. fl. et fr. et in littore arenoso promontorii Cape Riche, d. 18. Nov. 1840. No. 1082. fr. (Drummond n. 273.)

„Frutex 5-6-pedalis. *Flores* coccinei.“ *T. glaucam* Sims. Bot. Mag. t. 2088. DC. l. c. ad hanc reducendam esse, cum cl. Lindley (Bot. Reg. adnot. ad t. 859.) valde suspicor. E speciminibus enim nostris n. 1082 foliorum *forma* exacte convenit cum *T. glauca* Bot. Reg. t. 859!, sed folia non habet glauca; No. 1083 vero et 273. folia exhibent illis *T. retusae* Bot. Reg. t. 883! penitus conformia, sed in No. 1083. subtus glauca, in n. 273 vero utrinque viridia; specimina denique, quae habemus, culta foliorum forma plus minus cuneata apiceque dilatata inter utramque speciem exacte medium tenent. *Flores* et bracteolarum situs (circ. in medio pedicelli) in omnibus penitus iidem.“

GOODIA Salisb. Endl. gen. n. 6456. Meisn. gen. p. 82. (58.)

Goodia lotifolia *Salisb.* parad. Lond. t. 41. Bot. Mag. t. 958. DC. prodr. 2. p. 117, n. 1.

In arenosis districtus Hay, m. Oct. 1840, defloratae cum legum. jun. Herb. Preiss. No. 1014.*)

„Frutex 4-6-pedalis.“ *Obs.* An hujus var.? an vero n. sp.? planta ab Andersonio circa Sydney lecta (Herb. Shuttleworth et nostr.) recedens foliolis plerumque angustioribus, pedicellis brevioribus vix 2 lin. (in illa 3-3½ lin.) longis et calyce paulo minore, 1½ lin. longo.

Subtribus III. Galegeae, DC.**)

INDIGOFERA Linn. Endl. gen. n. 6530. Meisn. gen. p. 86. (62.)

Indigofera ervoides *n. sp.*, fruticosa, ramis gracilibus, sulcato-subangulatis, glabris, foliis pinnatis, elongatis;

---

*) E subtribu II, **Trifolieareae** DC., nulla species inter Preissianas occurrit; inter plantas vero a cl. **Latrobe** circa Port Philipp lectas (in Herb. Mus. Neocomens.) exstant: **Lotus corniculatus** Linn. *α* **arvensis** Ser. in DC. prodr. 2. p. 214, n. 42. (quem etiam prope Sydney legit Anderson, n. 99, fide Hb. Shuttleworth.) et **L. tenuifolius** Poll. (*L.* corniculati var. DC. l. c.) **var. pubescens** nob, — an **L. australis** *β* **angustifolius** Seringe in DC. prodr. 2. p. 212, n. 27? — Species utraque in Nova Holl. vix indigena.

) **Ptychosema pusillum Benth. in Lindl. Swan River p. XVI, n. 71. (Drummond n. 281!) et **Cyclogyne canescens** Benth. l. c. n. 72. (Drummond n. 268!

foliolis 10-16-jugis, spathulato-linearibus, obtusiusculis, aveniis, parce puberulis, demum glabris; racemis folio brevioribus, multifloris; calycis pedicello subbrevioris puberuli subbilabiati dentibus brevissimis acutiusculis, labio superiore paulo longiore; legumine lineari, subtetragono-tereti, recto, glabro, laevi, polyspermo.

In umbrosis inter fragmenta rupium montis Mathilda, alt. 975 ped. (York) d. 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1067.

„Frutex 4-pedalis." *Rami* (facie fere *Ervi Lentis*) erecti, strictiusculi, crassitie pennae corvinae, inferne teretes, superne costis magis prominulis subangulati, saepe purpurascentes. *Stipulae* lineares, acutae, 1-1½ lin. longae, erectae, fuscae, deciduae. *Folia* 2-3-pollicaria, petiolo filiformi, jugis 2-3 lin. ab invicem distantibus, foliolis oppositis, 2-3 lin. longis, ½-⅔ lin. latis, planis, muticis, novellis subargenteo-canis, demum parce adpresseque pilosiusculis glabrisve. *Racemi* laxiusculi, 1-2-pollicares, pedicellis demum 2 lin. longis recurvis, floribus parvulis „roseis." *Calyx* corolla subtriplo brevior, coloratus? subcampanulatus, dentibus brevissimis. *Legumen* 12-14 lin. longum, obtusissime tetraquetrum, haud torulosum, suturis pallidis haud prominulis. — Affinis *J. Thibaudianae* DC. prodr. 2. p. 225, quae differt (ex diagn.) foliolis ellipticis retusis, legumine compresso, caet.

Tribus IV. Phaseoleae DC. Subtribus Kennedyeae Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 112.

KENNEDYA (Vent.) Benth. Endl. gen. n. 6641. Meisn. gen. p. 94. (67 et 351.) *)

1. **Kennedya nigricans** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1715! Bot. Mag. t. 3652. Benth. l. c. p. 123. Walpers repert. 1. p. 757: volubilis, foliolis 1-3, ovatis, obtusis, stipulis bracteolisque lanceolatis parvis, racemis brevibus laxe plurifloris, floribus erectis, calyce rufo-villoso.

---

et coll. I.) inter Leguminosas Preissianas non exstant. — Inter stirpes Andersonianas circa Sydney lectas occurrunt **Swainsonia coronillaefolia** Salisb. DC. prodr. 2. p. 271, n. 2. (Anderson n. 190 in Hb. Shuttleworth) et **S. lessertiaefolia** DC. l. c. n. 3. (Anders. n. 97, ibid.) **Ervum hirsutum** Linn. circa Port Philipp legit cl. Latrobe (Herb. Mus. Neocom.) procul dubio cum cerealibus ex Europa immigratum.

*) Addere hic liceat species duas nondum descriptas, quas nuper in horto Baumanniano Mulhusiae Alsatorum vivas observavimus: 1) **K. Baumanni** nob. (in cat. hort. Bollwill. et Mulhus. suppl. 1844. p. 3, sine diagn.) fruticosa, volubilis; stipulis ovato-lanceolatis brevibus, stipellis obsoletis; foliolis 3 petiolulatis, oblongis, petiolo duplo-triplo longioribus, utrinque rotundatis subemarginatisve, muticis, margine planis, subaequalibus v. medio longiore, subtus cum ramis petiolis pedunculis calycibusque fulvo-villosiusculis, supra parce pubescentibus; racemis laxe plurifloris, petiolum aequantibus. Stirps pulchra, e seminibus incertae originis in horto Baumanniano enata', exceptis notis jam indicatis et pubescentia fortiore cum **K. rubicunda** Vent. exacte conveniens, sed foliolorum forma distinctissima. Foliola 3-6 pollicaria, 8-12 lin. v. rarius basi 24 lin. lata (nunquam ovata v. elliptica) in tota planta constanter uniformia, terminali plerumque extra medium paulo latiore, lateralibus prope basin fere semper plus minus dilatatis nonnunquam obsolete auriculatis. 2) **K. splendens** cat. hort. Bollwill. et

In solo humoso ad latus montis T'jalup (Kent) et ad promont. Cape Riche, d. 17. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1091.

„Frutex scandens. *Flores* atropurpurei.“ *Legumen* lineare, 2¼ poll. longum, 3 lin. latum, plano-compressum, rectum, acuminatum, tomentosum.

2. **Kennedya Marryattae** *Lindl.* in Bot. Reg. t. 1790. Walpers repert. 1. p. 757: prostrata; stipulis bracteisque late ovatis subcordatis acutis; foliolis 3 oblongis obovatis subrotundisve, obtusis, margine undulatis, subtus ramulisque villosis, junioribus sericeis; pedunculis folio brevioribus, bifidis, 2-4-floris; calyce legumineque villosis.

K. Marryattiana Benth. in Ann. Wien. Mus. 2. p. 123. — ?*K. arenaria* Benth. in Hüg. Enum. p. 38, n. 114. (quam saltem ex descriptione a speciminibus Preissianis cultisque *K. Marryattae* ab hac distinguere nequimus.)

In arenosis sylvarum ad fluv. Cygnorum, d. 3. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1095. (fl. et fr.)

„Frutex humifusus. *Flores* coccinei, vexillo basi aureo.“ Variat pube densiore v. rariore (in specim. nostris semper patula) foliolis margine plus minus undulato-crispulis v. omnino planis, pedunculis 2-rarius 1-v. 3-4-floris nonnunquam folium subsuperantibus, bracteis interdum inciso 2-3-fidis.*)

3. **Kennedya bracteata** *Gaudich?* in Freyc. Voy. p. 286, t. 113. Benth. in Ann. Wien. Mus. 2, p. 123. Walpers l. c.: stipulis foliaceis, late ovatis, acutis; foliolis 3 ellipticis, obtusis, subemarginatis, margine undulato-crispis, subtus ramulisque sericeo-pubescentibus; pedunculis paucifloris, bracteis connatis infundibuliformibus, leguminibus glabris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1098.

„Suffrutex procumbens.“ *Legumen* lineare, plano-compressum, sesquipollicare, 2½ lin. latum, laeve, 6-8-spermum. *Spectmina* manca, paulo recedentia foliolis acutato-mucronulatis, nec subemarginatis.

Mulhus. 1841, p. 13. (absque diagn.) fruticosa, volubilis, parce minuteque adpresse-puberula; stipulis lanceolatis, parvis; stipellis setaceis, petiolulos subaequantibus; foliolis 3 subaequalibus, petiolo subduplo longioribus, subovato-oblongis, obtusis v. emarginatis, muticis, basi rotundatis, margine planis; pedunculis folio longioribus; pedicellis racemosis, calyce brevioribus, apice minute bibracteolatis; calycis laxiusculi campanulati 4-fidi basi attenuati lobis tubo subtriplo brevioribus acutis, superiore late indiviso. — Planta pulchra, originis ignotae. Rami gracillimi, subfiliformes. Stipulae vix 2 lin. longae, subdeciduae. Petiolus totus 12-18 lin., usque ad foliola lateralia 10-12 lin. longus, petiolulis 1½ lin. longis. Foliola herbacea (nec coriacea) 18-25 lin. longa, infra medium latiora 6-9 lin. lata. Pedunculi circ. 3-pollicares, apice racemoso-pauciflori, pedicellis 2-3 lin. longis, bracteolis minutis obtusis. Flores magnit. et forma **K. rubicundae** (v. paululum minores) sed calyx multo minus pubescens (pube minuta, parca, adpressa) lobis brevioribus subacuminatis et corolla laete coccineo-sanguinea, vexillo basi macula sulphurea notato. Alabastra sericea, breviter rostrato-acuminata.

*) **Kennedya prostrata** R.Br. DC. prodr. 2, p. 388, n. 2, species circa Port Jackson vulgaris, etiam circa Port Philipp in ora australi crescit, fide specim. a cl. Latrobe lect. in Herb. Mus. Neocomens.

4. **Kennedya parviflora** *n. sp.*, prostrata, laxe pilosiuscula; stipulis herbaceis, ovatis, acutis, venoso-striatis, floralibus (bracteis) saepius 2-3-fidis; stipellis falcato-lanceolatis, petiolulos superantibus; foliolis 3 subaequalibus, petiolo parum brevioribus, late obovatis obcordatisve, muticis, margine planis, lateralibus subsessilibus; pedunculis bifloris, pedicellos subaequantibus, folium subsuperantibus; calycis corolla dimidio brevioris lobis tubum subaequantibus, superiore latiore breviter bifido.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. Herb. Preiss. No. 1099. et in summitate promontorii Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. No. 1084.

„Suffrutex procumbens." Habitus, pubescentia, stipulae, stipellae et foliolorum magnitudo *K. prostratae*, sed foliola semper plus minus obcordata, antice (nec basi) latiora, basi cuneata, margine plana, petioli et pedicelli longiores (10 lin. longi) flores dimidio minores et petala purpurea? (in sicco violacea) vexillo basi macula sulphurea notato. No. 1084. (specim. defloratum, sine fr.) recedit foliis glaberrimis et ramis glabrescentibus.

5. **Kennedya microphylla** *n. sp.*, fruticosa, humifusa, ramis glabris v. apice pilosis; stipulis herbaceis, ovatis, acuminatis, venoso-striatis, floralibus (bracteis) conformibus parvis, stipellis nullis; foliolis 3 subaequalibus, petiolo brevioribus, late obcordatis, mucronulatis, margine planis, venosis utrinque parce adpresseque pilosiusculis; pedunculis bifloris, cum pedicellis brevibus folium superantibus; calyce dimidiam corollam aequante, puberulo, lobis tubo sublongioribus acuminatis, superiore latiore brevissime bidentato.

In solo subcoenoso ad margines lacus Mathilda (Hay) d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1092.

Praecedenti characteribus plurimis florumque forma et colore conveniens, certe tamen praeter notas jam indicatas distincta ramulis e caulibus procumbentibus quasi fasciculatim nascentibus („caespitosis" Preiss in sched.) demum elongatis laxioribus; stipulis foliolisque duplo v. triplo minoribus (hisce 1½-3 lin. longis, 1½-4 lin. latis) pedicellis 1-2 lin. longis, basi bracteola solitaria stipulis conformi vix 1-1½ lin. longa fultis, calyce glabrescente corollaque fere ⅓ minoribus. *Legumen* sessile, lineare, acutum, plano-compressum, 10 lin. longum, 1½ lin. latum, rectum v. leviter arcuatum, leviter torosum et minute puberulum, fuscum, 6-8-spermum, suturis vix incrassatis. *Flores* hujus et praecedentis speciei omnino *Physolobii*, sed legumen compressum, nec inflatum.

PHYSOLOBIUM Benth. Endl. gen. n. 6643. Meisn. gen. comm. p. 352.

1. **Physolobium carinatum** *Benth.*? in Hügel Enum. p. 39, n. 115; Ann. Wien. Mus. 2. p. 124. Walpers repert. 1. p. 758: prostratum, stipulis bracteisque late ovatis, acuminatis, subconnatis; foliolis obovatis orbiculatisve, retusis, mucronulatis, margine subundulatis, subtus ramulisque pubescentibus; corollae carina apice geniculata obtusissima.

In solo sublimoso ad fluv. Vasse River (Sussex) m. Dec. 1839. fructiferum. Herb. Preiss. No. 1085.*)

„Frutex prostratus.“ *Flores* non vidimus, caet. vero in descript. l. c. bene quadrant.

2. **Physolobium elatum** *Hügel* Bot. Archiv. t. 2! Benth. l. c. n. 117. Walp. l. c.: erectum, stipulis ovatis v. cordatis, floralibus (bracteis) inciso-dentatis; foliolis ovatis, obtusis, mucronulatis, junioribus ramisque pilosiusculis, adultis glabratis; pedunculis 3-4-floris, summis folia superantibus paniculatis, carina alas subaequante.

In umbrosis arenosis sylvae prope Bassandeen ad fluv. Cygnorum, d. 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1089. fructif. et in solo sublimoso ad fluv. Canning prope Kelmscott, m. Sept. 1841. No. 1087. florif.

Foliola (ex ic. cit.) saepe ovato-oblonga et fere acuminato-acuta (in specim. nostris vero saepius subrotunda semperque obtusa v. retusa) flores $^1/_4$ majores et calycis lobi margine paucidentati (nobis semper integerrimi.) „Suffrutex 2-3-pedalis, erectus. *Flores* lateritii.“ *Bracteas* 2-3-fidas e stipulis semiconnatis conflatas esse, probatur specimine Preissiano in unius bracteae sinu foliolum genuinum nanum obcordatum gerente. *Legumen* subteres, obtusiusculum, 16-20 lin. longum, leviter arcuatum, reticulato-rugulosum, glabrum, suturis nerviformibus vix prominulis, valvis (ut in *Ph. carinato*) intus inter semina pellicula tenera alba septulatis.

ZICHYA Hügel. Endl. gen. n. 6642. Meisn. gen. comm. p. 352.

1. **Zichya villosa** *Lindl.*? in Bot. Reg. 1841, Misc. p. 41, n. 81. Walpers repert. 1. p. 758. foliolis ovatis, acutis, subtus pallidis ramisque villosis; corymbis densis, capituliformibus, longe pedunculatis; calycis lobis tubo brevioribus; carina alis aequali; stylo apice simplici.

In clivulo calcareo-arenoso ad portum Princess Royal Harbour, d. 1. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1086.

„Frutex prostratus.“ *Specimina* floribus carentia, haud certe determinanda; a diagnosi recedunt foliolis ($1^1/_2$-$2^1/_4$ poll. longis, 1-$1^1/_2$ poll. latis) truncato-obtusissimis cum mucronulo exiguo molli. *Pedunculi* fructiferi 5-6-pollicares, firmi, incurvi v. sigmoideo-flexuosi, persistentes. *Legumen* planocompressum, 2-$2^1/_2$-pollicare, 3-4 lin. latum, tomentosum, intus membranis teneris fuscis septulatum. *Semina* olivaceo-cinerea, nigro-maculata.

2. **Zichya glabrata** *Benth.* in Hüg. En. p. 40, adnot. Bot. Mag. t. 3956! Walpers l. c. p. 757: stipulis late ovatis,

---

*) **Ph. Stirlingii** Benth. l. c. n. 116. Walp. l. c.: erectum? stipulis bracteisque cordato-ovatis; foliolis late ovatis orbiculatisve, retusis, mucronatis, ramisque pilosis, demum glabrescentibus; pedunculis bifloris, carina alis breviore. — **Kennedya Stirlingi** Lindl. Bot. Reg. t. 1845! Swan River. James Drummond n. 270. — Forma multiflora, pedunculis axillaribus saepius ternis quaternisve inaequalibus, uno alterove plerumque longiore folium superante apice bis v. ter bifido, brevioribus apice 1 1-floris, bracteis superioribus inciso-tridentatis, foliis glabratis. Legumen non vidimus.

acutis; petiolis ramisque pilosis; foliolis cuneatis, mucronatis, glabris; pedunculis folia aequantibus, subsexfloris, bracteis deciduis.

Kennedya glabrata Lindl. in Bot. Reg. t. 1838!

In solo sublimoso-glareoso ad latus septentrionale montis Clarence (Plantagenet) d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1088.

„Frutex prostratus."

3. **Zichya sericea** *Benth.* l. c. p. 40, adnot.; Ann. Wien. Mus. 2. p. 123. Walp. l. c.: foliolis ovatis, obtusis, subrepandis, mucronatis, supra tenuiter, subtus dense sericeis; calycis lobis tubum aequantibus, carina alis breviore, stylo apice valde dilatato.

Kennedya dilatata Cunn. Bot. Reg. t. 1526, f. 2? ex Benth. l. c.

In arenosis ad latus orientale montis Baldhead, d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1096.

Frutex volubilis! („prostratus" fide Preiss in sched.) *Capitula* 15-20-flora. *Calyx* pedicello longior, pube densa fusca sericeo-villosus. *Corolla* „coccinea", carina atropurpurea. *Caet.* diagnosi l. c. bene congrua. An a *Z. tnophylla* Benth. satis distincta?

4. **Zichya tricolor** *Lindl.* in Bot. Reg. 1839, t. 52! Walp. l. c.: foliolis ovato-oblongis obtusis v. acuminato-mucronulatis, utrinque (praecipue subtus) sericeis; calyce adpresse fulvo-villoso, vexillo cuneato, alis carina obtusissima longioribus, stigmate minuto. ....

In solo sublimoso sylvae ad fluv. Canning prope Kelmscott, m. Aug. 1841. Herb. Preiss. No. 1097. (Drummond n. 272 et coll. I.)

Praecedenti simillimae, sed pedunculi minus elongati, flores laxius umbellato-corymbosi (nec subcapitati) pedicelli calycem subaequantes, et stigma haud dilatatum. „Frutex scandens."

5. **Zichya Molly** *Hügel* Bot. Archiv t. 1! Enum. p. 40, n. 118. Walp. l. c.: foliolis obovatis, obtusis, subrepandis, infimis ovato-lanceolatis acutis, subtus tenuiter pubescentibus; calycis lobis tubo brevioribus, carina alas subaequante, stylo apice vix dilatato.

In limoso-calculosis sylvae inter Greenmountain et Halfwayhouse (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1090, ex parte.

„Frutex scandens." *Rami* glabri, inferne nonnunquam flexuosi, juniores pedunculique pube brevi *patente* aureo-fusca densissime villosi. *Folia* ovalia, obtusissima, saepe retusa, usque ad 2 poll. longa et 12-14 lin. lata. *Pedunculi* 3-4-pollicares.

6. **Zichya angustifolia** *Lindl.* in Bot. Reg. 1839, adnot. ad t. 52. Walp. l. c.: foliolis anguste oblongis, basi latioribus, supra nitidis glabriusculis, subtus adpresse pilosis; calyce adpresse fulvo-villoso, petalorum unguibus longiore; vexillo obcordato, alis carina obtusissima longioribus; ovario praeter dorsum puberulum glabro, stigmate minuto.

Cum praecedente lecta et in Herb. Preiss. sub No. 1090 commixta.

„Frutex scandens.“ *Rami* inferne glabri, juniores cum petiolis pedunculisque pube brevi *adpressa* fulvo-sericei (nec villosi.) *Foliola* ovato-oblonga v. lanceolata, acutiuscula, 1-1½ poll. longa, 4-7 lin. lata. *Pedunculi* 1½-2½-pollicares. *Caet.* omnia *Z. Molly*, an igitur potius ejus var.?*)

HARDENBERGIA Benth. Endl. gen. n. 6644. Meisn. gen. comm. p. 352.

1. **Hardenbergia Comptoniana** *Benth.* in Hügel Enum. p. 41, n. 120. Walpers repert. 1. p. 758. *Glycine Comptoniana* Bot. Reg. t. 290! *Kennedya Comptoniana* Link. DC. prodr. 2. p. 383, n. 3.

In arenosis umbrosis secundum fluvium Cygnorum prope oppidum Freemantle, d. 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1094.**)

„Frutex scandens.“

2. **Hardenbergia Lindleyi** *nob.*, foliis 3-5-foliolatis, foliolis ovato-oblongis obtusis, terminali longius petiolato; stipulis anguste triangularibus; racemis pedunculatis, folio longioribus, multifloris, vexillo acuto.

α **trifoliolata**, foliis omnibus 3-foliolatis.

In arenosis sylvae ad fluv. Cygnorum. d. 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1093, ex parte (Drummond n. 271.)

β **digitata**, foliis aliis 3-aliis digitato-5-foliolatis. (Preiss. No. 1093, ex parte.) — *H. digitata* Lindl. in Bot. Reg. 1840, Misc. p. 66, n. 142, t. 60! Walpers l. c. p. 758.

Nomen a cl. Lindley datum, quum nonnisi peculiari plantae statui conveniat, speciei servare non potuimus. *Spectmina* Preissiana, in eodem

---

*) **Zichya? Latrobeana** n. sp., pumila, procumbens, ramis filiformibus cum petiolis pedunculisque breviter denseque retrorsum pilosis; stipulis parvis, ovatis, obtusis; foliolis 3 petiolo parum brevioribus, subsessilibus, obovato-subrotundis oblongisve, muticis, planis, supra glabris, subtus adpresse subsericeo-pilosis, stipellis nullis; pedunculis folio triplo longioribus, apice racemoso-paucifloris, floribus subsessilibus parvis; calyce subsericeo, breviter 4-fido, labio superiore latiore brevissime bidentato; vexillo orbiculari, emarginato, carina alis, breviore. *α* foliolis suborbicularibus v. obovatis, obtusis v. retusis. *β* foliolis oblongo-lanceolatis subacutis. Utramque formam circa Port Philipp legit cl. Latrobe (Herb. Mus. Neocom.) Herbacea? v. suffruticosa, ramis digitalibus v. spithamaeis debilibus; pube omnium partium adpressa, subsericea, ramorum foliorumque albida, pedunculorum densiore flavescente. Stipulae lineam longae, submembranaceae, venoso-striatae. Petioli 10-12 lin. longi. Foliola in var. *α* 3-5 lin. longa, 2½-4 lin. lata, in *β* 6-8 lin. longa, 2-3 lin. lata, venis pinnatis supra conspicuis. Pedunculi axillares, solitarii, 3-4½ poll. longi, apice 5-8-flori, bracteis exiguis pedicello vix ½-⅔ lin. longo subbrevioribus obtusis. Flores 1-2½ lin. ab invicem distantes, illis **Z. glabratae** ⅓ minores. Calyx 2 lin. longus, fuscus, basi rotundatus et minute bibracteolatus, pilosiusculus, campanulatus, lobis tubo brevioribus triangularibus acutiusculis. Vexillum subrotundum, emarginatum, unicolor, alaeque lateritiae carina atropurpurea obtusissima longiores. Stigma minutum, capitatum. Legumen non vidimus.

) **H. ovata Benth. l. c. — **Kennedya ovata** Sims. Bot. Mag. t. 3169. DC. l. c. n. 6. — Port. Philipp, cl. Latrobe. (Herb. Mus. Neocom.)

ramo folia 3- et 5-foliolata gerentia, caeterum Iconi et descr. l. c. perfecte congrua sunt. „Frutex scandens.“ *Foliola* 2 accessoria, reliquis minora, non, ut in aliis quibusdam Leguminosis, e stipellarum transformatione oriuntur, quum stipellae verae ac immutatae ad eorum basin adsint! *Racemi* saepe 8-10-pollicares, basi interdum ramulum itidem aphyllum racemoso-floriferum emittentes. „*Flores* coerulei, nec violacei.“ *Legumen* glabrum, subteres, 20 lin. longum, diametro 4 lin., laeve, haud torosum, 1-loculare, 6-spermum, valvis intus laevissimis nec septuligeris. *Semina* concolora, olivacea, subnitida, strophiola tumida.

ROSACEAE. Iuss. Endl. gen. pag. 1240.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Subordo II. DRYADEAE Vent. Endl. gen. pag. 1241. Sanguisorbeae Endl. l. c. §. 4.

ACAENA Vahl. Endl. gen. no. 6372. Meisn. gen. pag. 105. (74.) Sect. b. Aucistrum Endl. l. c.

1. **Acaena echinata** *n. sp.*, floribus glomeratis in spica cylindrica basi interrupta dispositis, caule erecto, foliis oblongo-lanceolatis pinnatifidis subtus bracteisque hirsutis, spinis calycis conicis inaequalibus simplicibus (haud uncinatis).

In rupestribus umbrosis ad latus orientale montis Brown (York) d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2395.

Acaenae pinnatifidae R. et Pav. subsimilis, differt imprimis calycis crassioribus acutis neque hamatis inaequalibus, et spica glomerata.

CHRYSOBALANEAE R.Br. Endl. gen. pag. 1251.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

STYLOBASIUM Desf. Mém. du Mus. V. pag. 37 tab. 2. Endl. gen. no. 6417. Meisn. gen. pag. 101 (72.)

1. **Stylobasium lineare** *n. sp.*, foliis linearibus, floribus in apicibus ramorum racemosis, pedunculis folio bracteali longioribus minute bracteolatis.

In arvis cessatis Peninsulae (Perth) Sept 1839 et in solo limoso prope oppidulum York Martio mense. Herb. Preiss. No. 2383 et 2384.

„Fruticulus tripedalis, erectus, ramosus glaucus“ Olyrae habitu. *Folia* linearia, obtusa, basi attenuata, canaliculata, glaberrima, integerrima, inferiora pollicaria, lineam lata, superiora ramorum decrescentia et angustiora. *Rami* superiores decrescentes apicem fruticuli ramive primarii racemi compositi microphylli specie terminant. *Pedicelli* 2-4 lin. longi uniflori, bracteolis 2-3 alternis exiguis subulatis praediti.

Differt imprimis a *Stylobasto spathulato* foliis angustioribus et pedunculis longioribus.

MYRTACEAE RBr.

(Auctore J. C. Schauer.)

Tribus I. Chamaelaucieae DC.

Germen uniloculare. Capsula mono-vel oligosperma, indehiscens vel apice demum fatiscens. Schauer, Monogr. Myrt. xeroc. Sect. I. in Act. Acad. Nat. Curios. XIX. Suppl. II.

ACTINODIUM Schauer l. c. p. 175.

1. **Actinodium Cunninghami** *Sch.* l. c. *Triphelia brunioides R.Br.* Mss. sc. Endl. En. pl. Hügel. pag. 48.

In rupestribus ad King George's Sound. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 432.

GENETYLLIS DC. Schauer l. c. p. 177. (Polyzone, Genetyllis et Hedaroma Endl. gen. n. 6283—6285.)

1. **Genetyllis diosmoides** *DC.* floribus sessilibus in capitulum multiflorum subglobosum collectis, foliis subfloralibus reliquis conformibus, calycis inferiore parte polyzonata, limbi dentibus exiguis sinu lato disjunctis, staminodiis filiformi-subulatis staminibus paullo brevioribus, stylo aspergilliformi-barbato, foliis laxe imbricatis confertis linearisubtetraquetris. DC. Prodr. III. pag. 209. Mém. Myrt. pag. 20 tab. 2! Schauer, l. c. pag. 180. tab. II. fig. A.

In rupestribus graniticis circa portum Princess Royal Harbour ad oppidulum Albany, Septembri exeunte a. 1840 flor. Herb. Preiss. No. 223.

2. **Genetyllis vestita** *Endl.* floribus pedicellatis in capitulum multiflorum subglobosum congestis, foliis subfloralibus quarum auctis herbaceis coloratis, calyce 5-costato laevi, limbi dentibus minimis sinu lato disjunctis, staminodiis

filiformi-subulatis staminibus longioribus, stylo aspergilliformi-barbato, foliis dorso vernicoso-nitentibus imbricatis obovato-oblongis. Endl. En. pl. Hügel. pag. 47. Schauer l. l. pag. 182.

In limosis ad radices montium Darling's-range Herb. Preiss. No. 433.

3. **Genetyllis citriodora** *Endl.* floribus sessilibus paucis confertis foliis subfloralibus reliquis conformibus coloratis absconditis, calycis tubo subpentagono infera parte lineis undulatis exsculpto, limbi dentibus conspicuis subcontiguis, staminodiis liguliformibus truncatis stamina subaequantibus, stylo barbulato, foliis glaucescentibus dorso pallidioribus oppositis oblongis lanceolato-acuminatis revolutis. Schauer l. c. pag. 183. tab. II. fig. C. *Hedaroma latifolium* Lindl. Swan River Bot. pag. VII. n. 15. tab. II. fig. B.

In rupestribus vallis catarractae ad caput fl. Cygnorum, et ad promontorium Cape-Riche, Julio a. 1839. Herb. Preiss. No. 2014.

CHAMAELAUCIUM Desf. Schauer l. c. p. 194. Endl. gen. n. 6280.

1. **Camaelaucium ciliatum** *Desf.* ramis abbreviatis, foliis oppositis fasciculato-confertis lineari-trigonis, floribus axillaribus, bracteolis basi secedentibus deciduis, stylo imberbi. Schauer l. c. pag. 195. Desf. in Mém. du Mus. d'hist. nat. V. pag. 40. tab. 3. fig. B 1—5.

Lect. ad Sinum Regis Georgii III. in declivitate orientali montis Baldhead, inter frutices. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 360.

Calycis phylla tenuiter fimbriata, nec ciliata. *Staminodia* petaloidea, linearia, staminibus longioribus per paria juxtaposita.

2. **Chamaelaucium uncinatum** *Schauer.* ramis gracilibus; foliis oppositis, distantibus, lineari-trigonis, apice pungente recurvo; floribus corymbosis; bracteolis caducis, pellucidis, cucullatis, citra verticem callosis; calycis phyllis minutis truncatis petalisque integerrimis fugacibus; staminodiis subulatis, laevibus, stylo barbato.

In clivulis arenosis haud procul ab ora maris prope oppidulum Freemantle. Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 359. (Planta rara!)

„Frutex 5-pedalis", ramosus, glaberrimus. *Folia* internodiis duplo fere longiora, subsemiteretri-trigona in basin sensim attenuata, stricta, 6-8 lin. longa, trientem lineae lata, pallide viridia. *Pulvini* foliorum vix manifesti. *Flores* in summis ramulis hornotinis corymbosi. *Bracteolae* argenteae vertice purpuratae. *Hypanthium* obconicum, 10-costatum, ore dein truncato 2 lin. longum. *Petala* minuta, orbicularia, alba. *Stamina* declinata subinaequalia, corolla breviora; connectivum antheram glandula conspicua capitata supereminens. *Stylus* infra stigma corona pilorum barbatus.

VERTICORDIA DC. Schauer l. c. pag. 197. tab. IV. B. Endl. gen. n. 6279.

1. **Verticordia Fontanesii** *DC.* corymbo composito, tubo calycis obconico-hemisphaerico argenteo-piloso, lobis sessilibus palmatifidis, lobulis fimbriato-incisis, petalis dorso puberulis integris, staminodiis ligulaeformibus, stylo exserto uncinato barbato, bracteolis connatis obtuse apiculatis dein diruptis deciduis, foliis fasciculatis filiformi-semiteretibus inermibus sessilibus. Schauer l. c. pag. 199. n. 1. DC. Prodr. III. p. 209.

In rupestribus illustribus silvae prope villam Spencer ad Sinum Regis Georgii III. frutex quadripedalis; in arenosis planitiei Molloy's plain dictae, districti Sussex: specimina 4-pollicaria, e stirpe anno superiori igne absumta rediviva. Floret Septembri—Decembri. Herb. Preiss. No. 172 et No. 174.

2. **Verticordia densiflora** *Lindl.* corymbo composito, tubo calycis hemisphaerico-turbinato argenteo-piloso, lobis unguiculatis palmatifidis, lobulis dense pinnatifido-plumosis, petalis dorso pubescentibus integris, staminodiis subulatis, stylo exserto arcuato barbato, bracteolis distinctis muticis caducis, foliis abbreviatis fasciculatis lineari-subtriquetris inermibus sessilibus. Schauer l. c. pag. 202. n. 3. Lindl. Swan River Bot. pag. VI. n. 11.

In depressis arenosis silvae cis oppidulum Guilford, et in solo sublimoso inter gramina planitiei prope Toby's inlet, Januario 1840. Herb. Preiss. No. 180.

„Frutex 2-3-pedalis."

3. **Verticordia Drummondii** *Schauer.* racemo subsecundo, tubo calycis obconico glabro, lobis palmatifidis, lobulis longe aristatis pennato-plumosis, petalis subscariosis ovatis multinerviis serratis apice fimbriato-incisis glabris, staminodiis subulatis glabris staminibus duplo brevioribus, stylo exserto uncinato aspergilliformi-barbato, bracteolis caducis dorso corniculatis, corniculis rectis, foliis imbricatis spathulatis infra apicem calloso-mucronatis cartilagineo-serratis. Schauer l. c. p. 208. n. 7. tab. IV. B. fig. 8 et 9.

In depressis arenosis silvae cis oppidulum Guilford, Januario. Herb. Preiss. No. 171.

„Frutex bipedalis."

4. **Verticordia Lindleyi** *Schauer.* racemo aequali, tubo calycis obconico glabro, lobis palmatifidis, lobulis linearisubulatis aristatis pennato-plumosis, petalis ovatis multinerviis apice inciso-3-5-dentatis ceterum integerrimis dorso subvelutinis, staminodiis e basi latiore subulatis glabris stamini aequantibus, stylo incluso arcuato aspergilliformi-barbato, bracteolis caducis dorso corniculatis, corniculis rectis patentibus, foliis laxe imbricatis obovatis oblongisve infra

apicem mucronatis cartilagineo-denticulatis. Schauer l. c. pag. 210. n. 8.

In turfoso-arenosis exsiccatis planitiei, in silva haud longe a villa cel. Irwin, superioris praefecti excubiarum, Julio deflor. lect. Herb. Preiss. No. 170.

„Frutex pedalis."

5. **Verticordia pennigera** *Endl.* racemo subsecundo, tubo calycis turbinato glabro, lobis palmatifidis, lobulis linearibus breviter cuspidatis pennato-plumosis, petalis cuneatis multinerviis apice inciso-acute-dentatis ceterum integerrimis dorso velutinis, staminodiis lineari-subulatis glabris stamina excedentibus, stylo vix exserto arcuato plumoso-barbato, bracteolis caducis dorso corniculatis, corniculis arcuatis convergentibus; foliis imbricatis linearisemiteretibus infra apicem mucronatis cartilagineo-denticulatis. Schauer l. c. pag. 212. n. 9. Endl. Enum. Plant. Hügel. pag. 46.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis; in clivulosis arenosis inter frutices silvae prope Bassandeen ad fl. Cygnorum. Flor. Novembri. Herb. Preiss. No. 182 et No. 183[b].

6. **Verticordia (Catocalypta) Lehmanni** *Schauer.* corymbo simplici compacto; hypanthio turbinato, basi hispidulo, appendiculis calycis capillari-multifidis reversis involucrato; calycis phyllis palmato-multifidis, lobulis simplicibus aristaeformibus: medio subulato, cuspidato, incurvato: reliquis capillaceis, divaricatis; petalis subscariosis, ovatis, apice triaristatis; staminodiis subulatis, integerrimis, glabris; stylo exserto, infra apicem reduncо ibidemque externe barbato; stigmate minute capitato; bracteolis muticis caducis; foliis laxe-imbricatis, lineari-triquetris, inermibus.

In arenosis planitiei Molloy's plain districti Sussex, et circa Sinum Regis Georgii III. Floret Decembri. Herb. Preiss. No. 166.

Fruticulus elegantissimus, pedalis, gracilis, paucirameus, glaberrimus. *Ramuli* tenues, laete fusci, laeves, superiorum paria remota. *Folia* internodiis nunc ipsis duplo brevioribus, nunc aequalibus, nunc longioribus interstincta, 4 lineas Par. circiter metientia; carina subarguta cum latusculis laevis; color laete viridis. *Pulvini* foliorum vix manifesti. *Alabastra* oblonga. *Bracteolae* tenuiter membranaceae, fusco-viridulae. *Hypanthii* pars fertilis 10-costata; faux subaequalis paullo ampliata. *Involucri* coma argenteo-nitens. *Calycis phylla* et *corolla* dilute lilacina. *Petalorum lamina* integra, lineam longa, concava, aristis tribus ipsam longitudine aequantibus denticuloque uno alterove accedente terminata. *Staminodia* punctata, semilinea vix longiora, incurvo-conniventia, stamina fere duplo superantia. *Stylus* 2 lineas longus; stigma exiguum atropurpureum.

7. **Verticordia Hügelii** *Endl.* corymbo simplici, tubo calycis subturbinato inferne hispidulo appendiculis loborum capillari-bipinnatifidis reversis coma quasi induto, lobis multifidis, lobulis capillari-pinnatifidis bipinnatifidisque, intermediis apice longe nudis aristaeformibus exsertis, petalis scariosis margine superiori fimbriatis, staminodiis petaloideis apice fimbriato-laceris, stylo subexserto piloso-barbato;

stigmate amplo disciformi, bracteolis muticis caducis, foliis fasciculatis lineari-semiteretibus inermibus. Schauer l. c. pag. 213. n. 10. Endl. Enum. Plant. Hügel. pag. 16. n. 143.

In depressis arenosis ad radices montium Darling's-range dictorum, Octobri m. florens. Herb. Preiss. No. 177.

„Fruticulus pedalis et ultra."

8. **Verticordia compta** *Endl.* corymbo simplici, tubo calycis obconico inferne hispidulo toto recondito sub involucro a limbo reverso pentaphyllo comato, lobis multifidis, lobulis lineari-subulatis apice aristaeformi exsertis plumoso-pinnatifidis, petalis scariosis margine superiori fimbriatis, staminodiis subpetaloideis laceris, stylo incluso imberbi, stigmate capitato, bracteolis muticis caducis, foliis subremotis obovato-triquetris compressis carina laevibus recurvato-mucronulatis. Schauer l. c. p. 215. n. 11. Endl. in Annal. d. Wiener Mus. II. p. 194.

In lapidosis ad radices montium jugi Darling's-range dicti, Novembri florens. Herb. Preiss. No. 168.

„Frutex 3-4-pedalis."

9. **Verticordia insignis** *Endl.* corymbo simplici, tubo calycis obconico basi hispidulo; toto recondito sub involucro reverso pentaphyllo comato, lobis multifidis, lobulis lineari-subulatis apice aristaeformibus inferius plumoso-pinnatifidis, petalis subscariosis margine superiori fimbriatis, staminodiis ligulaeformibus lacero-fimbriatis, stylo incluso imberbi, stigmate capitato, bracteolis muticis caducis, foliis subremotis obovato-triquetris compressis carina denticulatis submucronatis. Schauer l. c. pag. 217. n. 12. tab. IV. B. fig. 10—12. Endl. Enum. Plant. Hügel. pag. 47. n. 145. Lindl. Swan-River tab. II. A.

In limoso-arenosis inter frutices supra oppidulum Guilford. Floret Octobri. Herb. Preiss. No. 167.

10. **Verticordia (Catocalypta) habrantha** Schauer: corymbo simplici; hypanthio turbinato, hispidulo, sub involucro comato reverso abscondito; phyllis calycis palmato-5-partitis, lobulis subulato-aristaeformibus; petalis mollibus, inaequaliter denticulatis; staminodiis petaloideis, basi confluentibus, palmato-7-aristatis; stigmate subcapitato, laevi, sessili; foliis imbricatis, obovato-triquetris, inermibus.

In solo subarenoso inter frutices planitiei secundae cis fluvium Gordon (Hay). Fl. Novembri. Herb. Preiss. No. 169.

Fruticulus videtur virgatus, ramis strictiusculis. *Ramuli* fusci, glabri, resinoso-punctati. *Folia* laxe quadrifariam imbricata, brevia, argute carinata, glabra, linea vix majora, sicca aeruginosa. *Corymbuli* pauciflori. *Pedunculi* erecti, semuncia paullo breviores. *Involucrum* ad modum *V. insignis* confectum, argenteo-nitens. *Hypanthium* 10-costatum *Calycis phylla* reflexa. *Corolla* insignis, erecto-patens; petala suborbicularia, luteola, facie velutino-micantia et punctis saturatioribus maculata, sesquilineam longa. *Staminodiorum* lamina lata sed trientem lineae tantum alta; aristae quam

lamina duplo longiores, capillares, inflexae. *Filamenta* laminam staminodiorum paullo excedentia. Connectivum fere *V. insignis.*

11. **Verticordia acerosa** *Lindl.* corymbo laxo composito, tubo calycis turbinato glabro, lobis 5-partitis, lobulis subulatis pinnatifido-plumosis, petalis coriaceis palmato-7-9-fidis; staminodiis petaloideis oblongo-lanceolatis pectinato-serratis, connectivo apiculo brevissimo antheram superante, stylo recto imberbi andronitide longiori, bracteolis muticis caducis, foliis dense confertis semitereti-acerosis mucronatis. Schauer l. c. pag. 220. n. 14. Lindl. Swan River. Bot. pag. VI. n. 10.

In calculosis limosis ad radices montium Darling's-range, Decembri florens. Herb. Preiss. No. 176.

„Frutex 1-3 pedalis."

12. **Verticordia (Chrysoma) Preissii** *Schauer.* corymbo laxo composito; hypanthio obconico; glabro; phyllis calycis 5-partitis, lobulis linearibus pennato-plumosis; petalis mollibus, palmato-7-fidis; staminodiis petaloideis, lanceolatis, superius inaequaliter tridentatis; connectivo oblongo, antheram semiamplectente, callo brevi terminato; stylo recto, imberbi, stamina subaequante; bracteolis muticis, caducis; foliis oblique mucronatis: inferioribus fasciculato-confertis, semitereti-acerosis: superioribus approximatis, sensim latioribus, ovalibus, integerrimis.

In rupestribus terrae superioris cis Halfway-house, alt. 984 pedum. Floret Septembri. Herb. Preiss. No. 175.

„Frutex pedalis," squarrosus. *Ramuli* inferiores steriles breves foliisque fasciculatis acerosis, 3 lin. longis, consiti; superiores floriferi bracchiati, scabro-hirtelli, foliis duplo brevioribus et latioribus instructi. *Pedunculi* longe exserti, flaccidi et cum flore 3 lin. lato pulcherrime aurei. *Calyx* et *petala* aequalia, reflexa; horum laciniae capillares. *Staminodia* staminibus longioribus triente breviora, brevioribus aequalia et cum his erecta, incurva, sinubus latis filamenta excipientibus distincta, lanceolata, infra apicem utrinque uni- rarius bidentata. *Filamenta* longiuscula, filiformia, alterna breviora. Anthera nutans. *Gemmulae* geminatae, appositae.

13. **Verticordia (Chrysoma) Endlicheriana** *Sch.* corymbo subsimplici, conferto; hypanthio turbinato, glabro; phyllis calycis 5-partitis, lobulis subulatis aristatis pinnatifido-plumosis; petalis coriaceis, palmato-7-partitis; staminodiis petaloideis, lanceolatis, integerrimis, acuminatis, conniventibus; connectivo oblongo, antheram semiamplectente apiculoque brevi cucullato terminante; stylo recto, imberbi, stamina subaequante; bracteolis muticis, caducis; foliis imbricatis, oblique mucronatis: inferioribus semitereti-acerosis: superioribus ovalibus subcarinatis integerrimis.

In rupestribus collium Konkoberup ad promontorium Cape-Riche, et in solo subarenoso inter frutices planitici cis fluvium Gordon (Hay). Flor. Novembri. Herb. Preiss. No. 179 et 181.

Fruticulus demissus, ramis sterilibus brevibus fasciculato-foliosis, floriferis confertis subfastigiatis, ramulis fuscis scabro-hirtellis. *Folia* quadrifariam imbricata, acerosa 3-4 lin., ovalia sesquilineam longa, omnia glaber-

rima nitidula. *Corymbuli* pauciflori; pedunculi folium subtendens quadruplo superantes, erecti. *Flores* 3 lin. lati, flavi, siccando nigrescentes. *Petala* adscendentia, fimbriis subulatis. *Staminodia* ab invicem satis distantia, stamina subaequantia et cum his declinatis conniventia. *Gemmulae* binae.

14. **Verticordia nitens** *Schauer.* corymbo composito multifloro condensato, tubo calycis turbinato glabro, lobis palmato-9-fidis, lobulis pennato-plumosis, petalis subcartilagineis ovatis margine superiori inciso-fimbriatis, staminodiis lineari-subulatis integerrimis, connectivo in galeam cristatam antherae imminentem extenso, stylo incluso imberbi, bracteolis muticis caducis, foliis filiformi-teretibus oblique mucronatis patulis. Schauer l. c. pag. 223. n. 16. tab. IV. B. fig. 1—5. *Chrysorrhoë nitens* Lindl. Bot. Mag. Comp. II. pag. 357.; Swan River. Bot. tab. I.

In planitie arenosa supra oppidulum Guildford. Flor. Januario. Herb. Preiss. No. 173.

15. **Verticordia chrysantha** *Endl.* corymbo paucifloro, tubo calycis brevi hemisphaerico glabro, lobis multifidis, lobulis lineari-subulatis pinnatifido-plumosis, petalis subcartilagineis margine superiori longe fimbriato-partitis, staminodiis linearibus petaloideis apice inaequaliter tridentatis, connectivo turgido ultra antheram apiculo tumido breviter producto, stylo incluso imberbi, bracteolis muticis persistentibus, foliis filiformi-teretibus subuncinato-mucronatis patulis. Schauer l. c. pag. 225. n. 17. Endl. Ann. d. Wiener Mus. II. pag. 195.

Var. *α* **Boëi:** staminodiis angustioribus, superne inaequaliter tridentatis ramulisque vernicosis. *V. chrysantha* Endl. et Schauer ll. cc.

Var. *β* **Preissii:** staminodiis imbricatis, obovatis, acutiusculis, opacis; ramulis scabro-hirtellis, subvernicosis.

In regionibus interioribus Australiae austro-occidentalis. Floret Octobri. Herb. Preiss. No. 178. *)

---

*) **Thryptomene** Endl. Gen. n. 6277. Schauer l. c. pag. 232. tab. VI. A. Hujus generis speciem nullam quidem retulit cl. *Preissius*, nihilo tamen minus quae de eo observanda habeo hisce pagellis inserere juvat. Quum enim *Baeckeam saxicolam* nuperrime vivam examinare licuerit, cognovi eam *Thryptomenes* esse speciem. *Astreae* genus, quod, nomine insuper a Klotzschio pro genere Euphorbiacearum anticipato, eae superstruxeram (v. Linnaea XVII. pag. 238.), idcirco abolendum, species nova vero sequentibus est describenda. 1) **Thryptomene saxicola** Schauer. foliis laxe quadrifariam imbricatis, deinque recurvo-patulis, planis, obovato-oblongis muticis; pedunculis folium subaequantibus subexsertisve. **Baeckea saxicola** A. Cgh., Bot. Mag. 3060. Habitat in Nova-Hollandia austro-occidentali (v. v. c.) Floret in tepidario ineunte vere. Frutex in hortis 3-4-pedalis, erectus, virgatus, glaber. *Rami* tetragoni, phyllopodiis marginantibus linearibus helvolis. *Folia* coriacea, margine cartilagineo pellucido minute serrulato cincta, scabriuscula, obtusa vel subacutiuscula uninervia, 2 lin. circiter longa, superius unam lineam lata, laete viridia, in petiolum brevem planum appressum pallidumque abeuntia. *Flores* infra apicem ramulorum hornotinorum pauci, axillari-racemosi. *Bracteolae* scariosae, lanceolatae, canaliculatae, punctatae, hypanthium subaequantes, fugaces. *Hypanthium* coaretato-turbinatum, viride, rugulosum. *Limbus calycinus* petaloideus, co-

LHOTSKYA Schauer l. c. Endl. gen. n. 6276.

1. **Lhotskya ericoides** *Schauer.* floribus spicato-racemosis, calyce glabro, foliis exstipulatis confertissimis tritetraquetris inermibus glabris. Schauer l. c. pag. 235. n. 1. tab. VII.

In rupestribus lateris orientalis montis Clarence (alt. 300 ped.) inque montosis ad sinum Two-peopled-Bay. Flor. Novembri. Herb. Preiss. No. 222.

2. **Lhotskya acutifolia** *Lindl.* floribus spicato-racemosis, calyce glabro, foliis stipulatis confertissimis triquetris subpungenti-acuminatis glabris. Schauer l. c. pag. 236. n. 2. Lindl. Swan River. Bot. pag. VII. n. 13. Walker-Arnott in Hook. Journ. II. tab. XV.

In rupestribus ad radices montis Melville prope oppidulum Albany, Octobri florens. Herb. Preiss, No. 224.

„Frutex 1-1½ pedalis, ramis quandoque decumbentibus."

3. **Lhotskya brevifolia** *Schauer.* glaberrima; floribus axillaribus spicatis; bracteolis hypanthium aequantibus, usque ad medium connatis, apice subrecurvis, carinatis, apiculatis, disco lanceolato resinoso-punctato; foliis exstipulatis, imbricatis, brevissimis, subsessilibus, trigonis, acutiusculis, muticis, laevissimis, lucidis.

Hab. in Nova-Hollandia occidentali ad Fluv. Cygnorum Herb. Preiss. No. et J. Drummond.

Frutex pede minor, multicaulis, ramis ramulisque gracillimis, *Folia* sparsa, plurifariam imbricata vel in ramulis vegetis remotiuscula arrecta, lineam-sesquilineam longa, facie oblonga planiuscula argute marginata, dorso argute carinato punctato, superficie tota laete-viridi laevissima nitida. *Flores* parvi, infra apices ramulorum hornotinorum axillari-spicati. *Bracteolae* scariosae, subcoloratae. *Hypanthium* vix lineam longum, oblongum, fere estriatum, limbo calycino coronatum brevissimo patellari truncato phyllis vix distinctis; *corolla* sesquilinea paullo longior lilacina, petalis lanceolatis acutis.

---

rollae concolor, lobis 5 discretis erecto-patulis. *Corolla* dilute rosea; petala imbricata, sub anthesi conniventia calycemque nonnihil excedentia, ante post eam depressa. *Stamina* 10. per paria petalis anteposita, uno alterove abortivo saepe 6-8, super discum epigynum carnosum planum inclinata, circa stylum brevem convergentia. *Antherae* didymae, loculis obovoideis e connectivo glandula capitata excavata flava quasi pendulis fuscis rima transversa in medio fronte dehiscentibus, - (quod corrigas in charactere generis l. c. a nobis edito). *Gemmulae* geminae, adpositae, in antro germinis prorsus immersi depresso arctissimoque horizontales, spermophoro exili juxta basin unilaterali inserta. 2. **Thryptomene australis** Endl. (Schauer l. c. p. 233. Ann. des Wiener Mus. II. p. 192.) foliis quadrifariis, arrectis, carnosis, subsemiteretibus, sursum paullo incrassatis, mucrone reverso-terminatis; pedunculis brevissimis. Habitat in interioribus Novae-Hollandiae austro-occidentalis: Ros! (v. s. spont. in Herb. C. Vindb.) Habitu et inflorescentia priori admodum similis.

CALYCOTHRIX Labill. Schauer l. c. Endl. gen. n. 6275.

1. **Calycothrix curtophylla** *A. Cunningh.* glaberrima, foliis imbricatis brevibus oblongis obovatisve carinatis obtusis petiolatis, bracteolis basi connatis herbaceis margine scariosis carinatis cuspidatis cuspide dimidium tubi calycis excedente, floribus octandris corymbosis; aristis corolla ter fere longioribus. Schauer l. c. pag. 242. n. 3. Bot. Mag. 3323. n. 3.

In arenosis sublimosis inter frutices planitiei ad radices montium Darling's-range, inque solo subturfoso silvae illustris prope oppidulum Albany, Octobri deflorata. Herb. Preiss. No. 191.

Stamina 8-9. *Petala* amoene violacea.

2. **Calycothrix Leschenaultii** *Schauer.* glaberrima; foliis quadrifariam imbricatis, brevibus, ovato-triquetris, muticis, marginibus scabriusculis, subsessilibus; bracteolis usque ad medium connatis, subherbaceis, marginibus scariosis, subventricosis, carinatis, breviter acuminatis, hypanthio quadrante brevioribus; floribus 8-13-andris, corymbosis; aristis corollam duplo excedentibus.

In arenosis planitiei secundae cis fluvium Gordon (Hay.) Flor. Novembri. Herb. Preiss. No. 192.

Ramuli subtortuosi, grisei coloris. *Folia* sessilia vel petiolo lato brevissimo insidentia, lineam longa, pallide viridia atque opaca. *Corymbi* copiosi, pleianthi. *Bracteolae* inferne in stipitem angustum connatae, disco herbaceae punctatae, marginibus superne latiusculis scariosis minute denticulatis complexae, ampliusculae, 3 lin. circiter longae. *Hypanthium* tubulosum gracile, 4 lin. longum; *phylla calycis* obcordata, purpurascentia; aristae capillares, flexuosae. *Petala* elliptico-lanceolata, acuta, pulchre violacea, 2 lin. longa. *Stamina* inter numerum octonarium et denarium ternarium variantia.

3. **Calycothrix glutinosa** *Lindl.* glabra, foliis filiformi-triquetris inermibus petiolatis, bracteolis scariosis glutinosis acuminatis ultra medium connatis tubo calycis paullo brevioribus, floribus decandris corymbosis, aristis corolla duplo longioribus. Schauer l. c. pag. 243. n. 4. Lindl. Swan River. Bot. pag. V. n. 6.

In calculosis montium Darling's-range. Floret Novembri. Herb. Preiss. No. 196.

4. **Calycothrix scabra** *DC.* ramulis villosulis, foliis scabris setuloso-ciliatis imbricatis lineari-tetragonis mucronulatis petiolatis, bracteolis basi connatis scariosis carina pilosis apiculatis tubo calycis dimidio brevioribus, floribus icosandris corymbosis, aristis corolla ter longioribus. Schauer l. c. pag. 248. n. 8. DC. Prodr. III. pag. 208. n. 3. Mem. Myrt. tab. 1.

In interioribus Australiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 188.

5. **Calycothrix Fraseri** *A. Cunningh.* glaberrima, foliis quadrifariis confertis recurvis patentibusque lineari-oblongis carinatis retusis petiolatis, bracteolis herbaceis distinctis contiguis lineari-oblongis retusis dorso callosis calycis tubo quater brevioribus, floribus icosandris pedicellatis axillaribus sparsis vel in corymbum pauciflorum collectis, aristis corolla duplo longioribus. Schauer l. c. pag. 250. n. 10. tab. VI. B. fig. 1—5. Bot. Mag. 3323. n. 6.

In silvae caeduae arenosis illustribus supra oppidulum Perth; in regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Flor. Januario M. Herb. Preiss. No. 190 et 198.

„Fruticulus erectus spithamalis et ultra."

6. **Calycothrix variabilis** *Lindl.* glaberrima, foliis imbricatis lineari-tetragonis calloso-apiculatis breviter petiolatis, bracteolis infra medium connatis membranaceis disco herbaceis in tubum amplum medio ventricosum convolutis ecarinatis apiculatis calycis tubum aequantibus, floribus icosandris axillaribus racemosis, aristis corolla paullo longioribus. Schauer l. c. pag. 252. n. 12. Lindl. Swan River. Bot. pag. V. n. 4.

In regionibus interioribus Australiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 197.

7. **Calycothrix simplex** *Lindl.* ramulis puberulis, foliis confertis lineari-triquetris obtusis glabris breviter petiolatis, bracteolis inferne connatis lanceolatis cuspidatis hirtellis tubo calycis duplo brevioribus, floribus icosandris axillaribus racemosis, aristis corolla paullo longioribus. Schauer l. c. pag. 253. n. 13. Lindl. l. c. n. 5.

In clivulo arenoso inter frutices densos prope oppidulum Albany. (Plantagenet.) Fl. Septembri. Herb. Preiss No. 199.

8. **Calycothrix empetroides** *Schauer.* ramulis puberulis, foliis imbricatis oblongis carinatis obtusis scabridis margine carinaque rigidule ciliatis breviter petiolatis, bracteis bracteolisque hirsutis, his ultra medium connatis ecarinatis obtusis superne cucullato-inflatis marginibus contiguis calycis tubo triente brevioribus, floribus icosandris ternis-quinis capitatis, aristis corollam aequantibus. Schauer l. c. pag. 254. n. 14.

In calculosis lateris orientalis montis Bakewell. (York), Septembri florens. Herb. Preiss. No. 195.

„Fruticulus semipedalis".

9. **Calycothrix sapphirina** *Lindl.* ramulis hirtis, foliis approximatis patentibus lineari-lanceolatis acute carinatis hispido-pilosis petiolatis, subfloralibus tenuioribus longe acutatis, bracteolis membranaceis usque ad medium connatis superne divergentibus lineari-lanceolatis carinatis cuspidula curvata terminatis hirtellis tubum calycis subaequantibus, floribus icosandris in capitula multiflora congestis, aristis corolla duplo longioribus. Schauer l. c. pag. 255. n. 15. Lindl. l. c. n. 2.

In arenosis silvae ad fluvium Canning. Floret Novembri. Herb. Preiss. No. 189.

10. **Calycothrix angulata** *Lindl.* glaberrima, ramulis angulatis, foliis approximatis subrecurvo-patulis lineari-trigonis obtusis margine carinaque denticulato-scabris sessilibus, bracteolis membranaceis ultra medium connatis carinatis apiculatis tubo calycis triente brevioribus, floribus icosandris axillaribus comoso-racemosis, aristis corolla paullo longioribus. Schauer l. c. pag. 256. n. 16. Lindl. l. c. n. 7.

In arenosis silvae ad fluvii Canning egressum. Novembri. Herb. Preiss. No. 185.

11. **Calycothrix asperula** *Schauer.* foliis approximatis, subrecurvo-patulis, lineari-subtrigonis, muticis, petiolatis, bracteolisque asperulis; his herbaceis, ima basi connatis, oblongis, concavis, obtusis, hypanthium semiaequantibus, hiantibus; floribus icosandris, axillaribus sparsis; aristis corolla duplo longioribus.

In interioribus Australiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 194.

„Fruticulus sesquipedalis erectus," inferne simplex, superne ramis paucis tenuibus gracilibus. *Folia* 2-2½ lin. longa, carina obtusa, apice acutiusculo mutico. *Hypanthium* tubulosum 3 lin. longum *phyllaque calycis* obcordata purpurascentia. *Petala* 3 lin. longa, ovata, acuminata, flavescentia, primum et secundum dorso rubescentia.

Sequenti primo vultu valde similis, sed floribus sparsis bracteolis latioribus obtusis foliisque sub lente asperulis distincta facilis.

12. **Calycothrix luteola** *Schauer.* glaberrima; foliis approximatis, patulis, lineari-trigonis, calloso-apiculatis, petiolatis; bracteolis herbaceis, ima basi connatis, lanceolatis, complicatis, ecarinatis, cuspidatis, hypanthium semiaequantibus, hiantibus; floribus icosandris, racemosis; aristis corolla duplo longioribus.

In solo subarenoso planitiei haud longe a monte Manypeak (aboriginibus „T'gilberup",) nec non in promontorio Cape-Riche. Novembri exeunte a. 1840. Herb. Preiss. No. 193.

„Fruticulus pedalis-sesquipedalis," erectus, gracilis, inferne simplex, superne paucirameus, ramis virgatis grisolis. *Folia* tres lin. longa, laete viridia, nitida. *Hypanthium* folium subtendens quadrante superans, cum *calyce corollaque* luteolus; lobi suborbiculati in aristam acuminati. *Petala* ovato-elliptica, acuminata, 2½ lin. longa, externa dorso rubentia. *Bracteolae* 2 lin. circiter longae, herbaceae, in cuspidem herbaceam sensim acuminatae, patentes.

13. **Calycothrix flavescens** *A. Cgh.* glaberrima, foliis approximatis patentibus lineari-trigonis mucronato-apiculatis petiolatis, bracteolis herbaceis vix connatis ovato-oblongis concavis aristato-cuspidatis cuspide laminam tubo calycis terquater breviorem subaequante, floribus icosandris racemosis, aristis corolla duplo longioribus. Schauer l. c. pag. 257. n. 17. Bot. Mag. n. 3323. n. 7. G. Gardner Sertum II. tab. 38!

In arenosis collis Eliza prope oppidulum Perth, gregarie crescens; in arenosis silvae haud longe a fluvio Gordon (Hay.). Floret Januar., Februario. Herb. Preiss. No. 186 et 187.

14. **Calycothrix aurea** *Lindl.* ramulis junioribus hirtellis, foliis imbricatis oblongis concavis obtusiusculis dorso hirtellis ciliatis petiolatis, bracteolis margine scariosis distinctis patentibus lanceolatis navicularibus ciliatis in cuspidem recurvam acuminatis tubum calycis subaequantibus, floribus icosandris capitatis, aristis corolla plus duplo longioribus. Schauer l. c. pag. 258. n. 18. tab. VI. fig. 6. Lindl. l. c. pag. V. n. 1. tab. III. B.

In arenosis planitiei silvae haud procul a praedio rustico Maddington ad fluvium Canning. Floret Decembri. Herb. Preiss. No. 184,

Tribus II. Leptospermeae DC.

Germen pluriloculare. Capsula oligo-vel polysperma, loculicida. Schauer, Dissert. gratulat. de Regelia, Beaufortia et Calothamno, Act. Acad. Nat. Cur. XXI. I. pag. 5.

Subtribus I. Baeckeeae. Folia opposita. Flores pedicellati, bracteolis binis stipati. Stamina definita vel indefinita, corolla breviora aut vix longiora, libera vel in phalanges *phyllis calycis oppositas* coalita. Schauer l. c.

TETRAPORA Schauer, Linnaea XVII. 2. pag. 238.

Flores axillares, solitarii, pedicellati, pedicello ad insertionem bracteolis fugacibus stipato. *Hypanthium* patelliforme, tubo germini omnino adnato. *Calycis phylla* 5, brevia, rotundata, marcescentia. *Petala* fauci hypanthii inter lobos calycis inserta, sessilia, subpersistentia. *Stamina* 5, cum petalis inserta, inclinata, caduca; filamenta brevia, subulata, apice attenuato deflexo connectivo continuo; connectivum dilatatum, carnosulum; anthera nutans, e loculis duobus bilocellaribus connectivo dorso adnatis poro exiguo dehiscentibus conferruminata. *Germen* plane immersum, vertice convexo, triloculare; granulae in loculo paucae. *Stylus* brevis; stigma capitatum. *Capsula* vertice loculicide-trivalvis; loculi oligospermi. *Semina* obovoidea, pendula, hilo citra basin laterali subexcavato.

1. **Tetrapora Preissiana** *Schauer* l. c.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Februario a. 1840. Herb. Preiss. No. 345.

Frutex videtur depressus, ramis tortuosis squarrosis, ramulis lateralibus copiosis abbreviatis. *Folia* opposita, imbricata, subclavato-semiteretia, facie plana acutiuscula, dorso convexo, margine cartilagineo denticulato, glabra, laete viridia; utrinque punctis majusculis subseriatis notata, linea plerumque

breviora. *Pedicellis* folium subtendens duplo triplove excedens. *Calycis phylla* semiorbicularia, margine petaloideo denticulato, dorso calloso. *Petala* alba. *Anthera* filamento concolor, rosea.

RINZIA Schauer, Linnaea XVII. 2. pag. 239.

Flores axillares, solitarii, pedicellati, pedicello ad basin bracteolis binis oppositis herbaceis stipato. *Hypanthium* breviter patelliforme, basi germinis adnatum, calycis limbo 5-partito continuum. *Calycis phylla* 5, herbacea, obtusa. *Petala* 5, margini hypanthii inserta, phyllis calycinis alterna, orbicularia, marcescentia. *Stamina* 10, cum petalis inserta marcescentia; filamenta lingulata, phyllis calycis opposita minora, apice integro, antheram introrsum adnatum gerentia: petalis opposita majora, emarginato-bidentata, anthera infra emarginaturam interne adnata; anthera dorso adnata, bilocularis, loculis parallelis rima longitudinali dehiscentibus; connectivum glandula terminatum. *Germen* semisuperum, triloculare; gemmulae in loculo binae. *Stylus* brevis; stigma capitatum. *Capsula* basi hypanthio tenui planiusculo adnata, ceterum libera, convexa, loulicide trivalvis, valvis usque ad basin discedentibus patentissimis. *Semina* in quolibet loculo gemina, reniformi-oblonga, hilo medio laterali.

1. Rinzia Fumana *Schauer* l. c.

In interioribus Sinus Regis-Georgii III., distr. Plantagenet, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 164.

Frutex dodrantalis, glaberrimus, fere a basi dense ramosus, ramis gracilibus tortuosis, ramulis tenuibus densifoliis. *Folia* 1-2 lineas longa, opposita, imbricata facie lanceolato-lineari, plana cartilagineo-marginata obtusa dorsoque convexo obscure punctato semiteretia, brevipetiolata, laevia, laete viridia, opaca, juniora ad marginem apicis saepius minute denticulata. *Flores* infra apices ramulorum axillares; pedicellus folio bis longior; *bracteolae* foliiformes, concavae, persistentes. *Hypanthium* cum calyce continuo patellam herbaceam, 5-partitam, basi convexam, lineam altam exhibens. *Phylla calycis* subrotundo-ovata, obtusissima, margine membranaceo tenuiter ciliato cincta, saepius purpura fucata. *Petala* orbicularia, in unguem contracta, denticulata, calyce duplo longiora, alba. *Stamina* majora calycem aequantia minora illis fere duplo breviora et angustiora. *Semina* atrofusca, laevia.

BABINGTONIA Lindl. Schauer, Linnaea XVII. 2. pag. 240.

Pedunculi axillares, solitarii, cymigeri; flores pedicellati decidui. *Bracteolae* ad basin pedicelli minutae, caducae. *Hypanthium* subturbinato-hemisphaericum, in pedicellum attenuatum, germini omnino adnatum. *Calycis phylla* herbacea, rotundata, marginata, erecta. *Petala* 5, margini hypanthii inter phyllos calycis inserta, orbicularia, subpersistentia. *Stamina* 10, cum petalis inserta, caduca; filamenta brevia; anthera nutans, ob-

cordiformis, basi in filamentum attenuata, bilocularis, loculis fere usque ad apicem connatis poro apicali dehiscentibus. *Germen* immersum, vertice plano, triloculare gemmulae in loculo circiter 10, circa spermophorum crassum centrali-parietale in annulum verticalem collocatae. *Stylus* filiformis; stigma capitatum. *Capsula* hypanthio calyce emarcido toruloso coronato inclusa, apice loculicide trivalvis. *Semina* . . . . .

1. **Babingtonia Camphorosmae** *Lindl.* Bot. Reg. 1842. tab. 10. *Baeckea Camphorosmae* Endl. En. pl. Hügel. pag. 51.

In fruticetis solo arenoso sublimoso: ad fl. Vasse-River, Decembri a. 1839 flor., Herb. Preiss. No. 348; prope oppid. Guilford, Jan. 1840 flor., No. 347; haud procul a catarracta fl. Cygnorum, Augusto 1839 fructif., No. 349. Hügel! Drummond!

Frutex quoad staturam variabilis, pedalis sesquipedalis nunc erectus, nunc depressus, nunc decumbens, ex omni parte glaberrimus. *Rami* firmi, fusci inferius ramulis oppositis abbreviatis rigidulis foliosisque aucti, apicem versus floriferi. *Folia* 2 lin. circiter longa, opposita, confertissima, filiformi-v. subclavato-semiteretia, facie plana argute marginata, dorso convexo sub lente raripunctato, apice breviter acuminato cartilagineo-apiculata mucronato, laevia, laete viridia. *Corolla* conspicua; petala valde concava, alba roseo-fucata.

SCHOLTZIA Schauer, Linnaea XVII. pag. 241.

(**Pritzelia** Schauer in Flora 1843 (Julio) pag. 407, non Walpers.)

Inflorescentia axillaris, dichotome cymosa; *flores* subsessiles, decidui, bracteolis binis fugacibus stipati. *Hypanthium* carnosum, subcylindrico-turbinatum, germini fere omnino adnatum, basi attenuatum. *Calycis phylla* 5, membranacea, rotundata, patula, excrescentia. *Petala* 5, in margine hypanthii sessilia, phyllis calycinis alterna, suborbicularia, conniventia, persistentia. *Stamina* 20, cum petalis inserta, decidua; filamenta corolla breviora, subulata, apice attenuato inclinato; anthera nutans, obcordiformis, basi in filamentum attenuata, bilocularis, loculis usque ad apicem connatis poro apicali dehiscentibus. *Germen* hypanthio innatum, vertice brevissime emersum, biloculare; gemmulae in loculo geminae, in spermophoro centrali-parietali horizontales, extrorsum anatropae. *Stylus* subulatus; stigma punctiforme. *Capsula* . . . .

1. **Scholtzia obovata** Schauer l. c. *Baeckea obovata* DC. Prodr. III. pag. 230. n. 15. *Baeckea involucrata* Endl. En. pl. Hügel pag. 170!

In arenosis illustribus silvae caeduae prope vicum Perth, Februario a. 1839 flor. Herb. Preiss. No. 343. Hügel!

Frutex glaber, adscendens, pedalis, ramulis floriferis virgatis patentibus, habitu et imprimis florum specie *Thryptomenae saxicolae* haud dissimilis. *Folia* opposita, approximata, patentia, coriacea, obovata l. obovato-oblonga, inflexa, subrecurva, obtusa, margine angusto pellucido scabriusculo praedita,

subsessilia, enervia, impunctata, laevia, nitida. *Flores* versus apices ramulorum inflorescentiam floridam, saepe elongatam, struentes; pedunculi nunc folio breviores biflori, nunc folium subaequantes breviter bifurcati l. dichotomi, cruribus 2-4 floris cum flore intermedio; flores articulato-decidui. *Bracteae* et *bracteolae* alabastrum stipantes membranaceae, lanceolatae acuminatissimae, praemature deciduae. *Calycis phylla* subtruncato-rotundata, cum petalis duplo majoribus pallide rosea, firmula. *Petala* exteriora erecto-conniventia, interiora depresso-inclinata.

HYPOCALYMMA Endl. gen. n. 6306. Schauer, Linnaea XVII. pag. 241.

Flores axillares, vel geminati aut sessiles aut pedunculati, vel in pedunculo brevi bini-terni-quaterni sessiles compacte cymulosi, articulato-inserti, singuli bractea bracteolisque binis oppositis consimilibus persistentibusque subtensi. *Hypanthium* cupulaeforme l. patellaeforme, germini adnatum. *Calycis phylla* 5, cutanea v. membranacea, marcescentia. *Petala* 5, margini hypanthii inserta, phyllis calycis alterna, orbicularia, marcescentia. *Stamina* 20-50, cum petalis inserta, corollam subaequantia v. breviora, marcescentia; filamenta subulato-filiformia, libera vel basi confluentia; anthera dorso inserta, connectivo lineari eglanduloso, bilocularis, loculis parallelis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* semisuperum vel vertice tantum emersum, bi-triloculare; gemmulae in loculo 1-2-3, spermophoro ad angulum centralem affixo insertae. *Stylus* filiformis, superne attenuatus v. capillaris; stigma punctiforme. *Capsula* semisupera, hypanthio patellaeformi insidens, staminibus emarcidis cincta, aut bilocularis compressa argute marginata turgidula, aut trilocularis trigona v. tricarinata. *Semina* tot quot gemmulae, pendula, oblonga, reticulato-areolata, hilo prope basin laterali subexcavato conspicuo.

I. Eucalymma. Flores in pedunculo brevi sessiles, geminati, ternati v. quaternati, bractea bracteolisqne sub calyce patulis subcaducis. Germen biloculare, loculis trigemmulatis.

1. **Hypocalymma robustum** *Endl.* ramis virgatis foliisque patentibus; his distantibus, sessilibus, subtriquetro-subulatis, dorso sulcatis, mucronatis, nitidis, punctatis, superius saepe recurvatis; cymulis axillaribus, 2-4-floris, compactis; staminibus numerosis, subliberis. Endl. En. pl. Hügel. pag. 50. n. 153. Lindl. Bot. Reg. 1843. tab. 8!

In arenosis ad vicum Perth, Julio 1839. Herb. Preiss. No. 342. Drummond! Hügel!

Frutex sesquipedalis, erectus, floribus copiosis speciosisque ornatissimus. *Flores* colore et fere magnitudine *Persicae*. *Germen* fere immersum.

2. **Hypocalymma Cunninghami** *Schauer.* ramis ramulisque virgatis subfastigiatis; foliis remotiusculis, patentibus, acerosis, triquetro-subulatis, basi attenuata sessilibus, acuminatis, mucronatis, laevibus nitidisque; floribus axillaribus, in pedunculo brevissimo geminatis; staminibus basi coalitis. *Baeckea speciosa* A. Cunningh. Herb. n. 65!

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 334. Ad Sinum Regis Georgii III. A. Cgh.! a 1818.

Frutex pedalis, glaberrimus, ramulis fuscescentibus leviter marginatis. *Folia* 4-6 lin. longa, facie acutangula sulcata, carina obtusa, subrecurva viridia, punctis propter nitorem vix conspicuis inspersa. *Flores* 1½ lin. longi. *Calycis phylla* cutanea, rotundata, contigua. *Filamenta* basi irregulariter connata, saturate tincta, corollam aequantia. *Petala* concava, reflexa, subscariosa, sordide albida. *Germinis* locula 3-gemmulata. *Capsula* forma germini similis, magis tumida, loculis plerumque monospermis.

3. **Hypocalymma strictum** *Schauer.* ramis ramulisque virgatis strictisque; foliis remotiusculis, arrectis patulisve, acerosis, tetragonis, basi subattenuata sessilibus, acutis, breviter mucronatis, laevibus, opacis, punctatis; floribus axillaribus, in pedunculo brevissimo geminatis; staminibus basi connatis.

In solo turfoso-arenoso in fruticetis planitiei prope vicum Albany (distr. Plantagenet), Septembri et Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 331 et 335.

Frutex pedalis-bipedalis, glaberrimus, a basi ramosus, ramulis fuscescentibus. *Folia* rigidula, strictiuscula, in sicco facie et saepius etiam dorso sulcata, crassiora quam praecedentis minusque attenuata et acutata, conspicue punctata, tamen laevia, neque vero nitida, laete viridia, 4-6-8 lin. longa. *Flores* fere illius, fusco-testacei coloris.

4. **Hypocalymma asperum** *Schauer:* ramulis scabro-pubescentibus; foliis approximatis, arrectis imbricatisve, acerosis, subclavato-trigonis-tetragonisve, basi subattenuata sessilibus, acutis, muticis, tuberculato-punctatis asperisque; staminibus basi connatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 332.

Frutex vix pedalis, habitu floribusque prioribus binis similis, sed ramificatione magis contracta, foliisque inprimis ramulisque asperis distinctus. *Folia* 4-6 lin. longa.

II. Astrocalymma. Flores axillares geminati, sessiles, bractea bracteolisque consimilibus scariosis hypanthii basin stellato-involucrantibus, post floris lapsum residuis. Germen triloculare, loculis unigemmulatis.

5. **Hypocalymma scariosum** *Schauer.* ramis ramulisque flexibilibus patulis; foliis sessilibus, confertis, decussatis; acerosis, rigidulis, subclavato-trigonis, canaliculatis, cartilagineo-acuminatis, scabro-punctatis; floribus axillaribus, sessilibus; geminatis, dense spicatis, subscariosis.

In turfosis hieme inundatis, inter frutices prope praedium rusticum b. Spencer ad Sinum Regis Georgii III., Octobri a 1840. Herb. Preiss. No. 330.

„Frutex 1-2½ pedalis", ramosus, ramulis aequaliter foliosis, albidis. *Folia* semipollicaria, punctis prominulis sub lente scabris conspersa, opaca, inferiora patula, subfloralia patentissima. *Flores* ad apices ramulorum in apicem fere pollicarem collecti. *Involucrum* scarioso-membranaceum. *Hypanthium* patellaeforme, punctatum. *Calycis phylla* adscendentia, late rotundata, contigua, cum petalis duplo longioribus rotundatis conniventibus membranacea, subscariosa, testacei coloris, in disco resinoso-punctata. *Stamina* inaequalia, longiora corolla paullo breviora. *Capsula* semisupera, argute tricarinata, loculis monospermis.

6. **Hypocalymma angustifolium** *Endl.* ramulis virgatis, tetragonis, patulis; foliis remotis, patentibus, decussatis, sessilibus, lineari-subulatis, canaliculatis dorso convexis, vel semitereti-subulatis facie canaliculata, acuminatis, mucronatis, punctatis, opacis; floribus axillaribus, sessilibus, geminatis, interrupte spicatis. Endl. En. pl. Hügel. pag. 50. n. 152.

Adest triplici forma, manifesto ex soli conditione pendente:

α **linophylla**: vegeta, virgata; foliis tenuioribus, linearisubulatis, canaliculatis, laevibus, punctis immersis;

β **acerosa**: foliis carnosis, semitereti-subulatis, facie et saepius dorso quoque sulcatis, laevibus, punctis immersis;

γ **verrucosa**: macra, rigidula, squarrosa; foliis carnosis, semitereti-subulatis, corrugatis, dorso verrucoso-punctatis.

Forma α lecta est in depressis uliginosis silvae prope vicum Perth, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 339. et in reg. interioribus Austr. merid. occid., Octobri a 1840. No. 333; Hügel!; forma β in depressis arenosis silvae ad Hester's-point, Octobri a 1840. No. 338, in calculosis limosis silvae terrae superioris Australiae occidentalis, Septembri a 1839. No. 340. et in sublimosis ad fl. Vasse, Decembri a 1840, sterilis No. 341.; Drummond!; forma γ in solo subarenoso prope vicum Albany, Octobri 1840. No. 336; Drummond!

Ramuli cinerei, laeves. *Folia* 6-8 lineas longa, superiora reliquis paullo majora cuspidato-mucronata subtus teretia vel (sicca saltem) sulcata ideoque tetragona. *Flores* involucro brevi saepe colorato stipati conspicui. *Calycis phylla* petaloidia, semiorbicularia, lilacina vel petalis concoloria. *Petala* erecta, pallide rosea. *Stamina* subaequalia, brevissime exserta. *Germen* semisuperum, trigonum, trigemmulatum. *Capsula* trigona, trisperma.

III. Cardiomyrtus. Flores axillares gemini, pedunculati, pedunculo bractea, hypanthio bracteolis binis oppositis bracteaeque alternis stipato. Germen triloculare, loculis bigemmulatis.

7. **Hypocalymma cordifolium** *Lehm. Ms.* ramis gracillimis, virgatis, tetragonis, marginatis; foliis decussatis, membranaceis, planis, cordatis, sessilibus, semiamplexicaulibus, acutiusculis, margine subrevoluto cartilagineo-

denticulatis, uninerviis, glaucis, perforato-punctatis; floribus axillaribus geminis, pedunculatis.

In solo turfoso inter fruticeta planitiei prope vicum Albany (Plantagenet), Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 154. *) Ferd. Bauer!

„Frutex 2-3-pedalis", ramis subsimplicibus, fuscis, nitidis. *Folia* subdistantia, 4-5 lin. longa itemque ad basin lata. *Pedunculi* variae longitudinis, tamen folio semper plus duplo breviores, tenues. *Bractea* et *bracteolae* tenuiter membranaceae, lineari-lanceolatae, subpersistentes; hae hypanthium aequantes. *Hypanthium* subexplanatum, in *phylla calycis* rotundata herbacea margine membranaceo purpurata et integerrima continuo abiens et cum iis lineam fere radio metiens. *Petala* calyce vix longiora, cum filamentis quam ea ipsa brevioribus liberisque carnea.

ASTARTEA DC. Endl. gen. n. 6289. Schauer, Linnaea XVII. pag. 241.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori. *Flores* pedicellati; pedicellus in apice pedunculi articulatus eique continuus basi bracteolis binis oppositis, plerumque fugacissimis, stipatus. Bracteolae arcte sub alabastro juvene insertae, pedicello dein excrescente auferuntur. *Hypanthium* turbinatum, in pedicellum attenuatum vel contractum, germini omnino adnatum. *Calycis phylla* brevia obtusa, inclinata, dorso saepe callosa vel corniculata, persistentia. *Petala* 5, margini interiori hypanthii inserta, lobis calycis alterna, orbicularia, subunguiculata, (alba,) decidua. *Stamina* plurima, cum petalis inserta, in phalanges 5 fasciculatas lobisque calycis oppositas coalita, inclinata, emarcida in fructu remanentia; anthera connectivo filamento continuo erecta, bilocularis, loculis oppositis rima longitudinali subporiformi hiante dehiscentibus. *Germen* vertice convexo vix emersum, triloculare; *gemmulae* in loculo multae, horizontales, superpositae. *Stylus* filiformis, brevis; stigma capitatum. *Capsula* hypanthio hemisphaerico calyce toruloso coronato inclusa, vertice loculicide trivalvis, loculis polyspermis. *Semina* triquetra, dorso arcuato et convexo, lateralibus planis, hilo ad angulum citra basin laterali.

1. **Astartea leptophylla** *Schauer.* ramis ramulisque gracilibus teretiusculis; ramulis lateralibus abbreviatis copiosis; foliis tenuissimis, semitereti-filiformibus, inferne attenuatis, muticis, glaucescentibus; pedunculo folio breviori infra medium articulato; calycis phyllis dorso aequalibus; phalangibus 8-andris.

In umbrosis ad ripam fluvii Preston (prov. Wellington), solo limoso, Januario a. 1840. Herb. Preiss. No. 156.

*) Bracteolae arcte sub alabastro juvene insertae, pedicello dein excrescente auferuntur.

„Frutex 12-15 pedalis“, ramificatione gracillima vaga. *Folia* patula, 4-6 lin. longa, facie sulco exarata. *Flores* pro genere majusculi. *Hypanthium* pallidum. *Calycis phylla* ovata, obtusa, margine angustissimo membranaceo. *Petala* lata, orbiculata, breviter unguiculata, punctata.

2. **Astartea fascicularis** *DC.* ramis quadrangularibus marginatis; ramulis lateralibus abbreviatis copiosis, fasciculato-foliosis; foliis acerosis, subclavato-semiteretibus subtrigonisve, in petiolum brevem attenuatis, acutiusculis, muticis, punctatis, laevibus; pedunculo folio subaequali breviorive, infra medium articulato; calycis phyllis dorso gibbis; phalangibus 5-8-andris. DC. Prodr. III. pag. 210.

Melaleuca fascicularis Labill.! Nov. Holl. II. pag. 29. tab. 170 (v. sp. orig.)

In solo turfoso-arenoso ad ripam flum. Cygnorum pr. vicum Perth, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 158. In terra Van-Leuwin: Lab.! sic enim certo legendum pro loco, lapsu memoriae allato: „Prom. Van-Diemen“); Ferd. Bauer!*)

Frutex 4-8 pedalis, ramis ramulisque terminalibus elongatis laxis cinnamomeis. *Folia* 2-3½ lineas longa, rigidula, recta, incurva vel recurva, subtus convexa, a lateribus leniter compressa, facie plana sulcata v. canaliculata, laete viridia. *Calycis phylla* herbacea, ovata, obtusa, purpurata, pellucide marginata, dorso subtuberculato-callosa. *Petala* oblonga, in disco punctata. Planta Billardieriana macilentior est quam Preissiana, foliis majoribus et crassioribus; ceterum vero nullo discrimine diversa.

3. **Astartea scoparia** *Schauer.* ramis virgatis, strictis, subfastigiatis, ramulosis; foliis brevibus, subclavato-semiteretibus, in petiolum brevem attenuatis, acutiusculis, muticis, laevibus, ramulorum fasciculatis; pedunculo folium subaequante, ad medium articulato; calycis phyllis dorso aequalibus; phalangibus subpentandris.

In solo arenoso secundum fl. Cygnorum supra vicum Perth, Februario, Aprill. Herb. Preiss. No. 150 ex parte.

Frutex 4-8 pedalis, habitu scopario, ramulis lateralibus brevissimis copiosissimis floridisque insignis. *Folia* sesquilineam longa, facie plana, laete viridia, „recentia *Anthoxanthum* redolentia“. *Flores* mediocres.

4. **Astartea aspera** *Schauer.* ramis rigidis squarrosis; ramulis asperrimis; foliis quadrifariam imbricatis, brevibus subclavato-semiteretibus-subtrigonisve, in petiolum brevem contractis, acutiusculis, muticis, aspero-punctatis; floribus

---

*) **Astartea laricifolia** Schauer. ramis gracilibus, tetragonis, subalato-marginatis, ramulosis; foliis confertissimis, patentibus, filiformi-semiteretibus, in petiolum attenuatis, acutis, muticis, laevibus; pedunculo folium subaequanti, infra medium articulato; calycis phyllis dorso aequalibus; phalangibus 3-4 andris. Walpers Repert. II. p. 922. *Leptospermum laricifolium* A. Cgh. Herb. No. 81! In paludosis ad Sinum Regis Georgii III.: A. Cgh. Frutex ramis laxis, ramulis copiosis patenti-foliosis specie quadam laricina indutus. *Phyllopodia* in alam, praesertim sub folio conspicuam, utrinque decurrentia eaque internodium subjectum marginantia. *Folia* angustissima, 2½-4 lin. longa, facie argute marginata sulcata vel leviter canaliculata, dorso convexo, utrinque subtiliter punctata, viridia, nitidula. *Calycis phylla* ovato-subrotunda, margine membranaceo angusto.

vix exsertis; pedunculo supra basin articulato et bracteolato; calycis phyllis dorso gibbis; phalangibus triandris.

In rupestribus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 361.

„Frutex tripedalis.“ *Ramuli* laterales breves, foliis dense obsiti, inferne pulvinis residuis denticulati; terminales subvirgati, foliis remotis ex axillis fasciculum foliorum pullulantibus instructi, scabritie singulari, scilicet verrucis denticulatis singulis singulum punctum resinosum obvallantibus asperrimi, quae scabrities eadem, sed minus conspicua, in foliis reperitur. *Folia* vix 2 lin. aequantia. *Hypanthium* cyathiforme, herbaceum. *Calycis phylla* lato-ovata, obtusissima, purpurata, membranaceo-marginata, gibbo dorsali crasso. *Petala* limbo calycis triplo longiora, alba, roseo fucata.

5. **Astartea glomerulosa** *Schauer.* ramis tenuibus angulatis breviramulosis; foliis brevibus crassis, subclavato-semiteretibus-subtrigonisve, in petiolum brevem contractis, muticis, laevibus, ramulorum axillarium compactis; pedunculo exserto, supra medium articulato; calycis phyllis dorso aequalibus; phalangibus 3-4-andris.

In regionibus interioribus Sinus Regis Georgii III, Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 162.

Folia 1½-2 lineas longa, atroviridia, punctis vix conspicuis. *Pedunculi* longe exserti, tenuissimi, articulo semilineam a basi hypanthii distante. *Hypanthium* dimidia linea paullo longius, subito in pedicellum contractum. *Calycis phylla* rotundata, tenuiter membranaceo-marginata. *Petala* candida, calycem triplo excedentia.

6. **Astartea corniculata** *Schauer.* ramis tenuibus virgatis teretiusculis; foliis brevibus crassis, lineari-semiteretibus, in petiolum brevem contractis, acutiusculis, muticis, laevibus, ramulorum brevium axillarium imbricatis; pedunculo exserto, medio articulato et bracteolato; calycis phyllis dorso corniculatis, corniculis tenuibus margine brevi inflexo pluries longioribus, porrectis; phalangibus 3-4 andris.

In subturfoso-arenosis planitiei prope vicum Albany, Januario a. 1840. Herb. Preiss. No. 163.

„Frutex pedalis, gracillimus, erectus“. *Ramuli* juniores purpurati. *Folia* sesquilineam longa, supra plana, subtus valde convexa, ideoque fere hemiellipsoidea, laete viridia. *Flores* fere sequentis, sed pedunculi bracteolis herbaceis, foliis similibus tamen minoribus, diu stipati et cornicula calycis longiora, praesertim in alabastro conspicua.

7. **Astartea Endlicheriana** *Schauer.* ramis ramulisque gracilibus flaccidis; his quadrangulis submarginatis; ramulis lateralibus brevibus, fasciculato-foliosis; foliis patentibus, acerosis, semitereti-subfiliformibus, basi angustatis, muticis, laevibus; pedunculo folium subaequante, medio articulato; calycis phyllis dorso breviter corniculatis callosisve; phalangibus 3-5-andris.

Leptospermum dubium Spr. Syst. II. pag. 492. n. 16. (quo nomine plantam nostram in nonnullis herbariis reperi.) *Baeckea affinis* Endl.! Enum. pl. Hügel. pag. 51. n. 168. *Baeckea frutescens* Hort. et A. Dietr. in Allg. Gartztg. IX. pag. 258!; non L.

In depressis arenosis haud procul a praedio rustico cl. Andrews ad fl. Cygnorum, Decembri a 1839. Herb. Preiss. No. 165; J. Drummond! Ad Sinum Regis Georgii Ferd. Bauer! Hügel! (v. v. c.)

Frutex cultus 3-5 pedes altus, ramis pendulis floridis valde ornatus. *Folia* 3-4 lin. longa, atroviridia. *Bracteolae* fugacissimae. *Hypanthium* viride, saepius purpure tinctum. *Calycis phylla* subrotundo-ovata, margine pellucido subtiliter denticulato, dorso callo herbaceo compresso, saepius obsoleto, aucta. *Petala* subrotundo-oblonga, tenuissime denticulata, alba, venosa, perforato-punctata.

Subtribus II. Euleptospermeae. Folia alterna. Flores sessiles. Bracteolae saepe fugaces vel nullae. Stamina indefinita, corolla breviora, libera. Schauer dissert. grat. p. 5.

AGONIS DC. Prodr. III. (1828 *) pag. 226. (Sect. I. Leptospermi). BILLOTTIA G. Don et R. Br. (1830.) Endl. gen. n. 6305.

Capitula pleiantha, compacta, vel in ramulis brevibus lateralibus inferne foliatis subapicalia, vel axillaria sessilia, post anthesin saepe ramulo innovante comata. *Flores* bractea et bracteolis binis squamaceis suffulti, sessiles. *Hypanthium* turbinatum, germini adnatum. *Calycis phylla* 5, marcescentia denique obsoleta. *Petala* 5, margini hypanthii inserta, ejusdem lobis alterna, orbiculata, distincte unguiculata, (alba). *Stamina* cum petalis inserta iisque breviora di-pleiocycla; filamenta filiformi-subulata, libera; anthera incumbens, bilocularis, loculis longitudinaliter dehiscentibus. *Germen* hypanthio immersum, trirarius quinque-loculare, loculis paucigemmulatis. *Stylus* filiformis, brevis; stigma capitatum, subtrilobum. *Capsula* immersa, loculicide trivalvis; semina in loculo singula vel bina, basi affixa, adscendentia.

1. **Agonis (Leptospermum) flexuosa** *DC.* l. c. innovationibus vestitis; ramulis compressis, acutangulis subalatisve, pendulis; foliis alternis, lanceolatis vel linearilanceolatis, utrinque attenuatis, brevipetiolatis, subtus trinerviis venosisque nervis lateralibus margini proximis excurrentibus, adultis glabratis; capitulis axillaribus, pleianthis, villosis.

   Leptospermum resiniferum Bertol. amoen. ital. pag. 28. *L. glomeratum* Wendl. fil. in Flora 1819. pag. 678, ex ipso Beitr. II. pag. 22. *Metrosideros flexuosa* Willd. Enum. pag. 514! *Leptospermum flexuosum* Lk. En. II. pag. 26. Rchb. hort.

*) Nomen Candollei ex jure prioritatis servandum, ut jam optime monuit cl. Lindley (Swan-River Bot. pag. X. n. 33.), quam genus ab auctore praevisum tanquam propria Sectio Leptospermi satis distinctum sit.

bot. II. tab. 115! (icon bona, sed capsulam perperum 5-locularem exhibens.) Colla, Act. Acad. Taur. XXXI. pag. 112. tab. 2.! (valde mediocris). *Billottia flexuosa* G. Don. Gen. Syst. Variat foliorum figura:

α **angustifolia.** foliis anguste lanceolatis, elongatis, utrinque acuminatis.

In arenosis secundum ripam dextram fl. Cygnorum, Decembri. Herb. Preiss. Np. 136: frutex 10-20-pedalis; in arenosis silvae haud procul ab ora maris, Septembri flor., No. 137; in litore arenoso prope Busseltown (Sussex), Decembri seminifera, No. 138; in turfosis humidis umbrosisque ad radices montis Elphinstone (Plantagenet), No. 140; in rupestribus insulae Mistaken-Island, No. 139; in solo turfoso arenoso ad Stirling's Terrace (Plantagenet) alabastrigera, No. 147. King George's Sound: A. Cgh.! 1821. (v. v. c.)

β **latifolia.** foliis latioribus simulque brevioribus, basi ovatis.

In solo turfoso arenoso ad Stirling's-Terrace (Plantagenet), Septembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 144.

Frutex 5-8-pedalis. *Corolla* alba. *Lobi* calycini acuti, denique decidui. *Stamina* quina-sena ante singulum lobum calycinum. *Semina* in loculo subgemina.

2. **Agonis (Leptospermum) hypericifolia** *Sch.* innovationibus hirsutis; ramis confertis, rigidulis, angulatis, cum foliis denique glabratis; foliis alternis, subdistichis, ovatis ellipticis subrotundisve, uninerviis, venosis, inflexis undulatisque, apice complicato, acumine mucronato deflexo, margine scabro, petiolo brevissimo; capitulis axillaribus, pleianthis, sericeo-villosis.

Leptospermum hypericifolium Otto et Dietr., Allg. Gartztg. IX. pag. 243. (sine flor. descr.) *L. theaeforme* A. Cgh.! herb.

In arenosis subturfosis circa vicum Albany (Plantagenet), Novembri et Decembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 152 et 153. King George's Sound: A. Cgh.! 1822. (v. v. c.)

Frutex 4-8 pedalis", ramulis hornotinis vegetioribus virgatis. *Folia* perforata variant figura magis elongata et magis rotundata, pubeque diutius residuo. *Phylla calycis* rotundata, a fructu decidua. *Petala* calycem longitudine aequantia, anguste unguiculata, perforata, alba. *Stamina* 20. *Capsula* breviter exserta, loculis dispermis.

3. **Agonis (Leptospermum) marginata** *DC.* l. c. innovationibus totis sericeis; ramis rigidulis, hirsutis; foliis alternis, obovato-oblongis, margine cartilagineo villosis, denique omnino glabratis, trinerviis; capitulis subapicalibus axillaribusque, pleianthis; hypanthio sericeo; calyce hirsuto. *Leptospermum marginatum* Lab. N. Holl. II. pag. 10. tab. 148!

In rupestribus ad King George's Sound, Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 141; (v. v. c.)

„Frutex 5-pedalis". *Folia* utrinque multipunctata. *Petala* alba. *Stamina* 10. *Capsula* immersa.

4. **Agonis spathulata** *Schauer.* ramulis squarrosis, teretibus, villosis; foliis confertissimis, alternis, subrotundo-spathulatis, obtusissimis, concavis, enerviis: junioribus basi

ciliato-hirsutis: adultis glabratis, nitidulis; capitulis subapicalibus, multifloris; hypanthio glabriusculo; lobis calycis citra apicem dorso barbatis.

In glareosis sterilibus ad radices colliun Konkobernp promontorii Cape Riche. Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 324.

„Frutex pedalis", densirameus, squarrosus. *Folia* coriacea, parva, 2 lin. circiter longa, lamina, lineam fere longa, utrinque punctata. *Phylla calycis* ovata, obtusa, inferne confluentia. *Petala* alba, breviter unguiculata. *Capsula* trilocularis, loculis monospermis. *Semina* eburnea, umbilico fusco.

5. **Agonis (Leptospermum) linearifolia** *DC.* innovationibus sericeo-villosis mox glabratis; ramulis strictis; foliis alternis, lanceolatis, basi attenuata sessilibus, acumine brevissimo subpungentibus, uninerviis vel subenerviis; capitulis in ramulis brevibus apicalibus, pleianthis; hypanthio sericeo v. subvilloso; calyce villoso-hirsuto. DC. l. c. et Mém. Myrt. tab. 12!

„*Spearwood*" Colonorum.

In turfosis umbrosis subhumidisque silvae ad vicum Perth, Junio 1839 florif. et fructif. Herb. Preiss. No. 142; in turfosis depressis ad fl. Cygnorum pr. Perth, Septembri 1840, No. 145; in clivulo arenoso pr. Albany, Septbr 1840, alabastrig., No. 151. King George's Sound, 1822: A. Cgh.!

„Frutex 8-14-pedalis, erectus". *Folia* juniora in sicco saepe subtrinervia, adulta firma subenervia multipunctata. *Flores* parvi. *Petala* alba, in unguem angustum contracta. *Stamina* 10. *Capsula* immersa, 3-5 locularis, loculis dispermis.

6. **Agonis conspicua** *Schauer.* innovationibus sericeo-villosis; ramulis submarginatis erectis; foliis alternis, aversis, lanceolatis, basi attenuata sessilibus, acutis acuminatisve, subpungentibus, trinerviis, adultis glabratis, subnitidis; capitulis in ramulis brevibus subapicalibus axillaribusque, pleianthis; hypanthio calyceque villosis.

In rupestribus summitatis montis Wuljenup (Plantagenet), Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 150 ex parte.

„Frutex octopedalis", ramulis laete fuscis. *Folia* perforato-punctata, flavo-virentia, pollicem circiter longa, superius 2-2½ lin. lata, marginibus imprimis apice inflexis. *Flores* corolla alba explanata 3 lin. diametro metiente conspicui; petalorum ungues calycis phylla ovata obtusa subaequantes. *Stamina* 10. *Capsula* immersa, trilocularis, loculis dispermis.

7. **Agonis angustifolia** *Schauer.* innovationibus sericeis; ramulis marginatis, subvirgatis; foliis alternis, confertis, lanceolato-linearibus, acuminatis, subpungentibus, uninerviis, canaliculatis, adultis glabratis; capitulis axillaribus, pleianthis; hypanthio sericeo-pubescente; calyce subglabrato.

In rupestribus summitatis montis Wuljenup, Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 149.

„Frutex octopedalis". Variat foliis anguste lanceolatis et lineari-acerosis, 6-8 lin. circiter longis. *Flores* majusculi, albi. *Calycis phylla* ovata. *Stamina* 10. *Fructus* praecedentis.

8. **Agonis juniperina** *Schauer.* ramulis piloso-hirsutis, erectis; foliis alternis, fasciculato-confertis, lineari-lanceo-

latis, dorso convexis, sessilibus, mucronato-acuminatis, ciliatis, uninerviis, adultis glabratis; capitulis apicalibus, multifloris, densis; hypanthio sericeo-pubescente; calyce glabro.

In glareosis sterilibus promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840 fructifera. Herb. Preiss. No. 314.

Frutex ramis erectis, ramulis lateralibus fasciculato-foliosis dense consitis. *Folia* 3-4 lin. longa. *Capitula* fructuum magna, oblonga. *Hypanthium* fructiferum turbinatum, helvolum. *Calycis phylla* membranacea, subtriangulari-ovata, acutiuscula, albida. *Capsula* trilocularis.

9. **Agonis parviceps** *Schauer.* ramulis subvirgatis, patulis, juvenilibus hirsutiusculis; foliis alternis, ramulos axillares brevissimos fasciculato-foliosos subtendentibus, linearilanceolatis subspathulatisque, sessilibus, acuminatis, muticis, cartilagineo-marginatis, canaliculatis, adultis glabratis; capitulis subapicalibus, exiguis, pleianthis; hypanthio subtilissime sericeo; calyce glabro.

In clivulo arenoso inter frutices densos prope vicum Albany, Septembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 160; in solo limoso-glareoso ad vicum Busselton (Sussex), Decembri a. 1839 deflorata. No. 161. King George's Sound a. 1822: A. Cgh.!

„Frutex 2-3 pedalis.“ *Folia* 2-3 lineas longa, atroviridia, perforato-punctata, ramulorum florentium capitula obvallantia. *Flores* parvi; calycis phylla triangulari-ovata, obtusa; petala candida, impunctata. *Capsula* trilocularis, loculis dispermis.

HOMALOSPERMUM Schauer, Linnaea XVII. 2. pag. 242.

Flores axillares, solitarii, basi adnati, bracteolis binis oppositis squamaceis carinatis arctis sub anthesi deciduis stipati. *Hypanthium* cyathiformi-campanulatum, angulatum, germini totum adnatum. *Calycis phylla* hypanthio continua, cutanea, marcescentia, denique obsoleta. *Petala* 5, margini hypanthii inserta, calycis phyllis alterna, orbicularia. *Stamina* plurima, cum petalis inserta inclinata, corolla breviora; filamenta subulata; anthera dorso inserta connectivo glandula terminato, bilocularis, loculis parallelis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* (saepe abortivum), hypanthio arcte adnatum, vertice depresso, 3-4-5-loculare; gemmulae in spermophoro grosso compresso, angulo centrali basi affixo, biserialia, subdena. *Stylus* filiformis; stigma peltato-capitatum. *Capsula* innata, vertice ad suturas angulato breviter emersa, loculicide dehiscens; loculi arctissimi, 1-2-3-spermi; *semina* compressa, irregulariter disciformia, gemmularum tabescentium rudimenta plerumque ad verticem loculi evecta.

1. **Homalospermum firmum** *Schauer.*

In paludosis silvae haud longe a Bull's-Creek et in turfosis planitiei propc montem Wuljenup (Perth, Plantagenet), Octobri 1840 florif. Herb. Preiss. No. 143; in subarenosis circa Albany, Septembri 1840 diabastrigera. No. 148. Swan-River: J. Drummond! Vasse-River: Mrs. Molloy!

„Frutex 5-8-pedalis“, ramis strictis patulis, innovationibus pubescentibus. *Folia* coriacea, firma, alterna, approximata, lineari-lanceolata, sensim in basin angustata, acuta, mutica, plana, obliqua, adulta glaberrima, nitida, flavescenti-viridia, 6-8 lin. longa, lineam circiter lata. *Alabastra* e bracteolis pergamentaceis geminis oppositis arctissimis obovatis carinatis deciduis erumpentes. *Flores* conspicui. *Hypanthium* 2 lin. longum, germini totum adnatum et secundum ejus locula angulatum, glaberrimum, cum phyllis calycis cutaneis rotundatis corollaque resinoso-punctatum. *Petala* flavescenti-albida, patentia, calyci aequalia. *Stamina* subtriginta, corolla duplo breviora; filamenta glanduloso-punctata. *Fructus* pro florum ubertate pauci, arcte adnati, subcubici vel trigoni; loculorum parietes nitidi, resinoso-punctati; semina inter spermophorum et parietem compressa, atra, opaca, margine tenuiter fimbriato-incisa.

PERICALYMMA Endl. gen. n. 6307.

Flores terminales vel axillares, solitarii, sessiles, bractea et bracteolis geminis oppositis consimilibus membranaceis concavis subpersistentibus obvelati. *Hypanthium* subturbinatum, ultra germen productum eique adnatum. *Phylla calycis* 5, marcescentia. *Petala* 5, margini hypanthii inserta, phyllis alterna, orbiculata, unguiculata. *Stamina* plurima, inclinata, cum petalis inserta iisque breviora; filamenta filiformi-subulata; anthera dorso inserta, bilocularis, loculis parallelis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* hypanthio totum innatum, vertice planum, triloculare; gemmulae in singulo loculo 5. *Stylus* filiformis; stigma peltato-capitatum. *Capsula* hypanthio magis minusve elongato, subcylindrico, tota immersa, trilocularis, vertice loculicide dehiscens; semen in singulo loculo unicum, rarius et alterum, perfectum, cuneatum, carpidium cocciforme induratum inferne omnino explens; reliquarum gemmularum rudimenta ad apicem loculi repressa.

1. **Pericalymma crassipes** *Lehm. Msc.* caule inferne simplici fusiformi-incrassato, superne dichotomo; ramulis divaricatis, glabris, marginatis; foliis alternis, oblongo-lanceolatis oblongisve, basi cuneatis, acuminatis, mucronatis, glabris, canaliculato-inflexis, apice uncinato, margine scabro; hypanthio cyathiformi, subtilissime sericeo; phyllis calycis cutaneis, ovatis, obtusiusculis, bracteolisque scariosis ciliatis glabris.
   Leptospermum crassipes Lehm. in Ind. Sem. hort. Hamb. a. 1842.

In solo turfoso in fruticetis densis planitiei haud longe a vico Albany (Plantagenet), Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 155. Ferd. Bauer!

Fruticulus palmaris, valde singularis, micromerus. *Folia* sesquilineam longa, arrecta. *Flores* exigui, basi foliis ramulorum, quibus insident, obvallati; *hypanthium* linea vix longior; *phylla* roseo-fucata; *petala* hypanthium longitudine aequantia, orbiculata, in unguem breviter attenuata, pallide rosea, paucipunctata.

2. **Pericalymma ellipticum** *Endl.* ramulis subdichotomis submarginatis foliisque adultis glabris; foliis alternis,

obovatis obovato-oblongis subellipticisve, basi angustata sessilibus, concavis, obscure trinerviis, acumine brevi complicato mucronato muticove; hypanthio turbinato, tenuiter sericeo; phyllis calycis cutaneis, ovatis, obtusis, ciliatis, bracteolisque scariosis glabris vel glabrescentibus. Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 51. n. 167.

In solo limoso ad ripam fl. Vasse-River, Decembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 132; in depressis turfosis hieme inundatis silvae haud procul ab oppido Perth, Septembri 1839 fructiferum No. 157. King George's Sound Hügel!

„Frutex 5-pedalis, erectus". *Folia* turionum magna, semipollice saepe majora, conspicue trinervia, plerumque vero duplo triplove minora nervis obsoletis, novella pilosa, adulta glaberrima nitidula. *Flores* conspicui, foliis approximatis diminutis cincti, squamis 3-5 scariosis obovatis concavis fuscis pellucidis punctatis hypanthium velantibus involucrati. *Hypanthium* linea paullo brevius, *calyci* longitudine fere aequale. Hujus *phylla* lata, triangulari-ovata, basi trinervia, colorata, dense ciliata, post anthesin adscendentia, dein perfecte emarcida inflexa, denique fatiscentia. *Petala* sesquilinearia, dorso puberula, pallide rosea. *Hypanthium* fructiferum cylindricum, 2 lin. longum.

3. **Pericalymma floridum** *Schauer.* dichotome ramosum, ramulis tenuibus submarginatis foliisque adultis glabris; foliis alternis, aversis, oblongo-lanceolatis oblongisve, basi angustata sessilibus, inflexis; acumine complicato submucronato reverso; hypanthio obconico-cylindrico, calycisque phyllis bracteolisque sericeo-villosis.

In humidis silvae trans fl. Cygnorum haud procul a vico Guildford, Aug. a. 1839: Herb. Preiss. No. 131. J. Drummond!

„Frutex 7-pedalis", habitu priori persimilis. *Folia* 2-5 lin. longa, laete virentia, remotiuscula, subfloralia magis congesta. *Flores* petalis dorso glabris, albis v. pallide roseis, ampliusculis speciosi. *Bracteolae*, *hypanthium* et *calyx* praeter indumentum insigne iis praecedentis speciei similes.

LEPTOSPERMUM Forst. Endl. gen. n. 6309.

1. **Leptospermum sericeum** *Labill.* foliis obovatis mucronatis 3-5 nerviis utrinque sericeis, calycibus totis sericeis, dentibus coriaceis subacutis persistentibus! Schauer, Linnaea XV. 4. pag. 412. Labill. Nov. Holl. II. pag. 9. tab. 147.

In planitie arenosa aboriginibus Quangen dicta (prov. Victoriae), Martio 1840, sine flor. Herb. Preiss. No. 135. (v. v. c.)

„Frutex 5-pedalis". A Billardiero certo certius in Terra Van-Leuwin, nec in insula Van-Diemen lectum.

2. **Leptospermum erubescens** *Schauer.* patenti-ramosum; ramulis sericeo-subvillosis; foliis alternis, obovato-oblongis, in petiolum brevem contractis, obtusis retusisve cum acumine brevissimo complicato reverso, inflexis, trinerviis, glaucescentibus, sericeo-pubescentibus, denique glabrescentibus; floribus terminalibus, solitariis, bracteatis; hypanthio campanulato-turbinato, sericeo; calycis phyllis cutaneis, triangularibus, obtusiusculis, marcescentibus.

In glareosis sublimosis sterilibus silvae cis fl. Gordon-River (Hay), Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 133; in glareosis silvae haud longe a fonte St. Rozen's-well (York), Aprili sine flor: Herb. Preiss. No. 134. Vasse-River: Mrs. Molloy!

„Frutex 5-pedalis, procumbens", ramulis paucifoliis gracilibus flexuosis. *Folia* 2½-5 lin. longa, subpellucide punctata. *Bracteae* pellucido-membranaceae, fuscae, glaberrimae, caducae, alabastrum obvelantes. *Hypanthium* 2 lin. longum. *Calyx* rubescens. *Petala* calycem duplo excedentia, unguiculata, candida v. erubescentia. *Fructus* depresso-globosus; *capsula* hypanthio cupulaeformi basi insidens, vertice emersa, 3-locularis, loculis polyspermis.

Subtribus III. Callistemoneae. Folia opposita vel alterna. Stamina indefinita, exserta, libera. Schauer, dissert. grat. pag. 5.

CALLISTEMON R.Br. Bot. Reg. n. 393. DC. Prodr. III. 223. Callistemon a Eucalliste-mon Endl. gen. n. 6302.

Flores laterales, spicam innovatione axis comosam struentes, bracteis squamaceis singuli singula subtensi, gemmam floriferam imbricatim perulantibus, prae anthesi deciduis; bracteolae nullae. *Hypanthium* herbaceum, basi carnosa axi adnatum, campanulatum, ultra dimidium germini adnatum, fauce brevi. *Calycis phylla* 5, hypanthio continua, rotundata, tota vel apice scariosa, basi imbricata. *Petala* 5, margini hypanthii annuliformi inserta, phyllis calycis alterna, subherbacea vel membranacea, suborbicularia, concava, subsessilia. *Stamina* plurima, cum petalis inserta, decidua; filamenta filiformia, longissime exserta, libera, recta; anthera citra basin dorso inserta, incumbens, bilocularis, loculis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* hypanthio innatum, vertice breviter emerso villoso, triloculare; gemmulae numerosae, in spermophoro oblongo bipartito angulo centrali affixo obliquae. *Stylus* filiformis, rectus, stamina subaequans, marcescens; stigma truncatum, subcapitatum. *Fructus* hypanthiis valde incrassatis induratisque aliquandiu calyce aucto coronatis confertissimi, mutua pressione basi angulati, demum ramulo immersi; capsula cartilaginea, arcte adnata, vertice loculicide dehiscens, semina per orificium hypanthii sero emittens; semina numerosa, tenuia, linearia v. clavata, angulata, aptera. *Folia* alterna, verticalia, lata vel elongata.

1. **Callistemon speciosus** *R.Br.* foliis lanceolatis mucronatis planis, nervo medio prominulo penninervio lateralibus margini approximatis, calycibus glabris DC. Prodr. III. pag. 224. n. 12.

   β **glaucus.** foliis glaucis DC. l. c.
   Metrosideros glauca Bonpl. Nov. 1. pag. 86. tab. 34.

In turfoso-arenosis madidis ad Stirling's Terrace prope vicum Albany, Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 351.

„Frutex octopedalis".

2. **Callistemon phoeniceus** *Lindl.* foliis lineari-lanceolatis coriaceis mucronatis basi angustatis marginatis aveniis costa obsoleta, calycibus glabris. Lindl. Swan-Riv. Bot. pag. X. n. 32.

In Australiae meridionali-occidentalis regionibus interioribus. Herb. Preiss. No. 352; in locis paludosis silvae ad fl. Canning m. Oct. 1839. No. 353. J. Drummond!

„Aboriginibus Tubădă."

KUNZEA Rchb. Consp. Regni veget. (1828) pag. 175

Flores racemosi, spicati vel capitati, singuli bractea bracteolisque geminis oppositis stipati, sessiles v. pedicellati. *Hypanthium* campanulatum vel obconico-tubulosum, tubo inferius germini adnato ibidemque angulato, superius libero et in faucem ampliato. *Calycis phylla* 5, hypanthio continua, herbacea, plerumque acuta, sinibus interstincta, persistentia. *Petala* 5, margini hypanthii annuliformi pene sinus calycis inserta, colorata, suborbicularia, vix unguiculata. *Stamina* plurima, cum petalis inserta, decidua filamenta filiformia magis minusve exserta, libera; anthera citra basin dorso inserta, incumbens, bilocularis, loculis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* fundo hypanthii innatum, vertice planiusculum, 3-5-loculare; gemmulae plurimae, in spermophoro oblongo angulo centrali prope apicem affixo obliquae. *Stylus* filiformis vel teres, rectus; stamina subaequans, marcescens; stigma subpeltato-capitatum. *Fructus:* Hypanthium emarcidum (nec lignescens neque incrassatum) pergamentaceum, calycis phyllis coronatum capsulam fovens; haec adnata, apice loculicide dehiscens; semina plurima, aptera. *Folia* alterna parva.

Genus insigne a *Callistemone* et *Metrosidero* (*Agalmantho* Endl.) cum habitu tum characteribus omnino distinctum *).

*) 1. Floribus spicatis.

K. Baxteri Schauer: foliis confertissimis, patentibus, coriaceis, planis, linearicuneatis, acutis, uninerviis, glabris, margine villosulo; floribus sessilibus, infrapicalibus, spicatis; bracteis bracteolisque fugacibus, lineari-navicularibus, scariosis margine lanuginosis; hypanthio campanulato, colorato, pubescente; calycis phyllis foliaceis, lanceolatis, acutis; germine 5-loculari. *Calothamnus Baxteri* et *C. spathulata* Hort. Angl. *Pentagonaster Baxteri* Kletzsch in Otto et Dietr. Allg. Gartenztg. IV. pag. 113! *Callistemon microstachyum* Lindl. Bot. Reg. New-Ser. XI. I. 7. In Nova Hollandia (australi?). Ferd. Bauer! (v. v. c.) *Petala* tenuiter ciliata, calyce duplo breviora, cum filamentis 8-9 lin. longis styloque puniceo. *Germen* suturis argenteo-sericeis in vertice stella 5-radiata insignitum.

* *Corolla et filamentis lilacinis (antheris luteis).*

1. **Kunzea pauciflora** *Schauer.* glabra; foliis confertissimis, imbricatis, semitereti-acerosis, obtusis, laevibus; floribus subapicalibus, singulis paucisve subcapitatis; bractea bracteolisque scariosis, ovatis, acuminatis, carinatis; illa hypanthio obconico breviori; germine 5-loculari.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 259.

Fruticulus ramis ramulisque confertissimis subfastigiatis tortuosis, his superne foliosis. *Folia* 2-4 lin. longa, angustissima. *Flores* subsessiles, foliis obvallati. *Hypanthium* calyci aequale, 2 lin. longum. *Calycis phylla* a basi ovata acuminata, subherbacea, membranaceo-marginata, involuta; sinus truncati. *Petala* oblonga, calycem aequantia, lilacina.

---

2. Floribus axillari-v. subapicali-racemosis.

K. corifolia Rchb. l. c. glabriuscula v. puberula; ramulosa; foliis confertissimis, patentibus reflexisve, subobliquis, lineari-lanceolatis, enerviis, apice cartilagineo acuto recurvo; floribus vel axillari-vel subapicali-racemosis; bracteolis patentibus foliaceis persistentibus, vel squamaceis caducis; hypanthio obconico-campanulato; calycis phyllis lanceolatis; germine 3-loculari. *Metrosideros corifolia* Vent. Malm. t. 46! *Leptospermum ambiguum* Sm. exot. Bot. t. 59! *Stenospermum corifolium* Sweet. Hab. in Nova-Hollandia orientali: Sieber N. Holl. exs. n. 324! Ferd. Bauer! Hügel! (v. v. c.) Corolla alba.

3. Floribus capitatis.

K. praestans Schauer. glabra, foliis confertissimis, suberectis, coriaceis, cuneatis, brevissime apiculatis, subenervis, apice recurvis, margine scabris; capitulis apicalibus, globosis, multifloris; bractea obovata bracteolisque anguste lanceolatis scariosis, acutis, carina margineque sublanuginosis, hypanthio campanulato fere duplo brevioribus; germine 5-loculari. Hab. in Nova-Hollandia occidentali ad fl. Cygnorum: J. Drummond!; ad fl. Vasse-River: Mrs. Molloy! Frutex bipedalis, ramis virgatis suberectis. *Folia* 3 lin. circiter longa, nunc latiora nunc angustiora, viridia, nitidula, nerve medio valde obscuro. *Rhachis* capituli pubescens. *Hypanthium* ampliusculum, glabrum. *Calycis phylla* ovata, acutiuscula; sinus truncati. *Petala* calyce plus duplo longiora, patentia, in disco punctata, cum filamentis breviter exsertis roseo-lilacina. **K. Schaueri** Lehm. Msc. innovationibus villosulis; foliis confertissimis, patulis, coriaceis, obovato-oblongis cuneatisve, breviter apiculatis, 5-nerviis, demique glabratis, margine scabris; capitulis apicalibus, globosis, multifloris; bractea obovata, acuminata, bracteolisque lanceolatis angustissimis scariosis, cum hypanthio obconico calyceque sericeo-villosis hypanthio triente brevioribus, germine 3-loculari. *Metrosideros capitata* Sm. Act. Soc. Linn. III. pag. 273. n. 13. *Callistemon capitatum* Rchb. hort. bot. I. pag. 59. tab. 84! *Melaleuca eriocephala* Sieb. N. Holl. exs. n. 322! *Stenospermum capitatum* Sweet. Hab. in Nova-Hollandia orientali: Ferd. Bauer! Sieber! Hügel! **K. parvifolia** Schauer. ramulis tenuibus confertis foliisque pubescentibus; foliis parvis confertissimis, subimbricatis, recurvo-patulis, lineari-oblongis, brevipetiolatis, obtusis, subtus punctatis, demique glabratis; capitulis apicalibus, plurifloris, densis bractea bracteolisque scariosis, ovatis, acutis, sericeo-pubescentibus, hypanthio campanulato glabriusculo duplo brevioribus; calycis phyllis subrotundo-ovatis, acuminatis, germine 3-loculari. In Novae-Hollandiae orientalis prov. Argyle leg. Hügel! Frutex ramis tortuosis cortice laciniose indutis, ramulis brevibus confertissimis, saepe fasciculatis, intricatis, tenuibus, rigidulis, terminalibus virgatis floriferis. *Folia* linea vix longiora, subtus convexa vel subcarinata. *Capitula* 6-8-flora. *Hypanthium* sublanuginosum, mox glabratum. *Calycis* phylla basi contigua. *Petala* orbicularia, subsessilia, calyce paullo excedentia, cum filamentis duplo longioribus persicina.

2. **Kunzea micrantha** *Schauer.* glabra; foliis confertissimis, imbricatis, coriaceis, cuneatis, superne cartilagineo-marginatis, acutis, subuninerviis; capitulis apicalibus, globosis, multifloris; bractea obovata, acuta, bracteolisque angustis spathulatis scaphiformibus, dorso infero sublanuginosis, hypanthium basi compressum aequantibus; germine 3-loculari, loculo uno alterove sterili.

In arenosis limosis ad vicum Guildford, Octobri 1839 alabastris adultis. Herb. Preiss. No. 277.

Frutex pedalis, graciliter ramosus. *Folia* 2-2½ lineas longa, plana, viridia, nitida. *Capitula* pisi majoris mole. *Hypanthium* adscendens, basi quatenus germine repletur irregulariter compressum, quo fit ut loculum unum alterumve tabescat. *Calycis phylla* ovata, incurva, acutiuscula; sinus truncati.

3. **Kunzea Preissiana** *Schauer.* foliis confertissimis, subimbricatis, lineari-lanceolatis, obtusis, uninerviis, villosis, demum glabrescentibus; capitulis apicalibus, paucifloris; bractea subrotunda ovatave, acuminata, bracteolisque linearibus scariosis, hypanthio campanulato-turbinato subaequalibus et cum eo sericeis; calycis phyllis ovatis, obtusissimis; germine 5-loculari.

In plagis interioribus Australiae meridionali-occidentali, Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 276.

Frutex ex nostro specimine dodrantalis, pluricaulis, ramis virgatis, ramulis lateralibus brevibus densifoliis. *Folia* 2-2½ lin. longa, subcanaliculata, leviter carinata, brevipetiolata, adulta glabrata nitida. *Petala* calycem duplo excedentia, persicina.

4. **Kunzea villiceps** *Schauer.* foliis confertissimis, patulis, subimbricatis, obverse lanceolatis oblongisve, obtusis, mucronatis, cano-villosis; capitulis apicalibus, densis plurifloris, saepe congestis; bractea subrotunda ovatave, acuminata, bracteolisque lanceolatis scariosis, hypanthio obconico triente brevioribus et cum eo villosissimis; calycis phyllis ovatis acutis; germine 5-loculari.

In planitie arenosa inter frutices cis fl. Gordon, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 275.

„Frutex tripedalis", villo denso undique incanus. *Folia* 2-3 lineas longa, in petiolum brevissimum latiusculum abeuntia. *Capitula* pisi majoris magnitudine, ramulis floriferis brevissimis in apicibus ramorum congestis saepe composita. *Flores* breviter pedicellati. *Petala* calycem duplo superantia, lilacina.

5. **Kunzea recurva** *Schauer.* innovationibus pubescentibus; foliis confertis, coriaceis, obovato-subrotundis, uninerviis, breviter apiculatis, adultis glabris recurvis; capitulis apicalibus, ovalibus, multifloris; bractea obovato-subrotunda, subacuminata, praeter basin glabra, bracteolisque cuneatis dorso lanatis scariosis, hypanthium campanulato-tubulosum sublanuginosum fere aequantibus; germine 5-loculari.

In calculosis ad radices montium Darling's-range, Octobri 1839. Herb. Preiss. No. 290. J. Drummond!

Frutex 4-5-pedalis, gracilis, ramis virgatis dense foliosis. *Folia* magnitudine varia, 1½-2½ lin. lata, viridia, nitida, laevia, perforato-punctata. Axis capituli villosus. *Flores* sessiles. *Hypanthium* primum lanuginosum, dein subglabratum. *Calycis* phylla ovata, acuta, marginata; sinus perangusti. *Petala* calycem aequantia, patentia, cum filamentis duplo longioribus lilacina.

** *Corolla et staminibus flavis.*

6. **K. propinqua** *Schauer.* innovationibus lanuginoso-villosis; foliis confertis, patulis, lineari-lanceolatis, basi attenuata sessilibus, acutiusculis, muticis, denique glabrescentibus; capitulis apicalibus, globosis, multifloris; bractea bracteolisque subrotundis, scariosis, praeter basin glabris, hypanthio fere duplo brevioribus; germine 5-loculari.

Metrosideros propinqua Endl. En. pl. Hügel pag. 50. n. 160!

In arenosis silvae supra vicum Perth, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 271. Ad Sinum Regis Georgii: Hügel!

„Frutex 8-16-pedalis", ramis gracilibus patentibus. *Folia* 2-6 lineas longa, angusta, firma, demum glabrata nitida. *Capitula* cerasi minoris mole, 12-20-flora; axis dense villosus. *Bracteolae* concavae, subcarinatae, obtuse acuminatae, sessiles, flavae; bractea bracteolis paullulo major et firmior, ciliolata *Hypanthium* cum *calyce* 2 lin. longum, villo raro caduco adspersum; hujus phylla triangularia, sinus acutanguli. *Petala* orbicularia, erecta, cum staminibus sesquilinearibus flava.

7. **Kunzea vestita** *Schauer.* lanuginoso-villosa; foliis confertissimis, patentibus, lineari-subulatis subtrigonisve, basi attenuata sessilibus, acutiusculis, muticis, denique glabrescentibus; capitulis apicalibus, globosis, multifloris; bractea obovata, acuminata, concava, bracteolisque cuneatis angustissimis scariosis, sericeo villosis, calycem glabrum subaequantibus; germine 5-loculari.

In turfosis hieme inundatis inter frutices densos prope praedium b. Spencer ad Sinum Regis Georgii, Septembri 1840. Herb. Preiss. No. 272.

Frutex 8-pedalis, ramis laxis dense ramulosis. *Folia* crassiuscula, subtus convexa vel subcarinata, 2 lineas circiter longa, plurifariam patentia, saepe recurva. *Capitula cerasi* magnitudine, rhachi villosa. *Flores* circiter 20, sessiles, bracteis magnis villosis fere obtecti. *Hypanthium* cum calyce 2 lin. longum, glabrum, nitidum, glanduloso-punctatum. *Calycis phylla* latiuscula, triangularia, acuta; sinus obtusanguli. *Petala* orbicularia, erecta, cum staminibus iis duplo longioribus pulcherrime flava. — Habitu praecedenti accedens, sed facilis distinctu.

SYMPHYOMYRTUS Schauer.

Flores complures hypanthiis totis arctissime conferruminatis in capitulum globosum, pedunculatum coadunati. *Calyx* operculum clausum, corniforme, sub anthesi circumscisse deciduum exhibens. *Corolla* nulla. *Stamina* plurima, margini interiori

hypanthii truncati inserta; filamenta filiformia, elongata; anthera infra medium dorsi inserta, incumbens, linearis, bilocularis, loculis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* inferne hypanthio adnatum, vertice subpyramidali angulato in stylum abeunte terminatum triloculare; *gemmulae* plurimae, spermophoro bicostato angulo centrali affixo insertae. *Stylus* angulatus, rectus, stamina subaequans, deciduus; stigma obtusum. *Fructus* syncarpium lignosum, globosum, apicibus capsularum conicis exsertis quasi armatum, struentes. *Capsula* semisupera, apice libero loculicide-trivalvi; valvae lignescentes conniventes vel apice cohaerentes, rimis interjectis hiantibus; locula arcta polysperma; semina cuneata.

Planta habitu et ipso flore *Eucalypto* simillima, sed propter inflorescentiam sui generis. Ad *Eucalyptum* eodem, quo *Syncarpia* ad *Metrosiderum*, modo se habet.

1. **Symphyomyrtus Lehmanni** *Schauer. Eucalyptus Lehmanni* L. Preiss. in Sched. Herb.

In glareosis sterilibus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840. cum floribus et fructibus maturis lecta. Herb. Preiss. No. 227.

„Frutex 6-8-pedalis", ramulis teretibus, ex omni parte laevis. *Folia* alterna, elliptica vel oblonga, subinaequilatera, in petiolum contracta, obtusissima, brevissimeque apiculata, pallide viridia, nitida, firma, rigida, imperforata, 2-2½ poll. longa, unum poll. circiter lata. *Pedunculi* ad basin ramulorum annotinorum laterales, sesqui-bipollicares, validi, saepe incrassati, compressi, deflexi, continue in capitulum abeuntes. *Capitulum* globosum, nucis *Juglandis* majoris mole, e floribus 12-14 usque ad limbum hypanthiorum connatis constitutum, prae anthesi operculis coriaceis subuliformibus bipollicaribus porrectis horridum. *Stamina* numerosa, sesquipollicem et quod excedit longa; filamenta quadrangulari-filiformia, sordide alba. *Germen* vertice subpyramidali angulato in stylum tetragonum stamina subaequantem abeunti emersum, triloculare. *Capsulae* valvae lignosae, triangulares, acuminatae, pluricostatae, nitidae, in conum conniventes vel apice cohaerentes.

EUCALYPTUS Herit. Endl. gen. n. 6300.

* Alternifoliae.

1. **Eucalyptus cornuta** *Labill.* fruticosa; laevis; foliis firmis, alternis, lanceolatis, petiolatis, utrinque acuminatis, nitidis; pedunculis axillaribus lateralibusque, petiolum subaequantibus, teretiusculis compressisve; capitulis 8-12-floris; hypanthio sessili, cylindrico-cyathiformi; operculo e basi ampliata subuliformi, tereti hypanthio quadruplo-quinduplo longiori. Labill. Voyage I. pag. 403. tab. 20!

In glareosis sterilibus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840, florens. Herb. Preiss. No. 238. (v. sp. Billard. in Herb. Willd. n. 9594!)

2. **Eucalyptus redunca** *Schauer.* fruticosa; foliis rigidulis, alternis, lanceolatis, inaequilateris, in petiolum atte-

nuatis, acuminatis, utrinque glaucis (costa margineque discoloribus); umbellis lateralibus axillaribusve, 6-12-floris; pedunculo complanato-ancipiti, semipollicari; hypanthio cylindrico; operculo subuliformi-conico, coriaceo, nitido, hypanthio duplo et quod excedit longiori, acumine (saltem in alabastro subadulto) reduncо vel cincinato.

In regionibus interioribus inter Sinum Regis Georgii et coloniam York interiacentibus, Octobri M. cum alabastris subadultis Herb. Preiss. No. 234. Februario et Martio cum alabastris juvenilibus No. 245 et 247; in glareosis sterilibus collium Konkoberup prom. Cape Riche, Novembri fructifera No. 232.

„Frutex orgyalis", ramulis angulatis cum petiolo margineque costaque foliorum vitellinis. *Foliorum* lamina 3-4 poll. longa, 6-12 lineas lata. *Hypanthium* (alabastri cum pedicello ei continuo et aequilongo unciam longi) 3 lin. circiter altitudine metiens. *Operculum* 6-7 lineas longum. *Germen* triloculare. *Fructus* umbellati, oblongo-clavati, cum pedicello 6-7 lineas longi, superius 2½ lineas crassi, truncati; *capsula* inclusa, valvis erectis os hypanthii attingentibus.

3. **Eucalyptus floribunda** *Hügel* arbuscula; foliis coriaceis, alternis, lanceolatis, inaequilateris, in petiolum acutatis, longe acuminatis, margine cartilagineo revoluto, facie viridi nitido, dorso glaucescenti v. pallidiori; umbellis axillaribus, 5-12-floris; pedunculo ancipiti, petiolo subaequali; pedicellis angulatis, hypanthio campanulato ore dein dilatato subduplo longioribus; operculo amplo, subcampanulato-conico, hypanthio triente longiori, coriaceo, ruguloso. Endl. Enum. plant. Hügel pag. 49. n. 156!

In arenosis silvae ad fl. Swan-River, Junio exeunte a. 1839, florens Herb. Preiss. No. 251.; in rupestribus subhumidis ad radices montis Baldhead ad Sinum King George's Sound, Octobri a. 1840 florens et fructifera No. 242, in glareosis limosis prope montem Wuljenup, distr. Plantagenet, Septembri M. a. 1840 florens No. 229 et 244. (v. sp. auth. in Herb. Caes. Vindob.)

„Arbor 12-25 pedes alta", ramulis angulatis gracilibus laxis. *Folia* 3-5 poll. longa. *Operculum* 3 lin. longum, maturum testaceum. „*Flores* suaveolentes". *Fructus* nucis moschatae fere mole, subgloboso-oblongus, truncatus; *capsula* hypanthio incrassato lignoso inclusa, trifariam-loculicida, valvis limbum hypanthii tangentibus.

4. **Eucalyptus occidentalis** *Endl.* fruticosa; laevis; flavo-virens; foliis firmis, alternis, oblongo-lanceolatis lanceolatisve, in petiolum attenuatis, acuminatis, nitidis; umbellis axillaribus, 5-8 floris; pedunculo ancipiti, petiolum aequante vel superante; pedicellis angulatis, hypanthio campanulato late marginato duplo brevioribus; operculo amplo, conico-tereti, medio vix contracto, obtuso, apiculato, coriaceo, hypanthio triente longiori. Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 49. n. 154!

In glareosis sterilibus collium Wuljenup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 240; in similibus locis cis fluvium Gordon, distr. Hay, Nov. fructifera No. 228. (v. sp. auth. in Herb. Caes. Vindb.)

Folia 4-6 poll. longa, 6-12 lin. et ultra lata, saepius inaequilatera. *Hypanthium* 3½-4 lin. longum, fauce brevissima, margine post anthesin

incrassato cicatrice lata insignito limbato, basin germinis vertice conico laevique exserti cingente. *Fructus* hypanthium mole paullo auctum et mutatum; *capsula* vertice emerso dentibus 4-5 dehiscens. — Sequenti habitu et flore proxima, operculo et deficiente eo germinis vertice exserto ecostato distincta.

5. **Eucalyptus incrassata** *Labill.* fruticosa; laevis; viridis; foliis crassiusculis, rigidis, alternis, oblongo-lanceolatis, in petiolum attenuatis, subacuminatis, incrassato-marginatis, nitidis, subtus pallidioribus; umbellis axillaribus, 5-8-floris; pedunculo ancipiti quam petiolo breviori; pedicellis angulatis, crassis, hypanthio campanulato angulato ore producto dilatatoque late marginato duplo brevioribus; operculo e basi depresso-hemisphaerica in apicem obtusum contracto, crasso, hypanthio subaequilongo. — Labill. Nov. Holl. II. pag. 12. tab. 150!

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840 alabastrigera et fructifera. Herb. Preiss. No. 249. (v. sp. orig. in Herb. Willden. No. 9593!)

„Frutex sesquiorgyalis", ramulis angulatis rigidulis. *Folia* 3 poll. circiter lata, 9-12 lin. lata. *Hypanthium* 3 lin. altum, tubo subangulato vel plurijugato, fauce producta ampliata post operculi lapsum cicatrice fasciari extrorsa marginata verticem germinis argute 4-costatum ambiente. *Fructus* hypanthium paullo mutatum, 6 lin. longum; *capsula* inclusa, quadrivalvis.

6. **Eucalyptus concolor** *Schauer.* arbuscula; laevis; tota pallidissime viridis; foliis rigidulis, alternis, oblongo-lanceolatis, in petiolum contractis, acuminatis, nitidulis; capitulis axillaribus, 5-8 floris; pedunculo teretiusculo vel compresso, petiolo breviori; hypanthio sessili, subcampanulato; inferne angulato, fauce brevi ampliata; operculo e basi breviter conica in acumen cornutum contractum, crassiusculum, hypanthio quadrante longius.

In colle calcareo prope coloniam Freemantle, Decembri M. a. 1838 florens. Herb. Preiss. No. 225; in glareosis porrectis regionum interiorum Australiae meridionali-occidentalis No. 243, sterilis.

„Arbuscula 8-12 pedalis". *Folia* 4-5 poll. longa, 1-1½ poll. lata, inaequilatera. *Hypanthium* 3 lin., *operculum* 4 lin. longum. *Germen* vertice conico emersum, 4-loculare. — Proxime affinis *E. capitellatae* Sm., quae, habitu quidem valde similis, differt: operculo conico vix constricto, obtuso, hypanthium longitudine vix aequante.

7. **Eucalyptus decipiens** *Endl.* fruticosa; laevis; foliis coriaceis, alternis, subrotundis ellipticis oblongis lanceolatisve, in petiolum attenuatis, breviter acuminatis, pallide virentibus, opacis; capitulis axillaribus, 8-12 floris, confertis; pedunculo subtereti; pedicellis hypanthio continuis subnullis vel brevissimis; hypanthio turbinato, fauce brevi; operculo conico, in apicem subcornutum contracto, nitidulo, hypanthio triente circiter longiori. Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 49. n. 155!

Variat: α **latifolia.** foliis subrotundis ellipticis oblongisve. *E. decipiens* Endl! l. c. (v. in H. C. Vindb.)

β **angustifolia.** foliis lanceolatis. **Herb. Preiss. sine No.**

In glareosis sterilibus collium Wuljenup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840 florens lecta. Herb. Preiss No. 241.

„Frutex 8-10-pedalis". *Folia* quoad figuram maximopere variabilia. *Hypanthium* cum pedicello 2-2½ lin. longum, cum operculo fuscum, nitidumque. — Forma latifolia, a nob. L. B. de Hügel lecta, *E. ovatae* Lab. tantopere similis est, ut pro eadem habuerim, nisi operculi forma repugnaret.

8. **Eucalyptus rudis** *Endl.* arborea; foliis coriaceis, alternis, e basi ovata lanceolatis, longe acuminatis, longe petiolatis, utrinque subglaucescentibus, subopacis; umbellis axillaribus, 4-6 floris; pedunculo semipollicari, teretiusculo vel cum pedicellis hypanthio fere duplo longioribus angulato; hypanthio obconico-cupulaeformi; operculo arcto, conico, acutiusculo, hypanthio subaequali v. triente longiori, firmulo, nitido. — Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 49. n. 157!

In arenosis silvae ad fl. Swan-River, Octobri 1839 florens. Herb. Preiss. No. 252 (v. in H. C. Vindb.)

„Arbor circiter 45 pedes alta", ramulis gracilibus laxis. *Folia* in nostra 3-5½ poll. longa, petiolo 8-12 lin. aequante. *Hypanthium* 2-2½ lin. altum. *Germen* 4-5-loculare. — Flores in planta Preissiana longius pedicellati paulloque majores quam in Hügeliana, quae foliis majoribus, 6-7 pollices longis, gaudet.

9. **Eucalyptus amygdalina** *Lab.* arborea; laevis; foliis firmis, alternis, anguste lanceolatis, in petiolum attenuatis, cuspidato-acuminatis, pallidis, nitidis; areolis retis magnis lanceolatis; umbellis axillaribus, 5-8-floris; pedunculo subancipiti, petiolum aequante; pedicellis brevibus; hypanthio obconico-cyathiformi; operculo subconico-hemisphaerico, obtuso, hypanthio multo breviori. — Lab. Nov. Holl. II. pag. 14. tab. 154?

In solo sublimoso arenoso districti York, Martio M. a. 1840 cum alabastris adultis Herb. Preiss. No. 246, et similibus in locis montis Mathilda distr. York, cum fructibus No. 248. (v. sp. orig. in Herb. Willd. n. 9598!)

„Arbor 45 pedes circiter alta, cortice per strata solubili" ramulis gracilibus. — Pedicelli in nostra longiores, fructus minores quam in planta Billardierana, quae ceterum omni nota congruere videtur, quantum quidem ex speciminibus satis mancis judicare licet.

10. **Eucalyptus foecunda** *Schauer.* fruticosa; laevis; foliis coriaceis, alternis, anguste lanceolatis, sensim in petiolum attenuatis; in acumen tenue contractis, viridibus, nitidis; umbellis axillaribus terminalibusque, 5-8-floris, subpaniculatis; pedunculo compresso, petiolum subaequante; pedicellis hypanthio continuis et subaequalibus; hypanthio (fructus) turbinato; operculo . . . . . (fructibus umbellatis 3½ lin. longis truncatis).

In clivulis calcareis haud procul ab colonia Freemantle, Aug. M. 1839 fructifera. Herb. Preiss. No. 231.

„Frutex 5-pedalis" ramis virgatis. *Folia* cum petiolo 2½ poll. longa, 4-6 lin. lata, sicca tenuiter reticulata, imperforata. *Capsula* 3-rarius 4-lo-

cularis, vertice valvis subulatis paulloque ultra marginem hypanthii exsertis dehiscens. — *E. radiatae* Sieb. affinis.

11. **Eucalyptus hypoleuca** *Schauer.* arborea; glabra; foliis coriaceis, alternis, ovato-oblongis, basi obliqua breviter in petiolum contractis, acuminatis, subtus glaucis, reticulato-venosis; floribus in pedunculo axillari compresso subancipiti subternis, brevissime pedicellatis; hypanthio . . .; Operculo . . . .; (fructu majusculo subgloboso laevissimo, disco elevato capsulam trilocularem inclusam aequante).

In confragosis silvae prope montem Wuljenup distr. Plantagenet, Octobri fructifera. Herb. Preiss. No. 226. Vidi fragmentum.

„Arbor trigintipedalis", ramis rigidulis. *Folia* 3-4 poll. longa, 16-20 lineas lata. *Fructus* 9 lin. diametro metiens, subglobosus, vertice depresso, e disco elevato formato ore circulari 4 lin. lato pertuso.

12. **Eucalyptus calophylla** *Lindl.* arborea; laevis; foliis coriaceis, alternis, ovato-lanceolatis oblongisve, inaequilateris, basi in petiolum contractis, acuminatis, vel obtusis cum acumine imposito, tenuiter penninerviis, subtus glaucis; umbellis axillaribus terminalibusque, sub-5-floris, paniculatis; pedunculo ancipiti pedicellisque angulatis elongatis; hypanthio turbinato-hemisphaerico, fauce amplissima; operculo depresso, planiusculo, orbiculari, breviter umbonato, sub anthesi margini hypanthii cardine quasi alligato, reflexo. — Lindl. Bot. Reg. new. Ser. XIV. pl. misc. 157.

„N'gumbat Autochthonum; Red-Gum colonorum". *E. calophylla* R.Br. Journ. geogr. Soc. Lond. 1830—31, pag. 19? *E. splachnicarpa* Hook. Bot. Mag. t. 4036! (operculi descriptione vitiosa).

In arenosis silvae circa oppidulum Perth et totius coloniae; floret Januario. Herb. Preiss. No. 250.

„Arbor 35-60 pedes alta", ramificatione patente. *Folia* subundata, margine incrassato revoluto cincta, supra viridia nitida, subtus glauca deinque pallidiora, penninervia nervis secundariis parallelis valde approximatis in venam submarginalem anastomosantibus, pellucide punctata, 3-5 pollices longa, citra basin sesquipollicem lata. *Flores* magnitudine speciosi; *alabastra* pyriformia; *hypanthium* ultra germen vertice planum 3-4-5-loculare in faucem amplissimam coriaceam semigloboso-cupulaeformem productum; *operculum* subtus resinoso-punctatum, vertici alabastri impositum, diametro 3 lineas metiens; *stamina* numerosissima, 5 lin. longa, alba. *Fructus* magnus (2 poll. longus, 15 lin. diametro latus,) lignosus, oblongo-urceolatus, limbo amplo patellaeformi interne laevissimo, ore valde constricto.

** Oppositifoliae.

13. **Eucalyptus Preissiana** *Schauer.* fruticosa; ramulis quadrangularibus, rigidis; foliis firmis, oppositis subalternisve, ellipticis oblongis vel subparabolicis, petiolatis, basi rotundatis, obtusissimis, viridibus nitidis; pedunculo axillari

latissimo, alato-ancipiti, petiolum aequante, trifloro; hypanthio brevissime pedicellato, obconico-cyathiformi (9 lin. alto), fauce amplissima diametro oris longitudinem totius hypanthii aequante; operculo . . . . .

In lateribus rupestribus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840 deflorata. Herb. Preiss. No. 239.

„Frutex 8-pedalis". *Folia* supra lucida, subtus nitida, in sicco utrinque subflavescenti-viridia, pellucide punctata; lamina 3½ poll. longa, 1¼-1½ poll. lata; petiolus 9 lineas circiter longus, latus, complanatus, tortus. *Hypanthium* magnum, ecostatum, ore extrorsum cicatrice duplici late marginato. „*Stamina* sulphurea". *Germen* in fundo faucis hypanthii vertice depresso 5-radiato et 5-angulato breviter emersum, 5-loculare. — Species inter omnes tam habitu quam characteribus maxime insignis.

14. **Eucalyptus pleurocarpa** *Schauer*. fruticosa; undique farinaceo-pulverulenta; ramis alato-tetragonis; foliis firmis, oppositis, petiolatis, obliquis, subrotundis ellipticis ovatisque, basi rotundatis, obtusis retusisve cum acumine brevissimo; petiolo plano, alato-decurrente; floribus ternis in pedunculo axillari semipollicari, cum pedicellis brevissimis alato-ancipiti; hypanthio (fructus) subgloboso, argute 4-costato, capsula paullo longiori; operculo . . . . .

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri a. 1840 fructifera. Herb. Preiss. No. 253.

„Frutex 15-pedalis", ramis rigidis. *Folia* 2-4 poll. longa, inferius 1½-2 poll. lata, margine valde incrassato limbata, pulvere deterso punctis crebris perforata. *Fructus* nucis *Avellanae* magnitudine, alis pedicelli in hypanthium excurrentibus costis binis argutis satisque prominentibus nec non binis secundariis prioribus contrariisque minus elevatis quadrijugatus. *Capsula* 4-locularis.

15. **Eucalyptus macrocarpa** *Hook*. fruticosa; undique farinaceo-pulverulenta; ramis quadrangularibus; foliis rigidis, oppositis, decussatis, cordato-ellipticis, sessilibus, breviter acuminatis; floribus (maximis) axillaribus, singulis, breviter pedunculatis; hypanthio cyathiformi, marginato, cum operculo hemisphaerico-conico acuminato et triente longiori crassissimo. — Hook Icon. plant. tab. 405—407!

In glareosis sterilibus planitiei „Quangen" ab autochthonis dicta, prov. Victoriae, Martio M. 1840, alabastris et fructibus onusta. Herb. Preiss. No. 235.

„Frutex octopedalis", rigidus. *Folia* 4-5 poll. longa, 3-3½ poll. lata, cartilagineo-marginata, sub pulvere crebripunctata. *Alabastra* subadulta sesquipollicaria. *Fructus* maximus, lignosus; *hypanthium* hemisphaericum, diametro ultra 2 pollices metiens, margine extrorsum declivi cicatrice duplici, ex area operculi et area staminum repetenda, 4 lin. lata insignito praeditum, superatum disco lignoso, 4 lin. alto, denique juxta valvulas pericarpii dirupto. *Capsula* 4-locularis, accreta, maturitate nihilominus loculicide dehiscens et ab axi centrali conico, spermophora ferente, secedens. *Semina* numerosa, cuneata, angulata.

Subtribus IV. Phalangideae. Folia opposita vel alterna. Stamina indefinita, exserta, in phalanges petalis oppositas coalita. Schauer, Dissert. gratul. pag. 5.

Sect. 1. MELALEUCEAE. Antherae dorso insertae, incumbentes.

GYMNAGATHIS Schauer, Linnaea XVII. 2. pag. 243.

Flores in capitula axillaria, sessilia, axi non amplius innovante terminalia, pleiantha, collecti, sessiles, singuli bractea bracteolisque geminis consimilibus stellatis basi involucrati. *Hypanthium* cyathiforme, inferne germini adnatum, superne margine interiori pentagono-toruloso praeditum. *Calycis phylla* hypanthio continua, brevia, marcescentia. *Stamina* plurima, in phalanges 5 coalita, torulo fauciali hypanthii ad angulos inter calycis phylla insertas, pinnatifidas, post anthesin deciduas; anthera dorso inserta, incumbens, bilocularis, loculis parallelis rima longitudinali dehiscentibus. *Germen* hypanthio innatum, triloculare; gemmulae in loculo complures, in spermophoro subpeltato, angulo centrali affixo obliquae. *Stylus* filiformis, exsertus; stigma peltato-capitatum. *Hypanthium* fructiferum vix incrassatum, siccum; capsula immersa, vertice loculicide-trivalvis; semina numerosa, cuneata, aptera.

Genus a *Melaleuca* inflorescentiae et hypanthii indole distinctum.

1. **Gymnagathis teretifolia** *Schauer. Melaleuca teretifolia* Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 49. n. 153!

In arenosis silvae prope Woodman's-point, Decembri 1838. Herb. Preiss. No. 268; in paludosis inter frutices vix penetrabiles ad Hester's-point, Maio 1841, fructifera. Herb. Preiss. No. 269. — Hügel!

„*Frutex* 3-9-pedalis, erectus, subfastigiatus", ramulis elongatis rigidulis teretibus cum reliquis partibus omnibus glaberrimis. *Folia* alterna, patentia, tereti-filiformia, rigida saepe subincurva sessilia, apice acuto rectiusculo breviter mucronata, punctata, in nostris speciminibus $1\frac{1}{2}$-$2\frac{1}{2}$ pollices longa. *Capitula* densa, 8-12-flora. *Bractea* et *bracteolae* squamaceae, scariosae, late ovatae, obtusiusculae, concavae, illa hypanthium subaequans, hae breviores. *Hypanthium* cum calyce subherbaceum, viride, punctatum, lineam longum. *Petala* calyce duplo longiora, orbiculata, unguiculata, cum staminibus alba. *Phalanges* 9-andrae, pinnatifidae, unguibus corollam subaequantibus. *Fructus* glomerati, hypanthii tubo angulato, limbo patellari.

MELALEUCA L. Endl. Gen. n. 6298.

I. Cosmostemon. Flores in capitula, sub florescentia apicalia, confertissima, saepe composita, collati (minores). Hypanthium totum vel basi saltem lanatum, indumento denso lanato axis magis minusve immersum. Calyx membranaceus, cutaneus, v. subherbaceus, marcescens. Phalanges staminum rectae, 3-11-andrae, palmatifidae. Stylus filiformis, plerumque exsertus; stigma punctiforme. — Folia alterna Fructus laeves, ore edentato.

1. *Calycis phylla membranacea v. cutanea enervia.*

* *Floribus lilacinis.*

1 **Melaleuca spathulata** *Schauer.* ramulis brevibus, rigidulis; foliis alternis, coriaceis, obovato-spathulatis, brevissime acuminatis, obtusis, subinflexis, recurvo-patentibus, adultis glabratis utrinque asperulis; capitulis sphaericis, parvis conglobatis, hypanthio campanulato, sericeo, basi immerso; calycis phyllis rotundatis, membranaceo-marginatis; phalangibus subtriandris, unguibus corollam aequantibus.

In glareosis sterilibus ad latera collium Koskoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 301.

„Fruticulus pedalis, squarrosus“ *Folia* 3½ lin. longa, superne 2 lin. circiter lata, vix conspicue trinervia. *Capitula* diametro 3 lin. metientia, multiflora. *Bracteae* scarlosae. *Flores* inter affines minimi. *Petala* calyce ter fere longiora, erecta, oblonga, concava. *Stamina* 2 lineas longa.

2. **Melaleuca Endlicheriana** *Schauer.* ramulis strictis, puberulis; foliis confertis, alternis, crassiusculis, cuneatis, apice rotundatis, vix apiculatis, subconcavis; arrectis v. subrecurvo-patulis, adultis glabratis nitidulis; capitulis sphaericis, conglobatis; hypanthio cyathiformi, basi calyceque villoso; hujus phyllis membranaceis, ovatis obtusis (saepe cohaerentibus); phalangibus 7-andris, unguibus corollam aequantibus.

Metrosideros sororia Endl. En. pl. Hügel. pag. 49. n. 158!

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 302. Swan-River: Hügel!

Folia 4 lin. circiter longa, citra apicem vix lineam lata, sicca supra uninervia, subtus punctata stomatiisque crebris sub lente speciem asperulam exhibentia; novella lanuginosa. *Capitula* cerasi magnitudine. *Bracteae* latae, scariosae, obovatae, in disco striatae. *Petala* cum staminibus 3 lineas longis amoene lilacina; antherae luteae.

3. **Melaleuca seriata** *Lindl.* ramulis brevibus foliisque novellis villosis; foliis confertis, alternis, crassiusculis, lineari-lanceolatis, inferne attenuatis, brevissime acuminatis, arrectis, subrecurvis, subtus biseriatim punctatis, glaucescentibus, adultis glabratis; capitulis globosis; bracteis subherbaceis; hypanthio cyathiformi, basi lanato; calycis phyllis membranaceis, ovatis, obtusis (saepe cohaerentibus); phalangibus 7-andris, unguibus corollam aequantibus. Lindl. Swan-River, pag. VIII. n. 18!

In arenosis prope vicum Perth, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 299. J. Drummond! (v. s. a. cl. Lindl. comm.)

„Frutex tripedalis". *Folia* 4 lin. longa, in dorso grosse punctata. *Bracteae* cutaneae, latae, subrotundae, subito in basin angustam contractae, concavae, ciliatae, disco viridulo striato, marginibus tenuibus sphacelatis coloratis. *Flores* in capitulo circiter 15. *Stamina* 3 lin. longa, cum petalis subrotundis erectis amoene rosea. — Sequenti valde propinqua, sed foliis angustioribus longioribus, floribus majoribus roseis, bracteisque subherbaceis distincta.

4. **Melaleuca ornata** *Schauer.* ramulis brevibus foliisque junioribus pilosis; foliis confertis, alternis, crassiusculis, lineari-oblongis, in petiolum brevissimum attenuatis, obtusis vel brevissime acuminatis, arrectis, recurvo-patulis, subtus biseriatim punctatis, laete viridibus, adultis demum glabratis; capitulis globosis; bracteis scariosis; hypanthio cyathiformi, basi lanato; calycis phyllis membranaceis, ovatis, obtusis (saepe cohaerentibus); phalangibus 7-andris, unguibus corollam aequantibus.

In arenosis inter frutices silvae ad fl. Canning, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 296.

„Frutex bipedalis", densiramens, floridus. *Folia* subopaca, 3 lineas circ. longa, laevia, sicca uninervia. *Bracteae* obovatae, latae, fuscae, striatae, cito deciduae. *Capitula* subvigintiflora, simplicia. *Petala* oblonga, erecta, cum staminibus 2½ lin. longis vivide lilacina; antherae, ut in reliquis, luteae. *Fructus* solitarii vel pauci arcte conglomerati, pisi minoris mole, hypanthio laevi e basi adnata conico-attenuato orificio dentibus obsoletis repando, capsula profunde immersa. — *M. Endlicherianae* valde similis, sed foliis angustioribus pilis subpersistentibus conspersis statim recognoscenda.

5. **Melaleuca Manglesii** *Schauer.* ramulis subvirgatis foliisque novellis glabriusculis; foliis confertis, alternis, patulis subimbricatisve, clavato-linearibus, basi attenuata sessilibus, breviter acuminatis; muticis, dorso subconvexis, subrecurvis, glaucescentibus, subtus subbiseriatim-punctatis; capitulis globosis; hypanthio cyathiformi calyceque pubescentibus; hujus phyllis membranaceis rotundatis; phalangibus . . . . .

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Octobri 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 320.

Habitu *M. seriatae* similis, sed magis virgata et hypanthio pubescenti diversa. *Folia* 1½-5 lin. longa, sicca uninervia. *Fructus* helvoli, sesquilineam lati, globosi, basi mutua pressione angulati, ore amplo aequali.

6. **Melaleuca parviceps** *Lindl.* ramulis virgatis foliisque novellis piloso-hirsutis, foliis acerosis confertis, alternis, teretibus compressisve, sessilibus, acutis, arrectis, subrecurvis, adultis nitidis scabriusculis; capitulis sphaericis conglobatis; hypanthio ovato, sericeo; calycis phyllis membranaceis, subrotundato-ovatis, obtusis (saepe cohaerentibus), glabris; (petalis hyalinis caducis;) phalangibus 5-7-andris, unguibus corollam subaequantibus. — Lindl. Swan-River Bot. pag. VIII. n. 19!

In arenosis et limoso-arenosis haud longe a praedio rustico Maddington ad fl. Canning, nec non supra vicum Guildford, Octobri et Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 297. — J. Drummond! (v. s. a cl. Lindl. comm.)

„Frutex tripedalis", ramis fusco-cinereis ramulisque laete fuscis gracilibus patulis. *Folia* saepe magis minusve compressa, subangulata, apice cartilagineo munita, laete viridia, sub lente in angulis scabriuscula, 6-9 lin. longa. *Capitula* apicalia, Ceraso saepe majora, e capitulis compluribus axillaribus pauciflorís, non raro folio subtensis, composita, *Hypanthium* sesquilineam longum, dense sericeum. *Petala* tenuissime membranacea, pellucida, concava, incipiente anthesi decidua. *Stamina* 3½ lin. longa, viride lilacina. *Stylus* longe exsertus. *Hypanthium* fructus subconicum truncatum.

Proxima *M. scabrae* R.Br., quae vero differt: innovationibus glabris, foliis undique asperis, hypanthio subconico basi acuto glabriusculo, petalis mollibus per anthesin persistentibus, stylo stamina aequante.*)

7. **Melaleuca pentagona** *Labill.* innovationibus pubescentibus; foliis confertis, patulis, alternis, aut subteretisubulatis subtus ulnisulcis vel carnosulis linearibus, aut planis lanceolatis, basi attenuata sessilibus, pungentibus adultis glaberrimis nitidulis; capitulis globosis; hypanthio cyathiformi glabro; calycis phyllis brevissimis, membranaceis, truncatis; phalangibus 3-5-andris, unguibus corollam subaequantibus. — Labill. Nov. Holl. II. pag. 27. tab. 166!

α **planifolia:** foliis lanceolatis, in basin angustatis, crassiusculis, planis, enervibus. *M. pentagona* Lab. tab. 166! — Ferd. Bauer!

β **subulifolia.** foliis subtereti-subulatis dorso sulco exaratis.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 325; in calcareis inter frutices in monte Baldhead ad Sinum Regis Georgii. Octobri 1840. No. 309. — Ad Sinum Regis Georgii a. 1818: A. Cunningh.!

Frutex jam demissior, rigidior, foliis carnosis subulatis 3-6 lineas longis, jam laetius vigens, ramulis vimineis, foliis mirabiliter ludens. Haec enim in uno eodemque ramulo, a b. *Ferd. Bauer* olim lecto, observare licuit in-

*) **M. trichophylla** Lindl. ramulis tomentosis foliisque junioribus pilosis, adultis glabratis; foliis confertis, alternis, filiformi-acicularibus, arcuatis acuminatis, hirmibus; capitulis globosis; hypanthio subcylindrico, lanato; calycis phyllis membranaceis, oblongis (saepe cohaerentibus), pubescentibus; phalangibus 8-9-andris, unguibus corolla plus quam duplo longioribus. — Lindl. Swan River Bot. pag. VIII. n. 20! In Australia occidentali: J. Drummond! *Folia* teretia vel subcompressa, 8-14 lin. longa. *Bracteae* lineares, fugaces. *Capitula* multiflora, Cerasi majoris mole, pulcherrime roseo-lilacina, antheris flavis ornata. *Hypanthium* calycem aequante lineam longum. *Petala* erecta, oblonga. *Stamina* 4 lin. longa.

feriora complanata lanceolata enervia, superiora ramulorumque minus vegetorum sensim crassiora, linearia, denique teretia. *Folia* omnia undique stomatiis creberrimis, sub lente micantibus, conspersa, atroviridia. *Capitula* parva, densissima, multiflora. *Bracteae* flores aequantes, scariosae, fuscae, fugaces. *Flores* exigui, lilacini. *Petala* fugacia. *Stamina* 2½ lin. longa. *Fructus* in globulum ramulo quasi perfilatum arcte connati, angulati, vertice emerso ore orbiculari subrepando perforato.

8. **Melaleuca Waeberi** *Rchb. Herb.* ramulis virgatis foliisque novellis sericeis, adultis glabratis; foliis approximatis, coriaceis, alternis, patulis, lanceolatis, sessilibus, utrinque acutis, mucronatis, planis, nitidulis; capitulis subglobosis; hypanthio hemisphaerico, brevi, glabro; calycis phyllis brevissimis, membranaceis, truncatis rotundatisve; phalangibus 3-5-andris, unguibus brevissimis. Schauer in O. et D. Allg. Gartztg. III. pag. 167.

Ad hanc pertinere videtur specimen fructiferum Herb. Preiss. No. 317: in glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840 lectum. (v. v. c.)

Specimen nostrum, e „frutice pedali squarroso" decerptum, a cultis recedit ramificatione hac ipsa squarrosa brevi, foliisque crassioribus rigidioribus arcuato-ascendentibus. — *M. pentagona planifolia*, cui proxima, *M. Waeberi* differt: foliis basi minus attenuatis, unguibus phalangum brevissimis, saepius vix distinctis, fructibus minoribus, conglomeratis quidem, sed non concretis et vix angulatis, hypanthio truncato. *)

** *Floribus flavis.*

9. **Melaleuca acerosa** *Schauer.* foliis confertis, alternis, linearibus subteretibusve, brevipetiolatis, pungentibus, glabris, nitidis; capitulis paucifloris; hypanthio obconico, pubescente; calycis phyllis membranaceis, truncatis, ciliolatis, corolla quadruplo brevioribus; phalangibus oligandris, unguibus elongatis corolla triente longioribus.

In clivulis arenosis l. calcareis ad oras maris pr. Freemantle, Junio 1839. Herb. Preiss. No. 263. — J. Drummond!

„Frutex 2-4-pedalis, erectus", inferne simplex, superne ramosus, ramis erectis, ramulis foliisque novellis pilosis. *Folia* crassiuscula, acerosa, subtus biseriatim punctata, subrecurva, 4-6 lin. longa, semilineam lata, laete viridia. *Flores* parvi, flavi. *Fructus* pisiformes, 3-6 coacervati, fusco-cinerei, laeves, hypanthio ad orificium subcontracto. **)

---

*) **M. striata** Labill. ramulis brevibus foliisque novellis sericeis, adultis glabratis; foliis approximatis, alternis, patentibus reflexisve rigidulis, lineari-subulatis, basi subattenuata sessilibus, verticalibus, acutis, pungentibus (siccis nervoso-striatis); capitulis oblongis densissimis; hypanthio hemisphaerico brevi, indumento axis omnino immerso calyceque brevissimo cutaneo lanatis; phalangibus 9-11-andris, unguibus corolla plus duplo longioribus. — Labill. N. Holl. II. pag. 26. tab. 165! *M. Fraseri* Hook. Bot. Mag. 3210! *M. hispida* et *M. ulicina* Hort. Hab. in Terra Van Leuwin: Labill! (v. sp. orig. in Herb. Willd. n. 14361! et v. c.)

) **M. nodosa Sm. Act. Soc. Linn. III. pag. 276. n. 6! innovationibus sericeis; foliis approximatis, alternis, linearibus, utrinque attenuatis, sessilibus, pungenti-mucro-

10. **Melaleuca pungens** *Schauer.* ramulis subvirgatis, novellis puberulis; foliis approximatis, alternis, patulis, rigidis, tereti-acicularibus, subincurvis, sessilibus, acuminatis, punganti-mucronatis, asperulis, subopacis; capitulis ovalibus densissimis; hypanthio cyathiformi, basi lanato; calycis phyllis membranaceis, brevibus, latis, rotundatis; phalangibus heptandris, unguibus corolla brevioribus.

In solo glareoso sterili inter frutices haud longe a monte Barrow (Plantagenet). Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 316.

„Frutex tripedalis". *Folia* 8-14 lin. longa, sub lente undique scabritie subtilissima obducta, saepius compressa. *Hypanthium* fere omnino inter lanam axis absconditum, lineam fere altum, praeter basin glabrum. *Stamina* 2 lin. longa. — Huic *M. tenuifolia* DC. (Prodr. III. pag. 213. n. 15.) propinqua videtur. *)

11. **Melaleuca uncinata** *R.Br.* innovationibus sericeis; ramulis virgatis; foliis alternis, erectis, filiformibus, teretibus subangulatisve, sessilibus, mucrone tenui uncinato terminatis, adultis laevibus nitidis; capitulis ovalibus compactis; hypanthio cyathiformi, brevi, lanato; calycis phyllis brevibus, rotundatis, sphacelatis; phalangibus subpentandris, unguibus corollam excedentibus. — R.Br. in Hort. Kew. IV. pag. 414. n. 14!

In solo limoso planitiei silvae ad fl. Vasse-River, Decembri 1839: Herb. Preiss. No. 270; in glareosis illustribus silvae inter praedia rustica cll. Barker et Lennardt, Aprili 1840 fructif. No. 278. — In Nova-Hollandia interiori ad fl. Lachlan a. 1817: A. Cgh.!

Frutex 6-7-pedalis." *Folia* 1-2 pollices et quod excedit longa, undique punctata. *Filamenta* cum antheris flava.

---

natis, planis uninerviis, rigidis, adultis glaberrimis nitidis punctatis; capitulis densissimis, conglobatis; hypanthio cyathiformi, sericeo; calycis phyllis membranaceis, truncatis rotundatisve; phalangibus subpentandris, unguibus corollam subaequantibus. Hab. in Nova-Hollandia orientali: Sieber pl. N. H. exs. n. 316! Ferd. Bauer! Hügel! (v. v. c.) **M. juniperina** Rchb. innovationibus hirsutis; foliis approximatis, alternis, tereti-acicularibus, brevi-petiolatis, acuminatis, pungenti-mucronatis, dorso sulcatis, tuberculato-punctatis, adultis laevibus opacis; capitulis globosis, conglobatis; hypanthio cyathiformi, lanato; calycis phyllis membranaceis, brevissimis, truncato-subrotundis; phalangibus pentandris, unguibus, corollam subaequantibus. — Reichenb. hort. bot. II. pag. 5. tab. 112! **M. juniperoides** DC. Prodr. III. pag. 213. n. 20. **Metrosideros juniperoides** Rchb. in Sieb. pl. N. H. exs. n. 317! Hab. in Nova-Hollandia orientali: Sieber! Hügel!

*) **M. Drummondii.** Schauer. ramulis tenuibus foliisque novellis sericeo-puberulis; foliis approximatis, alternis, patulis, rigidis, e tereti compressis, sessilibus, mucrone recurvo terminatis, adultis glabratis laevibus opacis utrinque punctis crebris seriatis exsculptis; capitulis ovulibus compactis; hypanthio cyathiformi, brevi, lanato; calycis phyllis subobsoletis truncatis; phalangibus pentandris, unguibus corolla duplo brevioribus. Hab. in Nova-Hollandia austro-occidentali: J. Drummond! Ramuli cinerei, punctati. *Folia* 8-12 lin. longa. *Hypanthium* cum calyce semilinea paullo altius, calyce valde brevissimo glabro. *Petala* hypanthio longitudine aequalia, erecta oblonga, concava, cum staminibus linea vix majoribus flava. *Antherae* caesiae.

*** *Species incompletae.*

12. **Melaleuca leptospermoides** *Schauer.* squarrosa; ramulis foliisque novellis lanuginosis; foliis sparsis, laxe subimbricatis, coriaceis, ellipticis oblongisve, in petiolum brevissimum contractis, acutiusculis, muticis, concaviusculis, subtrinervibus, subtus punctatis, adultis glabris glaucescentibus; capitulis paucifloris; axi lanato; hypanthio subcylindrico adnato, inferne villoso; calycis phyllis membranaceis, rotundatis; phalangibus (brevibus) subdecandris, unguibus corolla brevioribus.

In planitie arenosa Quangen (pr. Victoria), Martio 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 312.

„Frutex pedalis". *Folia* 2½ lin. circiter longa. *Capitula* 3-6 flora, *Hypanthium* sesquilineam altum. *Phalanges* petalis paullo longiores, (cum petalis lilacinae?). *Fructus* subconicus, truncatus, laevis.

13. **Melaleuca tuberculata** *Schauer.* glabra; glauca; foliis alternis, approximatis, subimbricatis patulisve, brevibus, clavatis, supra planis, subtus convexis, in petiolum brevissimum attenuatis, breviter acuminatis, tuberculato-punctatis; capitulis plurifloris confertis; axi hypanthiisque subturbinatis adnatis, villosulis; calycis phyllis membranaceis subrotundis; phalangibus . . . . .

In regionibus interioribus sterilibus Australiae meridionali-occidentalis, in itinere a Sinu Regis Georgii ad oppidulum York, Februario 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 261 ex parte.

Ramuli breves, tenues. *Folia* carnosa, facie plana laevi, dorso convexo punctis prominentibus consito, 1½-2 lin. longa. *Flores* lilacini?

14. **Melaleuca subtrigona** *Schauer.* ramulis tenuibus confertis foliisque juvenilibus facie subhirsutis; foliis alternis, laxe imbricatis, brevibus, clavatis, plano-convexis subtrigonisve, brevissime petiolatis, obtusis, elevato-punctatis, denique glabratis; capitulis paucifloris confertis; axi lanato; hypanthio cyathiformi, adnato, glabriusculo; calycis phyllis membranaceis, rotundatis; phalangibus . . . .

In regionibus interioribus sterilibus Australiae meridionali-occidentalis, in itinere a Sinu Regis Georgii ad oppidulum York, Febr. 1840, deflor. fructif. Herb. Preiss. No. 261 ex parte.

Frutticulus videtur exiguus, densus. *Folia* sesquilinearia, viridia, opaca, sub lente stomatiis undique conspersa, dorso punctis exstantibus instructa. *Fructus* conferti, glabri, helvoli. *Bracteae* membranaceae, pellucidae, disco striatae, fugaces. — *Flores* lilacini?

15. **Melaleuca holosericea** *Schauer.* villoso-tomentosa; foliis alternis, confertis, patulis, semiteretibus, acutis, muticis, punctatis; capitulis paucifloris, confertis; axi hypanthioque adnato subcylindrico villoso; calycis phyllis membranaceis, rotundatis; phalangibus 8-10-andris. (?)

In planitie arenosa Quangen (Prov. Victoriae), Martio 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 315.

„Frutex bipedalis“, ramis tenuibus strictis, indumento molli incano insignis. *Folia* e basi arcuata erecta, 5 lin. circiter longa, facie planiuscula.

2. *Calycis phylla cutanea, cum petalis nervoso-striata.*

16. **Melaleuca spinosa** *Lindl.* ramulis rigidis spinescentibus foliisque junioribus lanuginosis; foliis alternis, patentibus, coriaceis, ovalibus, brevipetiolatis, acutis, trinerviis, adultioribus glabratis nitidis; capitulis oblongis, conglobatis; hypanthio brevi villoso; calycis phyllis ovatis acutis petalisque subrotundis erectis disco trinervibus; phalangibus 7-andris, unguibus corollam aequantibus. — Lindl. Swan-River Bot. pag. VIII. n. 23!

In arenosis colliculosis silvae ad fl. Canning, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 282. J. Drummond!

„Frutex 4-pedalis“, gracilis, patenti-ramosus. *Folia* atroviridia. *Flores* parvi, pulchre flavi. *Petala* membranacea, subrotunda, concava, lata, contigua. *Stamina* 2 lin. longa. — Habitu *Acacias* quasdam aemulatur.

17. **Melaleuca thymoides** *Lab.* ramulis spinescentibus foliisque junioribus lanuginosis; foliis alternis, patentibus, coriaceis, lanceolatis oblongisve, brevipetiolatis, trinerviis, adultis glabratis nitidis; capitulis oblongis; hypanthio brevi, tomentoso; phyllis calycis ovatis subrotundisve petalisque subrotundis erectis disco trinervibus; phalangibus 7-9 andris, unguibus corollam subaequantibus. — Labill. N. Holl. II. pag. 27. tab. 167!

In glareosis sterilibus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840: Herb. Preiss. No. 280; in clivulo arenoso ad portum Princess-Royal-Harbour prope Albany (Plantagenet), Septembri 1840: Herb. Preiss. No. 281; in arenosis prope Point-possession ad Sinum Regis Georgii, Octobri 1840: No. 283. — Ad S. R. Georgii: A. Cunningh.! In Terra Van Leuwin: Lab.

„Frutex 5-pedalis“, gracilis, ramulosus, florum conformatione praecedenti proxime accedens, sed foliorum minorum figura facilis distinctu. *Folia* laete viridia, 3-4 lin. longa. *Flores* cum staminibus sulfureis (siccando saepius atrovirescentibus) 2½ lineas longi. *Stylus* filiformis, exsertus; stigma obtusum, nec ampliatum concavum, quale describit cl. *Billardierus* l. c.

3. *Calycis phylla herbacea subulata.*

18. **Melaleuca aspalathoides** *Schauer.* ramulis foliisque tomento sericeo candicantibus; foliis confertissimis, sparsis, subtereti-acicularibus, muticis, saepe curvatis, tuberculato-punctatis; capitulis paucifloris; hypanthio cylindrico, lanato; calycis phyllis herbaceis, subulatis, pubescentibus; phalangibus 7-9 andris, unguibus calycem aequantibus.

In glareosis inter frutices provinciae York, Aprili 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 2426; in planitie arenosa Quangen pr. Victoriae: No. 2425.

„Frutex bipedalis“, rigidus. *Folia* in ramulis brevibus fere fasciculata, 6-9 lineas longa, angusta, subcompressa, tomento denso candido micanti

appresso vel subvilloso induta, denique magis minusve calvescentia. *Hypanthium* cum calyce fere 2 lin. longum; hujus dentes valde acuminati. *Stamina* 4 lin. longa, lilacina.

II. Cajuputi. Flores (variae magnitudinis) in spicas axi jam sub anthesi innovante comosas, densas, laxas, immo interruptas collecti. Hypanthium axi adnatum v. sessile, continue in calycem abiens. Calycis dentes herbacei v. cutanei. Phalanges staminum rectae, 3-polyandrae, palmatifidae v. pinnatifidae. Stylus filiformis; stigma punctiforme v. subcapitatum. Folia alterna, verticillata, opposita. Fructus dentibus calycis induratis, saepe auctis, coronati vel obsoletis ore inaequales.

19. **Melaleuca lateritia** *Otto.* tota glaberrima; foliis confertis, alternis, patulis, lineari-lanceolatis, utrinque attenuatis, subpetiolatis, acutiusculis, muticis; spicis lateralibus cylindricis, multifloris, laxis; hypanthio adnato; calycis phyllis subrotundis; phalangibus 7-11 andris, unguibus brevissimis. — Otto et Dietr. Allg. Gartztg. II. p. 257!

M. callistemonea Lindl. Swan-River Bot. pag. VIII. n. 21!

In sublimosis depressis umbrosis hieme inundatis silvae prope oppidum Perth. Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 354. — J. Drummond! (v. v. c.)

Frutex tripedalis, ramis virgatis. *Folia* 5-7 lineas longa, dimidiam lineam lata, laete viridia, opaca. *Rhachis* spicae nonnunquam villosula, plerumque tamen glabra. *Petala* orbiculata, concava, limbo calycis duplo longiora. *Stamina* distincte fasciculata, sed fere usque ad basin libera, 8 lineas longa, scarlatina.

20. **Melaleuca brachyphylla** *Schauer.* glabra; laete virens; ramulis tenuibus pendulis; foliis confertissimis, sparsis, patulis, subclavato-teretiusculis semiteretibusve, brevibus, recurvis, in petiolum attenuatis, obtusissimis, enerviis, impunctatis; spicis subapicalibus, ovalibus oblongisve, densis, hypanthio adnato; calycis phyllis rotundatis; phalangibus 5-9-andris, palmatifidis, unguibus corollam aequantibus v. nonnihil excedentibus. Schauer in O. et D. Allg. Gartenztg. III. (1835) pag. 162.

M. tenuissima Tausch, Flora XIX. (1836) II. pag. 411.

In litore rupestri portus Princess-Royal-Harbour, Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 255.

„Frutex 4-pedalis". *Flores* albi. *Hypanthium* fructus angulatum, limbo e calyce indurato repetendo subpatellari patenti coronatum; *capsula* vertice e fauce angusta emergente villosa.

21. **Melaleuca incana** *R.Br.* ramulis flaccidis villosis; foliis confertis, verticillatis ternis, patentibus reflexisve, linearelanceolatis, planis, subpetiolatis, acutis, muticis, trinerviis,

cano-tomentosis, aetate glabrescentibus; spicis subapicalibus, ovalibus oblongisve, axi villoso; hypanthio hemisphaerico, sessili, glabro l. puberulo; calycis dentibus herbaceis, lato-ovatis, acutis; phalangibus 3-9-andris palmatifidis, unguibus corolla brevioribus. R.Br. Bot. Reg. 410! *M. canescens* Otto, in Horis phys. Berol. pag. 37! Link et Otto pl. sel. hort. Berol. tab. 37! *M. hypochondriaca* Dehnhardt Revista Napol. I. 3. pag. 177!

In locis hieme inundatis terrae inferioris Australiae occidentalis, Decembri 1839, fructifera. Herb. Preiss. No. 262; in paludosis silvae ad fl. Canning, Junio 1841, florens: No. 266; in glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup prom. Cape Riche, Novembri 1840; No. 329; (v. v. c.)

„Frutex 8-pedalis". *Folia* annotina in planta silvestri glabrata, *hypanthium* saeplus violaceo tinctum. *Filamenta* subflavescenti-albida; antherae luteae. *Fructus* conferti, calyce indurato patente coronati.

22. **Melaleuca polygaloides** *Schauer.* glabra; ramulis virgatis; foliis coriaceis, alternis; subimbricatis, oblongo-lanceolatis, basi subattenuata sessilibus, inflexis, acuminatis, pungentibus, glaucescentibus; spicis laxis, axi pubescente; hypanthio adnato; calycis phyllis herbaceis, ovatis, breviter acuminatis, subcarinatis; phalangibus decandris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Octobri 1840, alabastrigera. Herb. Preiss. No. 327.

„Frutex pedalis". *Folia* 3-4 lin. longa. *Spicae* circiter 20-florae. *Bracteae* squamaceae, acuminatae, hypanthium aequantes, caducae. *Flores* rosei aut albi? Petala ciliata.

23. **Melaleuca viminea** *Lindl.* glaberrima; ramulis virgatis; foliis confertis, alternis, patulis, lineari-lanceolatis, in petiolum attenuatis, acutis, muticis; apice recurvis; spicis lateralibus subapicalibusque, cylindricis, laxis, multifloris; hypanthio subcylindrico, adnato; calycis phyllis brevibus, herbaceis, subrotundo-ovatis; phalangibus 7-andris apice radiatis, unguibus petalis convolutis reflexis sublongioribus; stylo filiformi exserto. — Lindl. Swan-River Bot. pag. VIII. n. 22!

In uliginosis ad fl. Cygnorum supra oppidum Perth, Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 291. — J. Drummond! King-George's Sound: Hügel! (v. s. a. cl. Lindl. comm.)

„Frutex 10-15-pedalis". *Folia* 4-6 lin. longa, dimidiam lineam lata, viridia, novella puberula. *Spicae* pollicem circiter longae, semipollicem latae. *Stamina* 2½ lineas longa, alba. *Stigma* truncatum. — Habitus omnino *M. armillaris* Sm., a qua fere non differt, nisi omnibus partibus duplo minoribus styloque conspicue exserto.

24. **Melaleuca Lehmanni** *Schauer.* glaberrima; gracilis; stricta; foliis confertis, alternis, erectis, lineari-lanceolatis semiteretibusve, petiolatis, apice recurvo pungentibus, enerviis, impunctatis; spicis subapicalibus cylindricis; multifloris, confertiusculis; hypanthio cyathiformi adnato; calycis

dentibus ovatis; phalangibus polyandris apice radiatis, unguibus corollam aequantibus.

In depressis paludosis silvae prope vicum Perth, Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 292.

„Frutex 6-8-pedalis". *Folia* 4 lin. circiter longa, laete viridia, opaca, facie planiuscula. *Spicae* 6-9 lineas longae, angustae, nudae. *Flores* parvi; hypanthium fere lineam aequans; petala subrotunda, laevia, cum staminibus linea vix longiora, uti videtur alba.

25. **Melaleuca Preissiana** *Schauer.* arborea; foliis confertis, rigidulis, alternis, obliquis, patentibus, lineari-lanceolatis, planis, brevi-petiolatis, obtusiusculis, trinerviis, glabris; spicis compluribus subapicalibus, fastigiatis, elongatis, laxis, foliatis, axi tomentoso; hypanthio subcylindrico pubescente; calycis phyllis herbaceis, lanceolatis, obtusis; phalangibus polyandris fasciculatis, unguibus manifestis corollam subaequantibus; stylo exserto glaberrimo.

In uliginosis silvae circa vicum Perth, Maio 1840 alabastrigera. Herb. Preiss. No. 265. — J. Drummond!

„Arbor 20-25-pedalis", trunco valido, cortice libroso solubili induto, ramis tortuosis confertis rigidis, ramulis cinereis. *Folia* 4-6 lin. longa, $^3/_4$ lin. lata, firma, novella pubescentia, adulta glaberrima, viridia, opaca, impunctata. *Spicae* ad apicem ramuli 3-5, 2-3 uncias longae, apice nudae vel comosae, foliis quam reliquis latioribus brevioribusque interstinctae. *Flores* in axilla singulae bracteae singuli-terni. *Hypanthium* cum calyce herbaceum, viride, sesquilineam altum; *phylla calycis* concava, glabra. *Petala* convoluta, reflexa, hypanthium adaequantia, cum staminibus alba. *Phalanges* 3 lineas longae, erectae, ungue angusto. *Antherae* apiculatae. *Stigma* truncatum. *Fructus* diametro sesquilineam metientes, semiglobosi, aliquandiu calyce indurato coronati, deinceps truncati. — *M. genistifoliae* Sm. affinis.

26. **Melaleuca rhaphiophylla** *Schauer.* glabra; glaucescens; ramulis tenuibus patentibus; foliis alternis, patulis, acicularibus, teretiusculis vel compressis, in petiolum attenuatis, subincurvis-recurvisve, acumine obliquo v. subrecurvo inermi; spicis oblongis, confertiusculis, axi villoso; hypanthio sessili, subcylindrico; calycis dentibus triangulari-ovatis; phalangibus polyandris pinnatifidis, unguibus corollam subaequantibus.

In arenosis planitiei ad fl. Cygnorum supra Perth, Septembri 1839: Herb. Preiss. No. 264; in solo humoso ad ripam fl. Avon prope vicum York, Martio 1840: No. 267, fructif.

„Frutex 6-15-pedalis". *Folia* 5-10 lin. longa, impunctata, saepe secunda. *Spicae* albae. *Hypanthium* cum calyce sesquilinea paullo brevius. *Petala* orbiculata, sessilia, patentia, calyce duplo longiora, glabra, disco punctata. *Stylus* filiformis, stamina aequans; stigma subcapitatum. *Fructus* pisi minoris mole, subconici, truncati, cum ramis ramulisque helvoli. *)

*) **M. semiteres** Schauer. glaberrima; glaucescens; ramulis virgatis; foliis alternis semitereti-filiformibus compressisve, basi attenuata sessilibus, apice acutato inermi; spicis axillaribus, ovalibus, confertis; hypanthio cyathiformi, sessili; calycis dentibus ovatis, acutiusculis, marginatis; phalangibus 7-9-andris pinnatifidis, unguibus co-

27. **Melaleuca Hügelii** *Endl.* ramulis pubescentibus; foliis alternis, appressis, subimbricatis, apice patulis, ovatis vel ovato-lanceolatis, sessilibus, acuminatis, multinerviis, glabris; spicis elongatis, densis, axi villoso; hypanthio glabro; calycis phyllis rotundatis, marginatis, nervoso-striatis; phalangibus subenneandris apice pinnatifidis; unguibus corolla plus duplo longioribus. — Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 48. n. 152!

In arena maritima haud procul ab urbe Freemantle, Novembri 1838. Herb. Preiss. No. 293. — Swan-River: Car. Fraser! *Melaleuca adpressa* A. Cgh. Herb.!

„Frutex orgyalis", ramosissimus, spicis 2-4-pollicaribus lilacinis ornatissimus. *Petala* oblonga, colorata, laevia. *Stylus* stamina aequans, filiformis; stigma punctiforme, obtusum.

28. **Melaleuca densa** *R.Br.* ramis deflexis, squarrosis; ramulis tomentosis; foliis confertis, verticillatis ternis sparsisque, patentibus recurvisque, ellipticis subrotundo-ovatis obovatisque, subsessilibus, abrupto acuminatis, inflexis, trinervibus, punctatis, glabris; spicis subcylindricis, densis; axi hypanthioque subcylindrico adnato sericeo-tomentosis; calycis dentibus subrotundis, marginatis; phalangibus (brevibus) 5-7-andris; palmatifidis; unguibus corollae aequalibus brevioribusve; stylo stamina aequante. — R.Br. in Hort. Kew. IV. pag. 416. n. 24!

In solo turfoso pr. oppidulum Albany (Plantagenet), Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 288. (v. v. c.)

„Frutex 6-pedalis"; ramis suberosis, rigidis, tortuosis. *Folia* laete viridia, 3-5 lin. longa, 1½-3 lin. lata. *Spicae* pollice plerumque breviores, bracteatae. *Hypanthium* cum calyce sesquilineam altum. *Stamina* flavescentia, 2 lin. circiter longa.

29. **Melaleuca propinqua** *Schauer.* ramis pendulis; ramulis tomentellis; foliis confertissimis, patulis, verticillatis ternis, sexfariam imbricatis, ovatis oblongisve, subsessilibus, breviter acuminatis, inflexis, trinervibus, glabris, nitidis; spicis oblongis densis; axi hypanthioque cyathiformi adnatis sericeis; calycis dentibus subrotundis, breviter acuminatis; phalangibus (brevibus) 3-5-andris, unguibus corollae subaequalibus brevioribusve; stylo exserto. Schauer in O. et D. Allg. Gartenztg. III. pag. 166!

In solo turfoso-arenoso planitiei, 13 mill. ab urbe Albany, Novembri 1840: Herb. Preiss. No. 285; et ibidem Octobri 1840 (fragm. fructif.): No. 286. (v. v. c.)

„Frutex bipedalis". *M. densae* admodum propinqua, ut fere ejus forma omnibus partibus aequaliter diminuta haberetur, sed ramulis subflaccidis

---

rollam subaequantibus. Hab. in Nova-Hollandia austro-occidentali: J. Drummond! *Folia* ½-2½ uncias longa, nunc semiteretia facie plana, dorso semicylindrico, nunc facie dorsoque fere aequaliter convexis compressa, vix conspicue punctata. *Flores* bractea squamacea cuspidato-acuminata cum bracteolis minoribus caduca subtensi. *Petala* orbiculata, unguiculata, minute denticulata, calyce duplo longiora. *Stamina* lateritia, fere 4 lin. longa, marcescentia. *Stylus* filiformis, exsertus; stigma peltatum.

pendulis, foliis sexfariam imbricatis dense tectis et habitu tota peculiari insignis. Immutata insuper e seminibus redit. *Folia* 1½ lin. longa. *Hypanthium* cum calyce lineam, *stamina* flavescentia sesquilineam metientia.

30. **Melaleuca cuticularis** *Labill.* glabra; glaucescens; foliis oppositis, subimbricatis patulisve, crassiusculis, lanceolatis, dorso convexis, obtusis, brevipetiolatis, opacis; floribus citra apicem ramulorum axillaribus solitariis paucisve, bracteis scariosis quadrifariam imbricatis obvallatis; hypanthio campanulato; calycis phyllis herbaceis, acutis, erectis; phalangibus polyandris a basi ramosis, unguibus calycem aequantibus; stylo subexserto. — Labill. N. Holl. II. pag. 30. tab. 171! *M. imbricata* Link, Enum. pl. hort. Berol. II. pag. 272. n. 3240!

In arenosis planitiei ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 303; in littore rupestri portus Princess Royal Harbour, Septembri 1840: No. 304, (v. v. c.)

Frutex vel „arbor 10-15-pedalis“, ramis confertis tortuosis foliosis, cortice albido fissili indutis. *Folia* 4 lin. circiter longa, saepius subrecurva, subtus punctata, siccando non raro aeruginoso-virescentia. *Bracteae* scariosae, ovatae, acuminatae, carinatae, fuscae margine albido, quaternis-senis paribus arcte imbricatis hypanthio subjectae, deciduae. *Calycis phylla* foliacea, marginibus membranaceis involuta, interna pagina cum vertice germinis albo-tomentosa. *Petala* membranacea, pellucida, fimbriolata, involuta, reflexa, calyce paullo longiora, cum staminibus sordide alba. *Stamina* calycem duplo superantia, 4 lineas longa. *Stigma* punctiforme. *Fructus* maturus pisi majoris mole, hypanthio cyathiformi suberoso, calycis phyllis induratis divaricatis, capsula triloculari hypanthium aequante.

III. Lampromyrtus. Flores axillares subsinguli, gemini vel spicati, (majusculi), glabri. Hypanthium adnatum v. sessile, continue in calycem abiens. Calycis dentes herbacei. Phalanges staminum polyandrae, expansae v. incurvo-adscendentes, e staminibus valde inaequalibus conflatae, rhachi petaloidea margine facieque filamentosa. Stylus columnaris, inclusus; stigma truncatum, latiusculum. — Folia plerumque opposita. Fructus dentibus calycis induratis coronati.

31. **Melaleuca Radula** *Lindl.* glaberrima; glaucescens; foliis oppositis, linearibus, elongatis, tereti-involutis canaliculatisve, sessilibus, pungenti-acuminatis, dorso tuberculato-punctatis, strictis arcuatisve; spicis axillaribus, interruptis, parifloris; hypanthio subhemisphaerico adnato; calycis phyllis brevissimis, latis, truncatis, membranaceo-marginatis; phalangibus polyandris, margine facieque a basi inde filamentosis, rhachi petaloidea dorso distincta; stylo

staminibus breviori; stigmate peltato. — Lindl. Swan River Bot. pag. VIII. n. 24!

In limoso-calculosis ad amniculum planitiei haud longe a praedio rustico Mad dington (ad fl. Canning), Novembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 306; in glareosis inter frutices terrae superioris Australiae occidentalis, Aprili 1840 fructifera: No. 307. J. Drummond!

„Frutex 4-7-pedalis", ramis patentibus, angulatis, strictis, virgatis, innovationibus glabris. *Folia* internodiis magis minusve manifestis distincta, 6-10 lin. longa, saepe secunda. *Flores* oppositi, majusculi, lilacini, petalis orbiculatis reflexis hypanthio longioribus et staminibus copiosis speciosi. *Petala* 3 lin. fere longa, in disco resinoso-punctata. *Stamina* permulta in fasciculo, valde inaequalia, longissima circiter semuncialia. *Fructus* magnus, depresso-globosus, laevis, fuscus, ore in vertice orbiculari aequali, capsula immersa apice tomentosa. — *M. fulgenti* R.Br. proxime affinis.

32. **Melaleuca violacea** *Schauer.* glabra; glaucescens; ramis patentibus suberosis; foliis oppositis, decussatis, patentissimis reflexisve, oblongo-ovatis, basi cordata semiamplexicaulibus, acutis, 3-5-nerviis, capitulis axillaribus, paucifloris, comosis; hypanthio cyathiformi sessili; calycis phyllis ovatis, obtusis; phalangibus polyandris, incurvis, a basi inde pinnatifidis; rhachi integra facie filamentosa; stylo incluso uncinato.

In solo turfoso-arenoso planitiei 18 mill. ab oppidulo Albany (Plantagenet): Herb. Preiss. No. 273; in confragosis haud longe a monte Manypeak l. Tjilberup, Novembri 1840: No. 274.

„Frutex 1½-4-pedalis", ramis intricatis, cuticula laciniosa supertextis, vetulis totis, junioribus basi saltem suberoso cortice tectis, ramulis novellis glabris vimineis. *Folia* internodiis ipsis aequalibus brevioribusve interstincta, 4-5 lin. longa, coriacea, planiuscula facie conspicue 3-5 nervi crebripunctata. *Flores* ad basin innovationum tam axillarium quam terminalium pauci, immo singuli geminive, pulcherrime violacei. *Petala* orbiculata, patentia, colorata. *Phalanges* corolla triente longiora, staminibus valde inaequalibus. *Stigma* truncatum. *Fructus* ramis arcte adnati, suberosi, dentibus calycis induratis divaricatisque muniti; capsula trilocularis.

Hujus syntypicae sunt: *M. thymifolia* Sm. (cujus formam majorem exhibet *M. discolor* Rchb.! — *M. elegans* Hornsch.!) et *M. pulchella* R.Br.

IV. Micromyrtus. Flores (parvi) ad apice ramulorum in capitula pauciflora congesti (abortu unisexuales.) Hypanthium cum calyce membranaceum. Phalanges breviter exsertae, palmatae, breviunguiculatae. — An genus proprium?

33. **Melaleuca micromera** *Schauer.* ramosissima; ramulis tenuibus, intricatis, albo-lanatis; foliis (minutissimis) contiguis, arcte appressis, verticillatis ternis, ovoideis apice depresso marginato cum acumine brevissimo dorsali, glaucescentibus, glabris, raripunctatis; floribus citra apicem ramuli ternis-quinis, glabris; calycis dentibus triangularibus; phalangibus pentadris, palmatis, corolla duplo longioribus, unguibus brevissimis; (germine abortivo!)

In glareosis sterilissimis collium Wariaphilis (distr. Gooderich) rarissima, Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 189*.

„Frutex 12-16-pedalis, pyramidalis“, ramulis totis foliis minutis tectis, habitum *Haloenemidis* quodammodo referens. *Folia* triente lineae vix majora, punctis nonnullis, in sicco fuscis, conspersa. *Flores* axillares, sessiles, bibracteolati, lineam circiter longi, glaberrimi, flavescentes. *Hypanthium* membranaceum, subpellucide punctatum. *Calycis* phylla uninervia, margine subpellucida. *Petala* suborbicularia, basi attenuata sessilia, concava, minute et inaequaliter denticulata, semilineam longa, patentia, e sinubus calycis semiemergentia, aureo micantia. *Stamina* corolla duplo longiora; antherae subrotundae, incumbentes, biloculares, loculis distinctis parallelis rima longitudinali dehiscentibus; phalangum ungues quartam partem petalorum tantum aequantes, tamen manifesti. *Germinis* in omnibus floribus nostri speciminis ne minimum quidem vestigium!

Planta valde singularis quidem, sed ex quacunque parte ad *Melaleucam* pertinens, nisi fructus differat. *Flores* germine abortivo etiam in aliis speciebus non raro occurrunt.

CONOTHAMNUS Lindl. Swan River Bot. pag. IX. Endl. Gen. n. 6297.

Flores in spicam infraapicalem collecti, sessiles, *bracteis* magnis ovatis scariosis ante anthesin (ut in *Callistemone*) dense imbricatis caducis singuli singula subtensi. *Hypanthium* campanulato-cyathiforme, germen ambiens, *calycis* dentibus 5 coronatum. *Corollae* petala 5, margini hypanthii inserta, calycis dentibus alterna, membranacea. *Stamina* plurima, inferne in laminam perigynam conflata, a margine hypanthii inde in phalanges 5, petalis oppositas, polyandras, palmatifidas distincta; filamenta filiformia, apice attenuata; antherae subglobosae, biloculares, juxta basin dorso insertae, incumbentes: connectivum angustum, lineare: loculi distincti, paralleli, rima longitudinali valvisque late hiantibus dehiscentes. *Germen* fundo hypanthii immersum, liberum nec nisi basi adnatum, vertice villosum, triloculare; loculi unigemmulati. *Stylus* subulatus; stigma acutum. *Capsula* hypanthio marcescenti pergamentaceo inclusa, libera, chartacea, apice loculicide dehiscens. *Semen* in singulo loculo solitarium, peltatum.

Genus perinsigne. Habitus et inflorescentia exacte *Callistemonis*; stamina *Melaleucae*; fructus et semen *Beaufortiae*. — Quum nuperius tandem mihi contigit, ut plantum examinarem, cognovi genus inter *Melaleuceas*, neque inter *Calothamneas* (conf. Dissert. nostr. gratul. pag. 10) esse collocandum.

1. Conothamnus trinervis *Lindl.* l. c. n. 26!

In Nova-Hollandia austro-occidentali coll. L. Preiss et J. Drummond!

Frutex ramis declinatis, cortice griseo fissili indutis, ramulisque subverticillatis rigidulis. *Folia* coriacea, opposita, aversa, lanceolata, basi in petiolum brevem attenuata, acuminata apice saepius sphacelato, trinervia nervis lateralibus submarginalibus, venosa, margine scabra, novella pilosa, adulta glaberrima utrinque lucida, pollice paullo longiora aut breviora, 2-3 lineas

lata. *Spicae* unciam circiter aequantes, confertissimae, ovatae, rhachi hypanthioque cum calyce villosissimis. *Bracteae* scariosae, ovatae, acuminatae, concavae, tergo pubescentes, ambitu margineque villosae, 3-4 lineas longae. *Calycis* dentes triangulares, acuti. *Petala* membranacea, margine scarioso. *Phalanges* staminum flavae, inaequaliter fissae, 9-13-andrae, 4 lin. longae, unguibus petala aequantibus. *Fructus* in spicam cylindraceam congesti.

Sect. 2. CALOTHAMNEAE. Antherae basi insertae, erectae.

REGELIA Schauer. Dissert. gratul. (Acta Acad. N. C. XXI. Pars I. pag. 7. tab. I. fig. 1—3.)

1. **Regelia ciliata** *Schauer* l. c. *Melaleuca sprengilioides* DC. Mém. Myrt. tab. 3.

In arenosis illustribus porrectis silvae ad fl. Vasse River, Decembri 1839: Herb. Preiss. No. 287. — J. Drummond!

„Frutex 5-pedalis, ramosissimus", ramulis villosis. *Folia* conferta, opposita, decussata, obovato-oblonga v. subrotunda, sessilia, obtusa, 5-nervia, subinflexa, superne recurva, facie tenuiter puberula, dorso glabra, marginibus costaque piloso-ciliata, laete-viridia. *Capitula* 10-20-flora, lilacina.

BEAUFORTIA R.Br.; Schauer l. c. pag. 8. tab. I. fig. 4-11.

I. Eubeaufortia. Antherae valvulae extinctoriiformes, patentissimae; interiores planae, orbiculares, marginatae, verticales. Schauer l. c.

1. **Beaufortia decussata** *R.B.* ramulis villosis; foliis confertissimis, decussatis, ovatis ovalibusve, subsessilibus, acutis, carinatis, recurvis, 7-9-nerviis, marginatis, glabris; spicis infraapicalibus, multifloris; axi villoso; hypanthio villosulo; calycis phyllis e basi ovata subulatis, carinatis, nervosis, margine villosis; phalangibus aequalibus, subpollicaribus, 7-andris, apice subfasciculato-pinnatifidis: filamentis patentibus fastigiatis: unguibus linearibus, rectis, infima basi interne villoso-barbatis. R. Brown in Hort. Kew. IV. pag. 418.

In silvaticis arenosis haud procul ab oppidulo Albany (Plantagenet,) rara, Octobri 1840 alabastrigera. Herb. Preiss. No. 356. — Ferd. Bauer! (v. v. c.)

„Frutex 6-7-pedalis, erectus".

II. Schizopleura. (Lindl. Swan River Bot. pag. IX.) Antherae divaricato-bilobae valvulae convexae; exteriores (inferiores) margine involutae; interiores (superiores) minores. Schauer l. c.

2. **Beaufortia sparsa** *R.Br.* glabra; foliis confertis, patulis, sparsis subverticillatisve, lanceolatis ovalibusve, sessilibus, inflexis, apice complicato acutiusculis, 5-9-nerviis, glabris; spicis infraapicalibus, multifloris; axi lanato; hypanthio basi pubescente; calycis phyllis ovato-subrotundis enervibus glabris; phalangibus aequalibus, pollicaribus, 7-andris; filamentis infimis alternis remotiusculis, reliquis ad apicem subfasciculatis fastigiatis: unguibus rectis, glabris. Schauer l. c.

B. splendens Baxter. Otto et Dietr. Allg. Gartenztg. II. pag. 274!

In turfosis uliginosis ad oppidulum Albany (Plantagenet), Januario 1841. Herb. Preiss. No. 319 et No. 355. (v. v. c.)

3. **Beaufortia squarrosa** *Schauer.* ramulis pubescentibus; foliis confertis, oppositis, patulis, ovalibus, sessilibus, obtusis, inflexis, recurvis, trinervibus, marginatis, glabris; capitulis subapicalibus, plurifloris; axi hypanthioque pubescentibus; calycis phyllis foliaceis, ovatis, acuminatis apice obtuso, trinervibus, glabris; phalangibus 3-andris: unguibus elongatis, tenuissimis, glabris. Schauer l. c. pag. 11. „*Buno*" aboriginum: Preiss. Mss.

In solo subarenoso planitiei inter frutices ad fl. Canning, Junio 1831. Herb. Preiss. No. 358.

„Frutex 4-pedalis, squarrosus". *Phalanges* coccineae.

4. **Beaufortia macrostemon** *Lindl.* ramulis pubescentibus; foliis confertis, patulis, oppositis, lineari-lanceolatis, sessilibus, obtusiusculis, trinervibus, marginatis, pubescentibus, margine pilosis, denique glabratis; capitulis apicalibus, densifloris; axi hypanthioque sericeo-lanatis; calycis phyllis subulatis, pubescentibus, piloso-ciliatis, corollam aequantibus; phalangibus triandris, inaequalibus, leviter declinatis: unguibus longiorum semipollicaribus, inferne barbatis. — Lindl. Swan River Bot. pag. X. n. 31!

In limosis calculosis silvaticis terrae superioris, haud procul a cataracta ad caput fl. Swan River, Januario 1840. Herb. Preiss. No. 357. — J. Drummond!

„Frutex vix pedalis, ramosissimus, confertus". *Capitula* 15-20-flora, *phalangibus* bicoloribus, superne scarlatinis, inferne sordide albicantibus.

5. **Beaufortia anisandra** *Schauer.* ramulis puberulis, denique glabrescentibus; foliis confertis, patulis, oppositis, ovalibus oblongisve, sessilibus, obtusis, inflexis, subrecurvis, 3-5-nervibus, glabris, margine scabris; capitulis apicalibus, densifloris; axi hypanthioque basi lanato; calycis

phyllis ovatis, obtuse acuminatis, glabris, corolla duplo brevioribus; phalangibus apice 5-7 andris, valde inaequalibus; unguibus longis, rectis, inferne barbatis. Schauer l. c. pag. 13 tab. I. A. fig. 6—11.

In solo arenoso inter frutices densos silvae ad planitiem prope oppidulum Albany (Plantagenet), rara, Januario 1841. Herb. Preiss. No. 362. — Ad Sinum Regis Georgii 1818: A. Cgb.!

Frutex gracilis, capitulis globosis atroviolaceis. „*Flores* nauseosi."

6. **Beaufortia purpurea** *Lindl.* ramulis puberulis, denique glabrescentibus; foliis oppositis, sessilibus, quadrifariam imbricatis, lineari-lanceolatis, carinato-inflexis, obtusis, trinervibus, glabris; capitulis subapicalibus, densifloris, bracteatis; axi hypanthioque sericeo-lanatis; calycis phyllis e basi ovata aristato-subulatis, piloso-ciliatis, corolla duplo longioribus. — Lindl. Swan River Bot. pag. X. n. 30. tab. III. A!

In rupestribus illustribus Australiae occidentalis, Januario 1841. Herb. Preiss No. 258.

„Frutex pedalis-sesquipedalis, erectus, divaricatus". *Capitula* Cerasi mole, kermesiana.

7. **Beaufortia Schaueri** *L. Preiss.* ramulis pubescentibus; foliis oppositis, sessilibus, confertissimis, patulis, quadrifariam imbricatis, lineari-trigonis, canaliculatis, obtusis, glabris; spicis subapicalibus, oblongis, densifloris; axi hypanthioque lanatis; calycis phyllis foliaceis, ovatis, acuminatis, carinatis, glabris, basi ciliatis, corolla duplo brevioribus; phalangibus 3-5-andris, aequalibus, adscendentibus, apice radiantibus: unguibus corolla ter longioribus, interne barbatis. Schauer l. c. pag. 14.

In colliculosis confragosis prope montem Manypeak (l. Tjilberup) et in glareosis ad radices clivium Konkoberup promontorii Cape Riche, Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 305.

„Frutex 4-5-pedalis, ramosissimus", ramulis brevibus rigidis foliosis. *Capitula* roseo-lilacina.

8. **Beaufortia elegans** *Schauer.* ramulis lanuginosis; foliis oppositis, approximatis, decussatis sessilibus, obovatis, obtusis, subcarinatis, apice recurvis, subtus trinervibus, marginatis, pubescentibus, denique glabrescentibus; spicis infraapicalibus, cylindricis, densifloris, bracteatis; axi hypanthioque sublanatis; calycis phyllis foliaceis, ovatis, obtusiusculis, trinervibus, pubescentibus, corolla duplo brevioribus; phalangibus 3-5 andris, aequalibus, adscendentibus: unguibus corolla fere duplo longioribus, glabris. Schauer l. c. pag. 16.

In planitie arenosa Quangen (Victoria), Martio 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 284.

„Frutex bipedalis". *Spicae* lilacinae.

9. **Beaufortia inops** *Schauer.* ramulis tomentosis glabrisve; foliis abbreviatis, carnosulis, oppositis, quadrifariam imbri-

catis, subrhombeis, utrinque obtusis, basi solutis, facie tomentosa concava adpressis, apice subpatulis, dorso carinato glabris, margine breviter ciliatis; capitulis subapicalibus, exiguis, bracteatis; axi lanato; hypanthio pubescente; calycis phyllis foliaceis, ovatis, obtusis; subcarinatis, glabris, corolla duplo brevioribus; phalangibus 5-andris, aequalibus, adscendentibus: unguibus corollam subaequantibus, glabris. Schauer l. c. pag. 17.

In regionibus interioribus sterilibus Australiae meridionali-occidentalis; in itinere a Sinu Regis Georgii ad oppidulum Perth, Februario 1840. Herb. Preiss. No. 257.

Frutex ramis ramulisque rigidulis subtortuosis coplosis, his foliis plane obtectis. *Capttula* Piso vix majora, subdecemflora, lilacina.

10. **Beaufortia micrantha** *Schauer.* ramulis tenellis, tomentosis; foliis abbreviatis, carnosulis, oppositis, sessilibus, quadrifariam imbricatis, arcte adpressis, ovatis, obtusis, facie concava pubescentibus, dorso carinato glabris; capitulis subapicalibus oblongis densifloris, bracteatis; axi hypanthioque lanatis; calycis phyllis ovatis, obtuse acuminatis, carinatis, glabris; phalangibus triandris; unguibus corollam aequantibus, glabris. Schauer l. c. pag. 18.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 256.

„Frutex pedalis", conferte ramosus, ramulis foliis penitus obtectis ideoque quadrangularibus, tomento inter folia pullulante albo. *Capttula* diametro 3-4 lin. metientia, lilacina.

CALOTHAMNUS Labill. Schauer l. c. pag. 19. tab. I. B. fig. 12—17.

I. Callithamnus. Gemmae floriferae ramulo adnatae, subunilaterales, nudae vel perula cucullata apiculata, dein alabastro adolescente sublata vel bivalvi-dehiscente obtectae. Phalanges polyandrae. Schauer l. c.

1. **Calothamnus sanguinea** *Labill.* ramulis villosis; foliis sparsis, confertissimis, saepe implexis, acerosis, teretibus l. planiusculis, acutis, inermibus, incurvis apice recurvis vel ascendentibus, pilosis, denique glabrescentibus; floribus tetrameris, axillaribus, paucis subspicatisve; hypanthio cyathiformi, cum calyce albo-lanato; phalangibus duabus polyandris, radiantibus, inferne connatis; (antheris biseriatim punctatis); staminodiis duobus sejunctis. — Labill.

N. Holl. II. pag. 25. tab. 164! *C. eriocarpa* Lindl. Swan River Bot. pag. IX. n. 28!

In arenosis silvae cis oppidulum Guildford gregatim crescens Julio 1839. Herb. Preiss. No. 214; in planitie arenosa Quangen, Martio 1840, alabastrigera: No. 216; in regionibus interioribus Sinum Regis Georgii et vicum York interjacentibus, Februario 1840, alabastr.: No. 219, 220 et 221. — In Terra Van-Leuwin: Labill.!; ad Sinum Regis Georgii: Hügel! — J. Drummond!

2. **Calothamnus torulosa** *Schauer.* caule rigido, toruloso; foliis confertissimis, erectis, compactis, tereti-subfiliformibus, pungentibus, incurvis, glaucescentibus: novellis inferius pilosis: adultis glabris, asperis; floribus tetrameris, axillaribus, subsolitariis, torulo fungoso insidentibus; hypanthio hemisphaerico, sericeo; phalangibus polyandris, duabus latissimis erectis, duabus angustioribus flexuosis: unguibus fasciaribus: filamentis fastigiatis: (antheris virgineis longe ciliatis). Schauer l. c. pag. 21.

In calculosis ad radices montium Darling's-range, haud procul a villa Maddington, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 212. — J. Drummond!

„Frutex dodrantalis-bipedalis", rigidus. *Flores* speciosi; *phalanges* coccineae pollicares, majores 2-4 lineas latae, minores triplo-quadruplo angustiores.

3. **Calothamnus rupestris** *Schauer.* ramulis villosis; foliis sparsis, confertissimis, compactis, acerosis, e tereti compressis, pungentibus, incurvis, glauco-viridibus: adultis glabris, laevibus; floribus tetrameris, ramealibus, paucis; hypanthio subcylindrico, incano-villoso; phalangibus sub-15-andris, aequalibus, inaequaliter ramosis. Schauer l. c. pag. 22.

Inter rupes quarzinas ad latera montium Darling's-range, Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 211.

„Frutex octopedalis, squarrosus". *Phalanges* coccineae, pollicem circiter longae, unguibus lineam latis.

4. **Calothamnus robusta** *Schauer.* ramulis tomentosis; foliis sparsis, confertissimis, rigidis, recurvo-patentibus, teretibus, oblique acuminatis, pungenti-mucronatis: junioribus pilosis: adultis glabratis, laevibus; floribus tetrameris, ramealibus, paucis; hypanthio cyathiformi, villoso-incano; phalangibus 20-andris, subaequalibus, superne pinnatifidis, apice radiantibus. Schauer l. c. *C. robusta* et *C. Knightii* Hort.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promontorii Cape Riche, Novembri 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 213.

„Frutex bipedalis". *Phalanges* coccineae, 14 lineas longa. *Antherae* dorso viscoso-punctatae.

5. **Calothamnus clavata** *Mackay.* ramulis villosis; foliis sparsis, confertissimis, patentibus, subclavatis, e tereti compressis, acutis, inermibus, rectiusculis v. incurvis, piloso-hirsutis, denique glabrescentibus, punctatis; floribus tetrameris, ramealibus, unilateralibus vel aequaliter spica-

tis; hypanthio subcylindrico, pubescente; calycis phyllis subaequalibus, ovatis, obtusis; phalangibus subicosandris, aequalibus, superne pinnatifidis; unguibus elongatis. Schauer l. c. Lodd. Bot. Cab. 1447.

„*Queitjdt*“ aboriginum.

In solo sublimoso ad ripam fl. Avon, prope praedium rusticum cl. Whitfield, Martio 1840, fructifera. Herb. Preiss, No. 210. — J. Drummond! (v. v. c.)

„Frutex 10-pedalis“, habitu *C. quadrifidae* R.Br. valde similis, sed ab omni parte major, foliis latioribus hirsutis, hypanthio pubescente (superius quidem cito calvescente), calyce profundius fisso discrimbnandus.

6. **Calothamnus quadrifida** *R.Br.* ramulis glabris villosisve; foliis sparsis, confertissimis, patentibus, acerosis, e tereti compressis, acutis, inermibus, subincurvis: junioribus pilosis: adultis glabratis, punctis prominentibus conspersis; floribus tetrameris, ramealibus, unilateralibus vel aequaliter spicatis; hypanthio subcylindrico, glabro, verrucoso-punctato; calycis phyllis rotundatis, externis gibbosis; phalangibus subicosandris, aequalibus, superne pinnatifidis: unguibus elongatis. R.Br. in Hort. Kew. IV. pag. 418! Schauer l. c. pag. 25.

C. purpurea Endl. En. pl. Hügel. pag. 48. n. 151!

In elevatis valde arenosis prope Freemantle ad fl. Swan River, Decembri 1838. Herb. Preiss. No. 207; in calculosis ad radices montium Darling's-range, Octobri 1839, No. 217. — Hügel! J. Drummond!

7. **Calothamnus laevigata** *Schauer.* ramulis et innovationibus glabris; foliis sparsis, confertissimis, patulis, subclavato-teretibus, obtusis, brevissime apiculatis, laevibus, nitidis, punctatis; floribus tetrameris, ramealibus, unilateralibus; hypanthio cylindrico, glabro, punctato; phalangibus 15-20-andris, aequalibus, superne pinnatifidis. Schauer l. c. pag. 26.

In Australia meridionali-occidentali, inter Sinum Regis Georgii et vicum Perth, Februario 1840. Herb. Preiss. No. 215.

Frutex gracilis, foliis acerosis, 6-12 lin. longis, obtusis, laete virentibus, nitidis, floribusque conspicuis coccineis insignis.

II. Stromnothamnus. Gemmae floriferae in tumescentia ramuli nidulantes, stragulo corticali fungoso obtectae; alabastra adolescentia erumpentia, adulta immersa vel magis minusve emersa. (Hypanthium hemisphaericnm cum calyce glabrum.) Phalanges 3-7-andrae. Schauer l. c. pag. 27.

* *Flores subemersi, axi paullo tumescenti circumpositi, conferte spicati.*

8. **Calothamnus Lehmanni** *Schauer.* ramulis hirsutis; foliis sparsis, confertissimis, acicularibus, teretibus, acutis,

inermibus glaucescentibus; junioribus pilosis: adultis glabratis; floribus tetrameris, conferte spicatis; hypanthiis semiimmersis; phalangibus duabus, pentandris; staminibus duobus simplicibus. Schauer l. c. pag. 27.

In Australia meridionali-occidentali interiori, inter Sinum Regis Georgii et oppidulum York, Februario 1840. Herb. Preiss. No. 218.

„Frutex ramosus". *Folia* pollicaria. *Spicae* multiflorae foliis interstinctae. *Phalanges* 4 lineas longae, *stamina* distincta triente breviora, utraque atropurpurea.

9. **Calothamnus Preissii** *Schauer.* ramulis villosis; foliis sparsis, confertissimis, patulis, tereti-filiformibus, apice reduncо-cuspidatis, glaucescentibus: hornotinis appresse pilosis: annotinis glabratis; floribus tetrameris, glomeratospicatis; hypanthiis immersis; phalangibus superioribus paullo longioribus, pentandris: inferioribus triandris. Schauer l. c. pag. 27.

In solo glareoso silvae cis fl. Gordon, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 209.

„Frutex sesquipedalis", ramis suberosis. *Folia* 2-4 pollices longa, tenuia, saepe flexa. *Phalanges* sanguineae, erectae, majores 9, minores 7 lineas longae.

10. **Calothamnus Schaueri** *Lehm.* innovationibus villosis; foliis subverticillatis ternis-quaternis, strictis, elongatis, tenuiter filiformibus, teretibus, oblique cuspidatis, pallide virentibus: hornotinis appresse pilosis: annotinis glabratis; floribus tetrameris, dense spicatis; hypanthiis basi immersis; phalangibus brevibus, aequalibus, 2-3-andris. Lehm. Delect. Sem. hort. Hamb. 1842. pag. 7! Schauer l. c. pag. 28.

In regionibus interioribus sterilibus Australiae meridionali-occidentalis, Sinum Regis Georgii et oppidulum York interiacentibus, Februario 1840. Herb. Preiss. No. 202.

Frutex pede vix major, simplicіusculus. *Folia* stricta, 4-6 pollices longa. *Phalanges* adscendentes, 2 lineas longae, atropurpureae.

11. **Calothamnus schoenophylla** *Schauer.* glabra; foliis oppositis vel subverticillatis ternis-quaternis, subfasciculatis, patentibus, elongatis, semiteretibus, cuspidatis, viridibus; floribus tetrameris, conferte spicatis; hypanthiis semiimmersis; phalangibus . . . . Schauer l. c. pag. 29.

In solo subturfoso-arenoso inter frutices silvae ad planitiem prope oppidulum Albany (Plantagenet), Decembri 1840, fructifera. Herb. Preiss. No. 201.

Frutex pedalis-sesquipedalis, gracilis, ramis paucis tortuosis adscendentibus patentissimis. *Folia* 6-8 pollices longa, rigida, opaca, saepe secunda*).

---

*) **C. Hügelii** Schauer. glabra; foliis in verticillis remotis confertis, patulis, filiformibus, rigidis, teretibus, incurvis, acutis, inermibus, pallide viridibus; floribus tetrameris, unilateralibus; hypanthiis usque ad apices calycis immersis; phalangibus subaequalibus, rectis, 5-7-andris, superne pinnatifidis (antheris seriatim punctatis). Schauer l. c. pag. 30. *C. quadrifida* Endl. En. pl. Hügel. pag. 46. n. 150! Ad Sinum Regis Georgii: Hügel. Frutex validus. *Folia* 2½-3 poll. longa. *Flores* conferte spicati. *Calycis phylla* subrotunda, acutiuscula, interne glabra, tenuiter ciliata, aestivatione valvata. *Phalanges* 10 lin. longae, purpureae.

** *Flores tumescentiae corticali spongiosae pulvinariformi immersi, unilaterales.*

12. **Calothamnus gracilis** *R.Br.* glabra; foliis sparsis, confertis, patulis, tereti-filiformibus, rigidis, incurvis, pungenti-mucronatis, pallide viridibus; floribus pentameris, unilateralibus; hypanthiis immersis; phalangibus aequalibus, rectis; 5-7-andris, superne pinnatifidis (antheris impunctatis). — R.Br. in Hort. Kew. IV. pag. 418!

In subarenoso-glareosis clivuli inter montem Manypeak (l. Tjilberup) et promontorium Cape Riche, Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 208. — Ferd. Bauer!

Frutex humilis. *Folia* 2-2½ poll. longa. *Flores* speciosi, spicam unilateralem interruptam struentes. *Calycis phylla* rotundata, interna pagina sericeo-tomentosa, inaequalia, aestivatione imbricata. *Phalanges* coccineae, pollice vix breviores.

13. **Calothamnus longifolia** *Lehm.* glabra, foliis suboppositis vel subverticillatis ternis-quaternis, strictis, longissimis, tereti-filiformibus, pungenti-mucronatis; floribus tetrameris, unilateralibus; hypanthiis usque ad apices calycis immersis; phalangibus subaequalibus, declinatis, 5-7-andris, fere a basi inde pinnatifidis. Lehm. Delect. Sem. hort. Hamburg, 1842. pag. 7! Schauer l. c. pag. 30.

C. lateralis Lindl. Swan River Bot. pag. IX. n. 27?

In depressis turfosis hieme inundatis: in silva supra Perth, Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 200; in planitie prope Albany, Januario 1840. No. 203; ad Sinum Regis Georgii, Novembri 1840, fructif. No. 204. — J. Drummond!

„Frutex sesqui-quadripedalis", strictus, gracilis, cortice ad inflorescentiam in pulvinar tumescente. *Folia* 6-15 pollices longa, pallide vel subglauco-viridia. *Flores* nauseosi, atropurpurei. *Phalanges* graciles 6-7 lin. longi.

14. **Calothamnus planifolia** *Lehm.* ramulis villosis; foliis alternis, confertis, patulis, cuneato-linearibus, planis, firmis, obtusis cum apiculo brevissimo inermi, glabris (siccis bisulcis); floribus tetrameris, unilateralibus; hypanthiis usque ad apices calycis immersis; phalangibus subinaequalibus, declinatis, 5-7-andris, a medio inde pinnatifidis. Lehm. Delect. Sem. hort. Hamb. 1842. pag. 7! Schauer l. c. pag. 31.

α **angustifolia.** gracilior; foliis angustioribus, laevioribus. Schauer l. c. tab. I. B. fig. 12—17.

In solo glareoso planitiei prope lacum Mathilda (distr. Hay), Novembri 1840 florens. Herb. Preiss. No. 205.

β **latifolia.** robustior; foliis latioribus, punctis prominulis asperis costaque crassiori.

In interioribus plagis Sinum Regis Georgii et oppidulum York interjacentibus, Februario 1840. Herb. Preiss. No. 206.

„Frutex bipedalis." *Folia* 2-2½ poll. et quod excedit longa, viridia, opaca. *Phalanges* 10 lin. circiter longae, superne purpureae, unguibus perangustis pallidis.

*** Incompleta.

15. **Calothamnus (?) suberosa** *Schauer.* ramis suberosis, rimosis; foliis subverticillatis ternis, subimbricatis, brevibus, semiteretibus, brevipetiolatis, obtusiusculis, glabris, subglaucescentibus, dorso convexo punctatis; floribus remotiusculis, sparsis, ramo circumpositis, pentameris; hypanthio immerso; phalangibus . . . .

In depressis arenosis inter montem Manypeak (Tjilberup) et promontorium Cape Riche, Novembri 1840, deflorata. Herb. Preiss. No. 206[b].

„Frutex vix pedalis", ramosus. *Rami* cortice molli, inter flores denique subereo et rimoso amicti, cum ramulis brevibus patentibus rigiduli. *Folia* 1½-3 lineas longa, semilineam fere lata, facie lanceolata vel lineari planiuscula argute marginata laevi, dorso convexo punctis biseriatis saepe prominentibus praedito, apice obtuso v. acutiusculo mutico, petiolo brevissimo laminae continuo. *Flores* cortici suberoso immersi, singulati-geminati, spicam interruptam 1-1½ poll. longam struentes. *Hypanthium* ima basi duplici ordine squamularum imbricatarum involucratum, campanulatum, breve. *Calycis* dentes 5, ovati, acutiusculi, patentes. (*Petala* et stamina desunt.) *Germen* hypanthio immersum, basi innatum, vertice villosum, triloculare; *gemmulae* in singulo loculo plurimae, in spermophoro ad angulum internum basifixo obliquae. *Capsula* hypanthio cum calyce exarido corticata, subemersa, loculicide trivalvis; semina numerosa, minuta, cuneata, angulata, aptera.

EREMAEA Lindl. Swan River Bot. pag. XI. Endl. gen. n. 6304.

Flores terminales, singuli vel pauci aggregati, foliis rameis supremis obvallati, bracteis nonnullis squamaceis involucrati, sessiles, bibracteolati. *Hypanthium* campanulatum, germini adnatum, continue in calycem abiens. *Calycis* phylla 5, cutanea, acuminata, persistentia. *Petala* 5, margini interiori hypanthii annuliformi inserta, calycis phyllis alterna, suborbicularia, unguiculata, concava, colorata. *Stamina* plurima, cum petalis inserta, basi connata, irregulariter polyadelpha, exserta, recta; filamenta filiformia; anthera connectivo filamento continuo erecta, obovata vel oblonga, bilocularis, loculis connatis prope apicem rima laterali angusta vel poriformi hiante dehiscentibus. *Germen* semisuperum, vertice dense villosum, bi-triloculare; gemmulae in singulo loculo plurimae, spermophoro bicostato ad angulum internum basifixo insertae. *Stylus* filiformis, stamina subaequans vel superans; stigma punctiforme. *Capsula* hypanthio valde aucto, basi adnato, accreta, bi-trilocularis, loculicide dehiscens; semina plurima, adscendentia, cuneata, angulata, infima plurialata.

1. **Eremaea fimbriata** *Lindl.* ramulis pubescentibus pilosisque, foliis approximatis, alternis patulis, coriaceis, oblongo-lanceolatis, obtusis, inflexis, apice recurvis, 3-5-7-nervibus, supra glabris, subtus pilosis, margine villosis,

denique glabratis; floribus subgeminatis; bracteis hypanthio calyceque sericeo-tomentosis; staminibus corolla triplo longioribus, conspicue polyadelphis. — Lindl. Swan River Bot. pag. XI. n. 38!

In arenosis silvae prope lacum Monger's-lake, Octobri 1839. Herb. Preiss. No. 254. — J. Drummond!

Frutex semipedalis, squarrosus, quam sequentes omnibus partibus major. *Folia* 4 lin. longa. *Flores* grandiusculi, filamentis coccineis antheris luteis conspicui. *Bracteae* coriaceae, ciliatae, striatae, hypanthium fere omnino velantes. *Calycis phylla* subulato-acuminata. *Stamina* irregulariter polyadelpha, unguibus latissimis, petalis haud longioribus; antherae rimae angustae. *Stylus* stamina aequans. *Fructus* magni, singuli, gemini, ramulo arcte adnati; hypanthium furfuraceum, albidum, calyce indurato patenti coronatum; capsula vertice densissime villosa. *Semina* numerosa; plurima cuneata, angulata; infima, parieti loculi oppressa, plurialata, ala nempe majori dorsum seminis quasi ambiente, duabusque tribusve ad angulos faciales instructa: alis omnibus latis, hyalino-membranaceis, transverse interruptis, ex integumentis gemmulae evolutione progrediente inter vicinas gemmulas partim compressis repetendis.

2. **Eremaea pilosa** *Lindl.* ramulis lanuginosis; foliis approximatis, alternis, patulis acerosis, lineari-lanceolatis, muticis, apice subrecurvis, trinervibus, pilosis, adultioribus glabratis; floribus solitariis; bracteis glabriusculis vel subpubescentibus, ciliatis; hypanthio intra bracteas puberulo, ceterum cum calyce vernicoso-nitente; staminibus corolla duplo longioribus; unguibus phalangum brevissimis. — Lindl. l. c. n. 37.

In glareosis silvae ad radices montium Darling's-range. Novembri 1839. Herb. Preiss. No. 296; in arenosis illustribus silvae haud longe ab oppidulo Freemantle Decembri 1838. No. 295; in regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. No. 300.

„Frutex bipedalis" gracilis, inferne simplex, superne laxe ramosus. Innovationes subvillosae. *Folia* 3 lin. circiter longa. *Hypanthium* subcylindricum, viride. *Calycis* dentes cutanei, subrotundo-ovati, acuminati. *Petala* tenuiter membranacea, subrotunda, reflexa, viridi-purpurea. *Stamina* 3 lin. longa, lateritia, antheris luteis poris ampliusculis dehiscentibus. *Stylus* exsertus. *Germen* vertico emerso albo-sericeum.

3. **Eremaea ericifolia** *Lindl.* ramulis pubescentibus; foliis approximatis, alternis, patulis, acerosis, lineari-semiteretibus, obtusis, brevipetiolatis, pilosis, adultioribus glabratis; floribus solitariis; bracteis pubescentibus; hypanthio intra bracteas pubescente, ceterum cum calyce vernicoso-nitente; staminibus corolla vix longioribus; unguibus phalangum brevissimis. — Lindl. l. c. n. 36.

Metrosideros pauciflora Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 50. n. 159!

In arenosis colliculosis silvae prope Pine Apple (Perth), Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 294. — Hügel!

„Frutex tripedalis", praecedenti valde affinis, sed habitu peculiari, e ramificatione confertiori tortuosa foliisque angustioribus brevioribus crassioribus pendente, floribus paullo minoribus staminibusque brevioribus satis di-

stincta. *Petala* patentia viridula. *Filamenta* lateritia, 2 lin. longa; antherae ut in priore. *Fructus* pisi majoris mole, hypanthio fusco laevi ore truncato edentulo, capsula immersa. *Semina* etiam in hac reperi nonnulla simili modo ut supra descripsi plurialata, sed alis perangustis praedita.

HALORAGEAE RBr.

Endl. gen. pag. 1195. Onagrariae Subordo Halorageae Meisn. gen. pag. 124.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

GONIOCARPUS Koen. Ann. of Bot. I. pag. 546. DC. Prodr. III. pag. 66. Haloragis specc. Endl. l. c.

Sect. II. PTEROGYNUS DC. l. c.

1. **Goniocarpus tetragynus** *Labill.* foliis ovatis acutis sessilibus nitidis marginatis grosse serratis supra hispidis, ramulis junioribus pilosis demum glabrescentibus, spicis axillaribus laxis paucifloris longe pedunculatis gracilibus in apice ramorum subcorymbosis, floribus sessilibus erectis, terminali ad speciem saepe pedicellato, fructu ovali octocostato costis scabris, petalis pilosis. — Labill. Nov. Holl. tab. 53. DC. Prodr. III. pag. 66.

In solo turfoso ad portum Princess Royal Harbour et in turfoso-arenosis scaturiginosis ad Stirling's-Terrace (Plantagenet) m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2087 et 2390.

Bracteae parvae, lanceolatae, integerrimae. *Caulis* diffusus. ⊙

2. **Goniocarpus nodulosus** *N. ab E.* foliis inferioribus oppositis obovato-cuneiformibus apicem versus serrulatis glabris, superioribus floralibusque hispidis alternis, his lanceolatis integerrimis minoribus, floribus in axillis foliorum sessilibus solitariis spicam dissitifloram foliaceam constituentibus, fructu urceolato quadrangulari octocostato ventre in medio constricto, petalis brevibus apice hispidis.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 2378.

Planta parva, annua, erecta, a basi ramosa, ramis oppositis habitu *G. serpyllifolii* Hook, sed foliis floralibus alternis et *fructus* sculptura singulari distinctissima; ob ventrem fructus medio constrictum cingili duo nodulorum octonorum alternatim minorum, quorum alter prope basin alter infra collum situs est, oriuntur. *Flos* tetrandrus.

3. **Goniocarpus trifidus** *N. ab E.* foliis omnibus trifidis filiformibus inferioribus verticillato-ternis, floralibus conformibus oppositis, floribus dioicis quadripartitis, axillaribus solitariis ternisve oppositis masculis tetrandris.

In turfosis humidis ad lacum haud procul ab oppidulo Albany (Plantagenet) m. Octobri 1840. Herb. Preiss. No. 2401.

„Herba humifusa, radicans". Antherae lineares.

LAUDONIA Lindl. Swan Riv. XLII, XLIII. Endl. gen. n. 6139. Meisn. gen. pag. 356. Glischrocaryon Endl. in Ann. Mus. Wien. 2. pag. 209.

1. **Laudonia aurea** *Lindl.* glaberrima, caule erecto tereti sesquipedali simplici glauco discolore basi foliato apice nunc aphyllo, folia linearia alterna coriacea integerrima, panicula terminalis corymbosa, bracteae superiores petaloideae obovatae floribus aureis aequales, primariae foliaceae aut deficientes. — Lindl. l. c. pag. XLII. n. 194 cum ic. Walp. Repert. 2. pag. 12. 100.

In calculosis ad latus orientale montis Bakewell (York) m. Septembri Herb. Preiss. No. 2067. et in solo limoso prope urbiculam Guildford et ad fluvium Canning (Perth) m. Octobri a. 1839. No. 2068.

β **angustifolia.** foliis linearibus caule infirmo.

In glareosis sterilibus districtus Hay m. Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 2079.

Unum tantum vidimus specimen, praeter *folia* multo minora (3-4 lin. longa, ½ lin. lata,) in inferiore caulis parte crebriora, magis patentia, et *cymam* terminalem minorem subsimplicem, haud diversum, de quo, an speciei propriae sit, aliis judicium relinquimus.

OENOTHEREAE Endl.

Endl. gen. pag. 1188. Onagrarum Sect. II. et III. Juss.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Tribus II. Epilobieae Endl. l. c. pag. 1189.

EPILOBIUM Linn. Endl. gen. n. 6121. Meisn. gen. pag. 120. (86.)

1. **Epilobium canescens** *Hügel.* incano-tomentosum, foliis alternis sessilibus oblongis serratis basi subintegerri-

mis, junioribus subfasciculatis, pedicellis floriferis cernuis fructiferis strictis folio longioribus. Endl. in Enum. plant. Hügel austr. occ. pag. 44. Walp. Repert. 2. pag. 93.

Ad fluvium Cygnorum (Hügel). In arenosis umbrosis et in rupestribus vallis Tood-yay-vally m. Martio a. 1839 et 1840. Herb. Preiss. No. 1946 et 1948.

„Suffrutex bipedalis" stricte erectus, in umbrosis laxior.

β **glabrescens.** foliis glabris, caule subtilissime pubescenti-exasperato.

In humidis umbrosis ad flumen Cygnorum m. Majo a. 1839. Herb. Preiss. No. 1947.

OXALIDEAE DC.

(Auctore E. T. Steudel.)

OXALIS Linn. Endl. gen. n. 6058. Meisn. gen. 57. (42.)

1. **Oxalis Preissiana** *Steud.* caule tenero simplici sursum folioso, foliis omnibus petiolatis, petiolis basi cum stipulis adnatis (uti caulis-patenti) hirsutis; foliolis omnibus sessilibus subprofunde bifidis ciliatis glaucescentibus puncticulatis; pedunculis rectis folia superantibus supra medium bibracteolatis, stylis longissimis.

In calcareis umbrosis prope Pointwater ditionis Perth, 18. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1915.

Radix tenuis longe descendens parum fibrosa; *caulis* abbreviatus infra petiolorum ortum vix pollicaris; *petioli* pedunculo-solitario duplo breviores ad basin caulis plus minus conferti, apice infra foliola dense pilosi; *foliola* a basi ad excisuram 2-2½ lin. longa 3 lin. circiter lata profunde emarginata fere bifida sordide glaucescentia, juniora etiam in utraque pagina sparsim pilosa, impresso puncticulata; *flores* solitarii; *calycis* laciniae oblongae obtusae corolla alba plus duplo breviores pilosae; *capsulae* conicae dense pilosae. ⊙?

2. **Oxalis cognata** *Steud.* tenera parvula; caule procumbente ramoso petiolisque pilosis, foliolis sessilibus obcordatis sparse pilosis ciliatis; pedunculis axillaribus petiolos superantibus medio bibracteatis refractis; stylis intermediis.

In arenoso-conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest 22. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1916.

Radix tenuis fibrosa emittens caulem maxime ramosum; *rami* procumbentes teneres 1-2 pollicares vix et raro longiores; *petioli* subbipollicares erecto-patentes subflexuosi basi stipulis adnatis obtusis muniti; *foliola* parva a basi ad excisuram lineam vix excedentia 2 lineas lata, tenuissime

puncticulata, obscure viridia; *pedunculi* 1½-2 pollicares, solitarii ex axillis uniflori; calycis laciniae oblongae, striatae, adpresse pilosae; capsula conica, junior stylis persistentibus in adultis evanidis rostrata, dense pilosa.

Proxime accedit ad speciem: *O. procumbentem* Steud. a cl. *Schimpero* (Herb. un. it. No. 1165) in Abyssinia lectam.

LINEAE DC.

(Auctore F. T. Bartling.)

LINUM L. Endl. gen. 6056. Meisn. gen. 57. (41.)

1. **Linum angustifolium** *Huds.* sepalis ovatis acuminatis eglandulosis capsulam subaequantibus, interioribus obsolete ciliatis; foliis lineari-lanceolatis glabris; caulibus numerosis. — Huds. angl. pag. 134. Engl. bot. tab. 381.

In arenosis inter frutices prope Woodman'spoint d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1913. — Ad portum Princess Royal Harbour Nov. 1840. No. 1914.

„Herba 1-2-pedalis, stricta. · *Flores* cyanei". Stirps Novae Hollandiae, quam etiam prope Port. Jackson lectam coram habemus, ab Europaea caulibus erectis strictis paulisper recedit, vix tamen species diversa videtur.

GERANIACEAE DC.
Fl. Franc. ed. 5. Vol. 4. pag. 1838. Endl. gen. pag. 1166.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

ERODIUM Herit. Endl. gen. n. 6045. Meisn. gen. pag. 57. (41.)

1. **Erodium cicutarium** *Leman.* caule prostrato aut diffuso hirto, foliis pinnatisectis segmentis sessilibus pinnatifidis incisis acutis obtusisve, pedunculis multifloris, petalis inaequalibus, staminum basi dilatata integerrima. — DC. Prodr. pag. 646. n. 21. Koch. Synops. Fl. Germ. et Helv. pag. 172. Reichenb. Fl. excurs. pag. 776.

Var. γ **Chaerophyllum** (DC. l. c.), „floribus albis" (Preiss.), ad formam β caule suberecto accedens.

In solo limoso arenoso ad fluvium Avon River, 19 Mill. ab oppidulo York (York), Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1899; aliis in partibus districtus York No. 1905 (an et haec specimina albiflora?)

Ab Europaeis hujus varietatis et var. *δ ptilosae* Thuill. non differt, nisi pubescentia carpellorum alba, quae in nostratibus est ferruginea. *Petala* desunt. ⊙

2. **Erodium cygnorum** *N. ab E.* caule „prostrato“ petiolisque retrorsum pilosis, foliis oppositis incumbenti-pilosis trisectis, segmentis lateralibus divaricatis bifido-dentatis, medio majore trifido inciso-dentato, pedunculis submultifloris, calycibus nervosis sericeo-incanis breviaristatis.

In depressis arenosis umbrosis ad flumen Cygnorum supra oppidulum Perth, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 1902.

Summopere affine est *Erodio gruino*, a quo differt foliis obtusis neque acutis, lobo medio basi cuneato et integro nec inferne subpinnatifido-inciso, et inprimis sepalis haud caudato-acuminatis, crassinerviis interstitiis nervorum membranaceis fereque glabris, sed ex apice obtuso mucronem aristiformem sepalo quadruplo et amplius breviorem exserentibus, tota superficie pilis brevissimis incumbentibus tectis nervisque 5 multo minus conspicuis praeditis. Iisdem characteribus etiam ab *E. serotino* discernitur, cui quod ad foliorum formam maxime est simile, et insuper differt umbella pauciflora nec multiflora. — *Caulis* articuli novelli dense albo-hirsuti. *Pedunculi* in nostro triflori. *Involucri* foliola ovata, setaceo-acuminata. „*Flores* cyanei“ (Preiss.), petalis ovalibus integris calyce longioribus. *Ovaria* strigosa. *Stamina* glabra. *Fructus* deficit. ⊙

An *Erodii gruini* var.? Unum tantum specimen vidi.

GERANIUM Herit. Geran. t. 36—40. Endl. gen. n. 6046. Meisn. gen. pag. 57. (41.)

1. **Geranium pilosum** *Forst.* caule diffuse ramoso, petiolis (foliis) pedunculisque patenti-pilosis, foliis palmatim quinquepartitis laciniis sublinearibus obtusis, trifidis, pedunculis bifloris, pedicellis demum reflexis calycibus ovariisque hirsutissimis, petalis calycem aequantibus subemarginatis „coeruleis“, filamentis glabris. Forst. Prodr. pag. 91. n. 531. (absque diagnosi.) Willd. sp. pl. 3. pag. 706. (ad specimen incompletum descriptum.) Spr. s. v. 3. pag. 74. DC. Prodr. 1. pag. 642. n. 46. Endlich. in Enumerat. pl. Hügel. pag. 14. n. 43.

In Nova Zeelandia (Forster).

β Caule erecto, foliis pilosis.

In limoso-arenosis porrectis haud longo itinere a praedio rustico cl. Wittenoom (York), Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1900.

Sepala ovata, brevimucronata. 4

2. **Geranium australe** *N. ab E.* pilis brevibus reversis canescens, caule procumbente, foliis palmatim quinquepartitis laciniis sublinearibus obtusis trifidis, pedunculis

bifloris, ovariis hirsutissimis, staminibus glabris; petalis calyce longioribus subemarginatis (coeruleis).

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1907.

A *Geranio ptiloso*, cui quod ad foliorum figuram et flores simillimum, differt statura minore, caule procumbente probabiliter diffuso, et inprimis pubescentia breviore, densiore, reversa, qua efficitur, ut tota planta canescat. Sepala etiam pilis, sed iis antrorsum incumbentibus canescunt. 24? — An forma sive varietas *Geranii ptilost?*

PELARGONIUM Herit. Endl. gen. n. 6048. Meisn. gen. pag. 57. (41.)

1. **Pelargonium (Peristera) crinitum** *N. ab E.* caule angulato diffuso petiolisque pilis mollibus patentissimis villoso, foliis cordato-subrotundis lobatis crenatis glabriusculis basi cuneiformibus subcucullatis, pedunculis multifloris, petalis lineari-cuneiformibus, carpellorum aristis in medio longe barbatis basi apiceque glabris.

α **Pedicellis longiusculis.**

In arenosis apertis prope oppidulum Freemantle, Decembri a. 1838, et in solo sublimoso districtus Sussex, Decembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1905 et 1906.

β **Congestum.** floribus propter pedunculos breviores magis congestis pallidioribus, caule firmiore breviore.

In solo arenoso exsiccato ad marginem lacus Mathilde (Hay), Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1903.

Species notis indicatis distinctu haud difficilis. *Rhizoma* articulatum, repens, fuscum. *Caules* pedales, angulosi, laxi et debiles, inter villos longos patentes pube brevi subglandulosa densiori vestiti. *Folia* pollicaria, fere quinqueloba, lobis obtusis dense crenatis in nostris saepe crispulis, basi late cordata et e sinu evidenter cuneata ac conniventia, ad costas subtus plus minus scabra hirtave; floralia multo minora, sessilia, trifida. *Pedunculi* firmi, multi, circa apicem caulis subcorymbosi, villosi, 6-7-flori. *Pedicelli* in forma *α* tubo calycis longiores, in *β* hunc aequantes eove breviores, cum calycibus pubescentia brevissima viscidula pilisque raris patentibus vestiti. *Calycis* laciniae oblongo-ovales, acutae, margine albo-membranaceo undato cinctae, quatuor reflexae, suprema recta. Tubus nectariferus longitudine tubi calycini. *Petala* calyce parum longiora, oblongo-linearia, basin versus cuneatim angustata, „laete purpurea“ (Preiss), superiora paulo majora et basin versus macula saturatiori ramosa notata. *Stamina* 10, basi in urceolum connata, 5 longiora, quorum 4 antherifera, 5 reliqua dentiformia. *Columna centralis* et *carpella* pubescentia. *Rostrum* $^3/_4$ poll. longum, in medio introrsum (ut in *Pel. humifuso* Willd.) pilis longis erecto-patentibus rigidulis barbatum. 24.

A *Pelargonio littorali* Endlich. (pl. Hügel pag. 14.) differt caulibus procumbentibus diffusis nec erectis, valde angulosis nec teretibus.

2. **Pelargonium (Peristera) erodioides** *Hook.* (?), subacaule patenti-hirsutum, foliis cordato-rotundatis (sinu lato) subseptemlobatis serratis (crenatis), pedunculis radicalibus (digitalibus) subaphyllis, umbellis tri-7-floris, calycibus villosissimis, tubulo nectarifero subnullo. Journ. of Bot. I. pag. 252. Walp. Rep. II. pag. 459.

Inter rupium rimas summi montis Wuljenup (Plantagenet), Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1901. Specimen sterile.

Species propter flores et fructus deficientes dubia. *Caudex* pollicaris, crassus, residuis petiolorum destructorum exasperatus. *Folia* terminalia, conferta, petiolata. *Petioli* 2-2½ poll. longi, purpurei. *Pubescentia* densa, patens, breviuscula ut in *P. australi;* sed folia breviora sunt et sinus baseos haud angustus lobis conniventibus, sed sublunatus, lenis et parum profundus, quibus commotus ad *P. erodioides* referendum esse censebam nostrum specimen. 4.

ZYGOPHYLLEAE Juss. Endl. gen. pag. 1161.

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

ROEPERA Adr. Juss. Endl. gen. n. 6035. Meisn. gen. pag. 59. (43.)

1. **Roepera fabagifolia** *A. Juss.* foliolis oblongis carnosis planis, pedicellis brevissimis, caule fruticuloso. A. Juss. Mém. sur les Rutacées pag. 71. tab. 15. n. 15. De Less. Icon. Select. III. tab. 42! pag. 25. *Zygophyllum fruticulosum* DC. Prodr. I. pag. 705. (quare Roepera *fruticulosa* apud quosdam auctores perperam legi videtur.)

Crescit in arenosis clivuli Arthur's-head, regionis Perth, 23. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1953.

„Frutex subscandens. *Corolla* aurea".

Specimina nostra bene cum iconibus citatis quadrant, praesertim quoad florum et fructus analyses. *Foliola* in nostris paullo latiora, acutiuscula, parumper divergentia, an icone cit. operis Lessertiani recte paullo obtusiuscula depicta?

Observ. Sarcozygium Bunge (Linnaea XVII. pag. 7) genus mongholicum, nimis fortasse *Roeperae* affine, characteribus bene ponderatis, unice squamulis filamenta intus stipantibus differre videtur.

ZYGOPHYLLUM Linn. Endl. gen. n. 6036. Meisn. gen. pag. 59. (43.)

Sectio Carinaria Miq. Squamula cum filamenti basi in unum conjuncta. *Petala* naviculari-concavata. *Flores* subracemose conferti.

1. **Zygophyllum australasicum** *Miq.* ramulis, foliis praesertim subtus, sepalisque minute hirtello-pubescentibus, sensim glabratis, foliis sessilibus, foliolis binis carnosis

anguste lanceolato-spathulatis, inferioribus plerumque obtusis, superioribus acutis, floribus subracemosis, sepalis ovatis brevi-acuminatis, pistillo albo-piloso.

Crescit in clivulis arenosis insulae Cornac, 8. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2397.

Zygophyllis plurimis capensibus e *Sect. foliis sessilibus bifoliolatis* affine, petalorum tamen forma et squama fere obsoleta tota coalita (quantum in specimlnibus exsiccatis distinguere licet) a congeneribus longius recedens, ob fructum autem adhuc incognitum, tutius huic generi hodie adscribendum. „Frutex tripedalis". *Rami* vetustiores lignosi, teretes, laeves. *Ramuli* juniores angulati, herbacei, appresse pubescentes. *Foliola* 1½-3 cent. longa, 3-8 mm. versus apicem lata, subtus praesertim hirtello-puberula sensim glabrata, succulenta. *Stipulae* membranaceae, e lata basi lanceolatae, versus apicem hirtellae. *Flores* in ramulorum apicibus racemoso-conferti, breviter pedicellati, in sicco lutei, plures quidem semiaperti, an tamen jam omnino explicati. *Sepala* 5 succulenta, basi cohaerentia, magnitudine parumper inaequalia, ovata, breviter acuminata vel acuta, concava, extus pubescentia, 1½-vix 2 mm. longa. *Petala* duplo vel plus longiora, obovato-elliptica, concavo-navicularia marginibus apiceque inflexis, extus glabra, intus versus basin puberula? *Stamina* 10, petalis inclusa; *antheris* oblongis, bilocularibus, rimis amplis hiantibus, *filamentis* basi e squamula concreta incrassatis. *Ovarium* in *stylum* pentagonum continuatum, utrumque albo-pilosum, *stigmatis* 5-lobulati lobulis conniventibus.

DIOSMEAE A. Juss.

(Auctore F. T. Bartling.)

BORONIA Smith in Transact. Linn. soc. VII. 285. Adr. Juss. in Mem. Mus. XII. pag. 482. tab. 22. Endl. gen. n. 6004. Meisn. gen. 60. (44.)

* *foliis simplicibus.*

1. **Boronia laniflora** *Bartl.* caule dichotome ramoso demum subaphyllo glabro; foliis linearibus canaliculatis, superioribus abbreviatis; cymis terminalibus 3-5-floris pedunculatis; sepalis lanceolatis acuminatis pedicellisque lanatis; filamentis glabriusculis.

α **micrantha.** caule a basi dichotome ramosissimo adulto aphyllo, floribus minoribus.

In turfoso-uliginosis inter frutices planitiei inter montes Melville et Elphinstone (Plantagenet) 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2030.

β **macrantha.** caule minus ramoso, foliis diutius persistentibus, floribus majoribus.

In sublimosis hieme inundatis districtus Sussex Decbr. 1839. Herb. Preiss. No. 2037.

Suffrutex 1-2-pedalis, erectus, sordide glaucescens, caule tereti, glabro, a basi vel superne dichotome ramoso. *Rami* ultimi subcompressi, glabri vel villo mollissimo fugaci initio obtecti. *Folia* remota, erecta, crassa, obtusa, integerrima, dorso convexa, caulina inferiora sesquipollicaria, superiora, sensim minora, ramulorum perparva, lineari-lanceolata, supra villoso-lanata, dein glabrescentia, in var. α submembranacea, omnia plus minus caduca. *Cymae* erectae, bracteis duabus lanceolatis caducis suffultae. *Flores* pedicellati. *Pedicelli* albo-lanati, centrales longiores florem aequantes. *Sepala* 1½-2 lin. longa, lanceolata vel (in var. β) oblongo-lanceolata, longe acuminata, extus albo-lanata, acumine recurvo subtus glabrescente, supra lanato. *Petala* sepalis duplo fere longiora, ovalia, breviter acuminata vel cuspidata, rosea, stria dorsali obscuriore obsolete pubescente, facie villo fugaci tenui adspersa. *Stamina* 8. calyce parum breviora, omnino Boroniae. *Carpidia* calycem aequantia, valde compressa, acutissime carinata, apice truncata, punctata, obsolete pubescentia.

Species valde paradoxa et habitu et florum indumento. Varietates α et β forsan species diversae, at specimina, quae perscrutari licuit, notas essentiales haud suppetunt.

2. **Boronia juncea** *Bartl.* glaberrima, caule erecto dichotome ramoso subaphyllo; foliis linearibus semiteretibus canaliculatis; cymis terminalibus pedunculatis multifloris; sepalis e lanceolata basi acuminato-subulatis, apicem versus sublanatis; filamentis glabriusculis.

In subarenosis exsiccatis districtus Wellington 5. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2036.

Simillima *B. lanifloraе* var. β ultra bipedalis, superne dichotome ramosissima, ramis strictis. *Folia* inferiora desunt, superiora remotissima appressa, crassa, obtusa, 3-4 lin. longa, summa adhuc minora, lineari-subulata. *Cymae* parvae, subcompositae, circ. 7-florae. *Pedicelli* glabri, compressi, florem subaequantes. *Flores* parvi. *Sepala* extus glabra, acumine supra sublanato. *Petala* calyce paulo longiora, oblonga acuminata, glabriuscula.

A. *B. lanifloraе* var. α nonnisi floribus minoribus extus pedicellisque glabris recedit, indeque forsan pro ejusdem speciei varietate habenda.

3. **Boronia flexuosa** *Bartl.* suffruticosa, trichotome ramosa, glauca, ramis ancipitibus; foliis remotis oblongo-spathulatis, summis linearibus; cymis dichotomis multifloris terminalibus axillaribusque longe pedunculatis; pedunculis hispidulo-scabris; sepalis lanceolatis acuminatis; filamentis ciliatis.

In arenosis sylvae ad fluvium Canning (Perth) et in districtu Sussex 5. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2024.

Radix crassa, lignosa, multiceps. *Caules* pedales et ultra, erecti, lignescentes, teretes, glabri, superne trichotome ramosi. *Rami* erecti, subfastigiati. *Folia* pauca, erecto-patula, crassa, glaberrima, obtusa, integerrima, inferiora basi longe attenuata, ½-1 poll. longa, superiora lineari-oblonga, 1-1½ poll. longa. *Cymae* laxae bis terve dichotomae 5-9-florae, erectae, pedunculo communi teretiusculo vel compresso, erecto, scabriusculo, 2-3 poll. longo, ramis compressis, hispidulo-scabris, flexuosis. *Bracteae* ovato-lanceolatae, submembranaceae, breves. *Pedicelli* semipollicares, teretiusculi, scaberrimi, purpurascentes. *Sepala* glabra, lineam longa. *Petala* calyce triplo longiora, oblonga apiculata, glabra, rubra. *Stamina* 8. subaequalia. *Antherae* pallide flavae, ellipticae, appendicula minuta obtusa.

4. **Boronia teretifolia** *Lindl.* suffruticosa glabra, foliis anguste linearibus convoluto-teretibus strictis; cymis termi-

nalibus compositis multifloris longe pedunculatis, sepalis lato-ovatis cuspidatis; filamentis hispidis. — Lindl. Swan River Bot. pag. XVII.

In solo limoso lapidoso vallis Cataractae ad Caput fl. Cygnorum 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2023. — In limoso-calculosis (??) ad radices montis Greenmountain (Perth) 13. Sept. 1839. No. 2029.

„Suffrutex strictus. Flores rosei".

5. **Boronia macra** *Bartl.* suffruticosa, glabra, caulibus simpliciusculis erectis; foliis remotis lineari-oblongis linearibusque integerrimis planis; cymis terminalibus pedunculatis; sepalis oblongo-lanceolatis acuminatis; filamentis ciliatis.

In limoso-calculosis (?) sylvae prope Mahoganycreek (Darling's-range) 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2026.

Planta sublignescens, annua fere. *Caules* e radice solitarii vel pauci, erecti, spithamaei-pedales, graciles, filiformes, teretes, apicem versus subcompressi, simplices vel superne ramis aliquot oppositis compressis erectis instructi. *Folia* internodiis breviora, erecto-patula, crassiuscula, uninervia: infima minora lineari-spathulata vel lineari-oblonga, obtusa, basi valde attenuata, superiora sensim majora, remotiora, angustiora et acutiora, summa remotissima, subpollicaria. *Cymae* solitariae, subcompositae 5-7-florae, erectae, pedunculo communi bipollicari, compressiusculo. *Flores* „rosei" mediae magnitudinis, praeter stamina glabri. *Sepala* sesquilin. fere longa. *Petala* sepalis triplo longiora, oblonga, acutiuscula. *Stamina* 8. calycem paulo superantia. *Antherae* oblongae, pallidae, appendicula minuta.

6. **Boronia spathulata** *Lindl.* suffruticosa, glauca, glaberrima, ramis strictis ancipitibus; foliis remotis obovato-spathulatis, summis linearibus; cymis terminalibus trifloris pedunculatis; sepalis ovalis obtusis; filamentis basi pilosis. — Lindl. Swan River Bot. pag. XVII.

In arenosis sylvae ad fl. Canning (Perth) Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 2025.

7. **Boronia chironiifolia** *Bartl.* fruticosa, glaberrima, foliis lineari-oblongis vel lineari-lanceolatis acutis basi attenuatis subintegerrimis; cymis terminalibus sessilibus; sepalis triangulari-ovatis; filamentis glabriusculis.

In uliginosis sylvae 17 mill. ab urbicula Albany (Plantagenet) 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2027.

„Frutex tripedalis" erectus, ramosus, subglaucescens. *Rami* erecti vel erecto-patuli, plerumque oppositi vel subcongesti, teretes: ramuli ultimi subangulati, ad nodos compressi. *Folia* crassa, coriacea, erecta vel erecto-patula, internodiis plerumque longiora, plana, integerrima vel majora remotissime et obsolete denticulata, uninervia, avenia, utrinque obsolete glandulosopunctata, rugulosa, circiter pollic. longa, summa paulo minora. *Cymae* 5-7-florae. *Pedicelli* semipollicares, erecti, angulati, superne crassiores, ebracteolati, purpurascentes. *Flores* praeter stamina glaberrimi, mediae magnitudinis, „pallide rosei". *Sepala* lin. longa, acutiuscula, plana. *Petala* sepalis quadruplo longiora, ovalia. *Stamina* 8. calyce parum longiora. *Filamenta* obsoletissime pubescenti-ciliolata. *Antherae* pallidae, appendicula minutissima.

8. **Boronia fastigiata** *Bartl.* glaberrima, glauca, caule stricto superne fastigiato-ramoso; foliis obovatis denticu-

latis; cymis terminalibus compositis multifloris; sepalis ovatis acutis; filamentis ciliatis.

In locis hieme inundatis districtus Plantagenet Novembr. 1840. Herb. Preiss. No. 2028.

Caulis sesquipedalis, lignescens, erectus, teres, inferne simplex, aphyllus, superne in ramos digitales vel sesquidigitales oppositos erectos fastigiatos teretes foliatos deliquescens. *Folia* sessilia, crassiuscula, erecto patula, plana, obovata vel obovato-subrotunda, acutiuscula vel obtusa, basi brevissime attenuata, praecipue apicem versus denticulata, utrinque rugulosa, avenia, nervo glandulisque vix conspicuis, 3-4 lin. longa. *Cymae* fastigiatae, sessiles vel breviter pedunculatae. *Rhachis* pedunculique partiales compressi. *Cymulae* pedunculatae, oppositae, fastigiatae triflorae, terminalis nonnunquam 5-flora. *Bracteae* caducae. *Flores* mediae magnitudinis, pedicellati. *Pedicelli* semipollicares, subangulati, superne incrassati, ebracteolati. *Sepala* plana, purpurea, 1½ lin. longa. *Petala* calyce duplo longiora, glaberrima, ovato-oblonga, obtusiuscula, rosea, stria dorsali purpurea. *Stamina* 8. *Filamenta* calycem aequantia. *Antherae* flavae, ovales, appendicula vix manifesta. *Carpidia* calycem aequantia valde compressa, truncata, elevato-punctata.

9. **Boronia crassipes** *Bartl.* fruticosa, virgato-ramosa, glabra, foliis linearibus planis serrulatis; pedunculis axillaribus binis infra medium bracteolatis, superne incrassatis angulatis; sepalis lanceolato-subulatis.

In uliginosis planitiei haud longe a monte Wuljenup (Plantagenet) 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2040.

„*Frutex* 10-12-pedalis, gracilis“ ramosissimus, ramis erectis, gracilibus virgatis, teretibus, purpureis, a basi foliatis, ramulis subtetragonis, ad nodos subcompressis. *Folia* internodio longiora, erecta, acuta, basi attenuata, minute sed regulariter serrulata, uninervia, avenia, utrinque glanduloso-punctata, 6-10 lin. longa, ½-¾ lin. lata. *Pedunculi* (raro solitarii) folio duplo vel parum breviores, paulo infra medium bracteolis duabus oppositis subulatis patulo-recurvis 1½-2 lin. longis instructi, ultra bracteolas sensim incrassati, angulati, angulis in nervos sepalorum excurrentibus. *Flores* subnutantes, mediae magnitudinis, in racemos foliatos dispositi. *Sepala* bracteolis simillima 2 lin. longa, cum pedunculis purpurea. „*Petala* rosea“ calyce vix duplo longiora, elliptico-oblonga, acuta. *Stamina* 8. subaequalia, calyce parum breviora. *Filamenta* tenuia, basi subciliata. *Antherae* pallide flavae, ovales, appendicula minutissima. *Carpidia* calycem aequantia, glabra, obsolete punctata.

10. **Boronia tenuifolia** *Bartl.* fruticosa, glaberrima, foliis lineari-oblongis obtusis mucronulatis planis pellucido-punctatis, glandulis pellucidis crenulatis; pedunculis terminalibus unifloris solitariis ternisve; sepalis ovatis acuminatis; filamentis villosissimis.

In solo ericetorum inter frutices densos sylvae ad fluvium Canning (Perth) raro Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 2022.

„Suffrutex 1½ pedalis“, potius frutex parvus. *Rami* inaequales, erectiusculi, teretes, a basi foliati; ramuli oppositi, graciles, subangulati, patuli. *Folia* internodio longiora vel rarius aequalia, patentia, membranacea, basin versus attenuata, uninervia, glandulis sparsis pellucido-punctata, serie densa glandularum pellucidarum secus marginem crenulata, 5-8 lin. longa, 1-1½ lin. lata. *Pedunculi* folio paulo breviores, subangulati, erecti, purpurei, circa medium bracteolis duabus oppositis oblongo-lanceolatis patentibus instructi vel nudi. *Flores* erecti. *Sepala* vix lin. longa, purpurea. *Petala* quater longiora, ovalia, acutiuscula, rosea, stria lata dorsali obscuriore. *Stamina* 8.

calyce paulo longiora. *Filamenta* villosissima, lanata fere. *Carpidia* calycem vix superantia, glabra.

Maxime affinis *Bor. vimineae* Lindl.

11. **Boronia crenulata** *Smith.* fruticosa, glabra, foliis obovatis mucronulatis crenulatis; pedunculis axillaribus terminalibusque subsolitariis unifloris; sepalis ovatis acuminatis; filamentis villoso-ciliatis apice glandulosis. — Smith. in Transact. Linn. soc. VIII. pag. 284. DC. prodr. I. pag. 721.

Ad Stirling's-Terrace solo turfoso-arenoso (Plantagenet) 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2010.

** *foliis impari-pinnatis.*

12. **Boronia crassifolia** *Bartl.* foliis subsessilibus glaberrimis; foliolis bi-trijugis lineari-spathulatis integerrimis obtusis crassis; pedunculis axillaribus solitariis folio brevioribus medio bracteolatis; sepalis subrotundo-ovatis; filamentis alternis sterilibus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2033.

Fruticulus spithamaeus, gracilis, ramosus, flexuosus, ramis teretiusculis, filiformibus, tenuissime pubescentibus, purpureis. *Folia* internodiis paulo breviora vel eadem aequantia, patentia, brevissime petiolata, foliolis parum distantibus, planis, enervibus, punctato-rugosis, inferioribus paulo longioribus, semipoll. longis, terminali sessili, costae articulis submarginatis, 1-1½ lin. longis. *Pedunculi* 2-4 lin. longi, filiformes, subangulati, purpurei, medio bracteolis duabus oppositis oblongis glabris instructi, ultra bracteolas incrassati. *Sepala* glaberrima, obtusissima, lineam longa. *Petala* calyce triplo longiora, ovalia, obtusa, rubra, ad lentem tenuissime velutino-pubescentia. *Filamenta* calyce breviora, inferne tenuissime ciliata, quatuor fertilia, apice subulata, antheris cordato-ovatis, pallide flavis, minute appendiculatis, quatuor sepalis opposita sterilia, fertilibus paulo breviora, apice glanduloso-capitata. *Germen* glabrum.

13. **Boronia alata** *Smith.* foliorum rhachi nervisque subtus pilosiusculis; foliolis subquinquejugis crenatis margine revolutis; pedunculis axillaribus dichotomis; bracteolis ciliatis. — Smith. in Transact Linn. soc. VIII. pag. 283. DC. prodr. I. pag. 721. Sweet. fl. australas. tab. 48.

In rupibus calcareis ad Rocky Bay (Perth) et in insula Rotenest 18. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2012.

„Frutex tripedalis. *Flores* rosei, nauseosi".

14. **Boronia stricta** *Bartl.* caule simplici piloso; foliis sessilibus pilosiusculis, foliolis 3-4-jugis angustissime linearibus subtus convexis; pedunculis axillaribus solitariis geminisque folio multiplo brevioribus basi bracteolatis; sepalis lanceolato-subulatis.

In solo turfoso inter frutices densos planitiei inter montes Melville et Elphinstone (Plantagenet) 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2034.

Radix verticalis, parce ramosa. *Caulis* erectus, strictus, simplicissimus vel ramo uno alterove superne instructus, 1-2-pedalis, lignosus, teres, in-

ferne nudus ac glaber, superne pilis mollibus albidis patentibus dense obsitus denseque foliatus. *Folia* internodiis longiora, erecta vel patulo-incurva, demum glabrescentia, foliolis approximatis, incurvis, acutiusculis vel obtusis, integerrimis, inferne attenuatis, concavo-canaliculatis, inferioribus longioribus 6-8 lin. longis, costae articulis submarginatis, circiter lin. longis. *Pedunculi* pilosissimi, 1-1½ lin. longi, ima basi bracteolis duabus lanceolato-subulatis margine inferne membranaceis muniti. *Calyx* pilosus, sepalis alabastrum ovatum supereminentibus, 2 lin. longis. *Petala* 2½ lin. longa, ovalia, breviter cuspidata, velutino-puberula, „rosea“ stria dorsali lata purpurea pilosiuscula. *Stamina* 8. omnia fertilia, calyce breviora. *Filamenta* glabra, apice glanduloso-incrassata. *Antherae* denticulo sub apice insertae cordato-ovatae, pallide flavae, appendicula satis manifesta albida. *Carpidia* calycem subaequantia, lato-elliptica, rotundato-obtusissima, glabra.

15. **Boronia elatior** *Bartl.* ramosa, foliis ramisque pilosis; foliolis 2-5-jugis linearibus acutis planis; pedunculis axillaribus solitariis medio bracteolatis; sepalis subrotundo-ovatis acuminato-cuspidatis; filamentis alternis sterilibus.

In humoso-arenosis humidis inter frutices densos vallis jugi montium Darling's-range (Perth) Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2013.

„*Frutex* 4-6-pedalis, erectus“ ramosissimus, ramis gracilibus, teretibus, ex adscendente basi erecto-patulis, molliter albido-pilosis, a basi foliatis. *Folia* brevissime petiolata, internodiis longiora, erecto-patula, ¾-1½ poll. longa, pilis mollibus undique adspersa, pleraque 4-5-juga, summa 2-3-juga, jugis parum distantibus: foliola uninervia, integerrima, glanduloso-rugulosa, terminale reliquis longius, 6-8 lin. longum: costae articuli 1-1½ lin. longi, submarginati. *Pedunculi* uniflori, graciles, laxi, folio vix duplo breviores, piloso-villosi, medio bracteolis duabus oppositis lanceolatis subrecurvis instructi. *Calyx* glaber, glanduloso-punctatus, sepalis tenuissime pubescenti-ciliatis, saepissime purpureis, vix 1½ lin. longis. *Petala* ovata, sub apice cuspidato-mucronata, glabra, purpurea; calyce duplo fere longiora. *Filamenta* brevissima glabra, quatuor fertilia sepalis (nec petalis) opposita, antheris cordato-ovatis, appendicula acutiuscula, quatuor petalis opposita sterilia, antherae rudimento parvo glanduliformi.

Species pulcherrima filamentorum sterilium situ valde singularis.

CYANOTHAMNUS Lindl. Swan-River Bot. pag. XVIII. Endlich. gen. n. 6005.

1. **Cyanothamnus anethifolius** *Bartl.* caule lignescente a basi ramoso; foliis ternatis biternatisque; foliolis filiformibus; floribus solitariis axillaribus; filamentis basi ciliatis, superne glandulosis; antherarum appendice erecto plana ipsis pluries breviore.

In solo arenoso prope Spitesbrook ad fluvium Canning 14. Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 2035.

„*Fruticulus* pedalis“ glaberrimus. *Radix* lignosa, verticalis, flexuosa, parce ramosa. *Caulis* erectus: rami oppositi, graciles, adscendenti-erecti, subfastigiati, inferne teretes, superne quadranguli vel compressiusculi, a basi foliati, ramulosi. *Folia* opposita, internodiis longiora, patula, ternata vel biternata, pleraque ternata, foliolis lateralibus [illegible]plicibus, intermedio ternato, foliolis 4-8 lin. longis, obtusiusculis, integerrim[illegible] glanduloso-punctatis, supra canaliculatis. *Petioli* 2-3 lin. longi, filiformes, canaliculati. *Pedunculi* sparsi, solitarii, uniflori, petiolo breviores, bracteolis duabus minutis suboppositis

obtusis instructi. *Calyx* semilin. longus, glanduloso-punctatus, 4-partitus, laciniis ovatis, obtusis. *Petala* calyce triplo fere longiora „cyanea“ glabra glanduloso-punctata, ovata, obtusa, apice demum recurva, per aestivationem imbricata. *Stamina* 8. calycem vix superantia, subaequalia, erecta: *antherae* parvae, fuscae, erectae, basifixae, ovales, appendice minuta albida. *Germen* glabrum. *Stylus* cylindraceus, stamina aequans. *Stigma* breviter quadrifidum, lobis subcylindraceis, obtusis. *Carpidia* 4 petalis persistentibus duplo longiora, divergentia, glanduloso-punctata, transversim venulosa, lenticulari-compressa, oblique lato-elliptica, margine exteriori recto, interiori arcuato, apice rotundato-obtusissima.

Adn. Cyanothamni a *Borontis* proximis praeter foliorum indolem et florum colorem diversum praecipue differunt: antheris erectis, basifixis, filamentis in processum subulatum antheriferum haud angustatis, stylo tenui cylindraceo et stigmate quadrifido. Antherarum appendicula notam, qua a *Borontis* distinguantur, certam non praebet.

ERIOSTEMON Smith. in Transact. Linn. soc. IV. pag. 221. Adr. Juss. in Mem. Mus. XII. pag. 481. tab. 21. Meisn. gen. 60. (44.) Endl. gen. n. 6006.

1. **Eriostemon spicatum** *A. Rich.* foliis sparsis linearibus glanduloso-punctatis glabris; racemis terminalibus villoso-subtomentosis; pedicellis bracteatis. — A. Rich. sert. Astrolab. pag. 76. tab. 27. Walpers repert. I. pag. 504.

In arenosis prope oppidulum Perth. d. 22. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 2021.

„Frutex pedalis, erectus“. *Bracteae* caducae. *Petala* coerulea (in specimin. exsicc. expallentia) basi cuneato-attenuata, subunguiculata.

2. **Eriostemon nodiflorum** *Lindl.* ramulis pubescentibus; foliis linearibus obtusiusculis glandulosis glabris erectis; floribus lateralibus (terminalibusque) capitatis; bracteis linearibus margine villosis; calycibus pilosis; filamentis villosis; ovarii lobis inaequalibus cornutis. — Lindl. Swan River Bot. pag. XVII. Walpers repert. pag. 504.

In subarenosis haud longe ab Eleven Miles Bridge (Plantagenet) m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2049.

„Frutex 1½-pedalis“. *Petala* coerulea basi albida, cuneato-attenuata, subunguiculata. Haecce species cum antecedente affinibusque *E. racemoso* Endl. et *E. ebracteato* Endl. propriam generis sectionem petalis coeruleis subunguiculatis insignem, vel, si mavis, proprium genus *Cyanochlamys* dicendum exhibere videtur.

PHEBALIUM Vent. Malm. 102. Adr. Juss. Mem. Mus. XII. 479. Mem. soc. h. n. II. pag. 130. Endl. gen. n. 6009. Meisn. gen. pag. 60. (44.)

1. **Phebalium anceps** *DC.* foliis lineari-vel oblongo-lanceolatis obtusis, junioribus utrinque lepidotis, adultis

subundis; corymbis terminalibus; staminibus corolla brevioribus. — DC. prodr. I. pag. 719. Adr. Juss. Mem. soc. hist. nat. II. pag. 9. tab. 12. f. 2.

In rupestribus scaturiginosis ad Princess Royal Harbour et ad portum Leschenault Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2011.

„Frutex 12-15-pedalis".

2. **Phebalium rude** *Bartl.* foliis obovatis retusis basi in petiolum cuneato-attenuatis subtus pedunculis axillaribus unifloris alabastrisque lepidotis.

In calcareis tergi montis Baldhead 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. Nr. 2038.

„*Frutex* sesquipedalis". *Rami* adsunt spithamaei, crassi, rigidi, a basi ramosissimi, cortice inaequali rimuloso. *Ramuli* adscendenti-erecti, sparsi, e petiolorum basi decurrente, tuberculato-angulati; secundarii breves, acute angulati, angulis valde prominulis, albido-lepidoti. *Folia* sparsa, densa, erecta, coriacea, plana vel concaviuscula, integerrima, apice retusa vel late emarginata vel truncata fere, angulis rotundatis, basi in petiolum canaliculatum lepidotum 1-3 lin. longum cuneato-attenuata, supra sparse lepidota, demum calva, glanduloso-punctata, subtus densius albido-lepidota, serius calvescentia, cum petiolo 4-8 lin. longa, 2½-4 lin. lata. *Pedunculi* axillares, solitarii, uniflori, petiolo paulo longiores, angulati, superne bracteolis 2 vel 3 minutis obtusis deciduis instructi. *Calyx* parvus, acute 5-dentatus, patens. „*Flores* albi". *Alabastrum* globosum, suturis subtomentosis. *Petala* sesquilineam longa ovato-oblonga, obtusa, supra glabra. *Filamenta* glaberrima, lanceolato-linearia, apice subulata, petalis duplo fere breviora. *Antherae* ovales. *Germen* argenteo-lepidotum. *Carpidia* juniora e dorso cornuta.

3. **Phebalium bilobum** *Bartl.* foliis obcordato-bilobis basi cuneatis subtus pedunculis axillaribus unifloris alabastrisque lepidotis.

In rupestribus planitiei collium Koukoberuphills (Kent) 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2039.

„*Frutex* bipedalis" *Ph. rudi* simillimus sed omnibus partibus minor. *Rami* sesquidigitales, teretes, dense cicatrisati indeque exasperati. *Ramuli* breves, patuli, superne conferti, irregulariter angulati, lepidoto-canescentes. *Folia* densa, obcordato-biloba, sinu acuto, lobis rotundatis, uninervia, avenia, supra parce subtus densius albido-lepidota, demum calvescentia, 3-6 lin. longa et aeque lata. *Pedunculi* folio duplo triplove breviores, angulati, bracteolis duabus denticuliformibus prope florem. *Calyx* parvus, sinuato-5-dentatus. *Petala* lin. longa, ovato-oblonga, obtusa, supra glabra, per aestivationem valvata. *Carpidia* valde compressa, oblique truncata, angulo dorsali protracto.

CHORILAENA Endl. gen. n. 6010.

1. **Chorilaena quercifolia** *Endl.* in Hügel. Enumerat. pag. 17.

In colliculo arenoso inter frutices vix penetrabiles prope Baldhead Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2043.

„Frutex 8-pedalis".

DIPLOLAENA R. Brown in Flinders voy. II. pag. 546. Desf. Mem. Mus. III. pag. 449. Adr. Juss. Mem. Mus. XII. pag. 479. Meisn. gen. pag. 60. (44.) Endl. gen. n. 6011.

1. **Diplolaena Dampieri** *Desf.* foliis obovato-oblongis ellipticisve apice subemarginatis supra viridibus, subtus incanis; involucri foliolis exterioribus lanceolatis herbaceis. — Desf. Mem. Mus. III. pag. 450. tab. 20. Bot. reg. 1841. n. 64.

In confragosis jugi montium Darling's-range 27. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2042.

Specimen iconi in Bot. reg. editae simillimum. — *Folia* supra haud glabra, sed punctis elevatis pilos minutissimos stellatos gerentibus scabriuscula, apice emarginata vel rotundato-obtusissima.

2. **Diplolaena salicifolia** *Bartl.* foliis lineari-oblongis vel anguste oblongo-obovatis obtusissimis basi longe attenuatis, supra glabriusculis, subtus albido-tomentosis; involucri foliolis exterioribus subovatis brevioribus.

α **revoluta.** foliis lineari-oblongis margine revolutis; foliolis involucri exterioribus lato-ovatis subherbaceis.

β **cuneata.** foliis anguste oblongo-obovatis margine planis; foliolis involucri exterioribus ovato-lanceolatis subcoloratis.

In calcareo-arenosis ad fluvium Cygnorum prope Freemantle, Woodman'spoint et in insula Rotenest 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2020.

„*Frutex* 5-pedalis, pulcherrimus". *Ramuli* sparsi, patuli, tomento stellato incani, demum glabrescentes. *Folia* erecto-patula, 1-2 poll. longa, lineari-oblonga, lineari-vel oblongo-lanceolata, anguste oblonga vel anguste oblongo-obovata, rotundato-obtusissima vel retusa, basi longe attenuata in petiolum 2-3 lin. longum incano-tomentosum, margine revoluta vel in var. *β* plana, supra glabra et glandulis minutis impresso-punctata, juniora interdum pilis nonnullis stellatis vage adspersa, subtus dense albido- (novella rufo-) tomentosa, tomento e fasciculis pilorum stellatis composito. *Capitula* majora quam *D. Dampieri*, *D. grandiflorae* (ex ic. Desf.) fere, nutantia, pedunculo semipollicari rufescenti-tomentoso insidentia. *Involucri* foliola exteriora 5 basi in discum diam. 4 lin. connata, explanata, ovata vel ovato-oblonga, obtusiuscula, sordide rubescentia (ex sicc.) basin versus obscure virentia vel tota colorata, interiora duplo fere longiora, oblongo-linearia, rubella: omnia tomentosa. *Carpidia* 2 lin. longa, glabra, transverse venoso-rugosa, subtruncata, angulo apicis dorsali rotundato.

3. **Diplolaena microcephala** *Bartl.* foliis obovatis vel oblongo-obovatis obtusissimis basi cuneatis, supra tenuiter, subtus dense tomentosis; involucri foliolis exterioribus lanceolatis interiora subaequantibus.

In littore rupestri arenoso inter frutices densos promontorii Cape Riche 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2019, nec non in montosis glareosis sterilibus districtus Grantham m. Mart. 1841. No. 2018.

„*Frutex* 1½ pedalis, (No. 2018.) vel 3-pedalis (No. 2019.)“ ramosissimus, ramis ramulisque sparsis, patentibus, teretibus, junioribus dense rufo-tomentosis. *Folia* circiter semipollicem longa, patentia, saepe complicata, margine plana, in petiolum 1-1½ lin. longum cuneato-attenuata, subtus cum petiolo tomento denso albido-rufo vestita, supra parcius tomentosa, obscure viridia. *Capitula* in ramulis terminalia, solitaria, breviter pedunculata, subnutantia, multo minora quam congenerum, virginea globosa, pisum minus magnitudine vix aequantia. *Foliola* involucri aequilonga, 5 exteriora lanceolata, acuta, subherbacea, subtus fulvescenti-tomentosa, interiora lineari-lanceolata, obtusa, colorata, rosea (ex sicc.).

EUPHORBIACEAE Juss.

(Auctore J. F. Klotzsch.)

Tribus Euphorbieae Bartling. Endlicher gen. pl. pag. 1108.

EUPHORBIA Linn. Endl. gen. pl. n. 5766.

1. **Euphorbia paucifolia** *Kl.* suffruticosa, erecta, caule tereti, glabro, leviter sulcato; ramis inferioribus verticillatis, quaternis aut senis apice foliiferis, superioribus oppositis, floriferis; foliis oppositis, exstipulatis, linearibus, integerrimis, glabris, basi attenuatis; floribus axillaribus, solitariis, subsessilibus; capsula subglobosa, glabra, calyce sexfido, persistente instructa.

In depressis madidis umbrosisque ad fluvium Canning prope praedium rusticum Maddington (Perth) 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1208.

„Frutex 12-16-pedalis, gracilis, lactescens, ramis pendulis“. *Caulis* cylindricus, glaber, inferne lignosus, pallide-fuscus, nitidus, superne ramisque herbaceus, leviter sulcatus. Internodia ad caulem 3-4 unc., ad ramos 2-3 unc. longa. *Folia* opposita, exstipulata, linearia, glabra, obtusa, versus basin attenuata, integerrima, 1-1½ lin. lata, 10-14 lin. longa. *Flores*, axillares solitarii, subsessiles. *Involucrum* semiglobosum, glabrum antherisque purpureum, tridentatum, glandulis tribus sessilibus, patelliformibus instructum, basi bracteis squamiformibus, scariosis, atrofuscis, brevibus, imbricatis vestitum. *Ovarium* subglobosum, trigonum, pedicellatum, nutans, glabrum, *calyce* persistente, obtuso, sexfido, margine scarioso instructum. *Styli* tres, breves, erecti, bifidi, atro-purpurei.

2. **Euphorbia Peplus** *L.* Sp. pl. pag. 653. Roeper Enum. Euphorb. pag. 67. n. 25.

In cultis insulae Rotenest. Probabiliter advecta. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1207.

Tribus Crotoneae Blume. Endl. gen. pl. pag. 1113.

TRACHYCARYON*) Kl. (Crotonis species Lab. Adrianae species Endl.)

Flores dioici. *Masc. Calyx* quadripartitus: laciniis aequalibus, aestivatione valvatis. *Corolla* et glandula nulla. *Stamina* creberrima, receptaculo conico nudo inserta; *filamentis* brevibus, aestivatione erectis, liberis; *antherarum* loculis longis, linearibus, connectivo apice in ligulam viscoso-subpellucidam producto, utrinque adnatis. *Fem. Calyx* quadripartitus, subregularis. *Corollae* petala 4, lanceolata, calycina, inaequilonga. *Germen* sessile, triloculare. *Ovula* in loculis solitaria, pendula. *Styli* 3, profunde bifidi, verrucosi. *Capsula* verrucosa, tricocca: coccis bivalvibus, monospermis. *Semina* carunculata.

Frutex Novae Hollandiae, *ramis* glabris, teretibus, apicem versus digonis, angulis sub nervo medio foliorum enatis, *foliis* oppositis, sessilibus, trinerviis, subtrapeziformibus, coriaceis, grosse dentato-serratis, utrinque glabris, basi biglandulosis; *floribus masculis* interrupte spicatis: spicis axillaribus terminalibusque, bracteatis: *bracteis* magnis, sessilibus, distantibus, multifloris; *floribus femineis* in apice ramulorum axillaribus, subracemosis, bractea oblonga stipatis.

1. **Trachycaryon Labillardierei** *Kl.* Croton quadripartitum Labillard. Nov. Holland. II. pag. 73. t. 233.

In arenosis inter frutices densos secundum fluvium Cygnorum haud longe ab urbicula Freemantle Dec. Herb. Preiss. No. 1206.

CALYPTROSTIGMA**) Kl. (Crotonis spec. Labill. Adrianae spec. Endl.)

Flores dioici. *Masc. Calyx* profunde quinquefidus: laciniis inaequalibus, aestivatione imbricatis. *Corolla* et glandula nulla. *Stamina* creberrima, receptaculo convexo nudo inserta; *filamentis* brevibus, aestivatione erectis, liberis, *antheris* brevibus, lateralibus. *Fem. Calyx* profunde quinquefidus: laciniis inaequalibus, aestivatione imbricatis. *Corolla* nulla. *Germen* tri-quadriloculare, sessile. *Ovula* in loculis solitaria, pendula. *Stigma* calyptraeforme, subintegrum, sessile. *Capsula* tricocca, laevis: coccis monospermis, bivalvibus. *Semina* castanea, carunculata.

Frutices Novae Hollandiae, ramulis triquetris: angulis sub petiolis foliorum enatis; foliis alternis, oblongis aut linearibus, eglandulosis; racemis axillaribus paucifloris; floribus ebracteatis.

---

*) Nomen e vocibus τραχύς et κάρυον compositum.

**) Nomen e vocibus καλύπτρα et στίγμα compositum.

1. **Calyptrostigma viscosum** *Kl.* ramulis triquetris, glabris, viscosis; foliis oblongo-spathulatis, utrinque glabris, supra nitidis, viscosis, subtus ferrugineis, basi attenuatis; capsulis nitidis, viscosis, trigonis; pedicellis longis, sursum incrassatis.

Croton viscosum Labillard. Nov. Holl. II. pag. 72, t. 222. Hb. Willd. n. 17848 fol. 2.

Crescit in colliculosis arenosis insulae Rotenest 19. August 1839, Herb. Preiss. No. 2387 *).

AMPEREA Adr. Juss. Endl. gen. pl. n. 5813.

1. **Amperea rosmarinifolia** *Kl.* decumbens, ramosissima, glabra; ramulis longissimis, compresso-triangularibus, striatis, glabris; foliis alternis, linearibus, acuminatis, glabris, margine revolutis; floribus monoicis, axillaribus, fasciculatis: masculis quadrifidis.

In solo turfoso-arenoso inter frutices clivuli prope urbiculam Albany (Plantagenet) 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1225.

Frutex decumbens 3-4-pedalis, ramosissimus. *Rami* teretiusculi, fusco-cinerei. *Ramuli* confertissimi, pedem longi, virgati, subcompresso-trigoni, leviter striati, glabri, lineam fere crassi. *Folia* alterna, linearia, acuminata, distantia, erecta, margine reflexa, subtus longitudinaliter sulcata, basi bistipulata, glauco-viridia, 6-8 lin. longa, ½ lin. lata. *Petiolt* glabri, compressi, lineam longi, deorsum attenuati. *Stipulae* lanceolato-lineares, acutae, remote-dentatae, fusco-purpureae, 1½ lin. longae. *Flores* monoici; axillares, fasciculati, brevipedicellati, bracteis ovatis, carinatis suffulti, masculi et feminei intermixti. *Masc. Calyx* quadrifidus, campanulatus, tubo brevi, luteo, laciniis recurvis, ovatis, azureis, aestivatione valvatis. *Corolla* nulla. *Stamina* 8, lutea; filamentis filiformibus, ima basi coalitis, quatuor exterioribus brevioribus; antherarum loculis ovatis, distinctis, ex apice connectivi granuliformis, pendulis. *Fem. Calyx* profunde quinquefidus, laciniis lanceolatis, acutis, carinatis, erectis, aestivatione valvatis. *Ovarium* oblongum, triangulare, glabrum, triloculare: loculis uniovulatis: ovulis pendulis. *Stylus* brevissimus; stigmata 3, erecta, bifida, patentia: laciniis puberulis subulatis.

MONOTAXIS Brong. Endl. gen. pl. n. 5833.

1. **Monotaxis cuneifolia** *Kl.* suffruticosa, ramis filiformibus, glabris, leviter sulcatis; foliis oblongis, acutis, versus basin attenuatis, glabris, integerrimis, laete-viridibus, aut

*) Species duas sequentes in Herbariis Lindleyi et Willdenovii observavimus. **Calyptrostigma ledifolium** Kl. ramulis incano-subtomentosis; foliis anguste-linearibus, apice truncatis, margine revolutis, supra pallide-viridibus, subtus incanis; capsulis subglobosis; pedicellis brevibus. Hab. in Nova Hollandia. Drummond. **Calyptrostigma oblongifolium** Kl. ramulis triquetris, flavo-virescentibus, subtomentosis; foliis oblongis, obtusis aut brevissime acutis, supra saturate-viridibus, nitidis, subtus incanis; pedicellis brevibus. Croton viscosum Hb. Willd. n. 17846 fol. 1 et 17849 fol. 1 et 2. Hab. in Nova Hollandia Labillardier. R. Cunningham.

obovatis, acutis; floribus aggregatis, in apice ramulorum axillaribus: masc. pedicellatis, fem. sessilibus; stigmatis lobis subulatis, integerrimis, apice incurvis.

In arenosis umbrosis inter frutices silvae cis urbiculam Guildford (Perth) 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1222.

Caulis suffruticosus, basi pennae anatinae crassitie, statim supra radicem subsimplicem fusiformem cinereo-fuscam solutus in ramos plurimos, 5-6 pollices longos, graciles, flaccidiusculos, simplicissimos vel interdum ramulo auctos, e basi procumbente adscendentes, subfastigiatos, leviter sulcatos, glaberrimos, pallide-virescentes. *Folia* alterna, oblonga, acuta, integerrima, glabra, pallide-viridia, brevi-pedicellata, margine subrecurva, 4-5 lin. longa, infra apicem 1½-2 lin. lata, versus basin attenuata, superiora densa, inferiora remota; nervo medio subtus prominulo; basi utrinque stipula subulata minima aucta. *Flores* in apice ramulorum axillares, dense aggregati, bracteis minimis suffulti. *Masc.* confertissimi, pedicellati; *Calyx* campanulatus, quadrifidus, albidus, laciniis ovato-lanceolatis, acutis, in aestivatione imbricatis. *Petala* 4, ovata, acuta, basi brevi-unguiculata, albida, laciniis calycis alterna. *Stamina* 8; quatuor petalis opposita, iisdem paullo longiora, praecociora, patentia; antherarum connectivo dilatato, hippocrepiformi-bicruri, deorsum arcuato; utroque crure antherae loculum introrsum longitudinaliter apertum gerente; cruribus connectivi in alabastro filamento adpressis antherisque ejusdem latera spectantibus. *Stamina* 4, petalis alterna, serius evoluta, primum brevissima, tandem reliqua aequantia, erecto-conniventia, antherarum connectivo parum dilatato, loculis discretis, utrinque e connectivi apice pendulis. *Flos femineus* centralis, solitarius, sessilis. *Calyx* quinquefidus: laciniis lanceolatis, erectis. *Ovarium* oblongum, obtuse trigonum, glabrum, calyce duplo fere longius, triloculare: loculis uniovulatis, ovulis angulo interiori loculorum prope apicem appensis. *Stigmata* 3, bifida: lobis subulatis, apice incurvis, purpureis.

2. **Monotaxis ericoides** *Kl.* fruticosa, ramis tenuibus, glabris, versus apicem divisis; foliis subulatis, mucronatis, margine revolutis, glaucis; floribus pedicellatis, aggregatis, in apice ramulorum axillaribus, masculis pentameris, femineis hexameris; stigmatis lobis eleganter fimbriatis, patentibus.

In colliculosis arenosis inter frutices prope urbiculam Perth 19. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1218.

Frutex dodrantalis, facie *Ericae carneae*. *Caulis* cinereo-fuscus, pennae anserinae crassitie, supra basin solutus in ramos plurimos, graciles, apice divisos, glabros, fusco-cinereos. *Folia* sparsa, erecto-incurva, lineari-filiformia, mucronata, margine revoluta, glauca, 5-8 lin. longa, basi utrinque stipula setacea fusca aucta. *Umbella* 8-12 flora, in summitate ramorum ad florem centralem femineum redacta, axillaris, basi stipulis setaceis, purpureis cincta. *Masc. Calyx* campanulatus, quinquefidus, amoene purpureus: laciniis lanceolatis, acuminatis. *Petala* quinque, ovato-oblonga, obtusa, albida, calyce dimidio longiora, basi hastata. *Squamae* 5, breves, crassiusculae, truncatae, calycis laciniis oppositae. *Stamina* 10, omnia fertilia; filamenta filiformia, exserta; antherarum connectivo ut in congeneribus hippocrepiformi, loculis globosis crura terminantibus. *Pedicelli* filiformes, glabri, 2 lin. longi. *Fem. Calyx* hexaphyllus, brevi-pedicellatus, foliolis albidis, ovatis, acutis, carinatis, glabris, aestivatione imbricatis. *Petala* 6, oblonga, obtusa, basi attenuata, sed non appendiculata, calyce dimidio longiora, albida. *Discus* hypogynus, sexradiatus: radiis crassiusculis, brevibus, spathulatis, apice purpureis, truncatis, sepalis oppositis. *Ovarium* globosum, glabrum, obtuse-trigonum, triloculare: loculis unlovulatis: ovulis pendulis. *Stigmata* 3, profunde bifida, fimbriata, patentia, purpurascentia.

Tribus Pseudo-androgyni. Ovarii loculi uniovulati. Stamina sub ovarii rudimento sessili inserta. Flores axillares, solitarii.

LOPADOCALYX*) Kl.

Flores monoici. *Masc. Calyx* parvus, patelliformis, integerrimus. *Corolla* profunde quinquepartita, erecta, aestivatione valvata, laciniis intus ad basin appendice filamentosa instructis. *Stamina* 3; filamentis subulatis, erectis, basi corollae insertis; *antheris* lateralibus, brevibus, ovatis, introrsis. *Ovarii* rudimentum lageniformi-trigonum, apice brevissime trifidum. *Fem. Calyx* parvus, patelliformis, integerrimus. *Corolla* nulla. *Ovarium* disco carnoso orbiculari impositum, triloculare: loculis uniovulatis. *Stylus* brevis, ovarii continuus; *stigmata* 3, brevia, integerrima, obtusa. *Fructus* . . . . .

Frutices Novae Hollandiae ramosi, foliis alternis, sessilibus, subcoriaceis, glabris; floribus axillaribus, solitariis, ebracteatis, masculis cum femineis mixtis.

1. **Lopadocalyx phyllanthoides** *Kl.* ramis distichis, glaberrimis; foliis late oblongis, subcordatis, sessilibus, integerrimis, apice emarginato-apiculatis; pedicellis sursum incrassatis, glabris, brevibus calycibusque pallide-luteis; corollae appendicibus subulatis, staminum longitudine.

In rupestribus circa urbiculam Albany (Plantagenet) 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1211.

Caulis 4-5 pedalis, fruticosus, livido-fuscus, leviter striatus, ramosus. *Rami* teretiusculi, graciles, distichi, versus apicem ramulosi. *Folia* alterna, erecta, sessilia, lato-elliptica, subcoriacea, glabra, opaca, sordide-glauco-viridia, basi subcordata, apice emarginato-apiculata, 4-6 lin. longa, 3-4 lin. lata, stipulis destituta. *Flores* in apice ramulorum axillares, solitarii, ebracteati, masculi aut feminei, brevi-pedicellati. *Masc. Calyx* patelliformis, integerrimus, patens, brevissimus, viridi-luteus, persistens. *Corolla* profunde quinquepartita, erecta, lutea: laciniis oblongis, acutis, 1½ lin. longis, basi appendice filamentosa, erecta instructis, aestivatione valvatis. *Stamina* 3, corolla duplo breviora; filamenta subulata, erecta, basi corollae inserta; *antherae* breves, obtusae, biloculares, laterales, introrsae, longitudinaliter dehiscentes. *Ovarii* rudimentum lageniforme, trigonum, apice brevissime trilobum. *Fem. Calyx* cupularis, integerrimus, luteus, brevissimus, persistens. *Corolla* nulla. *Ovarium* lageniforme, acute-trigonum, disco carnoso orbiculari impositum, triloculare: loculis uni-ovulatis: ovulis pendulis oblongis, utrinque attenuatis. *Stylus* brevis, ovario continuus. *Stigma* brevissime trilobum.

2. **Lopadocalyx uliginosus** *Kl.* suffruticosus, ramis filiformibus, simplicibus, erectis; foliis alternis, sessilibus, oblongis, acutis, basi rotundatis, saturate viridibus, glabris, opacis, subtus nervo magis prominente subcarinatis.

---

*) Nomen e vocibus λοπας et καλυξ compositum.

In solo turfoso-uliginoso inter frutices densos planitiei inter montes Melville et Elphinstone (Plantagenet) 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1210.

Caulis suffruticosus, brevissimus, incrassatus; statim supra radicem solutus in *ramos* plurimos 8-11 pollices longos, graciles, simplicissimos aut interdum ramulo auctos, laeves, glaberrimos, flavido-virescentes. *Folia* alterna, erecta, oblonga, acuta, basi rotundata, sessilia, saturate-viridia, 3-4 lin. longa, 1-2 lin. lata. *Flores* in apice ramorum axillares solitarii. *Pedicelli* glabri, flavescentes, 1½ lin. longi, deorsum attenuati. *Flores masculi* non observavi. *Flores feminei* ut in specie praecedenti.

Tribus Phyllantheae Endl. gen. pl. pag. 1119.

PHYLLANTHUS Schwartz Endl. l. c. n. 5847.

1. **Phyllanthus calycinus** *Labillard.* fruticosus, ramosus, foliis obovatis, apice rotundato-apiculatis, dense imbricatis; floribus in apice ramulorum axillaribus, brevi pedicellatis; calycibus maximis. — Labillard. Nov. Hollandiae plant. spec. II. pag. 75. t. 225. Hb. Willd. n. 17993.

In clivulis arenosis insulae Carnac 8. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1213.

2. **Phyllanthus Preissianus** *Kl.* fruticosus, ramosus, ramis sanguineis ramulisque teretibus, glabris; foliis subsessilibus oblongo-subspathulatis, brevissime acutis, erectis, membranaceis, subtus glaucescentibus; floribus axillaribus, solitariis, geminis aut rarissime trifloris, 5-6 fidis, pedicellatis: femineis majoribus, folio longioribus: masculis minoribus, in fundo calycis squamis sex, peltatis, castaneis.

Phyllanthus pulchellus Preiss. Mss. nec Endlicher.

In arenosis subumbrosis sylvae ad fluvium Cygnorum. 15. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1212.

Caulis fruticosus, ramosus, erectus, 1-2 pedalis. *Rami* teretiusculi, glabri, sanguinei, lineam crassi. *Ramuli* tenues, subcompresso-angulati, glauco-fuscescentes, subflexuosi. *Folia* subsessilia, oblongo-spathulata, brevissime-acuta, erecta, membranacea, glaberrima, supra laete-viridia, subtus glaucescentia, 6-9 lin. longa, infra apicem 2-3 lin. lata, basi utrinque stipula parva, lanceolata, acuminata, fuscescente aucta. *Flores* monoici, in apice ramulorum axillares, solitarii, bini aut terni, pedicellati, basi bracteis 2-6 lanceolatis, acuminatis, albidis cincti. *Masc. Pedicelli* filiformes, glabri, albidi, 4-5 lineares. *Calyx* profunde-sexfidus, campanulatus, albidus: laciniis concavis, obtusis; stamina 3, inclusa, squamis sex, fuscis, peltatis cincta. *Fem. Pedicelli* albidi, sursum incrassati, glabri, 6-8 lin. longi. *Calyx* profunde 5-6 fidus, viridi-sulfureus: laciniis oblongis, obtusis, concavis, margine albido-diaphanis. *Ovarium* globoso-trigonum, glabrum, triloculare: loculis biovulatis: ovulis pendulis; squamis 5-6 sessilibus, carnosis cinctum. *Stigmata* 3, profunde bifida, glabra: lobis filiformibus, recurvis.

3. **Phyllanthus scaber** *Kl.* fruticosus, caule ramisque scabris, subangulatis; foliis subspathulatis, brevissime acutis, subcoriaceis, supra scabris, subtus opacis; floribus in apice

ramulorum axillaribus, solitariis, brevissime pedicellatis, basi bracteis 2 sessilibus, lanceolatis, fuscis, margine dentatis cinctis; calyce 6 partito, intus sexsquamoso: laciniis late linearibus, subobtusis; stigmatibus tribus, brevibus, filiformibus, recurvis, integerrimis; capsulis depresso-globosis.

In litore rupestri promontorii Cape Riche 18. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1200.

Frutex ramosus bi-pedalis. *Caule* ramisque subangulati, scabri. *Folia* alterna, spathulata, brevi acuta, dense imbricata, erecta, glaucescentia, supra scabra, subtus pallidiora, opaca, membranaceo-coriacea, 6-8 lin. longa, infra apicem 3-3½ lin. lata, margine recurva, basi utrinque stipula brevissima, subfusca aucta. *Flores* feminei in apice ramulorum axillares, solitarii, brevissime pedicellati. *Capsula* depresso-globosa, glabra; trilocularis, tricocca: coccis bivalvibus, dispermis. *Semina* reniformi-trigona, fusca, glabra. *Stigmata* 3, brevissima, filiformia, recurvata, integerrima.

STACKHOUSIACEAE R.Br.

(Auctore A. Bunge.)

STACKHOUSIA Smith. Endl. gen. n. 5763. Meisn. gen. pag. 336. (249.)

1. **Stackhousia pubescens** *A. Rich.* tota pubescens, foliis linearibus angustissimis acutis, floribus in spicam triuncialem dispositis, laciniis calycis margine dissecto-ciliatis. A. Rich. Voy. de l'Astrolabe pag. 89. t. 33.

„In calculosis ad latus occidentale montis Bakewell 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1972.

Iconem citatam non vidi, neque descriptionem novi; speciem vero nostram huc retuli ob affinitatem cum *St. Hügelii* Endl., tum vero quia nulli specierum, quae, vel e speciminibus exsiccatis, vel e descriptionibus mihi innotuere (St. *monogyna*, *spathulata*, *obtusa*, *muricata*, *nuda*, *Hügelii*, *flava*.) adnumerari potest. Ab omnibus distinguitur pubescentia, a plerisque insuper bracteis elongatis. — *Rami* praesto sunt pedales, teretes, striati, pube densa, brevi, patente, uti folia et racemus, vestiti. *Folia* sparsa, pollicem longa, linearia, acuta, carnosula (?) erecta. *Racemi* abbreviati, pollice parum longiores, ovato-oblongi, dense multiflori. *Flores* sessiles. *Bracteae* linearisubulatae, 4‴ longae, ciliatae. *Bracteolae* tenuiores 2‴ longae. *Calycis* tubus subglobosus, 0,5‴ longus; laciniae limbi lanceolatae, ciliatae, linea paulo longiores. *Corollae* aequalis tubus 2,5‴ longus, limbi laciniae oblongo-lanceolatae, 2‴ longae, acutiusculae. *Stamina* longiora e fauce vix prominula. *Antherae* fere croceae. *Stylus* 3 cohaerentes staminibus brevioribus breviores. *Cocci* . . . . . ?

TRIPTEROCOCCUS Endl. Endl. gen. n. 5764. Meisn. gen. l. c.

1. **Tripterococcus simplex** *Bge.* caulibus simplicissimis teretibus striatis basi foliosis, foliis linearibus, bractea media pedicellum superante lateralibus brevioribus, calycis laciniis tubo suo duplo longioribus, petalorum ungue laminam superante, ala coccorum dorsali lateralibus paulo angustiore.

In glareosis apertis montium continuorum Darling's-range (Perth) 8. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1971.

Radix simplex, alte descendens, lignosa, multiceps. *Caules* plurimi ex una radice, erecti, stricti, simplicissimi, pedales et ultra, lineam dimidiam in diametro crassi, vel paulo crassiores. *Folia* anguste linearia, sparsa, inferiora 10-12 approximata, pollicem longa, superiora remota breviora, summa 2‴ longa. *Racemi* pauciflori. *Flores* brevissime pedicellati, pedicello 0,5‴ longo, tribracteolati. *Bractea* media pedicellum calycisque tubum aequans, bracteolae laterales tubum attingentes. *Calycis* tubus hemisphaericus, 0,7‴ longus, striatus, laciniae duplo longiores, lineari-subulatae. *Petalorum ungues* in tubum 5 lineas longum incurvum conniventes. *Laminae* 3‴ lineares incurvo-patulae. *Stamina* 3 longiora tubum vix aequantia, duo alterna tubo dimidio paulo longiora. *Filamenta* filiformia. Antherae oblongae. Pollinis grana sicca oblonga, triplicata, triporosa, extus celluloso-reticulata, fere *Statices*. *Stylus* simplex calycis laciniis brevior, apice trifidus, ramis intus stigmatosis. Cocci indehiscentes cum styli parte persistente 3,5‴ longi, 2,7‴ lati; alae laterales lineam latae, dorsalis angustior brevior, omnes radiatim nervosae, fragillimae. *Semen* trigonum, hinc impresso rugulosum, linea paulo longius, 0,3‴ latum, integumento membranaceo pallido. *Embryo* in axi albuminis parci oleosi rectus, radicula infera, cotyledones plano-convexae, carnoso-oleosae.

2. **Tripterococcus junceus** *Bge.* caulibus ramosis teretibus profunde sulcatis paucifoliis, bracteis pedicellum superantibus, calycis laciniis tubo suo plus duplo longioribus, corollae laminis unguem aequantibus, ala cocci dorsali angustissima.

In arenosis inter frutices prope Woodman'spoint, Perth. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1973.

Radix multiceps. *Caules* 1½-2 pedales, lineam in diametro crassi, teretes, sulcato-striati, ramosi, ramis elongatis, erectis, simplicibus. *Folia* sparsa remota, facile decidua, inferiora pollicaria et paulo longiora, anguste linearia, acuta. *Racemi* terminales in caule et ramis sub 10-15-flori, laxi, florentes 2-3 pollicares. *Flores* ex sicco livido-flavescentes, minores quam praecedentis. *Bracteolae* subulatae pedicello longiores. *Calycis* tubus hemisphaericus 0,5‴ longus, laciniae subulatae fere 1,5‴ longae. *Petalorum* ungues in tubum curvatum 3‴ longum conniventes, laminae totidem longae, in sicco contortae, subulatae. *Stamina* pistillumque praecedentis. *Cocci* omnino ut in *Tr. Brunonis* describuntur, majores quam in praecedente et ala dorsali angustissima fere nulla.

Tripterococcus Brunonis Endl. in Enum. Hügel. pag. 18. e descriptione talibus definiendus: Tr. caulibus ramosis

tetragonis profunde sulcatis paucifoliis, bractea media pedicellum aequante lateralibus brevioribus, calycis laciniis tubo suo triente longioribus, corollae laminis unguem aequantibus, ala cocci dorsali angustissima.

RHAMNEAE Brown.

(Auctore E. T. Steudel.) *)

POMADERRIS Labill. Endl. gen. n. 5743. Meisn. gen. pag. 70. (50.)

§. 1. Foliis ovatis.

α suprá glabris.

1. **Pomaderris polyantha** *Steud.* caule erecto breviramoso tereti cinerascente cortice subrimuloso; foliis (1-1½ uncialibus) elliptico-ovatis obtusis basi attenuatis margine reflexis supra albo-viridibus glabris subimpresso venulosis, subtus adpresse molliter niveo-tomentosis; stipulis ovatis acutis scariosis subtus medio herbaceis pilosis caducis; cymis axillaribus paniculatis in apice ramulorum aggregato confertis. ♄

In arenosis ad fluvium cygnorum et ad oras maritimas ditionis Perth. Jun. Dec. Herb. Preiss. No. 1677 et 1679.

Caulis pube brevissima densissima intricata rimulosa vestitus, inferne teres, superne angulatus; *rami* breves, foliati, cinereo-pubescentes, apice cymoso-floriferi; *folia* alterna, magnitudine varia ¾-1½ pollicaria; petioli folio 3-4-ve breviores, pubescentes; *cymae* ramosae, ramulis subreflexis multifloris; *sepala* extus velutino pilosa; *petala* nulla; capsulae ovato-subrotundae pube secedente vestitae.

2. **Pomaderris aemula** *Steud.* caule erecto parce ramoso tomentosulo anguloso-striato; foliis (1-2 uncialibus) ovatis integerrimis supra fusco-viridibus glaberrimis reticulato-pellucide-venosis, subtus adpresse albo-cinereo-tomentosis; stipulis lanceolatis acuminatis scariosis subtus medio herbaceis pubescentibus; cymis axillaribus panicula-

---

*) Synopsin Rhamnearum a clmo. Reisseck elaboratam (cfr. Endlicher Genera pag. 1094 vel Walper Repertorium I. pag. 542) in componendis speciebus Novae Hollandiae occidentalis aut exspectare aut species cum illo monographo communicare in animo erat. Cum vero iste opusculum adhuc desideratur et in eo erat, ut „Plantae Preissianae" typographo essent tradendae, longioris morae causa esse nolui; itaque hujus familiae species investigationi mihi (saepe, quod maxime doleo, in speciminibus non satis evolutis) traditas, pro virili elaboratas lectoribus trado.

tis multifloris; cymularum capitulis basi bracteis ovatis obtusis semiscariosis involucratis, apice uno alterove folio munitis; petalis ovatis subplanis luteo-albis. ♄

In arenosis ditionis Plantagenet 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1690.

3. **Pomaderris phillyraefolia** *Fenzl.* foliis uncialibus et brevioribus oblongis ellipticis ovalibusque integerrimis, supra glabris vel pulvere viridi-flavo magis minusve adspersis eveniis, supra ramulisque tomento brevi subadpresso holosericeis, floribus in cymis corymbosis parvis confertis; calycibus villo incano patente tomentosis anthesi vix 1-1½‴ longioribus, petalorum lamina subcordato-ovata vel subrotunda integerrima concava. Fenzl in Hügel Enumerat. pag. 22. n. 15.

In clivulis arenosis prope oppidulum Freemantle 15. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1678.

Omnino convenit, nec differt nisi foliis superne venulosis.

4. **Pomaderris pyrrophylla** *Steud.* caule erecto ramoso fusco-cinereo-pubescente tereti vix striato; foliis suboblique ovatis integerrimis supra glaberrimis pellucide-lineatis rufo-virescentibus, subtus adpresse albo-tomentosis; stipulis ferrugineis lanceolatis caducis foliisque junioribus pilosis; cymis axillaribus terminalibusque; floribus in capitulis bracteatis aggregatis; petalis inter calycis lacinias (saepe) exsertis ovatis concavis. ♄

In arenosis insulae Rotenest 18. Aug 1839. Herb. Preiss. No. 1681.

Caulis plus minus ramosus; *rami* adulti glabri lignosi, juniores cinereo-pubescentes; *folia* petiolata, — petiolis folia 3-4-plo brevioribus — ½-2 pollicaria, margine subrevoluta, supra tenue venosa, venis lucem versus pellucidis sparsim reticulatis; *sepala* dense villosa.

β ramosior a praecedente non differt, nisi caule magis lignoso, ramosiore; foliis distinctius revolutis. Herb. Preiss. No. 1676.

5. **Pomaderris subretusa** *Steud.* caule diffuse-ramoso; ramis cinereis, cortice demum secedente, pubescentibus; foliis ovatis vel junioribus suborbiculatis apice retusis basi levissime cordatis supra fusco-viridibus glabris (vel novellis pubescentibus) subtus adpresse albo-tomentosis pilisque patentibus (in summis plus minus rufescentibus) instructis; stipulis ovato-lanceolatis acuminatis membranaceis ferrugineis pilosis; cymis axillaribus in pedunculis folia aequantibus, basi foliatis. ♄

In calcareis summitatis montis Baldhead ditionis Plantagenet 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1687.

Rami teretes; *folia* brevi petiolulata, parva, juniora minora vix 1-1½ lineas excedentia, subrotunda, adultiora 4 ad summum 6 lineas longa, ovata, apice obtusissimo subretusa, supra glabra, venis tenuibus versus lucem vix pellucidis percursa; *cymae* axillares in pedunculis 2-4 lineas longis subcapitato confertae; *flores* 10-12 parvi; *calyces* extus dense pubescentes, intus glabri, ferruginei, limbi patentes medio nervo conspicuo percursi; *petala* inter calycis lacinias minima, unguiculata.

β. Foliis ovatis utrinque pubentibus.

6. **Pomaderris albicans** *Steud.* caule erecto brevi ramoso angulato-striato pubescente; foliis ovatis integerrimis margine subrevolutis supra mollissime cinereo-velutinis subtus dense albo-tomentosis; stipulis ferrugineis scariosis lanceolatis pilosis; cymis axillaribus paucifloris demum elongatis subracemosis. ♄

In calcareis ad latus montis Elizamontagne. 19. Mai1839. Herb. Preiss. No. 1689.

7. **Pomaderris hirsuta** *Steud.* caule diffuse-ramoso cinerascente; ramis patenti-pilosis; foliis oblongo-vel lanceolato-ovatis (parvis semi-uncialibus) supra fusco-viridibus mollissime brevi-velutino-pubescentibus, subtus adpresse albo-tomentosis villisque patentibus hirsutis; stipulis lato-ovatis membranaceis acuminatis sparsim hirsutis; cymis axillaribus terminalibusque laxiuscule capitulatis. ♄

In rupestribus ad tergum montis Clarence 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1673[a].

Frutex 1-2 pedalis, ramosus; *rami* adulti teretes, cicatricosi, glabri, rufescentes, juniores pubescentes intermixtis pilis longioribus hirsuti; *folia* brevi-petiolata, 2-6 ad summum 8 lineas longa, supra late viridia, venosa, — venae primariae opacae, secundariae versus lucem sub lente pellucidae — margine parum revoluta, supra pube adpressa partim evanescente subvelutina, subtus inter tomentum album pilis longis vestita; *cymae* ramosae, floribus in ramulis capitato congesti; *calycis* laciniae extus tenue pubescentes, intus glabrae, pallide ferrugineae.

8. **Pomaderris commixta** *Steud.* caule ramoso diffuso, ramis pilosulis; foliis ovatis (parvis 4-6-lineas longis) supra cinereo-velutinis, subtus albo-tomentosis pilis raris patentibus (ad nervos et margines) intermixtis; stipulis minutis ovatis obtusis semiscariosis; cymis axillaribus paucifloris laxe capitatis. ♄

Cum priore lecta. Herb. Preiss. No. 1673[b].

Frutex 1-2-pedalis, ramosus; *rami* adulti teretes pube demum secedente hinc pubescentes hinc glabriusculi; *ramuli* foliorum delapsorum cicatricibus stipulisque persistentibus notati, sursum foliosi, dense pubescentes; *petioli* 1½-2 lin. longi; *folia* magnitudine varia, minora vix lineam excedentia, plus minus rotundata, majora ovata, obtusa nervo medio supra depresso subtus elevato; *cymulae* parvae, axillares, pauciflorae; *calycis* laciniae extus dense pubescentes, glabrae, ferrugineae.

§. 2. Foliis angustis linearibus.

9. **Pomaderris rosmarinifolia** *Steud.* caule ramoso laxe puberulo; foliis angustis linearibus (1½ lineas latis, 8-12 longis) obtusis margine revolutis, supra laete viridibus glabris, subtus dense villoso-sericeis; stipulis minutis setaceis acutis; cymis axillaribus diffusis subracemosis. ♄

In calcareis fruticosis ad tergum montis Baldhead 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1674.

Frutículus 2-3 pedalis; *rami* debiles, teretes, pilis subdistantibus brevissimis substellatis asperuli; *folia* sparsa, in petiolum brevem attenuata; *stipulae* minutae, vix lineares, acutissimae, deciduae; *flores* parvi; *calyces* basi dense limbi extus vix pilosi, intus glabri; *corolla* nulla.

10. **Pomaderris westringiaefolia** *Steud.* caule ramoso laxe puberulo vel glabriusculo; foliis angustis subovato-linearibus (1½-2 lineas latis, 8-10 longis) obtusis margine revolutis supra fusco-viridibus glabris, subtus dense piloso-sericeis; stipulis minutis setaceis deciduis; cymis axillaribus folio brevioribus confertis. ♄

In planitie clivuli calcarei Arthur'shead 23. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1686.

Frutículus parvus, ramosus; *rami* adulti glabri, fusco-rubri, juniores pilis brevissimis fasciculatis vix stellatis asperuli, in summitate piloso-pubescentes; *folia* obovato-linearia, 5-7 lin. longa, raro abbreviata, ovata, in petiolum brevem lineam longum attenuata, sub apices ramulorum subconferta; *flores* (evoluti desunt) in cymis axillaribus laxiusculis.

TRYMALIUM Fenzl. Endl. gen. n. 5744.

1. **Trymalium expansum** *Steud.* caule fruticuloso ramoso tereti pubescente; ramis divaricato-patentibus infra nudis superne foliatis et floriferis pilosis; foliis in ramulis alternis supra fusco-viridibus pubescentibus, subtus albotomentosis; floribus subracemosis tandem in ramis elongatis diffuse ramoso-paniculatis; capsula ovata basi calyce persistente circumscissa et superne setoso-villosa. ♄

In rupestribus ad clivulum vallis Todyayvalley ditionis Victoria. 7. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1683.

Frutex ramis teretibus rufescentibus; *rami* elongati, ultra medium nudi, sursum ramulosi; ramuli dense albo-pubescentes, abbreviati, foliati; *folia* breviter petiolata, magnitudine varia, 2-8 lin. longa, ovata vel ovato-oblonga; *stipulae* setaceae, marcescentes, pilosae; *flores* ante florescentiam (evoluti desunt) subracemoso-aggregati, tandem in ramis fructiferis elongatis amplo racemoso-paniculati.

2. **Trymalium floribundum** *Steud.* caule erecto ramoso tereti patenti-piloso; foliis ovatis integris vel obscure repando-dentatis supra sparsim simpliciter pilosis vel glabratis, subtus dense substellato-cinerascenti tomentoso pilosis; stipulis angustissimis lanceolato-acuminatis deciduis; floribus in summis foliis axillaribus terminalibusque paniculatis; calycis tubo villoso limbo 5-fido glabro; capsula circumscissa setoso-piloso. ♄

In sublimosis saxosis ad latus praeruptum vallis Cataractae ad caput fluvii Cygnorum 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1680.

Caulis teres, rubicundus, pilis patentibus longis aliisque brevissimis adpressis substellatis tectus; *folia* brevi-petiolata, 1-1½ pollices longa, venis versus lucem pellucidis percursa; *stipulae* subscariosae, valde fugaces petiolum subaequantes, pilosae; *flores* in racemis axillaribus terminalibusque ramosis paniculam amplam semipedalem formantes; pedicelli pilosi, *calycis* basi dense villosi, laciniae utrinque glabrae, ferrugineo-rufae, fructus.

CRYPTANDRA Smith. Endl. gen. n. 5742. Meisn. gen. pag. 70. (50.)

§. 1. Inermes.

α. calycibus villosis.

1. **Cryptandra nutans** *Steud.* caule ramoso pumilo (1-1½ pedali) basi glabro, apice ramisque pubescentibus; foliis fasciculatis margine revolutis subacerosis, supra puberulis subtus albo-pilosis floribus terminalibus fasciculato-spicatis subnutantibus; calycis tubo campanulato limbo connivente albo-sericeo; bracteis ovatis ferrugineis calycis tubum aequantibus. ♄

In arenosis sylvae prope ora maritima ditionis Perth. Herb. Preiss. No. 2424.

Fruticulus ramosus; *ramt* cinereo-fuscescentes, infra glabri sursum pilis albidis vestiti; *stipulae* in ramulis novellis tantum conspicuae fugaces, ovato-lanceolatae, subscariosae, pallide ferrugineae; *folia* fasciculatim aggregata 1-1½ raro 2 lin. longa, marginibus revolutis sese attingentibus, subteretia vel marginibus adhuc distantibus subtus canaliculata; *flores* in apice ramulorum axillares et terminales subracemosi, nutantes; *calycis* limbus intus glaber ferrugineus.

2. **Cryptandra tridentata** *Steud.* caule ramosissimo glabrescente cicatricibus foliorum emortuorum noduloso; foliis obovato-cuneatis apice truncatis tridentatis subfasciculatis glabris; stipulis membranaceis ovatis acutis. ♄

In N. Holl. occ. austr. Herb. Preiss. No 2421.

Fruticulus parvus pedalis, ramosissimus, cortice rimuloso fuscescente; *ramuli* teretes, pubescentes; *folia* alterna, brevi-petiolulata 1-1½ lin. longa, solitaria vel subfasciculata, viridia plana, margine vix revoluta, apice plerumque 3-raro 5-dentata, dentibus plus minus exsertis quandoque vix conspicuis; *flores* et fructus desunt.

β. calycibus glabris.

3. **Cryptandra floribunda** *Steud.* caule erecto angulato striata rubicundo glabro, ramis brevibus; foliis oblongo-vel lanceolato-linearibus (1-2 pollices longis), supra fusco-glauco-viridibus glabris (junioribus pubescentibus), subtus cinereo-albo-sericeis; stipulis lanceolatis scariosis elongatis; racemis pluribus apices ramorum terminantibus interrupte subverticillatis fasciculatis; pedicellis flore longioribus pilosis; calyce glaberrimo tubo abbreviato limbo patente vel reflexo; staminibus petalis reflexis non inclusis, germine glabro; fructibus . . . . . ♄

In limosis ad fluvium Cygnorum Juli 1839. Herb. Preiss. No. 1675.

Caulis nitide rubens, sub lente punctulis minutis subalbescentibus sparsim notatus; *ramuli* foliati; folia plana, margine revoluto, in petiolum brevem attenuata; *stipulae* lanceolatae, acuminatae, semiscariosae; flores ex axillis foliorum superiorum, vel immediate ramulos terminantes, in racemis 1-3-pollicaribus interrupte verticillatis; *pedicelli* pilosi, flore plerumque longiores; *calycis* laciniae utrinque glaberrimae, rufo-ferrugineae; *petala* parva, unguiculata, cucullata sed stamina demum non tegentia; *stylus* brevissimus; *stigma* 3-fidum, fructus ignotus. Ad Trymalii genus accedens species.

4. **Cryptandra glaucophylla** *Steud.* caule erecto ramoso rufescente subtereti basi glabro sursum ramisque pubescentibus; foliis alternis approximatis vix fasciculatis marginibus reflexis linearibus angustissimis; supra glabris, (sub lente valida) tenuissime punctato-impressis, subtus sericeo-pilosis, racemis axillaribus et in ramis terminalibus subdissiti-floris; calycis tubo brevissimo pubescente vel glabro, laciniis glabris patulis vel reflexis, staminibus vix inclusis. ♄

In asperis montis Greenmountain 27. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1684.

Frutex ramosissimus; *caulis* basi rufescente glabrescens sursum uti rami pilis brevissimis adpressis substellatis in summo apice ramulorum solutis longioribus pubescens; *folia* 5-8 lin. longa, ob margines reflexos vix lineam lata, subalterna, summa approximata, non fasciculata, breviter petiolulata, apice fasciculo pilorum (ex inferiore pagina praeminentium) apiculata; racemi in ramulis ex summis foliis axillares et terminales, *floribus* in interstitiis racemosis; *calyx* basi pilosus, parvus, laciniis glabris, flavo-ferrugineis; *petala* minima, cucullata demum calycem versus reflexa *stamina* nondum includentia; fructus . . . . .

5. **Cryptandra anomala** *Steud.* fruticulosa ramosa, ramis glabris sursum pubescentibus; foliis petiolo saepe flexuoso lineari-vel ovato-oblongis irregulariter alternis supra viridibus glabris subtus albo-piloso sericeis; stipulis parvis ovato-lanceolatis scariosis; racemis axillaribus, calycis tubo pyramidato-campanulato glabro, laciniis patentibus; capsula ovata apice truncato-plana calycis dejecti marginibus cincta 5-punctata 3-locularis. ♄

In N. Holl. occ.-austr. Herb. Preiss. No. 1685.

Fruticulus pedalis; *rami* teretes, inferne glabri, rufescentes, epidermide demum secedente sursum pilis minutis adpressis substellatis vel simplicibus in summis ramulis confertioribus adspersi; petioli breves, erecti, quandoque curvati; folia 3-7 lin. longa, apice vix conspicue mucronulata; *flores* in racemis brevibus, paucifloris, axillaribus, in pedicellis brevibus basi bracteola parva ovato-lanceolata acuta munitis; *calycis* laciniae luteo-ferrugineae glabrae; *petala* minima paulo pallidiora, unguiculata, cucullata; *stamina* demum non tegentia; *fructus* capsularis glaber subconicus. Habitus omnino praecedentium.

§. 2. Spinosae.

α. calycibus villosis.

6. **Cryptandra pungens** *Steud.* caule ramoso cortice secedente; ramis spinescentibus puberulis; foliis fascicula-

tis linearibus subteretibus utrinque glabris; stipulis setaceis marcescentibus; floribus in ramis terminalibus racemoso-spicatis vel in ramulis spinescentibus lateralibus erectis vel subnutantibus; calycis tubo campanulato sericeo piloso limbo subpatente minutissime pubescente; bracteis minutis ovatis scariosis acutis. ♄

In arenosis sylvae prope ora maritima ditionis Perth. Herb. Preiss. No. 2422.

Caulis ramique cinerei pubescentes; *rami* plures in spinam terminati vel mutati; *folia* subfasciculata, brevissime petiolulata, 1-3 lineas longa, subteretia, apice minutissime apiculata; *stipulae* mox caducae, in ramis novellis conspicuae, lanceolato-setaceae; *flores* vel in ramulis spinescentibus racemoso-aggregati vel in inermibus longius racemoso-spicati; *petala* stamina tegentia.

7. **Cryptandra holostyla** *Steud.* caule erecto stricto, ramisque erectis cinereis pubescentibus apice (invalide) spinescentibus; foliis fasciculatis revoluto-subteretibus (sub lente) muricato-asperis demum glabris; floribus versus apices ramulorum axillaribus solitariis vel binis pedunculis filiformibus flores longitudine aequantibus; calycibus longe-campanulatis sericeo-pubescentibus limbo abbreviato patente; stylo apice integro. ♄

In clivulis calcareis prope ora maritima ditionis Perth Herb. Preiss. No. 2423.

Rami erecti pilis patentibus sursum vestiti, semiunciales, spinescentes, foliati, ramuli abbreviati; *folia* subfasciculata, 3-4 lineas longa, subteretia, rigidiuscula, sub lente pilis brevibus puncticulis minutis insidentibus rigidiusculis asperula, demum glabrata; *stipulae* scariosae, setaceae, caducae; *flores* parvi; *calyx* conicus, limbi 5-fidi laciniae brevissimae germen dense pilosum non tegentes; *petala* inter calycis lacinias brevissima stamina tegentia; *stylus* apice capitatus, integer, mox deciduus.

β. calycibus glabris *).

8. **Cryptandra glabrata** *Steud.* caule erecto ramoso glabro, ramis ramulisque pubescentibus floriferis spinescentibus; foliis (parvis 3-5 lineas longis) subfasciculatis in ramis sterilibus sursum alternis, oblongis revolutis acutiusculis glabris; floribus in ramulis spinescentibus racemoso-aggregatis arcte (ante florum evolutione) scarioso-bracteatis, calycibus omnino glabris. ♄

In arenosis sylvae prope Pointwater ditionis Perth. Herb. Preiss. No. 2420*.

Rami post delapsam epidermidem secedentem rufescentes, erecti, demum plerumque spinescentes; *ramuli* brevissimi in floriferis 3-4-in sterilibus summis 5-6 lineas non excedentes; *folia* parva, subfasciculata, brevissime petiolata; *flores* in ramulis pauci, 4-6 subracemosi; *bracteae* scariosae ovatae calycem glabrum involucrantes.

9. **Cryptandra lasiophylla** *Steud.* caule erecto ramoso ramis pubescentibus, ramulis floriferis spinescentibus; foliis

---

*) Tres sequentes species nullos praebuerunt flores evolutos nec fructus, hinc magis habitus quam florum investigationis fide huc relatae. Cryptandrae *ulicinae* et *vexilliferae* Hook diagnoses comparare non licuit.

fasciculatis oblongo-lanceolatis (parvis 2-5 lineas longis) utrinque hirsutis; floribus in ramulis spinescentibus racemoso-aggregatis (ante florum evolutionem) arcte bracteolatis calycibus glabris. ♄

Cum praecedente. Herb. Preiss. No. 2420[b].

Caulis teres, post epidermidis secessum rubicundus, glaber; *rami* erecti pube patenti vestiti, steriles longiores 3-4 pollicares, inermes, floriferi breviores ½-1 pollicares, spinescentes; *folia* subfasciculata, 2-4-na, plana, brevissime petiolata, supra praesertim hirsuta, subtus demum glabriuscula; *stipulae* e basi latiore lanceolatae, acutae; *flores* nondum evoluti omnino uti in praecedente.

10. **Cryptandra tenuiramea** *Steud.* caule ramosissimo, ramis tenuissimis ramulisque spinescentibus pubescentibus; foliis subfasciculatis binis ternisque vel solitariis sparsis (parvis 2-4 lineas longis) linearibus utrinque hirsutis; floribus in ramulis solitariis sparsis, bracteolis involucrantibus lanceolatis acutissimis. ♄

In N. Holl. occ.-austr. Herb. Preiss. No. 2419.

Frutticulus tener pedalis; *rami* flores et folia gerentes semiunciales spinescentes; *folia* solitaria et fasciculata plana, margine revoluto; *stipulae* scariosae, folio triplo breviores, setaceae, acuminatae; *flores* (evoluti desunt) parvi in ramulis sparsi. Iterum ex habitu huc relata.

PITTOSPOREAE.

R. Brown in Flinder's voy. II. 542. Endl. gen. pag. 1081.

(Auctore Aloysio Putterlick.)

PITTOSPORUM Solander Putterlick Synops. Pittosp. p. 5. Endl. gen. n. 5661. Meisn. gen. pag. 66. (48.)

Sectio I. Eupittosporum. Inflorescentia terminalis, simplex vel composita. Fructus plus minusve subglobosi vel ovoidei, angulati vel compressiusculi.

** *Pedunculi terminales, simplices, solitarii rarius bini ternive, singuli e gemma prodeuntes. Folia integerrima.*

1. **Pittosporum parviflorum** *Putterlick.* glabrum, foliis obovatis, 4-5 linealibus, vix ultra 3 lin. latis, apice rotundatis, basi in petiolum vix semilinealem angustatis,

margine integerrimis obtusis, e luteo laete viridescentibus, sempervirentibus; in utraque pagina concoloribus, opacis, coriaceis; pedunculis solitariis binisve, rarius ternis, tenuibus, linealibus, simplicibus, apicem versus paullo crassioribus; floribus ovatis, vix linealibus, petalis pallide e luteo-viridescentibus, oblongis, obtusis; fructu (immaturo) ovato-compressiusculo, obscure flavescente, styli basi coronato.

In glareosis sterilibus districtuum: York et Wicklow. Australasiae austro-occidentalis, die 20. Martii 1840. Herb. Preiss. No. 1290.

Frutículi bipedalis *truncus* cylindricus, pennae anserinae crassitie, erectus, cortice cinereo-fusco, longitudinaliter rugoso vestitus, ligno sat duro, denso, flavescente; a basi ramosus. *Rami* teretes, superne sensim attenuati, erecto-patentes, vetustiores trunco conformes, annotini fuscescentes, glaberrimi, nitiduli, punctis minimis resinosis conspersi, ceterum dichotome ramosi. *Folia* obovata, 4-5 linealia, vix ultra 3 lin. lata, apice rotundata, rarissime in junioribus obsolete emarginata, basin versus in petiolum brevissimum vix semilinealem, subtus convexiusculum, supra leviter canaliculatum angustata, plana, e luteo laete viridescentia, in utraque pagina concolora, sempervirentia, opaca glaberrima, margine obtusiusculo integerrima, nervo mediano pertenui vix infra paullulum prominente perducta, lateralibus obsoletis, erecto-patentia. *Pedunculi* in apice ramulorum annotinorum solitarii binive, rarius terni, teretes, vix lineales, filiformes, apicem versus paullo crassiores, et pilis brevibus appressis obsessi, simplices, basi bracteolis, ante evolutionem in gemmam imbricatim conniventibus, minimis, ovatis, acutis, glabris, citissime caducis stipati, sub anthesi nutantes. *Flores* ovati, vix lineam longi, semilineam lati, obtusi. *Calycis foliola* omnia jam delapsa. *Corollae petala* 5, lineari-lanceolata, $^3/_4$ lin. longa, vix $^1/_3$ lin. lata, obtusiuscula, glandula punctiformi terminata, extus convexiuscula, intus cava, e luteo laete viridescentia, carnosula, succo resinoso ab ovarii glandulis basilaribus secreto et inspissato ipso ovario adglutinata. *Stamina* omnia jam delapsa. *Ovarium* ovoideum, lineale, $^2/_3$ lin. latum, obtuse triquetrum, verruculis minimis scabrum, succo resinoso obductum, basi paulum dilatata glandulis quinque prominentibus, cum staminibus alternantibus et succum resinosum secernentibus stipatum; superne *stylo* tereti, obtuse subtriquetro, ovarium longitudine aequante, filiformi, basi articulatim tumida ovario affixo, in medio paulo ampliore, in apice *stigmate* simplici truncato, medio impresso et obsolete trilobo, subtilissime papillato terminato, post anthesin caduco coronatum; intus triloculare, semiseptis tribus medio juxta axim contiguis et utrinque margine ovuliferis septatum. *Ovula* marginibus duorum semiseptorum conniventum alternatim affixa, parallele biserialia, obovata, mutua pressione sub ulteriore evolutione angulata, stipite brevissimo affixa, horizontalia, anatropa 6-10 in quovis loculo. *Fructus* immaturus ovario duplo major, ceterum cum hoc congruens conformatus.

Sectio II. Plagiantheron. Pedunculi ex axillis foliorum laterales vel terminales, simplices vel divisi.

* *Pedunculi simplices, solitarii, rarius bini. Folia integerrima, subevenia.*

2. **Pittosporum ligustrifolium** *All. Cunningh.* ramis virgatis, dichotome divisis, junioribus tomentoso-incanis; foliis anguste lanceolatis, 2-4 uncialibus, sesquilineam la-

tis, basi sensim in petiolum circiter semipollicarem attenuatis, apice iterum sensim in mucronulum linealem falcato-recurvum attenuatis, planis, utrinque concoloribus, tenue coriaceis, nervo mediano tenui percursis, lateralibus obsoletis, margine integerrimis, junioribus pilis brevibus mollibus pubescenti-imo tomentoso-incanis; pedunculis axillaribus terminalibusque, solitariis, simplicibus, petiolos aequantibus, junioribus tomentoso-incanis; floribus campanulatis, trilinealibus, badiis; capsulis ovoideo-vel obovato-compressiusculis, bivalvibus, pleiospermis, sordide luteis. — All. Cunningham Mss. in sched. 1822, et in Annals of Nat. Hist. IV. 110. Putterlick Synops. Pittosp. 16. Walpers Repert. I. 250.

P. longifolium Putterlick Syn. Pittosp. 15. Walp. Repert. I. 250.

P. Roëanum Putterlick Syn. Pittosp. 16. Walp. Repert. I. 250.

Habitat in littoribus aridis insulae Rotenest, adversus ostium amnis Cygnorum Australiae orae occidentalis, 1822. (All. Cunningham); ibidem in interioribus coloniae Swan River Dec. 1836 (J. S. Roe) et 1837 (J. Drummond); in arenosis sylvae orae occidentalis insulae Rotenest 18. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1297.

Arbuscula 20-30 pedalis, *ramis* divaricatis, gracilibus, flexuosis; *ramulis* flexuoso-patentibus, propensis, foliatis; adultis glabris, cortice e rufo-purpurascente vestitis, ligno denso, duro, albido; junioribus purpurascentibus, tomento incano tectis. *Folia* solitaria, alternatim dissita, versus ramulorum apicem confertiora, anguste lanceolata, 2-4 uncialia, 1½-2 lin. lata, basin versus sensim attenuata in petiolum semipollicarem infra convexum, supra canaliculatum, apice iterum in mucronulum linealem falcato-recurvum cuspidato-attenuata, plana, e luteo laete viridescentia, utrinque concolora, sempervirentia, tenue coriacea, nervo mediano tenui vix infra prominente perducta, lateralibus obsoletis, margine obtusiusculo integerrima; juniora pilis brevibus, mollibus pubescenti-imo tomentoso-incana, adulta glaberrima, supra nitida, subtus opaca, sempervirentia. *Pedunculi* e gemma axillari vel terminali solitarii, simplices, teretiusculi, filiformes, petiolos aequantes vel superantes, ima basi bracteolis 2-3, ovatis, acutis minimis, margine ciliolatis, dorso pubescentibus, caducissimis suffulti, tomentoso-incani, adultiores calvescentes, sub anthesi nutantes. *Flores* campanulati, trilineales. *Calycis foliola* 5, ovata, acuta, linealia, aequalia, aestivatione imbricata, sub anthesi patentia, superne recurvata, extus pubescentia, badia, margine pallidiora et brevissime ciliolata. *Corollae petala* 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, aequalia, aestivatione imbricata, subspathulata, ad tres lineas longa, vix lineam lata, unguibus angustioribus in tubulum conniventibus, pallidioribus, laminis sub anthesi patenti-reflexis, in sicco profunde luteis, venis tribus longitudinalibus parallelis et venulis horizontalibus anastomosantibus profundius tinctis perductis, glabris, margine brevissime ciliolatis. *Stamina* 5, hypogyna, petalis alterna et breviora, aequalia; *filamentis* linearibus, vix sesquilinealibus, superne paullulum amplioribus, planiusculis, intus sulco longitudinali exaratis, albidis; *antheris* terminalibus, ovatis, obtusis, semilineam metientibus, basi emarginata filamento affixis, erectis, post anthesin retrorsis, obscure luteis, biloculatis, loculis oppositis, connectivo adnatis, longitudinaliter introrsum dehiscentibus. *Pollinis* granula lutea, globoso-triedra. *Ovarium* ovoideo-vel ellipsoideo-compressiusculum, lineale, semilineam latum, pilis canis villosum, basi glandulis 5 cum staminibus alternantibus stipatum, superne in *stylum* teretem, filiformem, ovario

ipso dimidio brevlorem et *stigmate* hemisphaerico, medio impresso, obsolete quadrilobo et subtilissime papilloso terminatum continue transiens; intus semiseptis duobus parietalibus in axi contiguis biloculatum, septis in margine utrinque loculum spectante alternatim ovuliferis, *ovulis* filo brevissimo annexis, subglobosis, horizontalibus, anatropis, parallele biserialibus, circiter 8-12 in quovis loculo, plurimis abortivis. *Capsula* ovoideo-vel obovato-compressiuscula, stylo brevi terminata, sordide flava, glabra, rugosa, opaca, intus biloculata, in valvas duas dehiscens; valvis crassis, coriaceis, reflexo-patentibus, intus citrinis, verniceo-nitidis, medio semisepto incompleto in margine utrinque seminiferis. *Semina* in quovis loculo 4-6, uniseriata, subglobosa, angulato-compressa, diametro lineali, testa purpurascente, nitida, albumine carnoso albo, embryone in fundo albuminis juxta umbilicum posito, ovato, minimo, basi attenuata micropylen vix conspicuam spectante, mere celluloso.

Differt a *Pittosporo acacioide All. Cunningham* Mss. 1817. et in Ann. of Nat. Hist. IV. 109. (*P. angustifolio Loddig.* Bot. Cab. t. 1859 [1832]) quod habitu illo simillimum, ramulis in hoc, foliis et pedunculis jam in statu juniore glaberrimis, foliis magis lanceolatis, utrinque concoloribus, longius petiolatis, pedunculis petiolo duplo brevioribus, floribus paulo majoribus et capsulis aurantiacis, lato-ellipticis; a *Pittosporo phillyraeoide Dec.* vero, cum in hoc folia lanceolata, breviora, duplo latiora, crassioraque, pedunculi petiolo duplo longiores, crassiores, capsulae majores aurantiacae.

3. **Pittosporum phillyraeoides** *DC.* ramis junioribus tomentoso-incanis; foliis ellipticis lanceolatisve, 1-1½ uncialibus, ad 4 lin. latis, basi in petiolum 2-3 linealem angustatis, apice cuspidato breviter mucronatis, mucronulo falcato-reflexo, planis, glaberrimis, pallide luteo-viridescentibus, utrinque concoloribus, coriaceis, nervo mediano tenui perductis, lateralibus obsoletis, margine obtusiusculo integerrimo angustissime subrevoluto, erecto-patentibus; pedunculis axillaribus, solitariis binisve, petiolo duplo longioribus; capsulis elliptico-vel ovoideo-compressiusculis, aurantiacis, opacis, rugulosis, bi-trivalvibus pleiospermis. — DC. Prodr. I. 347. Don Gen. Syst. I. 347. All. Cunningham in Ann. of Nat. Hist. IV. 109. Putterlick Syn. Pittosp. 16. Walp. Repert. I. 254.

P. oleifolium All. Cunningham Mss. in sched. 1822.

Habitat in Australiae ora occidentali in arenosis aridis insulae Dirk Hartog 1802 (Lechenault); Hartoge Bay 1804 (Ferd. Bauer) 1822. (All. Cunningham); in arenosis insulae: Horstman's Abrolhos ubi a Cl. G. Moore Jan. 1840 lectum, communicatum accepit cl. Preiss. Herb. Preiss. No. 1294.

„*Frutex* robustus, erectus; ramosus, sexpedalis, habitu fere facie *Oleae*." *All. Cunningham l. c. Ramuli* juniores tomentoso-incani. *Folia* alternatim dissita, in ramulorum apicibus confertiora, in petiolum subtus convexiusculum, supra canaliculatum angustata, juxta nervum medianum vix infra parum prominente, superne parum impressa, recentiora utrinque concolora, adulta superne brunnescentia ideoque in pagina inferiore pallidiora apparent. *Flores* hucusque ignoti. *Fructus* capsularis, elliptico-vel ovoideo-vel obovato-compressiusculus, ad 8 lineas longus, 5 lin. latus, ultra 3 lin. diametro transversali, aurantiacus, rugulosus, opacus, in valvas 2-3 dehiscens, valvis fere ultra lineam crassis, coriaceo-lignosis, patenti-reflexis, intus aurantiacis, verniceo-nitidis, semisepto margine utrinque alternatim seminifero. *Semina* ovata vel subglobosa, angulato-compressa, diametro lineali, testa purpurascente, nitida, glaberrima. *Embryo* in fundo albuminis solidi durioris albidi prope umbilicum situs, minimus, orthotropus, incompletus, mere cellulosus.

ONCOSPORUM Putterlick. Endl. gen. n. 5663. Meisn. gen. pag. 348.

Calyx pentaphyllus, imo margini receptaculi floris adnatus hypogynus, foliolis subaequalibus, distinctis. *Corollae petala* 5, distincta, hypogyna, calycis foliolis alterna, spathulata, in corollam campanulatam conniventia, patentia, apice reflexa, subaequalia. *Stamina* quinque, distincta, hypogyna, petalis alterna, subaequalia, in tubum conniventia; *filamentis* e basi latiore planiuscula intus canaliculata subulato-filiformibus, apice antheriferis; *antheris* ovatis, apice obtusis, baseos emarginatae dorso affixis, biloculatis, loculis appositis, superne contiguis, connectivo adnatis, inferne divergentibus, longitudinaliter introrsum dehiscentibus, pollinis granulis globoso-triedris farctis, erectis, tandem reflexis. *Ovarium* stipite brevi basi glandulis 5 cum staminibus alternantibus instructo et receptaculi conici floris apice insidente liberum, elongato-ellipsoideum, cylindraceo-compressiusculum, anceps, glaberrimum, basi in stipitem angustatum, lateribus planiusculis medio juxta axim sulco longitudinali impressum, apice attenuato in *stylum* teretem, filiformem, glabrum, *stigmate* simplici, convexiusculo, medio paulo impresso, subtilissime papilloso terminatum continue transiens, intus e semiseptis in axi contiguis biloculatum, septis in marginibus utrinque loculum spectantibus, parallele juxta axim decurrentibus et parum prominulis alternatim ovuliferis. *Ovula* brevissimo funiculo introrsum curvato suspensa, juxta axim dissepimenti utrinque biseriata, subglobosa, horizontalia, anatropa, 4-6 in quovis loculo, plurima abortiva. *Fructus* e receptaculo floris superstite stipite brevi suffultus, capsularis; *capsula* late ovoidea vel subglobosa, utrinque compressiuscula, basi in stipitem attenuata, lateribus planiusculis utrinque medio juxta axim sulco longitudinali impressa, marginibus obtusiusculis subanceps, apice attenuata styli basi persistente coronata, fulva, venulis fuscis reticulatim anastomosantibus elevatis obducta, glabra, opaca, tenuiter membranacea, intus biloculata, pleiosperma, maturitate loculicide ab apice ad medium semibivalvata, loculis adhuc clausis e semiseptis in axi cohaerentibus, mox septifrage, semiseptis nunc medio hiantibus, complete bivalvis, semiseptis nunc margine liberis paulo incrassatis et loculos spectantibus seminiferis. *Semina* funiculo vix ⅛ lineae longo, tenui, corrugato, fusco suspensa, globosa, diametro lineali, purpurascentia, glabra, nitida, libera, 2-6 in quovis loculo; *raphe* brevi ab umbilico ad chalazam horizontaliter per quadrantem circumferentiae seminis producta, toruloso-tumida, discolor, intra testam adnata. *Embryo* in fundo albuminis solidi et duri prope umbilicum propria cavitate inclusus, minimus, ovalis, basi attenuata hilum spectans, mere cellulosus.

Suffrutices Australasiae austro-occidentalis, trunco erecto, a basi ramoso; *ramis* erecto-patentibus, filiformibus, volubilibus; *foliis* alternis, indivisis, inferioribus spathulatis, argute serrato-dentatis, imo fere pinnatifide dentatis, dentibus iterum denticulatis, superioribus ellipticis, plerumque integerrimis, membranaceis, pubescentibus; *pedunculis* terminalibus vel rarius axillaribus, simplicibus vel bifidis; *floribus* speciosis, laete violaceis vel caerulescentibus.

Oncosporum Putterlick in Nov. stirp. mus. Vind. decad. II. pag. 9. Synops. Pittosp. 21. (exclusis characteribus praeter fructus.)

1. **Oncosporum Drummondianum** *Putterl.* ramis filiformibus, longissimis, volubilibus, patentissimo-pubescentibus, adultioribus calvis; foliis brevipetiolatis, pilis longis canescentibus patentissimis utrinque villosis, inferioribus minoribus, semiuncialibus, ad 2 lin. latis, spathulatis, apicem versus grosse serrato-dentatis, imo fere pinnatifido-dentatis, dentibus iterum denticulatis, superioribus ovalibus vel ellipticis, acutis, fere pollicaribus, ad 3 lin. latis, dente uno alterove arguto instructis, supremis lanceolatis vel oblongo-ellipticis, acutis, 1-1½ uncialibus, plerumque integerrimis, omnibus membranaceis, erecto-patentibus; pedunculis ramulos terminantibus, rarius axillaribus, simplicibus vel bifidis, patentissimo-villosis, erectis, sub anthesi nutantibus; floribus speciosis, campanulatis, subirregularibus, pallide violaceis; calycis foliolis subulatis, patentissimo-villosis, capsulis late-ovoideo-compressiusculis, utrinque sulcatis, membranaceis, pleiospermis.

Habitat in Australiae austro-occidentalis colonia Swan-River (1839 J. Drummond); in solo glareoso sterili coloniae Swan-River, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1288); in interioribus continentis inter promontorium Leschenault et King George's Sound, 1843 (J. S. Roe).

Frutex bipedalis et altior, *radice* tereti, deorsum sensim attenuata, recta, helvola, ramulis fibrillisque paucis, longis aucta. *Truncus* cylindricus, pennae anserinae tenuioris crassitie, semipedalis, superne sensim attenuatus, cortice ferrugineo, rugoso, glabro, nitido vestitus, ligno solido duro, albido instructus, erectus, hinc inde flexuosus, a basi ramosus. *Rami* teretes, pennae corvinae crassitie, superne sensim attenuati, filiformes, cortice rufo, nitido, spiraliter rugoso-striato vestiti; juniores pilis tenuissimis, diametro eorum duplo longioribus, incanis, horizontaliter patentibus, praecipue apicem versus sat dense villosi, adultiores calvescentes, erecto-patentes, primum recti, tandem flexuosi et volubiles, longitudinem bipedalem et ulteriorem attingentes, alternatim foliati, e foliorum axillis ramulos annotinos foliatos apice floriferos promentes. *Folia* brevissime petiolata, in serie spirali juxta truncum, ramos ramulosque alternatim dissita; trunci *infertora* minora, spathulata, uncialia, ad 2 lin. lata, basin versus sensim in petiolum angustata, apicem obtusiusculum vel brevissime acutum versus margine grosse serrato-dentata, imo fere pinnatifido-dentato, dentibus iterum denticulatis, plana, laete viridescentia, in pagina superiore intensiora, hinc inde purpura suffuso, sempervirentia, tenuiter coriacea, annotina pilosa, adultiora calvescentia, erecto patentia; *supertora* ovalia vel elliptica, fere uncialia, ad 3 lin. lata, acuta, margine hinc inde dente uno alterove arguto instructa, plana, laete viridescentia, subtus pallidiora, utrinque pilis tenuissimis, longis, canescentibus, tandem evanescentibus villosa, membranacea, nervo mediano pallidiore tenui vix infra paululum prominente perducta, lateralibus saturatioribus anastomosantibus in pagina inferiore magis conspicuis, fere patentia; *suprema*

tandem oblongo-elliptica vel lanceolata, pollicem et ultra longa, vix 2 lin. lata, acuta, integerrima, plana, membranacea, villosa, ceterum reliquis conformia, sed confertiora et erecto-patentia. *Pedunculi* in apice ramulorum annotinorum axillarium et terminalium terminales, rarius e sinu foliorum axillares, solitarii, simplices vel a medio bifidi, teretes, filiformes, foliis duplo longiores, purpurascentes, pilis diametro multo longioribus horizontaliter patentibus juniores cano-villosi, demum calvescentes, basi bracteolis subulatis, linealibus, 1-2, villosis suffulti, apicem versus in receptaculum floris sensim incrassati, erecto-patentes, sub anthesi nutantes. *Flores* speciosi, campanulati, petalis divergentibus fere bilabiati, semiunciales. *Calycis foliola* 5, imo margini receptaculi floris conici adnata, distincta, subulato-acuminata, bilinealia, basi latiore vix $\frac{1}{6}$ lin. lata, extus convexiuscula ibique et margine longe pilosa, intus concaviuscula, glabra, subaequalia, pallide lutea, apicem versus purpurascentia, aestivatione imbricata corollae adpressa, sub anthesi patentia, persistentia. *Corollae petala* 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, distincta, spathulata, ad 6 lin. longa, subaequalia, marginibus aestivatione imbricata, sub anthesi unguibus fere trientem petali occupantibus, lineam latis, introrsum marginibus involutis canaliculatis pallide luteolis in tubum subobliquum conniventibus, laminis ad sesquilineam latis, cuspidato-apiculatis, laete violaceis, patentibus apice reflexo, tota venis quinque longitudinalibus parallelis, in petalis tribus superioribus sursum reflexis atris, in inferioribus duobus magis divergentibus pallidioribus, et venulis horizontalibus percursa. *Stamina* 5, petalis alterna, hypogyna, distincta, in alabastro duplo, sub anthesi triente breviora, subaequalia, tubum parum excedentia; *filamentis* e basi latiore intus sulco exarata subulato-filiformibus, glabris, albis, in tubum sursum incurvum conniventibus, apice antheriferis; *antheris* ovatis, obtusis, semilinealibus, baseos emarginatae dorso affixis, luteolis, erectis, post anthesin retrorsis, biloculatis, loculis introrsum longitudinaliter dehiscentibus; *pollinis* granulis globoso-triedris, luteolis farctis. *Ovarium* et *fructus* jam in charactere generali exposita. *Semina* nunc in quovis loculo uniseriata, globosa; *raphe* a puncto insertionis funiculi seu umbilico axim capsulae versus horizontaliter per quadrantem circumferentiae seminis producta, toruloso-tumida, integumento communi seminis hic discolore obducta, intus cava, filo tenuissimo e vasorum fasciculis tela cellulosa connexis, albido, corrugato percursa. *Testa* seminis e strato cellularum cubicarum parietibus sat crassis et profundius coloratis superficiali constructa, adnata strato cellularum simplici, teneriori, hyalino albido, cum membrana interna tubuli rhaphes continuo, in regione chalazae placentulam vasculosam includente et nucleum ipsum undique arcte ambiente. *Nucleus* membrana obsolete cellulosa, tenerrima, transparente, tandem a chalaza soluta et undique libera involutus. *Albumen* subglobosum, ad chalazam complanatum, integrum, solidum, fere corneum, coloris lactei, ad micropylen a testa retractum impressum, ibique intus cavitate ellipsoidea undique clausa, humore repleta, vix $\frac{1}{200}$ partem albuminis consumente embryonem includens. *Embryo* in fundo cavitatis micropylen spectante sacculo proprio, tenerrimo, pellucido inclusus, compresso-ovalis, vix $\frac{1}{400}$ lineae permetiens, basi attenuata umbilicum spectans, apice obtuso paullulum emarginatus, coloris lactei, transparens, simplex, mere cellulosus, partibus certis nondum discernendis.

MARIANTHUS Hügel msc. Endl. gen. n. 5664. Meisn. gen. pag. 348.

1. **Marianthus candidus** *Hügel.* ramis flexuosis, volubilibus, glabris, punctulato-verruculosis; ramulis erecto-patentibus, superne sericeo-incano-tomentosis, apice flori-

feris; foliis alternis, subsessilibus, inferioribus rameis late ellipticis, bipollicaribus et ultra, ad ⅔ pollicis latis, superioribus oblongo-ellipticis, angustioribus, omnibus margine revoluto integerrimis, pallide viridescentibus, subtus pallidioribus, pilis adpressis pubescentibus, supra glabris, opacis, coriaceis, erecto-patentibus, sempervirentibus; pedunculis terminalibus, folio multo longioribus, teretibus, sat crassis, pilis adpressis sericeo-incanis, erectis, rectis, superne alternatim ramosis, ramulis bracteatis, rectis, trichotomis, in cymam multifloram (50-100-floram), dispositis; floribus speciosis, 7-8-linealibus, campanulatis, erectis; calycis foliosis subulato-acuminatis, purpurascentibus, pubescentibus; petalis candidis, ungue purpurascente; antheris caeruleis; capsulis . . . . .

Marianthus candidus Hügel msc. Endl. Enum. pl. Hügel pag. 8. Putterlick Synops. Pittosp. 22.

In Australia austro-occidentali ad fluvium Cygnorum (Dec. 1833. L. B. ab Hügel); in Colonia Swan-River (Dec. 1837. J. Drummond, n. 82.) in arenosis sylvae prope oppidum Perth Nov. 1839. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1285.

Frutex robustus, scandens, 6-10 pedalis, floribus innumeris ubicumque onustus, elegantissimus.

2. **Marianthus coeruleo-punctatus** *Klotz.* ramis erecto-patentibus, volubilibus, pubescentibus, apice floriferis; foliis brevipetiolatis, inferioribus spathulatis, bipollicaribus, ¾ pollicem latis, brevissime acutis, grosse serratodentatis aut pinnatisectis, superioribus oblongo-ellipticis, utrinque longe attenuatis, 1¾ pollicaribus, 7-2 lin. latis, integerrimis, pubescentibus, tandem calvis, erecto-patentibus; pedunculis in apice ramulorum terminalibus, solitariis, teretibus, folio supremo plus duplo longioribus, junioribus pilis adpressis sericeo-pubescentibus, fructiferis calvescentibus, erectis, rectis, superne alternatim ramosis, ramulis basi bracteatis erecto-patentibus, rectis, simplicibus vel superne trichotomis, imo iterum divisis, pedicellis basi bracteatis in cymam multifloram (12-36-floram) dispositis, teretibus, superne in receptaculum floris sensim ampliatis, pilis adpressis sericeo-incanis, sub anthesi nutantibus, fructiferis erectis; floribus speciosis, ad 9 linealibus, divergenti-campanulatis; calycis foliolis subulato-acuminatis, viridibus, interdum apice purpurascentibus, sericeo-pubescentibus; corollae petalis longe spathulatis, subaequalibus, laete e violaceo-caeruleis, superioribus tribus sursum reflexis in ungue candido caeruleo-punctatis, inferioribus duobus divergentibus reclinatis concoloribus; staminibus post anthesin reclinatis, antheris caeruleis; capsulis oblongo-ovalibus, cylindraceo-compressiusculis, toruloso-elevatis, membranaceis, bilocularibus, bivalvibus, polyspermis, seminibus in quovis loculo biseriatis 10-24, purpurascentibus. — Klotzsch

in Icon. plant. rar. h. b. Berol. I. 28. t. 12. Walp. Repert. I. 256.

In Australiae austro-occidentalis colonia Swan-River (Dec. 1839. J. Drummond); 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. sine Num.

Frutex 4-6 pedalis, ramis copiosissimis, longissimis, volubilibus, pubescentibus, saepissime in aliis plantis scandens. — *Fructus* in pedicellis erectis rectus, in receptaculo floris superstite stipite brevissimo insidens, capsularis. *Capsula* oblongo-ovalis, cylindraceo-compressiuscula, basi in stipitem attenuata, faciebus planioribus medio juxta axim sulco longitudinali impressa, parietibus juxta sulcum utrinque e seminibus incrassatis torulosa, angulis obtusiusculis medio juxta longitudinem sutura valvarum decurrente subanceps, apice rotundata subemarginata, in emarginatura styli basi persistente coronata, pallide virescenti-flava, glabra, nitida, tenuissime membranacea, intus e semiseptis in axi contiguis biloculata, loculis polyspermis, tandem loculicide et septifrage rupta bivalvis, valvis patentibus apice parum reflexis, in semiseptorum nunc liberorum marginibus prominulis loculum utrinque spectantibus alternatim seminiferis. *Semina* in quovis loculo biseriata, alternatim mox ex uno, mox ex altero margine septi egredientia, funiculo brevissimo vix $^1/_6$ lin. longo, corrugato, fusco suspensa, globosa, diametro lineali, purpurescentia, laevia, nitida, 12-16 in quovis loculo. *Raphe* brevi ab umbilico axim capsulae versus horizontaliter per quadrantem circumferentiae seminis producta, toruloso-tumida, integumento communi seminis concolore obducta, intus cava, filo tenuissimo e fasciculis vasorum tela cellulosa connexis albido, corrugato perducta, ad chalazam in placentulam orbicularem vasis pertextam ampliata. *Testa* seminis e strato cellularum crassarum intensius coloratarum simplici superficiali, adnato strato interiore e cellulis tenuioribus albido, transparente. *Nucleus* membrana tenerrima transparente, tandem a chalaza soluta involutus. *Albumen* subglobosum, ad chalazam complanatum integrum, solidum, sat durum, fere corneum, coloris lactei, ad micropylen parum impressum, intus cavitatem ellipsoideam, vix $^1/_{200}$ albuminis consumentem, undique clausam et embryonem includentem continens. *Embryo* in fundo cavitatis situs, sacculo proprio tenerrimo pellucido inclusus, ovalis, complanatus vix $^1/_{400}$ lineae permetiens, basi attenuata hilum spectans, apice obtuso, coloris candidi, simplex, mere cellulosus.

3. **Marianthus erubescens** *Putterl.* ramis volubilibus glabris; foliis petiolatis, inferioribus lato-ellipticis, bipollicaribus, ultra pollicem latis, superioribus oblongo-ellipticis, aequilongis, angustioribus, apice cuspidato brevissime apiculatis, margine integerrimo subrevolutis, planis, laete viridescentibus, subtus pallidioribus, glabris, coriaceis, erecto-patentibus; pedunculis e ramulorum lateralium vel foliorum axillis solitariis, imo haud raro binis superpositis, teretibus, folio brevioribus, purpurascentibus, glabris, erecto-patentibus, superne di-trichotomis, pedicellis basi bracteatis, sub anthesi nutantibus; floribus speciosis, fere pollicaribus, campanulatis, irregularibus, nutantibus; calycis foliolis ovatis, acutis, dorso glabris, purpurascentibus, margine pallido subtilissime ciliolatis; petalis longe spathulatis, intense purpureis, intus in ungue candidis, subaequalibus, superioribus tribus sursum reflexis, inferioribus duobus magis distantibus reclinatis; antheris flavis; capsulis oblongo-ellipticis, utrinque compressiusculis, longitudinaliter juxta axim sulco impressis, ancipitibus, membranaceis, coloris testa-

cei, venis saturatioribus anastomosantibus pictis, biloculatis, loculis polyspermis (16-24); seminibus utrinque in loculis biseriatis, purpurascentibus. — Putterlick in Nov. Stirp. Mus. Vind. decad. VII. pag. 60 n. 69. Synops. Pittospor. 23. Walpers Repert. I. 256.

Habitat in Australiae austro-occidentalis colonia Swan-River (Dec. 1839. J. S. Roe) ibidem (Dec. 1839. J. Drummond, collect. n. 78); in solo glareoso sterili ad Eucalyptos fruticosos scandens, prope Wicklow. 9. Nov. 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1292.

Frutex scandens, 4-6 pedalis, floribus intense purpureis, in genere hucusque maximis, inter folia laete viridia sparsis, adspectu eximius.

4. **Marianthus pictus** *Lindl.* ramis ramulisque erecto-patentibus, flexuosis, glabris, nitidis; foliis inferioribus obovatis, 6-8 linealibus, 4 lin. latis, basin versus in petiolum brevissimum angustatis, apice rotundatis, obtusis, e nervo mediano parum excedente brevissime apiculatis, margine integerrimis, superioribus brevi-petiolatis, ellipticis, apice acutis, margine hinc inde argute serrato-dentatis, omnibus marginibus angustissime revolutis, laete virescentibus, infra pallidioribus, rore glaucescente praecipue infra obductis, planis, glabris, opacis, erecto-patentibus; pedunculis in apice ramulorum annotinorum terminalibus vel e sinu foliorum supremorum axillaribus, teretibus, filiformibus, semipollicaribus, rufis, glabris, erecto-patentibus, apice alternatim ramulosis in cymam pauciflorum, (3-6 floram) dispositis; floribus speciosis, 6 linealibus, irregularibus, fere bilabiatis, nutantibus; capsulis oblongo-ellipsoideis, cylindraceo-compressiusculis, medio utrinque juxta axim sulco longitudinali impressis, membranaceis, biloculatis, loculis polyspermis; seminibus in quovis loculo 12-16, uniseriatis, purpurascentibus. — Lindley in Append. to Bot. Reg. 1839 in notis pag. XXII. n. 93. Walpers Repert. I. 256.

Oncosporum bicolor Putterlick in Nov. stirp. Mus. Vind. decad. II. pag. 9. Synops Pittosp. 21. (exclusa descriptione fructus) Walpers Repert. I. 256.

Habitat in Australiae austro-occidentalis colonia Swan-River (Jan. 1834. L. B. ab Hügel); Dec. 1837. (J. Drummond); in districtibus York, Wicklow, Victoria, etc. 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1286.

Frutex 2-3 pedalis, a basi ramosus, *ramis* cylindricis, pennae anserinae crassitie, sursum sensim tenuioribus, pedalibus et longioribus, cortice ferrugineo e laminis tenuissimis epidermidis hinc inde solutae cinerascente vestitis, erecto-patentibus, erectis, strictis, undique alternatim ramosis, *ramulis* teretibus, filiformibus, flexuosis, purpurascentibus, opacis, inferioribus longioribus, erecto-patentibus, fere fastigiatis, alternatim dissite foliatis, apice floriferis. *Folia* solitaria, inferiora obovata, 6-8 linealia, ad 4 lin. lata, basin versus sensim in petiolum brevissimum angustata, apice rotundata, obtusa, e nervo mediano parum excedente brevissime apiculata, fusco-virentia, infra pallidiora, rore glauco obducta; superiora elliptico-obovata vel elliptica, pollicaria, ad semunciam lata, basi in petiolum 1-2 linealem supra canaliculatum subtus convexiusculum angustata, apice acuto imo in supremis cuspidato apiculato hinc inde argute serrato-dentatis, omnibus

marginibus angustissime revolutis, nervo mediano infra basi versus parum prominulo pallidiore perducta, lateralibus obsoletis, pallide viridescentia, infra pallidiora, utrinque sed infra evidentius rore glaucescente obducta, plana, juniora pilis brevibus consita, adulta glabra, opaca, erecto-patentia persistentia. *Pedunculi* in apice ramulorum annotinorum terminales vel e sinu foliorum supremorum axillares, teretes, filiformes, semipollicares, purpurascentes, glabri, erecto-patentes, superne alternatim ramosi, *pedicellis* 3-6, teretibus, filiformibus, circiter 4 linealibus, viridibus, glaberrimis, basi bracteola minima, ovata, acuta, vix ¼ lineali, caducissima stipatis, superius cicatrice una alterave instructis in cymam paucifloram dispositis. *Flores* speciosi, sexlineales, campanulati, petalis fere bilabiatim divergentibus, subaequalibus, irregulares sub anthesi nutantes. *Calycis foliola* 5, margini extimo receptaculi conici floris inserta, distincta, ovata, ⅔ lin. longa, vix ½ lin. lata, acuta, dorso convexiusculo purpurascentia, intus cava, albida, glabra, aequalia, in alabastro marginibus imbricata, sub anthesi corollae adpressa, demum decidua. *Corollae petala* 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, distincta, spathulata, superiora tria 6 linealia, inferiora duo paulo longiora, fere 7 linealia, ad unguem vix trientem longitudinis attingentem fere lineam lata, superne in laminam duas lineas latam obovatam, apice rotundatam brevissime apiculatam desinentia, aestivatione marginibus imbricatim sese tegentia, sub anthesi unguibus, marginibus parum involutis canaliculatis in tubum sursum incurvum conniventia, laminis patentibus apice reflexo, tria superiora sursum recurvata, duo inferiora magis distantia reclinata, in basi unguis glandula luteola instructa, ceterum candida, in pagina exteriore et suprema parte laminae luteola, venis quinque parallelis purpureis, tribus intermediis latioribus longitudinaliter percursa, in unguibus trium superiorum inter venas purpureo-punctatis, plana, glaberrima. *Stamina* 5, hypogyna, petalis alterna, distincta, subaequalia, in alabastro petalis duplo, sub anthesi triente breviora, in tubum sursum incurvum conniventia, apice divergentia, demum divaricata et deorsum reclinata; *filamentis* subulatis, e basi latiore complanata, dorso convexiuscula intus canaliculata sensim filiformibus, albidis, apice antheriferis; *antheris* ovatis, semilinealibus, apice obtusis, integris, baseos emarginatae dorso filamento affixis, luteis, erectis, post anthesin retrorsis, biloculatis, loculis appositis, superne contiguis connectivo adnatis, inferne subdivergentibus, longitudinaliter introrsum dehiscentibus, pollinis granulis globoso-triedris, luteolis, glabris farctis. *Ovarium* basi stipite brevissimo glandulis quinque cum staminibus alternantibus instructo subsessile, liberum, longe ellipsoideum, cylindraceo-compressiusculum, bilineale, in faciebus planiusculis medio juxta axim longitudinaliter sulco impressum, angulis convexiusculis, acutiusculis anceps, glabrum, basi rotundatum, apice parum attenuato in *stylum* teretem, filiformem, germinis fere longitudinem attingentem et stamina vix superantem, una cum ovario sursum paulo incurvum, glabrum, apice *stigmate* oblique depresso simplicissimo terminatum continue transiens; intus e semiseptis parietalibus in axi contiguis biloculatum, septis in marginibus utrinque loculum spectantibus parum prominulis, et juxta axim decurrentibus alternatim ovuliferis. *Ovula* funiculo brevissimo introrsum curvato suspensa, subglobosa, basi cordato-emarginata, prominentia una umbilicali funiculo affixa, altera ad latus extrorsum prope umbilicum micropylen aperiente, anatropa, utrinque in loculo uniseriata, horizontalia, 12-16. *Fructus* stipite brevissimo e receptaculo floris superstite suffultus, capsularis, nutans. *Capsula* longe ovoidea vel ellipsoidea, cylindraceo-compressiuscula, in faciebus planioribus medio juxta axim sulco longitudinali impressa, angulis obtusiusculis fere anceps, basi rotundato-cordiformi, apice styli basi persistente coronata, glabra, coriaceo-membranacea, olivaceo-spadicea, nitida, intus biloculata, polysperma, maturitate, primo loculicide ab apice ad medium semi-bivalvata tandem septifrage complete bivalvis, valvis in semiseptorum nunc hiantium et marginalium marginibus introrsum prominulis cavum loculorum spectantibus utrinque seminiferis. *Semina* funiculo vix ¼ lineali corrugato suspensa, subglobosa, mutua pressione angulata, diametro lineali, purpurascentia, laevia,

nitida, raphe brevi ab umbilico axim capsulae versus horizontaliter per quadrantem circumferentiae seminis producta, parum tumida, integumento communi seminis concolori obducta, intus cava, fasciculum vasorum tela cellulosa continentium in filum tenuissimum corrugatum includente, ad chalazam in placentulam orbicularem vasis pertextam ampliata. Integumentum commune seminis sive *testa* e strato cellularum crassarum simplici, coloris profunde umbrini, tenerum, opacum, sat durum, adnatum strato cellularum teneriore, transparente, pallidi coloris. *Nucleus* membrana tenerrima, transparente, tandem a chalaza soluta involutus. *Albumen* subglobosum, ad chalazam complanatum, integrum, solidum, durum, corneum, coloris lactei, ad micropylen parum impressum, intus cavitatem ellipsoideam, vix $^1/_{200}$ albuminis consumentem, undique clausam et embryonem includentem continens. *Embryo* in fundo cavitatis situs, sacculo proprio tenerrimo pellucido inclusus, ovalis, complanatus, vix $^1/_{600}$ lineae permetiens, basi attenuata micropylen versus umbilicum spectans, apice obtuso, coloris lactei, simplex, mere cellulosus.

5. **Marianthus angustifolius** *Putterl.* ramis erecto-patentibus, rectis, virgatis, plus minus fastigiatis, glaberrimis, foliosis; foliis subsessilibus, fere linearibus, 1-1⅓ uncialibus, latioribus ad 2 lin. latis, a medio basin versus sensim angustatis, superne marginibus parallelis apice brevissime acuto, apiculatis, integerrimis, planis, laete viridescentibus, infra pallidioribus, glaucescenti-nitentibus, glabris, erecto-patentibus, pedunculis ramulos annotinos continue terminantibus, solitariis, folia suprema superantibus, filiformibus viridescentibus, glabris erectis, superne cymoso-ramosis, paucifloris; pedicellis simplicibus, bi-trifidisve, erectis, floribus speciosis, 5 linealibus, campanulatis; calycis foliolis subulato-acuminatis, dorso pubescentibus; petalis violaceo-coeruleis, ungue saturatiore; fructibus . . . . .

Habitat in Australiae austro-occidentalis Colonia Swan-River (Nov. 1840. (Drummond) 1839. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1287.

Suppetunt specimina tria, unum tantum suprema radicis defractae parte adhuc instructum, *trunco* cylindrico, bipedali et altiore, inferne vix penna corvina crassiore, superius sensim attenuato, cortice rufescente, longitudinaliter rugoso, nitido, in ramulis pallidiore vestito, ligno denso, duro, albido praedito. *Rami* ex axillis foliorum persistentium jam a basi, vix pollicem ultra radicis initium, egredientes, inferiores distantia circa pollicari alternatim dissiti, superiores sensim magis approximati, pedales et longiores, plurimi apicem trunci attingentes, filo emporetico vix crassiores, plerumque simplices, rarius inferiores apicem versus ramulosi, erecto-patentes, superiores fere cum trunco erecti, stricti, virgati, a basi foliosi, apice floriferi. *Folia* solitaria, alternatim in ambitu ramorum dissita, subsessilia, fere linearia, 1-1⅓ uncialia, ad 2 lin. lata, superiora angustiora, a medio versus basin sensim angustata, superne marginibus integerrimis parallelis apice brevissime cuspidato apiculata, apiculo plus minusve oblique recurvo, plana, margine paulo crassiore obtusiusculo tenuissime marginata, nervo mediano pallidiore infra in basi paulo prominente perducta, venulis lateralibus horizontalibus et anastomosantibus nonnisi in foliis adultioribus conspicuis intra marginem arcuatim connexis, laete viridia, subtus pallidiora, glaucescenti-nitentia, sempervirentia, glaberrima, erecto-patentia. *Pedunculi* ramulos annotinos continue terminantes, solitarii, teretes, folia suprema plerumque superantes, erecti, sparsim pilosi, superne cymoso-ramosi, pe-

dicellis 4-6 linealibus, filiformibus, longitudinaliter sulcatis, adpresse pilosis, erecto-patentibus, basi bracteola subulata vix lineali pubescente suffultis, apice in receptaculum floris paulo ampliatis, simplicibus vel superius bi-trifidis, ramulis bracteola conformi suffultis. *Flores* campanulati, 5 lineales, erecti. *Calycis foliola* 5, hypogyna, distincta, margini extimo receptaculi floris conici adnata, e basi ovata subulato-acuminata, sesquilinealia, basi latiore ⅓ lin. lata, dorso convexiuscula, ibique et marginibus pilosa, aestivatione marginibus imbricata, sub anthesi patentia, persistentia. *Corollae petala* 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, in receptaculo superius adnata, distincta, spathulata, 5 linealia, aestivatione convoluto-imbricata, sub anthesi unguibus ½ lin. latis marginibus involutis canaliculatis, vix trientem petali attingentibus, intense violaceis in tubum conniventibus, laminis 1½ lin. latis, obovatis, planis, apice brevissime cuspidato apiculatis, patentibus apice reflexo, laete violaceis, una cum ungue venis 3 saturatioribus parallele longitudinalibus, et venulis horizontalibus praecipue marginem versus anastomosantibus perductis. *Stamina* 5, hypogyna, petalis alterna, distincta, in alabastra petalis dimidio breviora, sub anthesi ⅔ petalorum attingentia, tubum floris superantia; *filamentis* subulatis, intus extusque canaliculatis, tetrapteris, albidis, rectis, post anthesin paulo extrorsum curvatis, apice antheriferis; *antheris* ovatis, obtusis, luteolis, baseos emarginatae dorso affixis, intus biloculatis, loculis superne contiguis, connectivo adnatis, inferne parum distantibus, longitudinaliter introrsum dehiscentibus; *pollinis granulis* globoso-triedris, luteolis farctis. *Ovarium* stipite brevissimo glandulis 5 cum staminibus alternantibus instructo apice coni receptaculi floris insidens, longe ellipsoideo-compressiusculum, lateribus convexiusculis medio juxta axim impressum, obtuse anceps, glabrum, superne in *stylum* teretem, filiformem, ovario dimidio breviorem, et stamina aequantem, glabrum, apice *stigmate* obtuse bilobo papilloso terminatum continue transiens; intus biloculatum e semiseptis in axi contiguis et marginibus utrinque loculum spectantibus duplicatis alternatim ovuliferis. *Ovula* funiculo brevissimo extrorsum curvato suspensa, subglobosa, horizontalia, anatropa, micropyle ad latus externum prope umbilicum aperta, uniserialia, 8-10 in quovis loculo. *Fructus* . . . . .

CHEIRANTHERA All. Cunningh. Meisn. gen. pag. 66. (48.) Endl. gen. n. 5665.

1. **Cheiranthera? Preissiana** *Putterl.* ramis filiformibus, flexuosis, volubilibus, junioribus pilis canis deorsum directis dense pubescentibus; foliis alternis, brevissime petiolatis, ovatis vel ovalibus vel oblongo-ovalibus, utrinque rotundatis, apice praeterea emarginatis, planis, margine integerrimo revolutis, utrinque pilis canis patentibus dense villosulis, junioribus in axillis adultiorum fasciculatis, erecto-patentibus; pedunculis ex axillis ramulorum et foliorum axillaribus et ex apice ramulorum annotinorum terminalibus, filiformibus, foliis multo longioribus, simplicibus, junioribus patenti-pilosis, adultis calvis; floribus . . . .; ovario longe-ellipsoideo, cylindraceo-compressiusculo, basi in stipitem brevissimum, receptaculo floris superstite insidentem contracto, faciebus planiusculis medio juxta axim sulco longitudinali impresso, angulis obtusiusculis subancipiti, glabro, apice in stylum teretem, filiformem, sursum incurvum, stigmate obtuso, truncato terminatum continue transiente, intus

biloculato, loculis multi-ovulatis (12-16), ovulis in loculo uniseriatis; fructibus . . . .

In Australiae austro-orientalis rupestribus montis Currie prope oppidum York, die 15. Aprili 1840. Herb. Preiss. No. 1291.

Planta deficientibus floribus et fructibus ex ovarii unici foecundati, parum evoluti, solummodo superstitis et ovulorum constructione certe Pittosporearum familiae civis, quoad genus quidem dubia; at habitu universali et reliquorum partium conformatione cum duabus speciebus novis, exacte *Chetrantherae* generis, ab J. Drummondio 1839 floriferis et fructiferis in eadem colonia collectis, etiam inflorescentia et ovarii constructione quam maxime congruens, et cum nullo alio Pittosporearum genera, excepto forsan genere *Billardiera*, quod vero ovariorum constructione et fructibus pendulis, non erectis, recedit, magis convenit.

Frutticuli 4-6 pedalis, in vicinis plantis lubenter scandentis, *ramulos* video teretes, adultiores vix penna corvina crassiores, plurimos filum emporeticum crassitie vix superantes, longissimos, tripedales et longiores, flexuosos, volubiles, cortice laete ferrugineo, spiraliter rugoso-striato, glabro, laevi, nitido vestiti, superius epidermide tenuissime membranacea, pilis mollibus, canis, deorsum directis obsita et hinc inde a cortice soluta, sed ramulos adhuc interruptim amplectente instructos, superne epidermide adhuc integra et pilis mollibus, canescentibus, deorsum directis densissime canovillosos, foliis alternatim, basi distantia circiter bipollicari, superius sensim decrescente, dissilis, apicem versus in axillis ramorum fasciculatis. *Folia* brevissimo petiolo infra convexiusculo, supra canaliculato patenti-villoso insidentia, ovata, ovalia, vel oblongo-ovalia, 3-4 linealia usque pollicaria, 2-6 lin. lata, plana, utrinque rotundata, apice praeterea acute emarginata, margine integerrimo revoluta, in sicco convoluta, laete luteo-viridescentia, subtus pallidiora, utrinque pilis mollibus, canis patentissimis, praecipue juniora dense incano-villosa, patentia vel erecto-patentia, persistentia. *Ramuli* ex axillis foliorum egredientes, e gemma, bracteis minimis ovatis, acutis, dorso convexiusculis margineque breviter pilosis, intus cavis glaberrimis, primo marginibus sese imbricatim tegentibus, conniventibus, serius patentibus, et primo in sinu pedunculum unum alterumve ima basi bracteolis 1-2, minimis suffultum exserens, tandem in ramulum foliiferum, ex axillis foliorum hinc inde iterum pedunculum solitarium emittentem, et apice in pedunculum solitarium terminante proveniunt. *Pedunculi* simplices, teretes, filiformes, foliis multo longiores, 1-2 pollicares, apicem versus in receptaculum floris sensim ampliati, pilis mollibus, canis horizontaliter-patentibus dense incano-villosi, adulti calvescentes, erecto-patentes, recti vel apice parum nutantes. *Flores* et *fructus* omnes delapsi. *Ovarium* foecundatum unicum superstes, basi attenuata in receptaculo floris superstite, convexiusculo et medio impresso fere subsessile, longe ellipsoideum, cylindraceo-compressiusculum, 4 lineale, diametro latiore transversali $^2/_3$ lin., angustiore $^1/_3$ lin. latum, in faciebus planiusculis medio juxta axim sulco longitudinali impressum, parum inclinatum, angulis exterioribus obtusiusculis stria suturali medio longitudinaliter insignitis fere anceps, glabrum, apice attenuato in stylum teretem, filiformem, sursum tenuiorem, ovario fere duplo breviorem, lateribus utrinque sulco ex ovario continue decurrente exaratum, apice stigmate obtuse convexiusculo, obsolete bilobo terminatum, glabrum, parum inclinatum, persistentem continue transiens; intus e semiseptis in axi contiguis et cohaerentibus biloculatum, loculis multiovulatis. *Ovula* in marginibus semiseptorum juxta axim capsulae contigue parallele decurrentibus et in loculos utrinque prominentibus funiculo brevissimo, albido, corrugato alternatim, mox ex uno mox ex altero margine egrediente suspensa, subglobosa, diametro semilineali, mutua pressione angulato, basi emarginato-cordata, torulo uno umbilicali funiculo adhaerentia, altero micropylen prope umbilicum ad latus externum constituente; *raphe* ab umbilico introrsum horizontaliter per quadrantem circumferentiae ovuli producta, parum tumida, testa communi obducta, in

regione chalazae paullo ampliata; intus nuclei loco in cavo sacculum albidum corrugatum, chalazae adhaerentem et contractum includentia.

SOLLYA Lindl. Meisn. gen. pag. 66. (47.) Endl. gen. n. 5666.

Billardierae spec. Labillardiere.

Labillardierae spec. Roem. et Schult.

1. **Sollya heterophylla** *Lindl.* Suffrutex 2-4 pedalis, ramulis volubilibus; foliis alternis, oblongo-ellipticis, primariis serrato-dentatis, serioribus integerrimis, supremis linearibus; pedunculis solitariis in ramulis annotinis ex axi foliorum supremorum axillares vel terminales superne in cymam 5-9 floram divisis; floribus nutantibus, coeruleis; fructibus longe cylindraceis baccatis pendulis. — Lindl. Bot. Reg. 1831. t. 1466. Don in Sweet Flow. Gard. t. 232. Loddiges Bot. Cab. t. 1795. Hooker in Bot. Mag. t. 3523. Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 9. Putterlick Synops. Pittosp. 25.

   Sollya angustifolia Lindley in Bot. Reg. 1831. sub n. 1446. et 1840. n. 3. n. 1466.

   Sollya linearis Lindley in Bot. Reg. 1840. t. 3.

   Billardiera fusiformis Labillardiere Nov. Holl. pl. spec. I. 65. t. 90. Dryander in Ann. of Botany II. 515. Decand. Prodr. I. 345. Spreng. Syst. veg. I. 792. Don. Gen. Syst. 373. Confr. Hook in Comp. to the Bot. Mag. II. 63.

   Labillardiera fusiformis Roem. et Schult. Syst. veg. V. 330.

   Crescit in Australiae insulae Van Diemen, (Jan. 1793. Labillardiere! ex sched. specim. authent.) Dec. 1804. (Ferd. Bauer) in Australiae ora orientali prope Sydney, Illawara (Dec. Jan. 1803 Ferd. Bauer); (1833. L. B. ab Hügel); in ora austro-occidentali ad sinum regis Georgii (1822 All. Cunningham, Baxter, 1833. L. B. ab Hügel); in colonia Swan-River prope Freemantle (Jan. 1834. L. B. ab Hügel); (1839. J. Drummond); in calcareis declivium montis Baldhead, 16. Oct. 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1289; in interioribus continentis a promontorio Leschenault ad King George's Sound (1842. J. S. Roe).

PRONAYA Hügel. Endl. gen. n. 5667. Meisn. gen. pag. 348.

Spiranthera Hooker in Bot. Mag. sub n. 2523, non A. St. Hilaire.

Campylanthera Hooker Icon. pl. I. 82, non Schott.

Billardiera spec. Decand. Prodr. I. 345.

1. **Pronaya elegans** *Hügel.* ramis erecto-patentibus, volubilibus, junioribus pilis erectis adpressis incano-pubescentibus; foliis brevipetiolatis, lanceolatis vel oblongo-lanceo-

latis, sesquipollicaribus, ad 4 lin. latis, breviter cuspidatis, superioribus brevioribus et angustioribus, planis, margine integerrimo revolutis, laete viridescentibus, subtus concoloribus, junioribus subtus pilis canis adpressis sparse pilosis, supra glabris, adultis calvis, erecto-patentibus; pedunculis terminalibus erectis, brevissimis, vix interdum semipollicaribus, superne alternatim ramosis et una cum ramulis simplicibus vel bi-trifidis basi bracteatis in cymam multifloram vix folia superantem dispositis, pilis adpressis sericeo-incanis; floribus campanulato-patentibus, 5 linealibus, erectis; calycis foliolis subulatis, laete viridibus pilis adpressis sericeo-pubescentibus; petalis spathulatis ungue brevi angustioribus, lamina latiora acuminatis, intense violaceo-caeruleis; antheris sagittiformibus, post anthesin spiraliter revolutis; fructu baccato, oblongo-cylindraceo, fusco-virescente. — Hügel in Bot. Archiv. 6. Endl. Enum. pl. Hügel 9. Putterlick Synops. Pittosp. 26. Walpers Repertorium 257.

Spiranthera Fraseri Hooker in Bot. Mag. sub n. 2523.

Campylanthera Fraseri Hooker Icon. pl. I. tab. 82.

Habitat in Australiae austro-occidentalis colonia Swan River (Fraser; 1833, L. B. ab Hügel; 1839. Drummond); in arenosis sylvae prope oppidum Perth, 20. Jan. 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1284.

Frutex 2-3 pedalis, ramis volubilibus in vicinis plantis scandens; *floribus* speciosis, intense violaceo-coeruleis onustus.

2. **Pronaya Hügeliana** *Putterl.* ramis erecto-patentibus, longissimis, volubilibus, apicem versus confertim foliatis, junioribus pilis deorsum adpressis pubescentibus; foliis subsessilibus vel brevissime petiolatis, inferioribus spathulatis vel obovatis vel ovalibus, obtusiusculis, semipollicaribus usque pollicaribus, 2-3 lin. latis, margine hinc inde denticulatis, superioribus lanceolatis vel oblongo-lanceolatis, sesquipollicaribus, apicem versus longitudine decrescentibus, 2-3 lin. latis, integerrimis, omnibus margine tenuissime revolutis, secus planiusculis, obscure viridibus, subtus pallidioribus et pilis longis, canis villosulis, supra pilis brevibus strictis tuberculo insidentibus pilosis, erecto-patentibus; pedunculis in ramulis terminalibus, et in ramulis lateralibus foliatis ex axillis foliorum superiorum emergentibus terminalibus, subsessilibus, vel brevissimis vix 1-2 linealibus, superne ramosis, ramulis bi-trifidis in cymam densifloram, multifloram, (10-24-floram,) folia vix superantem congestis, dense villosis; floribus campanulato-patentibus, 5 linealibus, erectis; calycis foliosis subulato-acuminatis, dorso purpurascentibus, dense villosis; corollae petalis spathulatis, lamina latiore acuminato-apiculatis, laete caeruleis; antheris ovatis, post anthesin apice reflexis; fructu baccato, sicco, obovato-cylindraceo, utrinque compressiusculo, rugoso, fusco-viridi.

In Australiae orientalis montibus sic dictis caeruleis et in montanis prope Illawara (1833. L. B. ab Hügel); in solo turfoso inter frutices densos ad littora portus Princess Royal Harbour 20. Dec. 1840. L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1296.

Frutex 3-4 pedalis, *ramis* longissimis, volubilibus in vicinis plantis scandens. *Rami* teretes, robustiores pennae corvinae crassitie, cortice rufo-purpurascente longitudinaliter et spiraliter rugoso-striato, glabro, laevi, nitido vestiti, superne pilis deorsum directis pubescentes et confertissime foliati. *Folia* subsessilia vel brevissime petiolata; *inferiora* spathulata, obovata vel ovalia, vix semipollicaria, ad 3 lin. lata, obtusiuscula vel apice brevi-cuspidato brevissime apiculata, margine hinc inde denticulo uno alterove instructa; *superiora* lanceolata, vel oblongo-lanceolata, sesquipollicaria, apicem versus sensim breviora, pollicaria, 2-3 lin. lata, integerrima, omnia marginibus tenuissime revoluta, secus planiuscula, obscure e luteo-viridia, subtus pallidiora et pilis longis canis adpressis villosula, supra pilis brevibus strictis, tuberculo insidentibus, patentibus pilosa, nervo longitudinali subtus prominente percursa, lateralibus saturatioribus tenerrimis horizontalibus inferne vix parum conspicuis, erecto-patentia vel patentia. *Pedunculi* brevissimi, fere subsessiles, vix interdum in ramis supremis foliis longiores, superne alternatim ramosi, ramulisque brevibus, basi bracteolis subulatis suffultis, bitrifidis in cymam densifloram, 12-24 floram, folia suprema raro superantem congestis, dense villosis, erectis. *Flores* campanulato-patentes, 5 lineales, erecti. *Calycis foliola* e basi latiore subulato-acuminata 2-3 linealia, dorso convexiuscula et purpurascentia, intus excavata, utrinque villosa, aestivatione marginibus imbricata, sub anthesi patentia, persistentia. *Corollae petala* spathulata, 5 linealia, basi ungue vix trientem petali consumentis, angustioris, lineam latis, marginibus involutis canaliculato, albido in tubum conniventibus, laminis ad 1½ lin. latis patentibus cuspidato-apiculatis apice reflexis, laete coerulea, venis tribus parallelis longitudinaliter perducta. *Stamina* in tubum conniventia, illumque floris parum superantia. subaequalia; *filamentis* e basi latiore intus canaliculata, dorso convexiuscula subulato-filiformibus, albidis, apice antheriferis; *antheris* ovatis, obtusis, baseos emarginatae dorso affixis, albidis, biloculatis, loculis superne contiguis, connectivo adnatis, basi divergentibus, longitudinaliter introrsum dehiscentibus, pollinis granulis globoso-triedris, albis farctis, erectis, demum retrorsis, apice reflexis. *Ovarium* basi attenuata in receptaculo subsessile, ellipsoideum, cylindraceo-compressiusculum, adpresse pilosum, apice in stylum teretem, brevissimum vix ½ linealem, rectum, stigmate convexiusculo medio impresso papilloso terminatum glabrum continue transiens, intus e semiseptis in axi contiguis biloculatum, marginibus septorum juxta axim contigue decurrentibus et in loculos utrinque paulo prominulis alternatim et biseriatim ovuliferis. *Ovula* funiculo brevissimo suspensa, subglobosa, mutua pressione tandem complanata, diametro vix semilineali, horizontalia, anatropa, 16-24 in quovis loculo, plurima abortiva, in liquore resinoso, spisso, suave aromatico nidulantia. *Fructus* in receptaculo floris basi calycis foliolis basibus superstitibus amplexus sessilis, obovato-cylindraceus, utrinque compressiusculis, 6 linealis, apice attenuato emarginato stylo brevissimo superstite coronatus, superficie rugulosus, glaber, fusco-virens, baccam exsuccam, sat duram constituens, intus semiseptis in axi contiguis et connatis utrinque seminiferis biloculatus, pleiospermus. *Semina* in quovis loculo uniseriata, pauca, vix 3-4 evoluta, reliquis abortivis, in succo inspissato denso duro, albido interstitia loculorum explente nidulantia, subglobosa, diametro lineali, horizontalia raphe laterali brevi, testa purpurea, glabra, rugulosa, nitida vestita. *Embryo* in fundo albuminis totam fere seminis molem occupantis, solidi, durioris, coloris lactei prope umbilicum minimus, orthotropus, incompletus, mere cellulosus.

POLYGALEAE Juss.

(Auctore E. T. Steudel.)

COMESPERMA Labill. Endl. gen. n. 5649. Meisn. gen. pag. 23. (20.)

§. 1. Erectae.

α. Foliis angustissimis subconvolutis vel linearibus.

* *Bracteis (in omnibus demum deciduis) ante anthesin flores superantibus.*

1. **Comesperma longifolia** *Steud.* caule (basi) frutescente ramoso vel subsimplici glabro sursum diviso racemifero; foliis sparsis non approximatis linearibus angustissimis margine revolutis elongatis (pollice longioribus) acutiusculis glabris; racemis elongatis multifloris laxis, bracteis setaceis flores (nondum evolutos) superantibus, labio medio acuto integro lateralibus breviore. ♄

In arenosis sylvae prope Limekiln districtus Perth, 29. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2359.

Radix valida, crassa, perpendiculariter descendens, parce fibrosa; *caulis* basi suffrutescens, divisus vel simplex, inferne cicatricibus foliorum notatus, teres, uti tota planta glaberrimus, mox foliatus, sursum in ramulos racemiferos divisus; *folia* sparsa, angustissima, pollicaria et ultra, patentia, subarcuata, margine revoluto carinata, linearia, apice acutiuscula, basi in petiolum brevissimum attenuata; *ramuli* in apice caulis subumbellato-aggregati, basi foliati, mox racemiferi; *racemi* inaequales, fructiferi demum elongati (3-7 pollicares) simplices; *flores* in pedicellis 1½ lineas longis; *bracteae* tenuissime setaceae; *fructus* basi in stipitem attenuati, apice ad latera obtusi, medio breviter mucronulati, *semina* unilateraliter membranula pellucida tenui marginata.

2. **Comesperma corniculata** *Steud.* caule erecto fruticuloso glaberrimo vix striato tereti inferne cicatricibus foliorum deciduorum notato caeterum nudo, superne ramoso; ramis angulatis foliatis; foliis sparsis in ramulis confertioribus linearibus margine revolutis abbreviatis (4-6 lineas longis) obtusiusculis; racemis terminalibus, bracteis setaceis; alis corollam superantibus lobo corollae medio postice corniculato. ♄

In glariosis sylvaticis circa Wuljenup ditionis Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. 2360.

Radix subsimplex fibris tenuibus; *caulis* fruticulosus, teres, sursum cum ramulis angulatus; *ramuli* sparsi vel subumbellato-congesti; *folia* linearia, margine subrevoluto, bisulcata, 4-6 lineas longa, unam lata, basi in petiolum

brevem crassiusculum desinentia, apice obtuse attenuato subcartilagineo; *bracteae* flores clausos duplo superantes, lanceolato-setaceae; *alae* violaceae corollam superantes; *corollae* basi violaceae apice lutescentis lobus medius dorso in corniculum brevem productus; *fructus* (immaturus) apice obtusissime truncatus.

3. **Comesperma longebracteata** *Steud.* fruticosa glabra basi simplex vel vix ramosa nuda, superne fasciculato-ramosa; ramis foliatis; foliis sparsis non approximatis anguste linearibus subtortuosis apice acutiusculis; racemis ante florescentiam comoso-bracteatis, florentibus subconferto-multifloris elongatis; alis oblongo-ovatis obtusis corollam superantibus, lobo medio subintegro. ♄

In turfosis fruticosis districtus Princess Royal Harbour, 27. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2361.

Radix simplex, descendens, fibris parvis; caulis basi suffrutescens, teres, simplex vel in *ramos* aliquot divisus, nudus, 4-pedalis, glaber, sursum cicatricibus foliorum notatus, apice in *ramulos* 4-6 divisus, 6-8 pollicares, angulosos, foliatos; *folia* 4-6 lineas longa, semilineam lata, sparsa, linearia, subtortuoso-flexa, obtusiuscula, in pedicellum brevem attenuata; *racemi* simplices, ante florescentiam conspicue comoso-bracteati; *bracteis* in floribus vix evolutis jam deciduae; *flores* albo-violacei; *fructus* . . . . .

4. **Comesperma rosea** *Steud.* caule erecto stricto glaberrimo striato basi nudo simplici tereti superne ramoso, ramis foliatis; foliis sparsis remotiusculis anguste linearibus margine subrevolutis apice obtusiusculis; racemis terminalibus ante florescentiam longe comoso-bracteatis; florentibus laxiusculis; alis corollam superantibus, lobo medio vix emarginato. ♄

In humoso-arenosis depressis umbrosis prope Monger'slake, 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2363.

Radix fibrosa, fibris albidis tenuibus; *caulis* simplex, erectus, strictus, teres, 4-5-pedalis, per ¾ longitudinis efoliatus vix hinc inde cicatrice folii elapsi notatus, sursum in ramulos 5-6 divisus simplices, pedales et ultra, foliis sparsis remotiusculis vestitos; *folia* angustissima, linearia, 4-6 lineas longa, semilineam lata, subarcuata erecto-patentia, basi in pedicellum brevissimum attenuata; racemi terminales, simplicissimi; *flores* in pedicellis brevibus (lineam longis); *calyx* roseus, *corolla* lutea; *bracteae* ante florescentiam corollam cum petiolo duplo superantes, lanceolato-subulatae, 3 lineas longae, post evolutionem florum deciduae; *fructus* . . . . .

5. **Comesperma megapteryga** *Steud.* caule basi ramoso, ramis paucis virgatis strictis glabris sulcatis; foliis raris angustissimis linearibus acutiusculis; racemis terminalibus ante florescentiam confertissimis, bracteis ovatis acutis flores subaequantibus, demum laxis pauci- (6-10-) floris; alis (albis) corolla (alba) longioribus ovato dilatatis corollae labio medio integro postice mucronulato. ♃ ♄

In arenosis districtus Sussex, Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2370.

Radix exilis emittens *caules* 2-3 subvirgatos, strictos, tenues, remote et rariter foliatos; *folia* angustissima, linearia, subpollicaria, plus quam longitudinem suam distantia, facile decidua; *racemi* in apice caulis abbreviati, con-

ferti, etiam post florescentiam pollice vix longiores; *bracteae* ovatae, acutae, subconcavae, flores vix aequantes; *fructus* . . . . .

6. **Comesperma aemula** *Steud.* caule basi simplici tereti superne ramoso anguloso glabro; foliis sparsis linearibus acutiusculis; racemis laxis bracteis setaceis flores superantibus cito deciduis; alis corolla (flavescente) longioribus, lobo medio integro lateralibus subbreviore.

In arenosis districtus Sussex, 19. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2371.

C. ericinae Dec. proxima sed folia non revoluta plana. ♄

Radix tenuis, simplex; *caulis* vix frutescens, basi simplicissimus, teres, 1½-2 pedalis, superne ramosus, uti rami angulatus; *ramt* subumbellato-congesti, apice raro simplices sed in ramulos racemiferos iterum divisi; *folia* vix in petiolum attenuata, nervo medio prominente plus minus utrinque sulcata, 3-5 lineas longa, vix unam lata; *racemt* laxi, vix pollice longiores, fructiferi elongati laxiores; *bracteae* flores inapertos superantes, evolutos vix aequantes; *flores* parvi, alae calycinae intense purpureo-violaceae; *corolla* apice flavescens; *fructus* apice marginibus elongatis et commissura media producta 3-dentatus; *semina* non marginata.

7. **Comesperma contracta** *Steud.* caule fruticoso glaberrimo striato tereti basi nudo superne foliato ramoso; ramis angulatis; foliis sparsis subtortis anguste linearibus margine subrevolutis apice acutiusculis; racemis terminalibus abbreviatis ante florescentiam bracteato-comosis, bracteis filiformibus; alis corollam superantibus, corollae lobo medio postice breviter corniculato antice contracto. ♄

In turfosis inter arundines ad marginem lacus prope villam Dr. Helms, districtus Perth, 24. May 1839. Herb. Preiss. No. 2373.

Caulis teres, basi simplex, cicatricibus foliorum notatus, sursum ramosus, uti rami subangulatus et foliatus; *folia* caulina lineari-lanceolata, plana, 4-6 lineas longa, ultra lineam lata, obtusiuscula, ramea angustiora, acutiora, subtorta; *racemt* abbreviati (1-2-pollicares) laxiusculi, ante florescentiam bracteis lanceolato-setaceis flores vix duplo superantibus muniti; *calycis* alae subpatentes, pallide roseae, corolla apice lutescente longiores; lobus medius postice in corniculum brevissimum productus, antice contractus, lateribus brevior et angustior; *fructus* . . . . .

8. **Comesperma tenuis** *Steud.* caule simplici vel diviso tenui glabro remote foliato; foliis anguste lanceolatis planis; racemo ante florescentiam bracteolis scariosis flores vix superantibus instructo demum laxo; floribus (albo et coeruleo-variegatis) parvis, lobo medio acuto. ♃

In subumbrosis ad Aron Dale, districtus York, 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2367.

Caulis tenuissimus, striatus, teres, simplex vel parum ramosus; parce foliatus; *folia* saepius plus quam duplam longitudinem remota, anguste linearilanceolata, sessilia; *ramt* terminales, simplices, laxiusculi; *flores* parvi; alae albo-coerulescentes, patentes, corollam concolorem aequantes; *fructus* immaturi vix in stipitem elongati, utrinque obtusi, medio mucronulati.

** *Bracteis ante anthesin flores non superantibus vel nullis.*

9. **Comesperma hirtula** *Steud.* caule basi subsimplici tereti hirsutulo superne ramoso ramis subconferto-foliatis, foliis linearibus margine subrevolutis pilis brevissimis hirsutis apice acutis, racemis (semper an demum?) ebracteatis submultifloris; floribus (carneis) subconfertis, fructibus abbreviatis. ♄

In turfosis humidis umbrosis, Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2362 et 2364.

Radix simplex, perpendicularis; *caulis* basi simplex vel ramulo uno alterove sursum inordinate ramosus; *rami* pilis brevissimis pubescentes, angulati; *folia* sparsa, ½-1 pollicem longa, margine plus minus quandoque ad costam usque revoluta, setis brevibus vix sine lentis ope conspicuis munita, apice vix cartilagineo acuta; *racemi* terminales, simplices, post florum evolutionem (juniores desunt) omnino ebracteati, laxiusculi, 1-3 pollices longi; *capsulae* apice rotundatae, medio tantum obtuse mucronulatae, glabrae; *semina* post pilos longiores delapsos membrana tenui pellucida cincta.

10. **Comesperma ramosissima** *Steud.* caule basi ramosissimo, ramis erectis teretibus adscendenti-strictis superne simplicibus vel divisis glabris; foliis sparsis remotis linearibus margine reflexis apice acutis; racemis brevibus, confertis pauci (8-12-) floris, bracteolis non prominentibus; floribus (albido-coeruleis) parvis; alis oblongis corolla brevioribus lobo medio integro.

In turfosis arenosis prope oppidulum Albany, 4. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2369.

Caulis basi ramosissimus; *rami* erecti, subvirgati, simplices vel sursum divisi, striati, subteretes; *folia* sparsa subpollicaria vel breviora longitudine sua, plus minus remota linearia, apice vix cartilagineo-acuta basi sessilia, suberecto-patentia quandoque subtorta; *racemi* in apice ramorum brevissimi, pauci- (10-12-) flori, bracteolae nunquam exsertae; *flores* parvi, *ala* et *corolla* coeruleo-albicantes, lobo medio integro; *fructus* . . . .

11. **Comesperma xanthocarpa** *Steud.* caule a basi simplici tereti subpruinoso foliato superne ramoso glabro ramis angulatis; foliis subconfertis supremis sparsis margine revoluto subteretibus apice obtuso cartilagineo; racemis omnino ebracteatis laxiusculis obovatis; alis ovatis corollam subaequantibus lobo medio integro, capsulis elongatis flavescentibus. ♄

In subturfosis arenosis prope oppidulum Perth, 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2368.

Radix perpendiculariter descendens. parce fibrosa; *caulis* basi simplex, teres, sursum uti rami angulosus, cum his 2-3-pedalis, superne confertim ramosus; *rami* stricti, simplices vel iterum ramulosi; *folia* subconferta uti caulis subpruinoso-glauca (precina tandem evanescente), linearia, marginibus sese fere attingentibus reflexa, subpollicaria, in pedicellum distinctum brevem (lineam aequantem) desinentia, erecta, stricta; *racemi* terminales, abbreviati, vix (etiam fructiferi) pollicem excedentes; *bracteae* omnino nullae vel vix in racemis nondum evolutis conspicuae; *alae* ovatae, corollam superantes, pallide lutescentes; *corollae* flavae lobus medius integer vel vix denticulatus laterales subaequans; *capsulae* elongatae, erecto-patentes, basi valde attenuatae, flavescentes; *semina* non marginata.

12. **Comosperma laxiuscula** *Steud.* caule tereti basi simplici vel uti superne ramoso virgato glabro, ramis angulatis; foliis sparsis linearibus abbreviatis (3-5 lineas longis) deciduis; racemis terminalibus laxis plurifloris ante anthesin bracteatis bracteolis flore minoribus; alis corollam superantibus lobo medio integro. ♄

In lapidosis districtus York, 21. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2372.

Caulis 2-pedalis et ultra, basi plerumque simplex, teres, apice divisus in ramulos virgatos mox aphyllos; *folia* ramulorum parva, linearia, aucta, saepius minima, subulata, 3-5 lineas non excedentia; *racemi* terminales, laxiusculi, unciales et ultra; *pedicelli* duas lineas longi, suberecto-patentes, laxiusculi 1-1½ lineas remoti; *bracteae* subulatae, pedicellum vix aequantes, mox deciduae; *flores* pallide carneo-rubescentes, corolla ferrugineo-rufescens; *fructus* basi stipitatus, striatus, apice rotundatus, marginibus non productis, medio vix apiculatus; *semina* non marginata.

β. Foliis lanceolatis vel oboyatis-planis.

13. **Comesperma varians** *Steud.* caule basi vix frutescente ramoso vel simplici hispidulo superne glabro; foliis infimis oblongo-lanceolatis caulinis angustioribus linearibus remotis; racemis simplicibus vel paniculatis latis multifloris ante florescentiam munitis bracteolis lanceolatis acuminatis florem subaequantibus; poribus (coerulescentibus) parvis, alis corolla longioribus. ♃ ♄

In subturfosis arenosis inter frutices prope Strawberryhill, 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2365.

Caulis basi striis flexuosis tenuibus notatus, pilis brevibus rigidiusculis albidis sursum evanescentibus, scabridus; *folia* in ramulis radicalibus sterilibus oblongo-lanceolata, vix petiolulata, acutiuscula, ¾-1 pollicem longa, 2-2½ lineam lata, caulina multo minora, anguste linearia, suprema subsetacea; *racemi* terminales nunc simplices nunc paniculato-compositi; *bracteolae* ante florescentiam lanceolatae, acutae, flore nondum evoluto breviores, post evolutionem deciduae; *alae* albo-coerulescentes *corolla* apice pallide lutescente longiores; *fructus* basi stipitato-attenuatus, superne marginibus parum productis truncatus, subtridentatus; *semina* immatura non marginata.

14. **Comesperma parviflora** *Steud.* caule basi diviso foliato apice ramuloso striatulo tenuissime (sub lente) pubescente; foliis planiusculis lanceolatis tenuissime ciliolatis apice cartilagineo-mucronulatis; racemis terminalibus confertiusculis ante anthesin scarioso-bracteolatis, bracteolis flores subaequantibus serius deciduis; calycibus marcescentibus corollam (coeruleam) vix aequantibus. ♃ ♀

In calculosis montium continuorum Darling'srange districtus Perth, 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2374.

Caules e radice exili plures (2-4) 1-1½ pedales, basi pube tenui sursum evanescente muniti, stricti, simplices vel sursum ramosi, striati, teretes, foliati; *folia* sparsa infra dimidiam, superne totam longitudinem remota, plana, lanceolata, acuta, pollicaria, 1-1½ lineas lata, margine (sub lente) ciliolata; *racemi* terminales, simplices, primum conferti, breves, demum laxi, elongati; *fructus* in stipitem attenuati, apice subtruncati, obtuse tridentati.

§. 2. Volubiles vel subscandentes.

15. **Comesperma herbacea** *Steud.* caule subvolubili subsimplici vel basi ramoso tenui glabro vix ima basi fruticuloso; foliis ovato-vel simpliciter lanceolatis margine subrevolutis apice subcartilagineo mucronulatis; racemis laxis, (an semper?) ebracteatis; alis corollam aequantibus, corollae labio medio integro acuto, fructibus subflavescentibus. 4

In Australasia occid. Herb. Preiss. No. 2366.

Caulis debilis, glaber vel basi subpubescens, 1-2 pedalis; *folia* sparsa vel alterna (inferiora minora) oblongo-lanceolata vix in petiolum attenuata, ½-1 pollicem longa, 1½ lineas lata, summa anguste linearia, omnia longitudine sua vel ultra distantia; *racemi* simplicissimi, terminales, laxi, 12-20-flori; *fructus* in brevem stipitem attenuati, vix denticulati.

16. **Comesperma volubilis** *Labill.?* caule volubili striato ramosissimo glabro basi frutescente; foliis dissitis lanceolatis planis glabris; ramulis apice racemiferis abbreviatis ebracteatis laxiusculis. (Flores evoluti et semina desunt.) 4 ♄

In arenosis insulae Gnadenland, 10. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2375.

17. **Comesperma scandens** *Steud.* caule scandente profunde striato glabro ramoso, ramis sparsim dissite foliatis; foliis anguste linearibus obtusis planis; racemis terminalibus (ante florescentiam?) ebracteatis abbreviatis laxe-et pauci (6-10)-floris, corolla antice subemarginata. 4 ♄

In arenosis districtus Sussex, 25. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2376.

TREMANDREAE. R.Br.

(Auctore J. Steetz.)

TETRATHECA Smith.*) Endl. gen. n. 5644. Meisn. gen. pag. 22. (20.)

Sectio I. Eutetratheca. Filamentis crassiusculis, antheris quadrilocularibus.

a. *Subaphyllae: ramis subaphyllis, foliis minimis.*

1. **Tetratheca affinis** *Endl.* glaberrima, ramis foliaceo-compressis basi ancipitibus, foliis alternis setaceis minimis

*) Genus hoc hactenus non nisi perpaucis speciebus, floris partium structura inter se maxime affinibus compositum, detectionibus Preissianis non solum specierum numero, sed

sessilibus, pedicellis bibracteolatis axillaribus, floribus pentameris, staminibus puberulis. — Endl. in Hügel. Enumerat. pag. 7. n. 23.

In subarenosis prope oppidulum Albany, (Plantagenet) d. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1334. (Comparavi specimen Hügelianum!)

Proxima *Tetrathecae junceae* Smith. Differt vero primo intuitu: ramis magis foliaceo-compressis, floribus pentàmeris, sepalis paullo acutioribus, antheris evidenter puberulis, tubuloque antherae longitudinem aequante, qui in *Tetr. juncea* triplo brevior est.

2. **Tetratheca virgata** *Steetz.* caule a basi ramoso, ramis teretibus inferne aphyllis superne foliis alternis minimis linearibus brevissime petiolulatis vestitis, pedicellis basi bracteolatis axillaribus folia corollamque superantibus, floribus tetrameris, staminibus glabris, filamentis tubuloque antherae longitudinem aequante discoloribus, ovario cum stylo rectiusculo glaberrimo.

In limoso-calculosis inter frutices planitiei haud procul a praedio rustico Dom. Brockmann (York) d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1332, ex parte.

Fruticulus pulcherrimus, superne floribus purpureis creberrime tectus. *Caulis* pedalis et ultra, a basi ramosus. *Rami* glaberrimi, graciles, teretes, erecti, virgati, apice abortientes, inferne aphylli, leviter rugulosi. *Folia* in superiore ramorum parte alterna, arrecta, crassiuscula, brevissime petiolulata, margine revoluta, obtusiuscula, linearia, $1\frac{1}{2}$-$2\frac{1}{2}$ lin. longa, $\frac{1}{3}$ lin. lata, utrinque glaberrima, vel summo apice pilis paucissimis rigidulis brevissimis non nisi lente conspicuis conspersa, decidua. *Pedicelli* axillares, solitarii, uniflori, patenti-curvati, filiformes, apice paullo incrassati, glaberrimi, basi

---

etiam formis divergentibus adhuc incognitis auctum est: quare in sectiones distribuere coactus sum. Partium floris numerus, iam monente cl. Endlichero in Hüg. Enum. pag. 8 sub n. 24 valde inconstans est, ideoque distributionis malum principium suppeditat. Observavi enim in una eademque planta flores tetrameros et pentameros promiscue. Sed antherarum fabricam et structuram, contra cl. Endlicherum l. c., semper valde constantem reperi, neque ex his sectiones constituere dubitavi. Filamenta plerumque crassiuscula, brevissima, in unica specie filiformia sunt, in omnibus cum anthera continua. Antherae apice semper in tubulum poro terminali instructum productae sunt, qui in speciebus orae orientali Novae Hollandiae et Terrae Van Diemen indigenis hucusque notis semper brevis est, floribus tetrameris praevalentibus. In speciebus orae occidentali indigenis, quae, paucis exceptis, omnes fere floribus pentameris gaudent, tubulus plerumque longior, antherarum longitudine vel illam superans observatur, si *Tetrathecam nudam*, *Tetrathecam confertifoliam* et *Tetrathecam Preissianam* excipias. Non possum, quin pauca referam de ovulis in ovario biloculari. Cl. Endlicher l. c. signum genericum constans commemorat in *Tetratheca:* Ovula *bina* in quovis loculo, et in *Tremandra:* Ovula *solitaria*, quod equidem consentire nequeo. Creberrimis et accuratissimis summa cum patientia institutis sectionibus ovariorum plurimarum specierum, nunquam ovula bina in loculo reperire mihi contigit. Loculus semper ovulo solitario, quod sine ullo opere evolvi, totus repletus erat; abortitne forsan alterum? An plane abest? Non credo, me feliciorem fore examinando plantam vivam quam siccam, arena madida iterum mollitam. Restat denique, ut pauca dicam de indumento, in plerisque speciebus quam maxime variabili. Occurrit enim saepius una eademque species tum tota glabra, tum pubescens, tum setis validis patentibus undique obsita. Nec in ipsis florum organis indumentum semper constans est. Observavi ovarium glabrum, pubescens et imo villosum in *Tetratheca thymifolia* Smith. Quum vero formas varias in ipsa patria colligere et observare mihi non contigerit, aegre equidem ausus sum, specierum et varietatum limites strictissime circumscribere, bene conscius, singula specimina sicca non sufficere ad rem absolvendam.

utplurimum bracteola minima suffulti, in apice ramorum aggregati. *Sepala* 4 ovata, acutiuscula, lineam longa, colorata, glabra, margine leviter ciliolata, introrsum puberula. *Petala* 4 obovata, latiuscula, patentia, rosea in planta viva, (teste cl. Preissio) purpurea in sicca, basi macula atropurpurea notata, 4-5 lin. longa. *Stamina* 8, glabra, conniventia. *Filamenta* brevia, semilineam longa, crassiuscula, plano-compressa, pallida; *antherae* cylindricae, quadriloculares, atropurpureae, extrorsum rugulosae, introrsum basi ciliis paucis vix conspicuis vestitae, apice cum tubulo subaequilongo, pallido, oblique truncato, poro terminali instructo, scabriusculae. *Ovarium* sessile, glabrum, ovatum, compressum, roseum, biloculare; *ovulum* in loculis solitarium, apici appensum, caruncula subfungosa, uncinata, obtusiuscula terminatum. *Stylus* stamina vix superans, glaber, rectiusculus, vel paullisper tortus; *stigma* simplex. *Capsula* in speciminibus desideratur.

β setigera *nob.* ramis undique setis sparsis patentibus rufescentibus basi bulbosis 1-2 lin. longis vestitis.

In Australasia meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 1333.

Bina modo specimina in promtu habeo, in quibus duo tantum flores evoluti sunt, quorum alter petalis 5 staminibusque 10, sed sepalis 4, tribus regularibus, et quarto e duobus connato, apice bilobo instructus est; alter flos evolutus et omnes ceteri clausi petalis et sepalis 4, staminibusque 8 gaudent. Varietas haec praeter setas non differt a specie primaria, nisi statura paullo humiliori, ovario apice obtusiori, styloque paullo longiore et magis torto. *Folia*, *pedicelli*, *calyces* et *ovaria* aeque glabra sunt, et setae non nisi caule ramisque insident.

3. **Tetratheca nuda** *Lindl.* glaberrima, caule subsimplici parce ramoso, ramis teretibus junceis subaphyllis, foliis rarissimis linearibus minimis in petiolum brevissimum attenuatis deciduis, pedicellis sparsis basi bracteolatis axillaribus corollae longitudine, floribus pentameris, staminibus glabris, filamentis tubuloque antherae triplo breviore concoloribus, ovario hirsuto, stylo recto basi hirsutiusculo apice glaberrimo. — Lindl. Swan River pag. XXXVIII n. 186.

In Australasia leg. cl. Preiss, sed ubinam? et quando? Herb. Preiss. No. 1332 ex parte. *)

Obiter inspecta *Tetrathecae virgatae* habitum prae se ferens, propter stamina propius ad *Tetrathecam junceam* Smith accedit, a qua vero primo vultu differt: ramis teretibus, floribus pentameris, ovario hirsuto, foliisque in petiolum brevissimum attenuatis. Filamenta et antherae cum tubulo fere eadem ac in *Tetratheca juncea*, sed concoloria nigra, quum in hac tubulus purpurascat. A *Tetratheca virgata*, quacum statura, caulibus teretibus apice abortientibus et foliis petiolulatis convenit, recedit: Caulibus simplicibus, hinc inde non nisi ramum unum alterumve junceum elongatum agentibus, foliis rarioribus margine non revolutis, floribus pentameris, pedicellis duplo brevioribus minus aggregatis hinc inde sparsis, praesertim vero ovario hirsuto staminibusque totis diversis: tubulus enim brevissimus, anthera triplo vel quadruplo brevior, concolor. — Quoad stamina planta haec et sequens ad species orae orientali et australi Novae Hollandiae indigenas approximat; ceterae species collectionis Preissianae hujus et sequentis sectionis tubulis antheram aequantibus vel superantibus instructae sunt.

*) In collectione Preissiana planta haec cum *Tetratheca virgata* plane confusa est. Exemplaria quae cl. Preiss sub No. 1332 ad examinandum et definiendum designavit, sunt *Tetratheca virgata*; ea vero, quae pro herbario meo sub eodem numero mecum communicavit, sunt *Tetratheca nuda* Lindl.

b. Foliatae: ramis densius foliatis.

4. **Tetratheca confertifolia** *Steetz.* caule simplici vel ramoso tereti hispidulo dense foliato, foliis alternis vel oppositis vel verticillato-aggregatis sessilibus linearibus obtusiusculis margine revolutis hispidis, pedicellis axillaribus folia longe superantibus in apice ramorum aggregatis hispidulis, floribus pentameris, tubulo anthera breviore, ovario ovato hispidissimo, stylo rectiusculo basi hispidulo apice glabro.

In confragosis montium continuorum Darling's-range, (Perth) d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1328, et in regionibus interioribus Australasiae meridionali-occidentalis. No. 1329.

Fruticulus. *Caulis* simplex vel supra basin ramosus, cum *ramis* teres, setis minimis subappressis hispidulus, dein glabratus et propter folia delapsa cicatricibus tectus, ½-1 pedalis. *Folia* conferta, approximata, alterna vel opposita vel subverticillata, arrecta, sessilia, basi attenuata, linearia, integerrima, obtusa, crassa, margine revoluta, utrinque hispidula, et supra, praesertim margine, setis validioribus, rigidulis, patentibus, basi bulbosis onusta, uninervia, nervo supra vix impresso, subtus valido, prominulo, hispido, 3-6 lin. longa, ½-1 lin. lata. *Pedicelli* in apice ramorum axillares, solitarii, aggregati, uniflori, patentes, hispiduli, pollicares, fructiferi apice nutantes. *Sepala* 5 lanceolata, acuta, 1½ lin. longa, setoso-hispidula, plerumque reflexa. *Petala* 5 obovata, patentia, sepalis duplo majora, ante anthesin albida, dein purpurea, basi macula atropurpurea notata. *Stamina* 10 conniventia; *filamenta* brevia, ½ lin. longa, crassiuscula, parce puberula, et cum antheris earumque tubulo concoloria, atropurpurea; *antherae* cylindricae, quadriloculares, in tubulum ipsis paullo breviorem, oblique truncatum, poro terminali instructum productae, rugulosae, glabrae, vel introrsum ciliis paucis, lente vix conspicuis, puberulae. *Ovarium* sessile, ovatum, subcompressum, biloculare, hispidissimum. *Stylus* stamina paullo excedens, rectiusculus, vix tortus, basi latiore sensim attenuatus, medio tenus hispidulus, apice glaberrimus, utrinque longitudinaliter sulcatus, simplex, vel, sicuti in floribus binis observavi, secundum sulcum bifidus. *Stigma* simplex. *Capsula* obovata, compressa, basi attenuata, apice emarginata, utrinque longitudinaliter sulcata, hispidula, 2-2½ lin. longa, 1½-2 lin. lata.

Specimina sub No. 1329 ab illis sub No. 1328 dimissa nulla nota differunt, nisi foliis paullo minoribus. Flores nondum evoluti, solito more, petalis albis gaudent.

5. **Tetratheca setigera** *Endl.* caule parce ramoso tereti, ramis setigeris, foliis alternis oppositis subverticillatisve ovato-oblongis grosse paucidentatis subtus glabriusculis supra setoso-strigosis, pedicellis axillaribus gracilibus folia superantibus apice setulis hinc inde conspersis vel glabris, floribus pentameris, petalis obovatis patentibus purpureis basi concoloribus, filamentis brevissimis vix ullis, antheris cum tubulo ipsis paullo longiore apice pallido, ovario ovato styloque recto, glaberrimis. — Endl. in Hügel. Enumerat. pag. 8. n. 24.

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad Stirling's-Terrace, (Plantagenet) d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1326. (Comparavi specimen Hügelianum!)

Specimen unicum mihi obvium nulla linea ab Hügeliano differt, sed antheras, quarum permultas secui, semper *quadriloculares* inveni. Cl. End-

licher l. c. eas biloculares observavit. Hujus speciei varietas memorabilis occurrit:

β elongata *nob.* caulibus elongatis virgatis, pedicellis gracilioribus glaberrimis, petalis purpureo-roseis, antherisque cum tubulo apice pallido multo brevioribus.

In subarenosis sylvae ad fluvium Canning, (Perth) mense Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1322.

Fruticulus *radice* lignosa, multicauli. *Caules* graciles, elongati, virgati, hinc inde *ramos* subsimplices apice abortivos agentes, 2-3½ pedales, minus strigosi quam in specie primaria. *Pedicelli* basi bracteolis plerumque binis suffulti, gracillimi, glaberrimi, setulis plane destituti, 5-8 lin. longi. *Petala* 5 obovata, patentia, purpureo-rosea, basi concoloria. *Stamina* 10, glaberrima. *Filamenta* brevissima vix ulla; *antherae* cylindricae, quadriloculares, atropurpureae, cum tubulo ipsis paullo longiore, lurido, apice flavescente, oblique truncato et poro terminali instructo, levissime rugulosae, vix 1½ lin. longae. (In specie primaria 2 lineares.) *Ovarium* sessile, ovatum, roseum, cum stylo recto, filiformi, basi roseo, apice flavescente, stamina paullo superante, glaberrimum; *ovulum* in loculis solitarium. *Folia* et *sepala* a specie primaria non differunt. Specimina fructifera non suppetunt. — Forma quidem insignis, quoniam transitus nullos detexi, attamen verisimiliter nil nisi mera varietas, orta in loco natali diverso.

Obs. Ovarium unicum trigonum, loculis tribus instructum observavi; cetera compressa, bilocularia inveni.

6. **Tetratheca gracilis** *Steetz.* caule gracili erecto ramoso hinc inde setis raris consperso ceterum glabro, foliis ternatim verticillatis subsessilibus lineari-lanceolatis margine revolutis utrinque glabris internodiis multoties brevioribus, pedicellis axillaribus folia longe superantibus filiformibus glaberrimis ebracteolatis, floribus pentameris, filamentis brevibus pallidis, antheris cum tubulo atropurpureis scabris, ovario obovato apice subemarginato glaberrimo, stylo .....

In subarenosis sylvae ad fluvium Serpentine-River, (Murray) d. 5. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1335.

Suffruticulosa. *Caules* plures graciles, erecti, ramosi, fere pedales, et cum *ramis* arrectis teretes, rugulosi, glabri, vel setis patentibus, rufescentibus, basi bulbosis hinc inde, praesertim sub foliorum verticillis, vestiti; *rami* simplices, utplurimum ternatim verticillati. *Folia* pari modo ternatim verticillata, crassiuscula, in petiolum brevissimum planiusculum attenuata, lineari-lanceolata, integerrima, apice mucronulis 1-3 minutissimis terminata vel mutica, margine revoluta, utrinque glabra, internodiis multoties breviora, 3-4 lin. longa, 1-1½ lin. lata. *Pedicelli* axillares, uniflori, filiformes, apice incrassati, glaberrimi, solitarii, oppositi vel ternatim verticillati, 7-9 lin. longi, basi bracteolis destituti. *Sepala* ovata, acutiuscula, lineam longa, glabra, ciliolata, introrsum puberula, colorata. *Petala* 5 purpureo-rosea, basi concoloria, obovata, sepalis duplo vel triplo longiora. *Stamina* 10; *filamenta* brevia, semilineam longa, ¼ lin. lata, planiuscula, pallida; *antherae* cylindricae, quadriloculares, introrsum ciliatae, cum tubulo subaequilongo (?) scabrae, atropurpureae. *Ovarium* sessile, compressum, glabrum, obovatum, apice subemarginatum, viride. *Stylus* . . . . *Capsula* obovata, subinflata, apice emarginata, utrinque longitudinaliter sulcata, 2½ lin. longa, 2 lin. lata.

Obs. Hujus pulchrae speciei exemplaria pleraque floribus carent; in altero capsula, in altero flos unicus adest, et hic insuper incompletus. Sepalorum enim duo medio tenus connata, antherarum tubuli apice corrosi sunt, et stylus paullo supra basin defractus est. Ex ulterioribus igitur observa-

tionibus patebit demum, an character de speciminibus prorsus defectis sumtus, constans sit.

Sectio II. Dithbca. Filamentis crassiusculis, antheris bilocularibus *).

7. **Tetratheca viminea** *Lindl.* caule a basi ramoso, foliis subsessilibus, inferioribus rhombeo-ovatis ternatim verticillatis internodiis multoties brevioribus, superioribus approximatis ovatis verticillatis alternisve, pedicellis axillaribus gracilibus folia longe superantibus glaberrimis, floribus pentameris, antheris cum tubulo ipsis paullo longiore gracili scabris, ovario ovato cum stylo tortuoso glaberrimo. — Lindl. Swan River pag. XXXVIII. n. 184.

In arenosis umbrosis sylvae Bellevue ad fluvium Cygnorum d. 5. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1327.

Fruticulus. *Caulis* 1-2 pedalis et ultra, a basi ramosus, inferne et interdum superne sub foliorum verticillis, setis brevibus rufescentibus patentibus basi bulbosis parce conspersus, ceterum cum *ramis* glaber, teres, cortice cinerascente ruguloso tectus. *Rami* alterni, oppositi vel verticillati, juniores interdum hirsuti. *Folia* in petiolum brevissimum attenuata, acuta, uninervia, coriacea, supra rugulosa et minutissime punctulata, nitidula, subtus opaca, nervo medio valde prominulo, utrinque glabra; *inferiora* ternatim verticillata, rhombeo-ovata vel subrotunda, internodiis multoties breviora, 3-5 lin. longa et 2-4 lin. lata; *superiora* ovata, sensim minora et angustiora, verticillata, vel saepissime alterna, approximata, internodiis vix breviora, juniora utplurimum supra sparse strigilloso-setosa margineque rigide ciliata. *Pedicelli* pollicares, axillares, uniflori, patentes, filiformes, apice paullisper incrassati, glaberrimi, rubescentes, solitarii, et saepe, quoniam e quavis foliorum axilla orti, ternatim verticillati, basi plerumque sed non semper stipulis 1-2 bracteaeformibus suffulti. *Sepala* 5, glabra vel tenuissime ciliolata, ovata, acuta, 1½ lin. longa, membranacea, rosea, sub anthesi reflexa. *Petala* 5, ovata, acuta, 3-3½ lin. longa, patenti-erecta, purpureo-rosea, basi macula atropurpurea notata. *Stamina* 10, conniventia; *filamenta* crassiuscula, complanata, basi plerumque dilatata, concoloria; *antherae* cylindricae, biloculares, basi rugulosae, levissime ciliolatae, superne cum tubulo ipsis paullo longiore, gracillimo, summo apice attenuato, laevi, flavescente, oblique truncato, et poro terminali instructo, purpureae vel atropurpureae, scabrae. *Ovarium* sessile, ovatum vel subrotundum, compressum, roseum, biloculare, et cum *stylo* albido glaberrimum; *ovulum* in loculis solitarium. *Stylus* filiformis, stamina non superans, tortuosus, i. e. paullisper supra basin geniculatus et iterum sursum plicatus, utrinque longitudinaliter sulcatus. *Stigma* simplex. *Capsula* desideratur.

Observavi varietates duas hujus speciei memorabiles.

β **microphylla** *nob.* foliis multo minoribus, pedicellis paullo longioribus, petalisque obscure purpureis.

In arenosis sylvae prope oppidulum Albany, (Plantagenet) mense Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1318.

Unicum tantum specimen ad manus habeo. *Folia* minora 1-2½ lin. longa, ½-1½ lin. lata, *pedicelli* pollice paullo longiores et *petala*, (in planta

*) Antherae biloculares quidem, rudimenta tamen septorum secundariorum, sub lente bene conspicua, semper conservant.

sicca saltem) saturrime, fere atro-purpureae plantae habitum quidem impertiunt alienum, sed haec signa ad differentiam specificam constituendam non sufficere videntur. Ceterae floris partes nullo modo divergunt, nec constructione, nec indumento, nec forma magnitudineque. Tota planta glaberrima est, sed folia interdum juniora, aeque ac in specie primaria, apice sparse et minutissime strigilloso-setosa margineque ciliata sunt.

Obs. Etiam in hac planta, inter cetera normalia, ovarium unicum anomalum, trigonum, triloculare inveni.

γ **setosa** *nob.* caule ramisque pubescentibus setosisque, setis patentibus confertis basi bulbosis, foliis hinc inde denticulatis, denticulis setigeris, subtus glabris supra strigoso-setosis, pedicellis gracilioribus, floribus minoribus et ovario cum styli ima basi levissime ciliato.

In subarenosis sylvae ad fluvium Vasse-River, (Lussen) d. 24. Decemb. 1839. Herb. Preiss. No. 1317.

Non possum separare hanc plantam, cujus unicum tantum specimen exstat, a *Tetratheca viminea* Lindl. Praeter denticulos enim levissimos et raros, dispositio et forma foliorum plane eadem est, et floris partes omnes nullo modo nisi magnitudine ciliisque paucis in ovario et styli basi differunt. *Folia* inferiora supra plerumque glabrata, et *rami* superne densius setosi sunt. Transitus observabis in *foliis supremis* speciei primariae, quorum superficies strigilloso-setosa, in *ramis junioribus*, qui revera pubescunt, et in *parte inferiore caulis*, ubi non raro setis similibus sparsis vestitus est.

8. **Tetratheca hispidissima** *Steetz.* caule tereti ramoso, ramis setoso-hispidissimis, foliis breviter petiolatis alternis oppositis subverticillatisve ovalibus subintegerrimis utrinque setosis margine setis validioribus vestitis, pedicellis axillaribus gracilibus folia longe superantibus glabris vel apice setis raris conspersis, floribus pentameris, petalis ovatis acutis, antheris cum tubulo ipsis paullo longiore gracili scabris, ovario ovato appresse hirsuto, stylo basi pubescente superne glaberrimo recto, staminibus breviore.

In arenosis sylvae ad sinum regis Georgii III. mense Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1316.

Fruticulus 1½ pedalis. *Caulis* teres, inferne simplex et glabratus, versus medium ramosus et cum *ramis* strigoso-hispidus setisque rigidulis, patentibus, rufescentibus, basi bulbosis densissime onustus, praesertim in ramis junioribus. *Folia* breviter petiolata, alterna, opposita vel ternatim approximata, subverticillata, subcoriacea, ovalia, obtusiuscula, cum petiolo utrinque setoso-strigosa, margine subintegerrima vel levissime undulata, subrevoluta, ciliata, et setis validioribus longioribusque, rufescentibus, patentibus, sparsis, interpositis vestita, supra obscure viridia, subtus cum nervo medio prominulo setis onusto, pallidiora; *inferiora* 3-4 lin. longa, 2-2½ lin. lata; *superiora* sensim breviora et angustiora. *Pedicelli* axillares, solitarii, uniflori, in apice ramorum conferti, 6-9 lin. longi, filiformes, apice incrassati et nutantes, patentes, glabri vel versus apicem setis raris, plerumque glanduliferis, conspersi. *Sepala* 5, ovata, acutiuscula, lineam longa, extrorsum glaberrima, introrsum puberula, obscure trinervia, e viridi purpurascentia. *Petala* 5, ovata, acuta, patenti-erecta, purpurea, basi macula atropurpurea notata, 3-3½ lin. longa. *Stamina* 10, atropurpurea, apice albicantia, paullisper graciliora quam illa speciei praecedentis, a quibus ceterum non differunt. *Ovarium* sessile, ovatum, compressum, biloculare, pilis appressis dense hirsutum. *Stylus* staminibus evidenter brevior, filiformis, rectus vel obsolete tortus, non vero tortuosus, basi latiore hirsutus, sensim attenuatus, supra medium glaberrimus. *Stigma* simplex. *Capsulam* non vidi.

Obs. Hujus quoque speciei distinctissimae unicum tantum specimen exstat, quod obiter adspectum varietatem γ *setosam Tetrathecae virgineae* Lindl. refert, paullo tamen diligentius consideratum: *foliis* non revera verticillatis, et *stylo* recto staminibus breviore ab illa recedit. Proxima dein *Tetrathecae setigerae* Endl. Distinguitur vero facillime: *foliis* petiolatis utrinque setoso-strigosis, *petalis* basi macula atropurpurea notatis, *antherisque* bilocularibus scabris.

9. **Tetratheca epilobioides** *Steetz.* caule tereti ramoso, ramis hirsutiusculis, foliis subsessilibus margine undulatis supra strigosis subtus molliter hirsutis, inferioribus oppositis vel ternatim verticillatis oblongo-ovatis, superioribus alternis lineari-oblongis, pedicellis axillaribus filiformibus glaberrimis folia longe superantibus, floribus pentameris, petalis ovato-lanceolatis acutis erectis, antheris cum tubulo aequilongo gracillimo apice glabro scabris, ovario subrotundo subemarginato compressiusculo margine apiceque ciliato, stylo tortuoso basi ciliato, apice glaberrimo.

In limoso-calculosis sylvae inter Mahoganycreek et Halfwayhouse, (Darling's-range) d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1325.

Fruticulus 1-3 pedalis, pulcherrimus. *Caulis* erectus infra medium parce ramosus, apice simplex, cum *ramis* erectiusculis teres, rugulosus, hirsutiusculus, vel interdum inferne glabratus. *Folia* coriacea, subsessilia, basi attenuata, apice obtusiuscula, margine revoluta, undulata et obsolete denticulata, rigide ciliata, penninervia, supra nervo medio impresso, setoso-strigosa, setis marginalibus validioribus, subtus nervis omnibus prominulis et nervo medio pilis longiusculis mollibus obsito, molliter hirsuta; *inferiora* opposita vel plerumque ternatim, raro quaternatim verticillata, oblongo-ovata, 6-10 lin. longa, 3-4 lin. lata; *superiora* utplurimum alterna, raro opposita, sensim angustiora et breviora, lineari-oblonga. *Pedicelli* axillares, solitarii, uniflori, patentes, filiformes, glaberrimi, rubescentes, apice paullo incrassati, saepissime stipula minima bracteaeformi suffulti, 9-12 lin. longi. *Sepala* 5, ovato-lanceolata, valde acuta, 1½ lin. fere longa, rosea, extrorsum glaberrima, introrsum albo-pubescentia, demum reflexa. *Petala* 5, ovato-lanceolata, acuta, fere semipollicares, purpureo-rosea, basi macula atropurpurea notata, erecta. *Stamina* 10, conniventia; *filamenta* crassiuscula, semilineam longa, concoloria; *antherae* cylindricae, biloculares, basi et introrsum parce ciliolatae, rugulosae, et cum tubulo aequilongo, gracillimo, sensim attenuato, summo tantum apice glaberrimo et flavescente, oblique truncato et poro terminali instructo, verrucis creberrimis scabrae, atropurpureae vel fere nigrae. *Ovarium* sessile, subrotundum, subemarginatum, compressiusculum, glabrum, marginibus et apice levissime ciliolatum, biloculare; *ovulum* in loculis solitarium, apice appensum, caruncula uncinata obtusa auctum. *Stylus* filiformis, fere capillaris, basi latiore ciliatus, medio tortuosus, apice glaberrimus. *Stigma* simplex, acutum. *Capsulam* non observavi.

10. **Tetratheca aculeata** *Steetz.* ramis pubescentibus hinc inde setosis, foliis alternis subverticillatisve subsessilibus oblongo-ellipticis subintegerrimis margine revolutis supra hispidulis subtus molliter hirsutis, pedicellis axillaribus filiformibus folia superantibus apice striatis et aculeolatis, floribus pentameris, antheris cum tubulo aequilongo gracili apice glabro scabris, ovario ovato compresso margine apiceque ciliato, stylo recto basi hirsuto apice glaberrimo staminibus subbreviore.

In Australasia occidentali leg. cl. Preiss, sed quando? Herb. Preiss. No. 1319.

Specimen unicum exstat, et hoc insuper non nisi summitas caulis, foliis inferioribus plane destitutum est. Proxime ad speciem praecedentem accedere videtur, a qua dignoscitur: *foliis* supra non strigosis, sed tantum hispidulis, *pedicellis* versus apicem incrassatum striatis et aculeolis patentibus obsitis, *petalis* purpureis nec purpureo-roseis, *ovario* ovato, nec subrotundo nec subemarginato, *stylo*que recto, staminibus subbreviore. *Rami* pubescentes hinc inde setosi, setis abbreviatis rufescentibus, basi bulbosis, apice interdum glanduliferis. *Sepala* 5, atropurpurea et pruinosa, acuta, apice setula brevi hinc inde conspersa.

Obs. Suspicor, hanc plantam jam a cl. Lindleyo in App. ad Bot. Reg. pag. XXXVIII. descriptam esse sub nomine *Tetrathecae rubrisetae* l. c. n. 185, sive *Tetrathecae hirsutae* l. c. n. 187. Diagnosis enim utriusque in plantam nostram quadrat. Ceterum, quum ex diagnosi adeo imperfecta, sine autopsia exemplarium authenticorum, plantae definiri non possint, equidem, ne confusio augeretur, Tetrathecae nostrae novum nomen imponere coactus sum.

Sectio III. Tremandropsis Filamentis filiformibus.

11. Tetratheca Preissiana *Steetz.* caule ramisque pubescentibus setosis, foliis sessilibus basi attenuatis ternatim verticillatis deltoideo-ovatis acutis ciliatis medio dentatis, dentibus setigeris, vel integerrimis supra hirsutiusculis subtus glabris, pedicellis filiformibus folia paullo superantibus, floribus tetrameris et pentameris, staminibus luteis in tubulum brevissimum productis.

In arenosis montis prope Cataractam versus caput fluvii Cygnorum d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1323.

Fruticulus. *Radix* multicaulis, *caules* simplices vel ramosos, ½-1 pedales agens. *Rami* alterni, oppositi vel ternatim verticillati, cum *caule* teretes, pubescenti-hirsuti, asperi et undique, praesertim infra basin foliorum, setis elongatis, patentibus, rufescentibus, basi bulbosis onusti. *Folia* sessilia, subcoriacea, utplurimum ternatim verticillata, pauca opposita vel alterna, deltoideo-ovata, acuta, ciliata, basi cuneato-attenuata et apice integerrima, medio dentata, dentibus paucis, utrinque 1-6, acutis, inaequalibus, setigeris, vel tota integerrima et subtriangularia, supra obscure viridia, hirsutiuscula, nervo medio impresso, subtus pallida, glabra, nervo medio prominulo, valido, lateralibus minus conspicuis, 2-6 lin. longa, 1-4 lin. lata; *superiora* sensim minora, ceterum conformia. *Pedicelli* solitarii, ex foliorum axillis plerumque ternatim verticillati, basi stipulis bracteaeformibus minimis suffulti, uniflori, patentes, filiformes, juniores folia vix superantes, puberuli, adulti 6-8 lin. longi, glabrati. *Sepala* 4 vel 5, ovata, acutiuscula, lineam longa, glabra, ciliolata, viridia vel purpurascentia. *Petala* 4 vel 5 ovata, saturrime purpurea, 2-3 lin. longa, erecto-patentia. *Stamina* 8 vel 10; *filamenta* filiformia, semilineam longa, cum *antheris* quadrilocularibus, cylindricis vel obtuse quadrangulis, lateribus sulcatis, in tubulum brevissimum, ¼ lin. longum, poro terminali amplo, truncato, vel hinc paullisper emarginato instructum, productis — continua, concoloria, lutea, glaberrima. *Ovarium* sessile, ovatum, compressum, biloculare, hirsutum; *ovulum* solitarium in loculis. *Stylus* rectus, stamina vix ac ne vix quidem excedens basi latiore sensim attenuatus, infra medium hirsutiusculus, apice glaberrimus. *Stigma* simplex. *Capsulam* frustra quaesivi.

Obs. 1. In speciminibus meis flores plerumque tetrameri occurrunt, sed in omnibus pentameros quoque observavi, vel in uno eodemque verticillo cum floribus tetrameris alternantes. Exemplaria omnia juniora sunt, et flores perpauci tantum evoluti pedicellis brevibus puberulis insident.

Obs. 2. Planta nostra, obiter adspecta, *Tetrathecam ciliatam* Lindl. refert, cujus specimina Mitchelliana et iconem comparavi in Hook. icon. plant. T. 3 tab. 268; sed in hac *folia* superiora semper alternant, *pedicelli* breviores et cum *sepalis* et *ovario* glanduloso-setosi sunt. *Filamenta* inprimis crassiuscula et *stamina* atropurpurea, qualia in speciebus sectionum praecedentium reperiuntur, differentiam satis superque constituunt.

Obs. 3. Prima fronte suspicatus sum, *Tetrathecam ptiliferam* Lindl. Swan-River pag. XXXVIII. n. 188, (non nisi e diagnosi brevissima mihi notam) eandem esse plantam, ac nostram. Quum vero cl. auctor de staminibus a ceteris Tetrathecae speciebus adeo diversis nil commemoret, non amplius dubitavi, quin planta illa revera differat a nostra.

Occurrit in collectione Preissiana varietas:

β **integrifolia** *nob.* statura graciliori, foliisque integerrimis vel 1-2 dentatis.

In limoso-calculosis districtus York, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1324.

Humilior, gracilior, ramosior, minus setosa, verisimiliter in loco steriliore nata. *Folia* plerumque integerrima, subtriangularia, basi cuneata, vel dentibus 1-2 utrinque instructa sunt; *ovarium* paullo magis rotundatum evadit quam in specie primaria, a qua praeterea non differt. *Flores* aeque variant tetrameri et pentameri, tetrameris praevalentibus. Stirps habitum alienum prae se fert, quoniam specimina floribus bene evolutis, pedicellisque semipollicaribus, glabratis, purpurascentibus abundant, qualia in specie primaria, cujus specimina priori anni tempore collecta sunt, raro inveni.

Obs. Tetratheca Preissiana quoad filamenta filiformia et antherarum tubulum brevissimum, transitum quasi in genus *Tremandrae* R.Br. explicat. Sed propter filamenta cum antheris continua, et propter totum habitum a *Tetrathecae* genere separari non potest.

PLATYTHECA Steetz.

Calyx 5 partitus. *Corollae petala* 5. *Stamina* biseriatim disposita, inaequalia; *filamenta* brevissima, plano-compressa, cum antheris continua; *antherae* compressae, quadriloculares, loculis uniserialibus, tubulo apicis dehiscentes. *Ovarium* biloculare, loculis . . . ovulatis. *Stylus* filiformis, simplex. *Stigma* capitellatum. *Capsula* . . . . *Semina* . . . . . Fruticuli graciles ramosi, foliis linearibus integerrimis margine revolutis verticillatis vestiti, (Galii species quasi simulantes,) pedicellis filiformibus axillaribus unifloris.*)

Genus a *Tetratheca:* filamentis planis antherisque compressis, biseriatim dispositis, inaequalibus, 4 locularibus, loculis uniserialibus et stigmate capitellato bene distinctum. In *Tetratheca* antherae semper cylindricae, aequales, bi-vel quadriloculares, loculis biserialibus, ovarium uniseriatim cingunt. Itaque etiam aestivatio utriusque generis plane diversa. In *Tetratheca* petala stamina geminatim segregantia utrinque involvunt. In *Platytheca* vero petala utrinque involuta, ad apicem usque sepalis valvatis tecta, stamina non includunt. — Specimina fructifera non vidi.

1. **Platytheca galioides** *Steetz.* glaberrima, foliis sessilibus verticillatis suboctonis linearibus carnosulis margine revolutis acutiusculis, axillis penicillatis, pedicellis axillari-

*) Nomen e πλατύς, planus et θήκη, loculus.

bus solitariis saepe oppositis filiformibus folia superantibus, antheris ovatis scabriusculis ciliatis, in tubulum gracillimum ipsis sesquilongiorem productis, ovario ovato hirsuto, stylo rectiusculo.

In arenosis umbrosis inter fruticos densos ad Preston Creek, (Perth) d. 30. July 1839. Herb. Preiss. No. 1330.

„Suffrutex, ramis flaccidis". *Caulis* erectus, teres, inferne propter folia delapsa articulatus, cortice purpurascente, nitente tectus, a basi ramosus, cum *ramis* glaberrimus, 2-3 pedalis et ultra. *Rami* subsimplices, axillares, alterni vel saepius praesertim superne oppositi, foliosi. *Folia* in verticillos disposita, suboctona, sessilia, linearia, carnosula, margine revoluta, ita ut teretia videantur, utrinque glaberrima, vel supra hinc inde setula minutissima adspersa, nitida, acutiuscula, divergentia vel demum reflexa, 4-8 lin. longa, ½-1 lin. lata, in inferiore caulis parte internodiis multo breviora, in superiore et in ramis internodia aequantia, vel paullo etiam superantia. *Verticilli* articulis apice turbinatim incrassatis et penicillatis insidentes. *Pedicelli* axillares, solitarii, plerumque oppositi, uniflori, filiformes, glabri vel versus apicem incrassatum puberuli, patentes, pollicares. *Sepala* 5, ante anthesin valvatim petala tota tegentia, basi brevissime connata, lanceolata, acuminata, 2½-3 lin. longa, sub anthesi colorata, margine ciliolata, infra medium ciliis longiusculis, apice glandulosis intermixtis, ceterum glabra. *Petala* 5, obovata, mucronata, sepalis paullo longiora, patentia, purpurea, basi macula atro-purpurea notata. *Stamina* 10, inaequalia, biseriatim disposita, quorum interiora 5 ovarium cingentia longiora, ab exterioribus 5 brevioribus alternatim teguntur; *filamenta* brevissima, plana, cum antheris continua, basi attenuata; *antherae* compressae, quadriloculares, loculis uniserialibus, ovatae, extrorsum purpureo-luridae, scabriusculae, introrsum laeves, pallidae, longitudinaliter trisulcatae, margine ciliatae, apice in tubulum anthera sesquilongiorem, medio tenus verrucis acutis deorsum spectantibus onustum, et basi ciliis longiusculis barbatum, ex purpureo sensim roseum, supra medium glaberrimum, flavescentem, attenuatum, oblique truncatum et poro terminali instructum — productae; *tubuli* antherarum interiorum exterioribus paullo longiores, graciliores, basi minus verrucosi, sed magis barbati conspiciuntur. *Ovarium* sessile, ovatum, compressiusculum, biloculare, hirsutum; *ovula* in loculis conspicere mihi non contigit, speciminibus ad examinandum non sufficientibus. *Stylus* filiformis, staminibus paullo brevior, rectiusculus, basi medio tenus ciliis sursum spectantibus hirsutiusculus, superne glaberrimus. *Stigma* simplex, capitellatum. *Capsulae* non suppetunt.

2. **Platytheca Crucianella** *Steetz.* ramis pubescentibus, foliis sessilibus verticillatis subdenis linearibus carnosulis margine revolutis acutiusculis supra sparse muricato-setosis, axillis penicillatis, pedicellis axillaribus solitariis filiformibus folia superantibus levissime puberulis, antheris ovatis vix scabriusculis ciliatis, in tubulum gracillimum ipsis duplo longiorem productis, ovario ovato velutino, stylo supra basin paullisper torto.

In regionibus interioribus Australasiae meridionali-occidentalis mense Novembr. 1840. Herb. Preiss. No. 1331.

Proxime ad speciem praecedentem accedens, nil forsan nisi varietatem ejus exhibet. Differt vero praeter characteres indicatos: Habitu peculiari, multo graciliore, caule humiliore, vix pedali, foliis minus divaricatis non reflexis, sed potius arrectis, articulis densius penicillatis, pedicellisque semper solitariis, (in speciminibus 6 a me examinatis nunquam oppositos vidi). In planta sicca praeterea petala angustiora et breviora videntur, et tubulus antherarum imo exteriorum minus verrucosus, totus fere flavet.

3. **Platytheca crassifolia** *Steetz.* ramis pubescentibus, junioribus glanduloso-pilosis, foliis sessilibus verticillatis suboctonis linearibus carnosis crassis margine revolutis obtusiusculis supra undique muricato-tuberculatis, axillis penicillatis, pedicellis axillaribus solitariis raro oppositis filiformibus folia superantibus setulis brevissimis patentibus obsitis, antheris late ovatis vix scabriusculis margine laevibus in tubulum gracillimum ipsis triplo fere longiorem productis, ovario subrotundo velutino, stylo supra basin torto.

In Australasia occidentali et meridionali-occidentali leg. cl. Preiss, sed quando? Herb. Preiss. No. 1320 et No. 1321.

Affinis quidem speciebus duabus modo commemoratis, sed sine ullo dubio bona species. *Antherae* enim breviores, margine non ciliatae cum tubulo longiore minus barbato, et *folia* muricato-tuberculata, crassissima, fere obtuse triquetra, abbreviata, lineas 6 raro excedentia, obtusiora, plantam prima fronte distinguunt. No. 1320 et 1321 quorum non nisi specimina singula vidi, nullo charactere essentiali inter se differunt.

TREMANDRA R.Br. Endl. gen. n. 5645. Meisn. gen. pag. 22. (20.)

1. **Tremandra oppositifolia** *Steud.* *) caule erecto ramoso pilis stellatis dense tomentoso, foliis oppositis petiolatis basi subcordatis ovatis subundulato-crenatis obtusiusculis supra asperulis subtus pilis stellatis dense et albo-velutinis, pedicellis axillaribus unifloris oppositis foliis dimidio brevioribus.

In turfosis umbrosis sylvae ad radices montis Elphinstone, (Plantagenet) d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1669. Ferd. Bauer!

„Frutex bipedalis". *Caulis* erectus ramosus, et cum *ramis* axillaribus, oppositis, decussatis, teres, pilisque stellatis, olivaceis dense tomentosus. *Folia* opposita, decussata, petiolata, petiolo tereti stellato-tomentoso 1-2 lin. longo, basi vix cordata, ovata, obtusiuscula, subundulata, integerrima vel margine leviter inaequaliter et obtuse crenata, penninervia, supra nervis impressis viridia, pilis stellatis sparsis basi tuberculatis asperula, subtus nervis prominulis reticulata, albida, mollissime velutina, pilis stellatis densissime obsita; *infertora* 1-1½ pollicaria, 10-12 lin. lata, *superiora* et *ramorum* sensim breviora et angustiora. *Pedicelli* axillares, uniflori, oppositi, ebracteati, crassiusculi, penduli, pilis stellatis dense tomentosi, 4-7 lin. longi. *Sepala* 5, lanceolata, acuta, membranacea, pilis stellatis extrorsum conspersa, introrsum glabriuscula, 2 lin. longa. *Petala* 5, obovata, breviter unguiculata, sepala paullo excedentia, erecto-patentia, venosa, purpurea; *lamina* utrinque glabra, in unguem cuneatum, planum, continuum, ciliatum, extrorsum glabrum, introrsum supra imam basin laevem, pilis simplicibus albidis densissime barbatum — attenuata. *Stamina* 10; *filamenta* filiformia, 1-1¼ lin. longa, concoloria, cum *antheris* bilocularibus, obtuse quadrangulis, lateribus longitudinaliter sulcatis, sordide purpureis, undique setis brevibus pa-

*) Planta errore quodam cum Büttneriaceis ad cl. Steudelium missa, nomine hoc characteristico ornata in manus meas venit. Diagnosin et descriptionem accuratiorem egomet ipse elaboravi.

tentibus hispidis, poro terminali, marginibus oppositis hinc convexis illinc concavis, dehiscentibus — articulata. *Ovarium* sessile ovatum, compressum, pilis stellatis densissime velutinum, biloculare; *ovulum* in loculis solitarium evolvere mihi non contigit, duobus tantum exemplaribus suppetentibus. *Stylus* filiformis, rectus, 1½ lin. fere longus, ima basi pilis paucis stellatis conspersus, ceterum glaberrimus, crassiusculus, summo apice attenuatus, utrinque longitudinaliter sulcatus. *Stigma* simplex. Specimina fructifera non vidi.

Obs. Tremandrae generis character minus, ut mihi videtur, collocandus erit *in loculis uniovulatis* ovarii bilocularis, (quales etiam in plurimis *Tetrathecae* speciebus observavi,) sed potius in *antheris bilocularibus, tubulo plane destitutis*, et *cum filamentis filiformibus articulatis*.

SAPINDACEAE Juss.

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

DIPLOPELTIS. Endl. gen. n. 5625. Meisn. gen. pag. 346.

1. **Diplopeltis Preissii** *Miq.* foliis serrato-vel plerumque pinnatifido-incisis, (segmentis latis vel linearibus, integris, vel incisis) marginibus nervis utrinque cauleque pilosis, pedunculis pedicellis sepalisque marginibus glandulis pedicellatis instructis, floribus roseis.

Crescit in clivulis calcareis inter frutices densos, haud longe ab ora maris, in regione Perth, 18. Jun. 1839 cum fl. Herb. Preiss. No. 1281.

A *D. Hügelii* Endl. *Pl. Hügel.* pag. 13. foliis profundius incisis, floribus roseis (nec candidis), et squamae e disco productae forma abunde differt.

„Suffrutex 2-3-pedalis, erectus", ramosus, foliorum variabilitate (sed in iisdem ramis plus minus conformium) insignis. *Rami* virides vel purpurascentes, teretes vel superne obtuse tetragoni, inferne glabrati, superne albido-pubescentes. *Folia* alterna, sessilia, erectiuscula, viridia, nervis in quibusdam purpurascentibus, coriacea, oblonga, apice obtusa vel acutiuscula, *in altis* ramis serrato-incisa, incisuris obtusiusculis, mediis quam superiores latiusculae et infimae angustae stipularum ad instar cauli appressae longioribus, *in altis* pinnatifido-incisa, segmentis oppositis remotis, linearibus, integris vel inciso-dentatis, majora 3-4 cent. longa, superiora sensim minora, nec tamen minus incisa, si excipias *floralia* plerumque lanceolata minuta, primas inflorescentiae ramos subtendentia. *Omnia* marginibus incrassatis nervisque majoribus utrinque hirtello-pubescentia. *Panicula* terminalis e *racemis* erecto-patulis alternis scorpioideis apice floriferis composita, 16-20 cent. longa, pubescens, glandulis pedicellatis atro-fuscis pube intermixtis. *Bracteae* pedunculos primarios subtendentes, *infimae* aliquando foliiformes incisae, *reliquae* lanceolatae, superne sensim minores, marginibus glandulis pedicellatis pilisque ciliatae, saepe rubescentes. *Pedunculi* tenues, sparse bracteolati, apice scorpioideo-floriferi. *Flores masc. Pedicellus* 4-6 mm. longus, crebro-glandulosus, basi *bractea*, decidua lanceolata ciliata aliquando basi fere pedicellatim contracta stipatus. *Sepala* ovato-elliptica, obtusa, concava, intus laevia, pallida, extus viridia pilis albis sparse hirtella, marginibus glandulis pedicellatis nigro-ciliata, 1½ mm. circiter longa, anti-

cum et posticum paullo latiora. *Petala* 4, rosea, in sicco juniora saturate, adulta dilute violacea, obovato-rotundata basi in unguem ⅓ long. contracta, integerrima, e basi flabellatim venulosa, 6 mm. longa. Discus postice in *squamam* carnosam in sicco subaurantiaco-fuscam, lata basi sessilem rotundatam latam, sepalo retrojacente breviorem bilamellatam productus; *lamellae* subaequilongae, exterior paullo brevior, margine undulata, interior cristato-incisa. *Stamina* 8, 3 ante sepala exteriora, 1 sepalo sinistro, 1 dextro opposita *filamentis* dilute violaceis glabris petala superantibus, *antheris* violaceis sensim pallescentibus, oblongis, bilocularibus, loculis oppositis antice dehiscentibus, postice medio affixis. *Ovarii* rudimentum minimum.

2. **Diplopeltis Lehmannii** *Miq.* foliis spathulato-lanceolatis versus apicem sparse serratis utrinque incano-tomentoso-pubescentibus, panicula glanduloso-asperula, petalis retusis, capsulae trilobae coccis rugoso-reticulatis pedicellato-glandulosis.

Crescit in lapidosis subumbrosis montium continuorum Darling's-range in reg. Perth, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1282.

„Frutex bipedalis erectus". Habitu florum magnitudine ac colore praecedenti haud absimilis, sed foliorum forma ac tomento distinctissimus. *Rami* inferne glabriusculi vel minute puberuli, teretes vel obsolete tetragoni, *ramuli* nascentes tomentose hirti. *Folia* (superiora stirpis feminae) spathulato-lanceolata acutiuscula, versus apicem sparse irregulariter serrata, basi integerrima attenuata, coriacea, incana, 3-4½ cent. longa, ½-1 cent. lata. *Panicula*e elongatae axes *pube* minuta appressa *glandulisque* pedicellatis atro-fuscis patentibus demum inflexis rigidulisque subasperuli. *Bracteae bracteolaeque* ellipticae vel elliptico-lanceolatae. *Sepala* ut in praecedente disposita, sed elliptica, obtusa, pube appressa albida in dorso, glandulisque pedicellatis inprimis in marginibus instructa. *Petala* subrotunda leviter retusa, integerrima in unguem ⅕-¼ long. contracta. *Stamina* 8 ut in praecedenti specie disposita, in *floribus masc.* qui racemorum apices occupant, petala aequantia, *filamentis* in sicco purpurascentibus, in *femineis* castrata, *filamentis* abbreviatis. *Antherae* oblongae, obtusae, fuscescentes. *Disci squama* bilamellata fusca, lamella extima breviore truncata, interna dentata. *Capsula* immatura triloba, calyce persistente suffulta, coccis angulo centrali cohaerentibus (*stylo* centrali filiformi diutius persistente demum deciduo), inferne contractis nudis, vertice rotundato reticulato-rugosis, glandulis pedicellatis venulis fuscis impositis. *Pericarpium* cartilagineum. *Semen* in quovis loculo unicum adscendens, fuscum, cum rudimento ovuli non foecundati.

THOUINIA Poit. Endl. gen. n. 5618. Meisn. gen. pag. 52. (37.)

1. **Thouinia (?) adenophora** *Miq.* foliis alternis imparipinnatis, glandulosis, foliolis oppositis carnosis anguste cuneato-linearibus, inferioribus bifidis, superioribus emarginatis, summis integerrimis, racemis axillaribus vel in ramulis terminalibus, capsulis tricoccis trialatis.

Crescit in confragosis montium continuorum Darling's-range. Herb. Preiss. No. 2442.

Species quoad genus haud omnino certa, cum ne rudimentum quidem floris in unico ramulo capsulifero reperire licuit, et a reliquis *Thouinis* foliis impari-pinnatis, coccis basi etiam alatis et cotyledonibus oblongis nec linear-

bus recedens, an cum *Th. australi* A. Rich. in proprium genus conjungenda? Frutex. *Rami* teretes; *ramuli* subangulosi, glandulosi. *Folia* alterna, sessilia, valde glandulosa et ut videtur viscida, impari-pinnata, *rhachi* crassa planiuscula, articulata, *foliolis* 1-3-5-jugis, erectis angustissimis articulatis, 6-2 mm. longis. *Capsulae* confertissimae, in racemis paucifloris vel in axillis foliorum trifoliatorum solitariae, trialatae, breviter pedicellatae, in samaras tres extus totas alatas, axi centrali tenui adnatas solubiles, alis glandulosis, fuscis, venosis. *Semen* solitarium, compresso-lenticulare, *testa* coriacea, atronitida, *embryone* curvato, cotyledonibus oblongis plicatis.

DODONAEA Linn. Endl. gen. n. 5626. Meisn. gen. pag. 53. (38.)

1. **Dodonaea pterocaulis** *Miq.* ramulis triquetris anguste trialatis, foliis subsessilibus elliptico-vel obovato-lanceolatis, basi attenuatis, apice subpungenti-acutis, marginibus revolutis integerrimis, supra glabris, viscidulis?, subtus minute puberulis sensim glabratis, pedicellis axillaribus solitariis-ternis, capsula tetragona (rarissime pentagona!) subvernicosa, carpellis dorso infra apicem in alam acutam erectam productis quadricorni parumper brevioribus.

Crescit in rupestribus montis prope Tjallop reg. Kent. 17. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2440.

„Frutex bipedalis". *D. ceratocarpae* Endl. in Enum. pl. Hügel. pag. 13, *D. triquetrae* Andr. et *D. Bauert* Endl. l. c. affinis. — *Rami* vetustiores trigoni subapteri; *ramuli* densi, breves, erecti. *Folia* 1½-2 cent. longa, 5-7 mm. lata. *Capsulae* absque alis 7 mm. longae. *Semina* lenticularia, atra, nitida.

2. **Dodonaea aptera** *Miq.* ramis teretibus, ramulis compressis, foliis breviter petiolatis obovatis, oblongo-vel spathulato-obovatis, basi attenuatis, apice rotundatis vel emarginatis utrinque glabris, nascentibus viscosis, marginibus leviter revolutis, pedicellis e pedunculo communi ternis vel paucioribus capsulam latam brevem tetragonam infra apicem alae rudimento coriaceo e carpellorum dorso producto subapteram multo superantibus.

Crescit in clivulo calcareo Arthur's-head (Perth) et in insulis Garden-Island et Rotenest, 9. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2439.

„Frutex 2-5-pedalis", conferte ramosissimus. *Ramorum* vetustiorum cylindraceorum cortice rimoso-fibroso. *Ramuli* triquetro-compressi ancipites. *Folia* pallide viridia, coriacea, glabra, nascentia vernicosa, 2⅓-4 cent. longa, ⅔-2 cent. lata. *Capsulae* subverniceo-punctatae, 7 mm. longae, 10 latae, tetragonae, *carpellis* apteris, dorso infra apicem in alae rudimentum rigidum acutato-producto. Dissepimenta seminifera tenuiter membranacea. *Semina* lenticularia, castaneo-fusca, laevissima, nitidissima.

3. **Dodonaea sororia** *Miq.* ramis teretibus, ramulis semitereti-ancipitibus, foliis coriaceis utrinque glabris, viscosis longiuscule petiolatis, elliptico-obovatis, basi valde contracta in petiolum decurrentibus, apice lato plerumque retusis, subtus subtilissime venulosis, racemis axillaribus pau-

cifloris, pedicellis subfastigiatis elongatis, capsulisque juvenilibus tetragonis glandulosis.

Crescit in collibus arenosis insulae Rotenest 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2388.

D. ceratocarpae Endl. et *D. apterae* cognata, sed pedicellis valde elongatis statim dignoscenda.

„Frutex bipedalis". *Rami vetusti* teretes, *juniores* tetragono-ancipites, compressi, *ramuli* semitereti-compressissimi, ancipites et ut folia viscidi. *Folia* inprimis superiora longius petiolata, adulta rigide, juniora membranaceo-coriacea, utrinque viscida, $2\frac{1}{2}$-5 cent. longa, $1\frac{1}{3}$-$2\frac{1}{2}$ lata, iis *D. apterae* simillima sed subtus evidentius venulosa. *Pedicelli* 1-2 cent. longi, sursum incrassati. *Capsulae* tetragonae, apiculatae, adhuc valdopere juveniles apterae.

4. **Dodonaea humifusa** *Miq.* ramulis triquetro-compressis, foliis obovato-cuneatis vel obovato-lanceolatis, basi attenuatis, apice spinoso pungenti tridentatis vel integerrimis supra versus margines subtus in nervo medio minutissime puberulo-hirtellis, cito glabratis, capsulis tetragonis apteris pedicello brevioribus.

Crescit in limoso-glareosis districtus Hay. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2441.

Capsularum forma *D. apterae*, foliorum autem *D. asplenifoliae* Rudg. et *D. cuneatae* Smith (Linn. Transact. Tom. XI Tab. 20 et 19) affinis.

„*Frutex* humifusus". *Caule* decumbenti, flexuoso, tereti, radicante, cortice rimoso solubili. *Rami* decumbentes, teretiusculi, densi, *ramuli* triquetro-compressi, herbacei, nascentes minutissime puberuli. *Folia* ob ramorum situm decumbentem ad unum latus directa, patula, coriacea, pallide virida, vix vernicosa, supra versus margines minute puberula marginibus ciliolata, subtus inprimis in nervo medio prominente minutissime puberulo-hirtella, forma varia, majora obovata cuneata, apice tridentato-spinoso-pungentia (rarissime quinquedentata), alia repanda, alia elliptico-lanceolata, integerrima, omnia marginibus revoluta, 1-2 cent. longa, 4-10 mm. lata. *Pedicelli* axillares solitarii vel terni, sursum incrassati, 1-2 cent. longi. *Capsulae* tetragonae, 6-7 mm. longae, carpellorum dorso versus apicem extenuato-acutato (rudimento alae). *Semina* lenticularia, nigra, nitidula.

5. **Dodonaea Preissiana** *Miq.* partibus omnibus junioribus verniceo-viscosis, foliis erectis rigido-coriaceis glabris junioribus grosse glandulosis, spathulato-linearibus, apice triangulari acutiusculis, versus basin sensim in petiolum contractis, marginibus subrepandis, floribus dioicis racemosis, capsulis lato-tripteris, alis maturis membranaceis.

Crescit inter rupium fissuras montis Hardy, reg. York. 11. Sept. 1839, sp. masc. et fem. Herb. Preiss. No. 2437; et in rupestribus montis Currie.

D. viscoso L., *D. spathulatae* Smith, affinis videtur, foliorum autem forma et capsulae alis facili negotio discernenda.

„*Frutex* 4-5 pedes altus", ramosissimus. *Rami vetustiores* teretes, sordide nigricantes, cortice rimose soluto, *juniores* cortice fusco nitido obducti. *Ramuli* angulati subtetragoni, glandulis elevatis subtiliter tuberculati et vernice nitente obducti. *Folia* alterna, erecta, coriacea, *juniora* saturate viridia, grosse glandulosa et tota vernicosa, *adulta* et vetustiora lutescentia et vernice sensim diminuto in sicco minus rigida, spathulato-linearia, fere inde ab apice sensim et demum versus basin in *petiolum* contracta, apice ipso plerumque triangulariter acuto acutiusculo, marginibus integerrimis vel obiter subdenticulatim repandis et subrevolutis, nervo medio percurrente subtus inprimis prominente venulas vix visibiles patulo-ascendentes emittente, 3-5 mm.

longa, 3-5 mm. versus apicem lata. *Flores* dioici, in racemis axillaribus et terminalibus dispositi, viscidissimi. *Masc.* brevius pedicellati, virginales tetragoni. *Sepalis* ellipticis acutis marginibus floccoso-laceris (an ex viscedine?) *staminibus* 8, sepala haud superantibus, *filamentis* brevissimis, *antheris* oblongis, bilocularibus, leviter introrsum curvatis. *Racemi feminei* pauciflori, *capsulis* longe pedicellatis, subpendulis, basi annulo e sepalis superstite suffultis, trialatis. *Alae* subsemiorbiculares vel semilunatae, membranaceae, juniores virides, glandulosae, viscidissimae, adultae tenuiter membranaceae, fuscescentes, 1 cent. circiter longae. Dissepimenta e tenui axi producta, tenuiter membranacea. *Semina* nigricantia.

6. **Dodonaea (?) ericoides** *Miq.* tota hirtello-pubescens, foliis oppositis summis subalternis alternisque (axillisque fasciculato-foliosis) anguste linearibus subacerosis integerrimis vel apice tridentatis, semitereti-revolutis, supra in medio sulcatis, rigidis, pedicellis terminalibus solitariis brevissimis, capsulis tetragonis incano-pubescentibus, angulis in medio dorso cornuto-alatis.

Crescit in regionibus interioribus Australiae austro-occidentalis, raro!! Herb. Preiss No. 2435.

Species habitu singulari, foliis oppositis, pedicellis terminalibus, calycibus ad immaturam capsulam persistentibus inter congeneres fere heterogenea, ob capsulam tamen plane congruentem huc relata.

„Fruticulus humilis ramosissimus". *Rami* vetustiores teretes, cortice fibrose soluto. *Ramuli* tereti-tetragoni, herbacei, hirtello-pubescentes. *Folia* opposita, summa alternantia sed plerumque binatim approximata, omnia in axillis fasciculos foliorum foventia, in sicco rigida, acerosa, laete viridia, angustissime linearia, usque ad nervum medium prominentem revoluta, supra sulcata, integerrima vel versus apicem tridenticulata, utrinque patentim hirtella, 5-8 mm. longa. *Flores* solitarii, terminales, brevissime pedicellati, deflorati; *calyx* quadripartitus, patens, lobis ovato-ellipticis, acuminatis, viridibus postice pubescentibus. *Filamenta* 8, brevissima, teretia, sepalis opposita et alterna. *Ovarium* minutum subtetragonum . . . . . *Capsulae* immaturae calyce persistenti suffultae, incano-pubescentes, tetragonae, carpellorum in dorso medio in alam brevi-lanceolatam coriaceam quasi cornu referentem producto; e media capsula *stylt* rudimentum glabrum exsurgit.

7. **Dodonaea pinifolia** *Miq.* glabra viscosa, ramulis tetragono-compressis, foliis sparsis acerosis rigidis angustissime linearibus, valde revolutis glandulis elevatis, remote stigmatosis, nitidis, floribus dioicis axillaribus solitariis, masculis brevissime pedicellatis octandris, femineorum pedicellis clavatis capsula tetragona quadriloculari valvulis dorso infra apicem cornuto-alatis quadricorni brevioribus.

Crescit in glareosis montis prope St. Ronan's-well, reg. York et in planitie arenosa Quangen, reg. Victoria, 12. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 2438.

Species distinctissima, *D. ericoide* proxime accedens, sed omnium partium glabritie et singulari foliorum forma facili negotio inter congeneres discernenda.

„Frutex pedalis". *Rami* vetustiores subteretes cortice filamentose secedente. *Ramuli* glandulosi vernicosi, tetragono-compressi. *Folia* alterna vel in ramulorum apicibus subfasciculata, lutescente-viridia, vernicosa, angustissima, integerrima vel rarissime uno alterove margine unidentata, supra glandulis elevatis stigmatosa, valde (usque ad nervum medium) revoluta et hinc supra convexa, 1-2½ cent. longa. *Flores masc.* brevissime pedicellati,

clausi, tetragono-subtetraquetri, *sepalis* vernicosis ellipticis acutis, capsulam mentientes. *Capsulae tetragonae*, 7 mm. longae, *pedicello* clavato 5 mm. longo sustentae, styli demum in partes 4 soluti vestigio rostellatae; *dissepimentis* molliter membranaceis, valvulis navicularibus, vernicosis, dorso ad apicem alae rudimento cornuformi instructae.

OLACINEAE Mirb.

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

OLAX Linn. (RBr.) Endl. gen. n. 5492. Meisn. gen. pag. 45. (33.)

1. **Olax Benthamiana** *Miq.* foliis sessilibus linearibus apice uncinato-mucronatis, floralibus densis ovalibus vel obovatis apice postice mucronulatis, carinato-complicatis, flores solitarios amplectentibus, corolla quinquefida, filamentis sterilibus bifidis, inferne pilorum seriem juxta corollam demittentibus.

Crescit inter saxa calcarea clivuli haud longe ab ora maritima, distr. Perth. 19. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2095.

Olaci strictae R.Br. ex phrasi nostram adscripsissem, nisi cel. auctor expressis verbis declaraverit, in *Olacibus* Novae Hollandiae a se examinatis filamenta sterilia *indivisa* esse, in nostra autem bifida reperi.

„Frutex bipedalis, erectus, ramis distichis. *Flores* albi". *Ramuli* viridescentes, glabri, angulosi aliquando fere tetragoni. *Folia* lata, basi articulatim sessilia, linearia, inferne paullo contracta, apice obtusiuscula, subuncinatim mucronata, uninervia, 1-1⅓ cent. longa, 2-fere 3 mm. lata, superne concaviuscula. *Folia floralia* (fere bracteae dicenda, et inflorescentia fere spicata) densa, fere imbricata, illis multum breviora, ovalia vel obovata, apice postico mucronata, omnino carinato-complicata et florem axillarem solitarium recipientia. *Flos* breviter pedicellatus, 5-6 mm. longus, virginalis cylindraceo-clavatus. *Calyx* patens truncatus a lateribus utrinque elevatus, hinc quasi bilobus. *Corolla* quinquefida, an petalo quinto toto libero?, *petalis* lineari-lanceolatis. *Stamina fertilia* 3, *filamentis* brevibus, *antheris* ovalibus luteis, polline aureo. *Filamenta sterilia* exserta, alba, bifida, laciniis planis linearibus, apice subcapitellato-involutis. *Stigma* trilobulatum.

HYPERICINEAE DC.

Endl. gen. pag. 1031. Hypericaceae Lindl. Introd. ed 2. pag. 77. Spach. in Ann. des sc. nat. 2e Ser. 5. pag. 349 sq.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Trib. I. Hypericeae. DC. l. c.

BRATHYS Spach. consp. Hyperic. in Ann. des sc. nat. 2e Ser. 1836. V. pag. 366. (ex parte).

1. **Brathys Billardieri** *Spach.* caule adscendente quadriquetro, foliis ovato-oblongis ovatove lanceolatis obtusis pellucido-punctatis, pedunculis ex dichotomia et subalternis folio longioribus caulem paniculatum exhibentibus, calyce lanceolato acuto, corolla involuta proptereaque calyce breviore, stigmatibus capitatis. Spach. l. c. pag. 367.

   Hypericum involutum DC. Prodr. 1. pag. 549. *Ascyrum involutum* Labill. Novae Holl. 2. pag. 32. t. 174.

In solo humoso arenoso ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1961 et in turfosis uliginosis ad fl. Cygnorum supra oppidulum Perth, Februario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1960.

„Flores incarnati" (Preiss).

Variat caule vel erecto fere simplici vel a basi ramosissimo. *Color* glaucescens. ♄. ♃.

Obs. Hypericum pedicellare Endl. in Enumerat. pl. Hügel. pag. 12 nisi staminibus paucioribus (8-10, cum nostrae sint circiter 30) vix differt.

BÜTTNERIACEAE Brown.

(Auctore E. T. Steudel.)

MACARTHURIA Hügel msc. Endl. gen. n. 6889.

1. **Macarthuria australis** *Hügel msc.* ramis elongatis simplicibus florentibus aphyllis sterilibus remote alternatim foliatis, foliis subspathulato-linearibus obtusis, cymis fascicularibus sessilibus bi-decemfloris squamoso-bracteatis

juxta totam ramorum longitudinem dispositis. ♄ — Endl. in Enumerat. plant. Hügel. pag. 11.

In arenosis inter frutices circa oppidulum Perth, 17. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1671.

2. **Macarthuria follosa** *Preiss. msc.* ramis elongatis simplicibus, foliis infimis lanceolatis superioribus squamaeformibus, floribus ad basin ramorum vel in ramis brevissimis radicalibus cymosis confertis. ♄.

In arenosis sylvae ditionis Perth, 18. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1672.

GUICHENOTIA Gay. Endl. gen. n. 5323. Meisn. gen. 33. (26.)

1. **Guichenotia ledifolia** *Gay.*

In colliculis arenosis insulae Rotenest, Aug. 1839, Herb. Preiss. No. 1670.

THOMASIA Gay. Endl. gen. n. 5324. Meisn. gen. 33. (26.)

1. **Thomasia macrocalyx** *Steud.* caule ramoso stellato-hispido; foliis petiolatis ovato-oblongis integris, margine subundulatis subreflexis, pilis simplicibus stellatisque utrinque obsitis; stipulis magnis foliaceis oblique ovatis; racemis oppositifoliis longissimis pedicellis basi (praeter bracteolas hypocalycinas reflexas) bracteola ovata caduca instructis; calycibus (lilacinis) demum tumidis magnis utrinque pilosis; staminibus 5, sterilibus petalisque nullis; capsula profunde trisulcata nitida puncticulato-venosa glabra, loculis dispermis, seminibus puncticulatis. ♄.

In arenosis sylvae ad fluvium Preston ditionis Wellington. Herb. Preiss. No. 1657.

Tota planta pilis stellatis vel simplicibus hispida; *petioli* 3-5 lineas longi, saepe revoluti; *folia* magnitudine varia ½-1½ pollicaria, 1½-4 lineas lata; *stipulae* magnae, sessiles, folia aemulantia, altero latere latiores, basi subcordatae; *pedunculi* elongati folio multoties longiores, basi nudi, apice subsecundo floriferi; *flores* 5-8 in pedicellis 3-4 lineas longis; ad basin pedicellorum bracteola ovata vel ovato-oblonga saepe caduca; *bracteae* calycinae 3, patentes, calycem fere aequantes, lineares; *calyx* petaloideus, amplus, violaceus, sub anthesi patens, demum subclausus, tumidus, membranaceus, fulvus.

2. **Thomasia montana** *Steud.* caule ramosissimo; ramis stellato-hispidis demum glabrescentibus; foliis petiolatis (petiolo saepe reflexo) utrinque sparsim stellato-hispidis ovatis undulatis margine reflexis; stipulis ovatis oblongis cordatis obliquis foliaceis parvulis; racemis oppositifoliis folia multo superantibus 3-5-floris; calycibus utrinque stellato et simpli-

citer pubescentibus; petalis 5 squamaeformibus; staminibus sterilibus nullis; ovario glabro. ♄.

In lapidosis cacuminis montis Bakewel, ditionis York. 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1661.

Caulis ramosissimus pilis facile secedentibus hispidus; *petioli* 3-4 lineas longi, erecti vel arcuati vel deflexi; *folia* (adulta) 4-5 lineas lata, ovata, obtusissima; *stipulae* petiolo breviores, sessiles; *racemi* folio 3-4-plo longiores, 3-5-flori; *pedicelli* 3 lineas longi, basi bracteola valde caduca, ovato-oblonga; *bracteae* calycinae lineares.

3. **Thomasia rupestris** *Steud.* caule ramoso subherbaceo, ramis stellato-hispidis; foliis brevi-petiolatis (quandoque petiolis reflexis) utrinque stellato-hispidis oblongis obtusis margine subundulatis subreflexis; stipulis oblique ovatis petiolos superantibus foliaceis; racemis oppositifoliis folia superantibus apice 3-5 floris; calycibus utrinque stellato-pubescentibus; petalis staminibusque sterilibus nullis; ovario verrucosulo (purpureo, flores parvi, fructus . . . .) 4. ♄.

In rupestribus montis Elphinstone, ditionis Plantagenet, 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1648.

Caulis ramique debiles; *petioli* 1-1½ lineas longi, plerumque erecti, rarius deflexi; *folia* parva, vix semipollicaria, ovato-oblonga, obtusa; *stipulae* oblique ovatae, sessiles vel brevissime petiolulatae foliii petiolum superantes, quandoque magnitudine auctae et ob folium delapsum vera folia sessilia mentientes; *pedunculi* filiformes, folio duplo longiores, apice racemosi, pauci (3-5-) flori; *flores* parvi.

4. **Thomasia cycnopotamica** *Steud.* fruticulosa; ramis herbaceis pilis stellatis mox evanidis hispidis; foliis (exceptis novellis stellato-hispidis) glabratis lineari-vel obovato-oblongis integris vix una alterave undula notatis; stipulis foliaceis 2-3-fidis 3-nerviis; racemis terminalibus 2-4-floris; bracteis hypocalycinis oblongis coloratis; calycis lobis medio demum subinduratis margine membranaceis; petalis staminibusque sterilibus nullis; stylo filiformi basi piloso: capsula glanduloso-pubescente. 4. ♄.

In limoso-arenosis inter frutices planitiei ad fluvium Cygnorum, 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1667.

Caulis basi fruticosus, *rami* erecti, subsimplices, pedales et ultra; ob glabritiem partium adultorum planta a reliquis hujus generis speciebus quasi aliena, apice vero et in partibus floralibus stellato-pubescentibus convenit; *folia* internodiis folia superantibus remota, vix pollicaria, oblongo-ovata, obtusa; *stipulae* petiolo longiores, foliaceae, inaequales uno latere auricula vel lobulo simplici auctae.

5. **Thomasia lucida** *Steud.* fruticulosa; ramis foliisque novellis stellato-pubescentibus, foliis mox glabratis pedicellatis oblongis vel obovatis vix undulatis lucidis; bracteis foliaceis ovatis integris vel subbilobis; racemis terminalibus paucifloris; calycibus membranaceis; capsula puncticulato-pubescente. 4. ♄.

In arenosis ditionis York, 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1645.

6. **Thomasia rulingioides** *Steud.* caule ramosissimo stellato-hispido; foliis subsessilibus lineari-oblongis subsinuato-undulatis utrinque stellato-hispidis; stipulis (relatione foliorum) magnis basi subbilobo auriculatis; racemis oppositifoliis 3-5-floris; calycibus dense stellato-hispidis; petalis squamaeformibus; filamentis sterilibus nullis; capsula sub-5-locular glabra. ♄.

In solo ferrugineo limoso vallis prope Limekilen, ditionis Perth, 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1663.

Ambigit inter Thomasiam, cui adscribenda ob petala non in ligulam producta, et Rulingiam, cui similis ob capsulam divisione duorum loculorum sub-5-locularem.

Caulis fruticulosus, basi glabrescens, sursum uti tota planta stellato-hispidus; *rami* teretes, petioli brevissimi ad summum lineam longi; *folia* parva, 5-8 lineas longa, vix 2 lata, plus minus conspicue sinuato-undulata, obtusa; *stipulae* foliaceae, longitudine folii dimidium aequantes eoque basi cum auricula fere latiores, sessiles, vix cordatae; *racemi* folio 3plo longiores.

7. **Thomasia cognata** *Steud.* caule ramosissimo stellato-hispido; foliis brevi-petiolatis oblongis subsinuato-undulatis, margine subreflexis utrinque stellato-hispidis; stipulis foliaceis oblique ovatis basi auriculatis; racemis oppositifoliis 3-5-floris folia multo superantibus; calycibus stellato-hispidis; filamentis sterilibus petalisque nullis; capsula dense villosa. ♄.

In arenoso-conchiliosis humidis vallis prope lacum insulae Rotenest, 19. Aug. 1839: et alibi in N. Holl. Herb. Preiss. No. 1660 et 1666.

Adeo similis praecedenti, ut tantum fructificationis partibus dignoscenda. *Caulis* fruticulosus, ramosissimus, basi demum glabrescens, sursum uti tota planta stellato-hispidus; *petioli* breves 1-1½ lineas longi, patentes vel raro reflexi; *folia* 4-6 lineas longa, 1-2 lata, oblonga, obtusa, margine subundulata, subreflexa; *stipulae* foliaceae, sessiles, vix basi cordatae sed lato-auriculatae; *racemi* folio 3-4-plo longiores, apice floriferi. Variat foliis minoribus, calycibus minus hispidis. Herb. Preiss. No. 1666.

8. **Thomasia angustifolia** *Steud.* fruticulosa ramis stellato-pubescentibus; foliis breviter petiolatis sublinearilanceolatis subrepando-crispulis; stipulis sessilibus oblongis quandoque auriculatis; racemis oppositifoliis folio multo longioribus 3-5-floris; pedicellis (praeter bracteam hypocalycinam) basi bracteola lineari instructis; filamentis sterilibus petalisque nullis; ovario piloso, stylo glabro. ♄.

In N. Holl. austr. occ. Herb. Preiss. No. 1634.

9. **Thomasia subhastata** *Steud.* caule diffuso ramoso demum glabrescente; ramis tenuibus piloso stellato asperis; foliis lanceolatis basi subcordato-hastatis utrinque stellato-hispidis; stipulis oblique-cordato-oblongis foliaceis petiolos subaequantibus; pedunculis hispidis apice subtrifloris foliorum longitudine; staminibus 5; petalis nullis; stylo basi incrassato germineque tomentoso. (An *T. pauciflora* Lindl. Swan-Riv. Bot. n. 81.?)

In Nov. Holl. aust. occ. Herb. Preiss. No. 1633, 1640 et 1647.

Ramuli breves, tenues; *petioli* 2-3 lineas longi; *folia* lanceolata, remota, solitaria, 6-8 raro 10 lineas longa, apice obtusiuscula, basi plus minus profunde cordata; *stipulae* obliquae petiolo breviores vel eum aequantes; *pedunculi* folii longitudine, apice subtriflori; *calyces* pallide violacei in nervo medio fulvo praesertim stellato-hispidi. Lindl. var. angustifolia? Anne *Thomasiae angustifoliae*?

10. **Thomasia pumila** *Steud.* fruticulosa pumila (vix 4-6 uncialis) superne pubescens (pilis stellatis raris, pluribus simplicibus); foliis confertis suboppositis vel ternis linearibus reflexis supra puncticulato-scabridis subtus tomentosulis; stipulis foliiformibus; racemis paucifloris; filamentis sterilibus petalisque nullis; stylo basi ovarioque piloso. 24. ♄.

In N. Holl. austr. occ. Herb. Preiss. No. 1643.

11. **Thomasia aemula** *Steud.* foliis cordatis oblongis margine reflexis supra glabris glauco-viridibus subtus stellato-tomentosis; stipulis ovatis (saepe mox caducis); racemo oppositifolio folia suprema superante (ut terminalis videatur) apice (3-) florifero; calycibus basi dense tomentosis laciniis pilosis intus glabris, ovatis acuminatis; staminibus elongatis apice (albo-rostrato-) elongatis basi subhastatis; stylo glabro basi in ovarium pilosum abeunte; floribus magnis (rubellis ½ pollicem in diametro.) 24. ♄.

In N. Holl. austr. occ. Herb. Preiss. No. 1641.

12. **Thomasia lasiopetaloides** *Steud.* caule subherbaceo simplici vix stellato-piloso; foliis cordatis oblongis infra medium vix in lobum obscurum contractis, supra scabriusculis, subtus pilis intricatis (vix stellatis) tomentosulis; stipulis (an in omnibus?) plane nullis; racemo oppositifolio folia longissime superante (ut terminalis videatur) apice pauci-(3-) floro; staminibus apice (albo-rostrato-) elongatis basi subhastatis; calyce basi hirsuto laciniis pubescentibus ovatis obtusis breviter acutis. 24. ♄.

In N. Holl. austr. occ. Herb. Preiss. No. 1636.

13. **Thomasia discolor** *Steud.* ramis petiolisque dense pubescentibus; foliis grosse sinuato-dentatis vel obtuse 5-7-9-lobis supra ad nervos pubescentibus caeterum puncticulato-scabriusculis subglabris; subtus albo-tomentosis pilisque stellatis ferrugineis plus minus dense conspersis; stipulis foliaceis pedicellatis ovatis vel subrotundis cordatis obtusissimis; sepalis (magnis rubro-lilacinis) extus ferrugineo-stellatis, intus nervo medio valido rubro striato notatis; staminibus sterilibus petalisque nullis; ovario dense villoso; stylo glabro. ♄.

In rupestribus sub umbrosis chasmatis clivuli William's-point, ditionis Plantagenet, 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1658.

Pulcherrimus fruticulus; *petioli* (in genere) elongati, in junioribus ½-in adultis 1-pollicares, validi; *folia* 1½-2½ pollices longa, basi pollicem et ultra lata, grosse sinuato-dentata vel lobata, inter lobos subintegra, apice

obtusiuscula; supra ad nervos pilis sine ordine (vix stellato-) intricatis pubescentia, caeterum ruguloso-vel puncticulato-scabra; subtus dense tomentosa, inter tomentum album pilis stellatis ferrugineis conspersa; *stipulae* breviter pedicellatae subcordatae late ovatae quandoque subrotundae, petiolo multo breviores; *pedunculi* petiolo vix longiores, paniculato-racemosi.

14. **Thomasia viridis** *Steud.* ramosissima; ramis adultis glabris novellis stellato-pubescentibus; foliis petiolatis ovatis lobato-angulatis viridibus utrinque pilis stellatis sparsim obsitis caeterum glabris subtus pallidioribus reticulato-venosis; stipulis herbaceis minutis lanceolato-ovatis; racemis oppositifoliis subpaniculatis; bracteis hypocalycinis linearibus; calycibus stellato-pilosis; staminibus sterilibus petalisque nullis; ovariis pilosis. ♄

In limoso-arenosis subumbrosis ad fluvium Cygnorum 29. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1630, 1649 et 1653.

Frutex ramosissimus, *ramis* adultis validis lignosis, junioribus tenuioribus; *petioli* (in genere) longi, folium longitudine saepe aequantes; *folia* forma et magnitudine varia, ½-1 pollicem longa, plerumque inaequaliter sinuata vel 7-5 vel 3-loba, ambitu ovata, lobis saepe vix distinctis; *stipulae* minutae, vix lineares, saepe caducae; *pedunculi* petiolos superantes, paniculato-racemosi; *flores* parvi.

Quoad descriptionem *Thomasiae foliosae* Gay nimis affinis, sed folia vix sunt cordata nec stellato-pubescentia, pilis vero stellatis sparsim obsita, caeterum glabra. Variat: ramis hirsutioribus, stipulis vix ullis, foliis fusco-viridibus.

15. **Thomasia stipulacea** *Lindl.* glabra, sed pilis ferrugineis stellatis hispidis; foliis cordatis subhastatis angulatis obtusis sinuatis, margine recurvis; stipulis magnis foliaceis petiolatis cordatis subtrilobis, latioribus quam longis; racemis secundis foliis longioribus; calyce basi hispido; staminibus 5 sterilibus subulatis; petalis nullis. Lindl. Swan-Riv. Bot. n. 79. ♄.

In Nov. Holl. occ. Herb. Preiss. No. 1635.

16. **Thomasia glabrata** *Steud.* caule ramoso glabro; ramis novellis stellato-hispidis; foliis obtuse sinuato 5-7-lobis utrinque glaucescentibus praeter pilos sparsos stellatos glabris; stipulis obovatis obtusis vel subtrilobis foliiformibus; sepalis glabris basi tantum hispidulis; filamentis sterilibus petalisque nullis; capsula dense hispidula. ♄.

In arenosis ad fluvium Cygnorum 21. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1639.

17. **Thomasia hypoleuca** *Steud.* caule ramosissimo, ramis stellato-asperis demum glabrescentibus; foliis sinuato 3-5-lobis utrinque pilis stellatis sparsim conspersis supra caeterum glabris glaucescentibus, subtus dense albo-tomentosis; stipulis polymorphis ovatis, subrotundis, cordatis integris vel sublobatis subsessilibus; floribus in racemis brevibus paucifloris praesertim versus apices ramorum; staminibus sterilibus petalisque nullis; ovario villoso. ♄.

In calcareis ad tergum montis Baldhead, ditionis Plantagenet, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1646.

Caulis valde lignosus *rami*que fusco-purpurascentes, glabrati, juniores vix stellato-hispidi; *petioli* 1-2-lineares; *folia* magnitudine varia, 4-8 lineas longa, 3-loba vel ob lobum medium iterum lobatum 5-loba, supra praeter pilos stellatos sparsos glaberrima, glaucescentia, infra albo-tomentosa, praesertim ad nervos pilis stellatis fulvescentibus sparsis obsita. Vix videtur *T. quercifolia* Gay, cui valde affinis, an var.?

18. **Thomasia macrocarpa** *Hügel.* foliis ovatis cordatis angulato-dentatis supra hirtis subtus hirsuto-tomentosis; petalis nullis; staminibus decem, alternis sterilibus; ovarii loculis biovulatis. Endl. Nov. stirp. Decades n. 40. ♄.

In saxosa ad jugum montis Darling's-range prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1654.

19. **Thomasia glutinosa** *Lindl.* foliis cordatis hastato-trilobis, supra pilosis subtus stellato-tomentosis; stipulis nullis; racemis subterminalibus erectis multifloris, pilorum fasciculis sparse stellatis glutinosis; antheris quinque rostratis; petalis nullis; stylo tenui filiformi glabro basi piloso Lindl. Swan-Riv. Bot. n. 82. ♄.

In limoso-calculosis inter frutices densos ad radices montium Darling's-range, 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1668.

LASIOPETALUM Smith. Endl. gen. n. 5325 Meisn. gen. 32. (26.)

1. **Lasiopetalum indutum** *Steud.* caule ramuloso ramisque tomento piloso-intricato demum secedente indutis; foliis linearibus (1-2 pollicaribus) sublanceolatis obtusiusculis supra glabratis (novellis pilosis), subtus intricato-piloso-tomentosis, margine subreflexis; cymis oppositifoliis calycibusque pilis ramosis (vix stellatis) intricatis tomentosis, intus basi glabris striatis; capsula pilis stellatis asperula. ♄.

In confragosis fruticosis collium, ditionis Kent, 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1655.

Rami sub tomento rufescentes; *petioli* 2-3 lineas longi, erecti, patentes vel reflexi; *folia* linearia, 1-2 pollices longa, subcoriacea, 2 lineas lata, apice basique obtusiuscula, margine plus minus perspicue reflexa, supra glabrata, sub lente tenuissime reticulata et punctulis minutissimis scabriuscula, subtus pilis albidis intricatis tomentosa; *pedunculi* axillares vel oppositifolii, folia aequantes, apice racemoso-paniculati, pauciflori; *calyces* densissime piloso-tomentosi.

2. **Lasiopetalum cordifolium** *Endl.* foliis cordatis, petalis nullis, stylo barbato. Endl. in Hügel. Enumerat. n. 33. ♄.

In rupestribus ad tergum montis Melville, ditionis Plantagenet, 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1659.

CORETHROSTYLIS Endl. Endl. gen. n. 5326.

1. **Corethrostylis membranacea** *Steud.* foliis cordatis membranaceis subdiaphanis ciliatis utrinque pilis stellatis conspersis, apice obtusis. ♄.

In arenosis colliculosis sylvae ad portum Lechenault, ditionis Wellington, 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1656.

2. **Corethrostylis coriacea** *Steud.* foliis cordatis subcoriaceis opacis utrinque pilis stellatis in adultioribus supra evanidis conspersis, apice acutiusculis. ♄.

C. bracteata Endl. (Nov. stirp. decad. n. 1.), in utraque specie sibi simillima bracteae ejusdem formae.

In N. Holl. austr. occ. Herb. Preiss. No. 1637.

KERAUDRENIA Gay. Endl. gen. n. 5327. Meisn. gen. pag. 33. (26.)

1. **Keraudrenia (?) integrifolia** *Steud.* foliis ovatis integerrimis, supra glabriusculis, subtus albo-tomentosis, pilis stellatis minutis; stipulis nullis nisi quandoque foliolo minore axillari; stylis apice liberis filamentis connatis ovarium tegentibus. ♄.

In humoso arenosis sylvae ad fluvium Cygnorum, 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1651.

Fruticulus ramosus; *rami* adulti lignosi denudati, juniores stellato-pubescentes; petioli breves lineares, raro erecto-patentes plerumque deflexi; *folia* parva, 2-4 ad summum 6 lineas longa, 2 lata, ovata, obtusa, integerrima, subundulata, supra ad marginem subinflexum pilis adpressis substellatis pubescentia, caeterum glabra, subtus pilis intricatis cinereo-albo-tomentosa; *flores* subcorymbosi; *pedicelli* ad basin bracteola lineari caduca muniti; *calyces* ebracteati, ante florescentiam densissime pilosi, petaloidei, coerulei, venosi; *corolla* nulla; *stamina* 5 libera; *filamenta* basi dilatata; *stylus* unicus, filiformis, vix 3 in unum coaliti; hinc et ob fructus defectum genus dubium, forsan novum.

FLEISCHERIA Steud.

Inflorescentia axillaris: floribus solitariis. *Bracteae* hypocalycinae nullae. *Calyx* 5-partitus, laciniis persistentibus tenuissime venosis. *Corolla* 5-petala, petala ovata basi unguiculata. *Stamina* 5 libera sterilia nulla. *Styli* 5, filiformes, apice capitati. *Capsula* depressa 5-locularis: valvis apice in conum conniventibus, dorso ruguloso-tuberculosa, loculis monospermis. *Semina* basi strophiolo subintegro cincta.

1. **Fleischeria pubens** *Steud.* ♄.

In umbrosis saxosis ad montem Mathilde, ditionis York, 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1662.

Fruticulus 2-3-pedalis; *rami* erecti, subvirgati, uti tota planta pube stellata incani; *petioli* 3-4 lineas longi, erecto-patentes vel deflexi; *folia* pollicem longa, 3 lineas lata, obtusa, oblongo-linearia, omnino integra vel subundulato-crenulata, pube stellata densa supra cinerea subtus pallide flavescente tecta; *flores* in ramulis axillares in pedunculis 4-5 lineas longis, flore majoribus; *calycis* laciniae ovatae, extus dense stellato-pubescentes, intus glabriusculae, venosae; *petala* ovata, glabra, calyce 3-4-plo breviora.

RULINGIA R.Br. Endl. gen. n. 5328. Meisn. gen. pag. 32. (26.)

1. **Rulingia corylifolia** *Grah.* foliis ovato-deltoideis, subcordatis basi lobatis, supra hispidis subtus hirsuto-tomentosis; stipulis ovato-acuminatis; corymbis oppositifoliis; filamentis antheriferis simplicibus, sterilibus ovato-lanceolatis alternantibus. Grah. in Bot. Mag. tab. 3182. ♄.

In rupestribus summitatis clivuli ad Princess Royal Harbour, 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1650.

COMMERSONIA Forst. Endl. gen. n. 5329. Meisn. gen. pag. 23. (32.)

1. **Commersonia Preissii** *Steud.* caule fruticuloso; foliis ovatis breviter petiolatis dentatis subsinuatis supra hirsutis subtus pilis simplicibus intermixtis stellatis tomentosis; cymis axillaribus terminalibusque; stylis 5 distinctis filiformibus; filamentis sterilibus petala aequantibus. ♄.

In turfoso-arenosis umbrosis ad marginem paludis inter montes Elphinstone et Melville, ditionis Plantagenet, 21. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1652.

Caulis frutescens; *rami* subsimplices, rufescentes pilis stellatis obsiti; *petioli* validi erecti, 2-3 lineas longi, dense stellato-pubescentes; *folia* magnitudine varia, 1-1½ pollicaria, grosse dentata, dentibus obtusis hinc inde sinuata, supra obscure viridia, pilis simplicibus vel substellatis hirsuta, subtus pallida pilis densioribus tecta; *ramuli* axillares, folii circiter longitudine, apice foliati et in axillis vel apice cymas gerentes; *calyces* dense stellato-hirsuti.

2. **Commersonia cygnorum** *Steud.* foliis inciso-dentatis ovatis supra sparsim hirsutis subtus piloso-tomentosulis; capsulis ovato-rotundis rigide setoso-echinatis, setis pubescentibus. ♄? 4?

Ad caput fluvii Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1642.

3. **Commersonia cinerea** *Steud.* fruticosa, ramis glabratis; foliis ovatis serrulatis supra viridi-subtus cinereo-tomentosulis; capsulis rigide setoso-echinatis, setis apice stellato-pilosis. ♄.

In planitie promontorii Cape Riche, 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1664.

Frutex humilis, ramosus; *rami* fusco-rufescentes, rariter foliati; *ramuli* abbreviati, stellato-pilosi, foliati; *petioli* vix lineares, erecti vel reflexi; *folia* variae magnitudinis, 2-10 lineas longa, ovata vel oblongo-ovata, supra pallide viridia, subtus cinereo albida velutino-tomentosa; *capsulae* majores — cerasum parvam aequantes — densissime setis validis rigidis tectae, apice fasciculo pilorum stellatorum terminatis.

MALVACEAE Juss.

(Auctore Fr. A. Guil. Miquel.)

MALVA Linn. (ex emend. Endl.) Endl. gen. n. 5271.

Sectio. Malvastrum DC. §. 3. Prodr. I. pag. 431.

1. **Malva Preissiana** *Miq.* tota pilis stellatis incano-tomentosa praeter foliorum paginam superiorem stellato-puberulam, his longe petiolatis subsemiorbicularibus obsolete trilobis vel integris irregulariter crenatis, floribus axillaribus glomeratis vel supra ramulos subspicatis, calyce exteriore diphyllo, petalis basi intus hirsutis.

Crescit in insula Penguin-Island, 14. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1893.

„Frutex 6-8-pedalis". *Ramuli* teretes, subflexuosi, petioli subsemiteretes, 3-7 cent. longi, folia subtus, pedunculi calycesque pilis stellatis incano-tomentosa. *Folia* subcoriacea, marginibus irregulariter crenatis rigida, supra sparse stellato-puberula, semiorbicularia, basi subcordata vel truncata, integra vel angulato-subtrilobulata, quinquenervia nervis subtus prominentibus, 3½-6 cent. lata, parumper breviora. *Stipulae* lanceolatae membranaceae. „*Flores* albi" axillares, fasciculati vel supra ramos axillares foliis breviores subspicatim conferti (foliis scil. diminutis vel abortivis) ipsumque ramum terminantes, *pedunculis* sursum parumper incrassatis 3-8 mm. longis. *Calycis exteriores* phylla 2 obovato-rotundata calycis basi adnata ipsaque inferne cohaerentia, 4-5 mm. longa. *Calyx interior* campanulatus 7-8 mm. longus, phyllis lato-ellipticis, acutis. *Corollae* 1½ cent. circiter longae, semiexpansae, petala obovata apice emarginata, basi valde contracta, intus hirta. *Tubus stamineus* glaber ½ brevior. *Fructus* depresso-placentiformis, calyce clauso inflato inclusus, *carpellis* 10, dorso uninerviis, marginibus undulato-rugulosis, apice subbicornibus, *semine* reniformi nigricante.

HIBISCUS Linn. Endl. gen. n. 5277.

1. **Hibiscus (Bombicella) hakeaefolius** *Giordano.* caule fruticoso; foliis anguste linearibus teretibus integris trifidisque, pedunculis clavatis angulatis, involucro gamophyllo sexdentato, calyce quinquepartito, corolla patente, stigmate clavato indiviso, capsula 5-loculari 5-valvi polysperma, seminibus lanatis. *Giordano, Memoria sopra di una nuova specie d'Ibisco.* Napoli 1833.

Crescit in solo humoso ad caput fluvii Cygnorum, 14. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1342.

„Frutex 4-pedalis".

Forma dentibus calycis externi aliquando 5, matura deflorata.

Crescit in glareosis sterilibus sylvae prope planitiem Quangen, distr. Victoria. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1838.

„Frutex 8-10-pedalis. *Flores* violaceo-coerulei", mihi incogniti et ulterius cum iis praecedentis comparandi.

2. **Hibiscus (Bombicella) coronopifolius** *Miq.* caule fruticoso, foliis (planis) linearibus integerrimis vel plerumque sursum dilatatis tridentatis et quinquefido-dentatis, involutis glabris, pedunculis axillaribus solitariis folio brevioribus clavatis angulato-sulcatis, calycis exterioris dentibus 6-7, interiore quinquepartito, capsula elliptica puberula quinqueloculari quinquevalvi.

Crescit in solo sublimoso ad fluvium Avon haud longe a praedio rustico D. Burges, distr. York, 13. Mart. 1840, capsulis maturis Herb. Preiss. No. 1337.

Hib. hakeaefolio habitu et capsulis simillimus, sed foliis planis nec teretibus, plerisque grosse dentatis, (in sicco) involutis distinctissimus. „Frutex 2½ pedalis". *Rami* ramulique teretes, hi virides cicatricibus foliorum fuscis maculati, illi fuscescentes. *Folia* dilute viridia, glabra, subcoriacea, majora inferne angustissime linearia, sursum dilatata et varie dentato-incisa, minora omnino linearia et involuto-teretia, 2½-5½ cent. longa, illa 4-8 mm. versus apicem lata. *Pedunculus* prope basin articulatus, 3 cent. circiter longus. *Calyx exterior* in nostris 6-7-irregulariter brevi-dentatus. *Capsula* matura (delapsis seminibus) fuscula, minute stellato-puberula, subelliptica 1½ cent. longa. *Flores* haud visi.

3. **Hibiscus (Azanza?) Hügelii** *Endl.* caule fruticoso, ramis floccoso-puberulis, foliis glabriusculis ovatis tri-quinquelobis, lobis cuneatis inciso-pinnatifidis, pedunculis axillaribus unifloris teretibus, calyce exteriore sinuato-12-dentato, interiore quinquefido, corolla semiexpansa extus pubescente, stigmate clavato indiviso, capsula lanata 5-loculari polysperma. — Endl. Enum. plant. Hügel. pag. 10.

Crescit in arenosis inter frutices densos ad fluvium Cygnorum haud longe ab urbiculo Freemantle, 5. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1341.

„Frutex 6-10-pedalis. *Flores* incarnati". — Differt parumper a phrasi Endlicheriana: ramis haud tomentosis sed floccoso-puberulis cito glabratis,

calyce exteriore 12-dentato. *Petala* lutea purpureo-unguiculata ab *Endlichero* dicta, in sicco ita vides, sed viva ex *Preissio* incarnata sunt.

4. **Hibiscus (Bombicella?) Meisneri** *Miq.* caule fruticoso, ramis petiolis pedunculis calycibusque hirto-tomentosis, foliis petalisque extus hirtello-pubescentibus, illis tri-vel subquinquepartitis, lobis oblongis sinuato-pinnatifidis dentatis, floribus axillaribus solitariis longe pedunculatis, calycis externi phyllis 10 angustissime linearibus, interno quinquefido, tubo stamineo corolla ampla quater breviore,? capsula quinqueloculari quinquevalvi, loculis polyspermis.

Crescit in solo coenoso exsiccato ad marginem lacus Mathilde, distr. Hay. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1336.

„Frutex 8-pedalis, gracilis, floribus lilacinis". *Foliorum* forma praecedenti similis, sed calycis exterioris indole longe recedens. *Ramuli* angulosi, subtetragoni, pilis stellatis sublutescentibus hirti. *Folia* (superiora) *petiolis* hirtis 3-4 cent. longis sustenta, submembranacea, utrinque pilis pauci-stellatis et subsimplicibus hirtella, circumscriptione cordato-ovata, 4-6 cent. longa, tri-vel quinquepartita (lobis infimis tunc reliquis multo minoribus) segmentis pinnatifido-incisis, oblongis, versus basin contractis, irregulariter crenato-dentatis. *Stipulae* angustissime lineares, hirtae, 1½ cent. longae. *Pedunculi* axillares, solitarii, 10 cent. circiter longi, dense lutescenti-hirti, versus apicem *folio minuto* petiolato trilobo ac stipulato vel abortivo bracteaeformi instructi, uniflori. *Calycis extertoris* phylla 10, angustissima, linearia, hirta, subpatula 1 cent. circiter longa. *Calycis interni* quinquepartiti 2 cent. superantis lobis lanceolato-acuminatis, nervosis, dense hirtis. *Corolla* semiexpansa, 5 cent. longa, extus pilis stellatis hirtella, in sicco violacea. *Tubus staminеus* corolla quater circiter brevior, *stigmatibus* quinque. *Capsulae* adsunt effoetae (de quibus autem non constat an huc pertineant) hirtellae, ellipticae, quinqueloculares, quinquevalves.

5. **Hibiscus (Bombicella?) Pinonianus** *Gaudich.* fruticosus foliis subrotundo-ovatis 3-5-lobis crenato-serratis utrinque ramulisque tomentosis flavido-canescentibus; floribus terminalibus et axillaribus solitariis; foliolis calyculi lineari-subulatis; stylo 1; stigmate clavato-capitato, seminibus hirsutissimis. — Gaudichaud It. Frey. Bot. pag. 476. tab. 100.

Crescit in solo sublimoso-arenoso promontorii Cape-Riche, 22. Nov, 1840. Herb. Preiss. No. 1340.

„Frutex tripedalis".

6. **Hibiscus (Bombicella?) grossulariaefolius** *Miq.* totus lutescenti-stellato-tomentosus, foliis brevius petiolatis coriaceis subrugosis cordato-rotundatis, tri-vel subquinquelobis lobis obovatis obtusis incisis crenatis marginibus subundulatis, floribus axillaribus solitariis breviter pedunculatis, calycis exterioris octofidi dentibus lineari-subulatis, interni quinquefidi laciniis lanceolatis, styli tubum stamineum longe superantis stigmate capitato, an semigloboso?

Crescit in solo coenoso ad marginem lacus Mathilde distr. Hay. 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1339.

„Frutex 4-6 pedalis", totus pilis stellatis lutescenti-tomentosus. *Ramuli* angulati, subtetragoni. *Petioli* ½-1½ cent. longi, teretiusculi. *Laminae* supra sparse subtus dense luteo-hirtae, tri-vel subquinquenerves, nervis supra canaliculatis, subtus prominentibus, 2-2½ cent. longae, cordato-rotundatae trilobae vel lobis lateralibus subbifidis quinquelobae, lobis incisis crenatisque. *Stipulae* lineari-filiformes, hirtae, 8 mm. circiter longae. *Pedunculi* axillares solitarii, 2 cent. circiter longi, paullo supra medium *bracteis* linearibus instructi. *Calyx exterior* 8 mm. circiter longus, ultra medium in dentes lineares sinuato-partitus. *Interioris* 1½ cent. longi laciniae lanceolato-acuminatae. *Corolla* fere expansa, 3½ cent. longa, in sicco violacea, pilis stellatis luteis extus sparse vestita.

SIDA Linn. Endl. gen. n. 5289.

Malvinda §. palmatilobae DC. Prodr. I. pag. 465.

1. **Sida leiophloia** *Miq.* radice fusiformi, caule herbaceo erecto parce ramoso laevissimo glabro, foliis longius petiolatis, 5-6-lobatis, lobis oblongis incisis vel dentato-crenulatis, utrinque pilis plerumque simplicibus sparse puberulis, floribus axillaribus binis ternis pluribusque ad ramulorum apices paniculatis, longe pedunculatis, calycis quinquefidi semiglobosi glabri lobis ovatis acutatis, carpellis 5-6 acuminato-rostratis.

Crescit in distr. Wellington. 5. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1896.

Species procul dubio nova e specimine paene aphyllo et effoetis tantum fructibus instructo haud perfecte describenda. — E *radice* fusiformi albicante 12 cent. longa et 8 mm. apice crassa, *caules* duo metrum circiter alti exsurgunt, teretes, atrovirides, glabri *laevissimi*, remotis foliorum cicatricibus instructi, simplices, apice in *ramos florifferos* paniculatos partiti, *ramulis pedunculisque* angulosis subtetragonis. *Folia* (e fragmentis foliorum summorum) *petiolis* 3 cent. longis sustenta, rotundata, 5-6-loba, 1-2 cent. longa. *Flores* ex axillis foliorum bini, terni, quini, *pedunculis* variae longitudinis 2-5 cent. longis. *Calycis* lobi trinerves cum 2 nervulis minoribus. *Carpella* subtriquetra, glabra, monosperma, rostellata.

2. **Sida (Malvinda) rupestris** *Miq.* radice tenui-fusiformi, caulibus pluribus prostratis herbaceis, foliis longe petiolatis cordato-rotundatis tri-vel quinquelobo-partitis, lobis obovatis oblongisve, subtridentato-incisis, junioribus utrinque stellato-pubescentibus, adultis subglabris pilis simplicibus, floribus axillaribus solitariis, pedunculis petiolo brevioribus, calycis quinquefidi junioris hirtelli, maturi glabri semiglobosi lobis lato ovatis acutis trinerviis, carpellis 5-8, rostellatis.

Crescit in rupestribus insulae Mistakenisland. 12. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1897.

Herba, an perennis? *Radix* perpendicularis, albicans, tenui-fusiformis, 10 cent. longa. *Caules* plures, an humifusi? glabri, teretes, ramosi, 10-20 cent. longi. *Partes juniores* stellato-hirtellae, *adultae* glabrae vel subglabrae, pilis simplicibus. *Petioli* 1½-4 cent. longi. *Laminae* membranaceae, 1½

cent. longae et latae. *Pedunculi* ½-1 cent. longi, plerumque solitarii. *Calyces juniores* cylindracei, basi subglobosi, *adulti* effoeti semiglobosi.

3. **Sida (Malvinda) Hookeriana** *Miq.* herbacea erecta, caule glabro subterete, foliis longe petiolatis cordato-rotundatis, 5-7-pedatisectis, lobis oblongis incisis et serrato-dentatis, junioribus substellato-puberulis, adultis subglabris, floribus brevius pedunculatis axillaribus solitariis vel aggregatis supra ramulos axillares subracemose confertis, pedunculis puberulis, petalis albis, carpellis octo (immaturis) subrostellatis.

Crescit in arenoso-conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest, 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1894.

„Herba bipedalis erecta, floribus albis". *Caules* laeves glabri teretiusculi, *ramulos axillares florentes* exserentes inque tales terminati. *Partes* juniores puberulae, adultae subglabratae. *Folia* longe petiolata, nascentia pilis stellatis subhirtella, adulta pilis simplicibus sparsis vel nullis. *Petioli* 4-8 cent. longi; *laminae* membranaceae, 3-3½ cent. longae. *Stipulae* tenero-membranaceae subscariosae, glabrae, lanceolatae, 5 mm. longae. *Pedunculi* ⅓-1 cent. longi. *Calycis* lobi ovato-acuminati, glabri; tubus sparse pilosus, cito glabratus. *Calyx* 6 mm. longus; *petala* alba paullo longiora.

LAWRENCIA Hook. Hook. Icon. tab. 261 et 262. Endl. gen. Suppl. III. pag. 79.

1. **Lawrencia squamata** *Nees ab Esenb.* fruticosa, ramis nudis, ramulis floriferis fasciculum foliorum exhibentibus unifloris, foliis crassis lanceolato-linearibus squamatis.

In planitie arenosa hieme aqua inundata ad fluvium Southern River, Perth, Septembri 1841. Herb. Preiss. No. 1231.

„Frutex 1½ pedalis floribus dioicis." *Caules* ramosi, distorti, rugosi, fusci. Ramulorum loco fasciculi foliorum 2-5. *Folia* 4-5 lin. longa, ⅔ lin. lata, acuta, supra canaliculata, subtus obtuse carinata, squamis orbiculatis adspersis peltatis puncto medio obscuriori tanquam poro notatis micantibus dense vestita, elaeagnoidea. *Stipulae* parvae triangulares scariosae, fuscae, persistentes. *Flos* in centro fasciculi solitarius, subsessilis, a folio summo cum ejus stipulis suffultus. *Calyx* 2½ lin. longus, ovalis, quinquangularis, coriaceus, ore quinquefido clauso, squamatus sicut folia. *Corolla* longitudine calycis, tenera, rosea, infundibuliformis, ad medium usque quinquefida, laciniis obovato-cuneiformibus, obliquis. *Tubus* stamineus tubo corollae cohaerens, limbum aequans, in floribus ♂ paulo longior. *Filamenta* propria brevia 20 in flore ♀ in flore ☿ decem. *Antherae* unilocellatae, reniformes, rima verticali dehiscentes. In flore hermaphrodito styli 2-4 (5?), filamentis longiores, crassi, acuti, purpurei, introrsum stigmatosi. *Fructus* immaturus calyce corollaque marcescente vestitus, oblongus, trilocularis, loculis uni-biovulatis, nescio an in carpella secedens.

Obs. Differt a *Lawrencia glomerata* Hook. foliis integerrimis et floribus solitariis. (N. ab E.)

PHYTOLACCACEAE Endl. gen. pag. 975.

GYROSTEMON Desf. Endl. gen. n. 5264. Meisn. gen. pag. 235.

1. **Gyrostemon ramulosum** *Desf.* caule diffuso, ramis prostratis ramulosis, foliis lineari-semiteretibus. Desf. in Annal. du Mus. 6. tab. 17. — 8 tab. 10. fig. a. Endl. in Enumerat. plant. Hügel pag. 10.

In arenosis calcareisque inter frutices prope urbiculum Freemantle (Perth), m. Decembri 1838. Herb. Preiss. No. 1234.

„Frutex prostratus, ramis elongatis ramulosis."

CARYOPHYLLEAE Juss.

(Auctore F. T. Bartling.)

Subordo I. Paronychiae.

LEPIGONUM Fries. Wahlbg. (Spergularia Pers. Endl. gen. n. 5218.)

1. **Lepigonum brevifolium** *Bartl.* glanduloso-pubescens: caulibus simplicibus, internodiis compressis; foliis internodio brevioribus lineari-filiformibus supra planiusculis; cyma pauciflora aequali; pedicellis calyce sesquilongioribus; sepalis corollam aequantibus, capsula trivalvi subduplo brevioribus; seminibus immarginatis granulato-asperis.

In solo sublimoso vallis prope praedium rusticum Dom. Philips (Victoria) d. 19. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1945.

Caules digitales, simplices, erectiusculi, cum foliis pedicellis calycibusque glanduloso-pubescentes, internodiis compressis, intermediis subpollicaribus. *Folia* internodio duplo triplove breviora indeque remota, lineari-filiformia, supra planiuscula, subtus convexa, acuta mutica. *Cyma* terminalis dichotoma, regularis 5-7-flora. *Pedicelli* calyce circiter sesquilongiores, tenues, florentes et fructus maturos gerentes stricti, erecti, deflorati horizontales. *Calyx* 2 lin. fere longus, sepalis ovato-oblongis, obtusis, uninervibus, interioribus anguste membranaceo-marginatis. *Petala* alba, ovata, calycem subaequantia. *Stamina* 10, sepalis triplo fere breviora. *Capsula* calyce subduplo longior, trivalvis, valvulis superne recurvis. *Semina* parva, nigra, cuneato-semirotunda, immarginata, exalata, granulis minutis acutis aspera.

2. **Lepigonum anceps** *Bartl.* caulibus adscendentibus glabris, internodiis superioribus compresso-ancipitibus; foliis lineari-filiformibus mucronatis utrinque planiusculis; cyma subracemosa multiflora glanduloso-pubescente; pedicellis calyce pluries longioribus gracilibus; petalis (rubris) calycem aequantibus; capsula trivalvi calyce vix longiore; seminibus immarginatis.

In arenosis prope praedium rusticum Cl. Nash (Perth,) d. 10. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1944.

Caules spithamaei, adscendentes vel erectiusculi, glabri, parce ramosi, ramis plerisque abbreviatis. Internodia ½-2-poll. longa, ima teretiuscula, superiora eximie compresso-plana ancipitia. *Folia* caulina internodio saepissime breviora, ramulorum subfasciculata, carnosa. *Stipulae* ut in congeneribus. *Cyma* subfastigiata multiflora, pedunculis pedicellis calycibusque pilis articulatis glanduliferis patentibus parce glanduloso-pubescentibus. *Pedicelli* tenues capillares fere, demum 9-12 lin. longi, florentes erectiusculi vel sub nutantes, defiorati saepe refracti, fructus maturos gerentes iterum erecti stricti. *Sepala* vix sesquilineam longa, anguste ovato-oblonga, uninervia, rotundato-obtusa, interiora margine lato membranaceo. *Petala* calyce vix longiora, ovato-oblonga, rubra, persistentia. *Stamina* 10, sepalis duplo breviora. *Capsula* anguste ovata, calyce vix longior, trivalvis, valvulis apice parum recurvis. *Semina* immatura immarginata: matura desunt.

3. **Lepigonum laxiflorum** *Bartl.* caulibus adscendentibus subpubescentibus, internodiis teretiusculis; foliis linearifiliformibus submucronatis utrinque planiusculis, internodio brevioribus; floribus inferioribus axillaribus remotis, summis subcymosis; pedicellis elongatis gracillimis; petalis (pallide rubellis) calycem aequantibus; capsula trivalvi calycem subsuperante; seminibus immarginatis minutissime granulatis.

In arenoso-conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest d. 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1943.

„Herba prostrata. *Flores* rosei". *Semina* perparva cuneato-subtrigona, obscure fusca.

A *L. ancipiti*, cui proxime affine, differre videtur: *caulibus* a basi parce pubescentibus ramosioribus, ramis magis elongatis, internodiis longioribus omnibus fere teretibus; *pedicellis* gracillimis longioribus, omnibus fere remotis axillaribus solitariis vel alaribus, ultimis solummodo subcymosis, defloratis vix refractis sed potius patentibus vel horizontalibus; *floribus* paulo minoribus; petalis pallidioribus; denique capsulis calyce evidenter longioribus, valvulis magis recurvis.

Subordo III. Alsineae.

CERASTIUM Linn. Endl. gen. n. 5241.

1. **Cerastium glomeratum** *Thuill.* caule erecto vel adscendente; foliis subrotundis ovalibusque, inferioribus in petiolum angustatis; paniculae ramis glomeratis; bracteis omnibus herbaceis calycibusque apice barbatis; pedicellis fructiferis calycem aequantibus brevioribusque; petalis ca-

lycem subaequantibus. Koch. syn. ed. 1. pag. 121. — *C. ovale* Pers. syn. 1. pag. 521.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1949. in arenosis prope lacum insulae Rotenest d. 21. Aug. 1839.

Subordo IV. Silenbae.

SILENE Linn. Endl. gen. n. 5248. Meisn. gen. pag. 24. (21.)

1. **Silene gallica** *Linn.* annua: racemis terminalibus plerumque geminatis viscoso-pubescentibus; floribus alternis; calyce tubuloso hirsuto, fructifero ovato, dentibus lanceolato-subulatis; petalis obovatis indivisis integerrimis denticulatis emarginatisve; foliis anguste oblongis, inferioribus obovatis. — Vaill. bot. par. tab. 16. f. 12.

In solo humoso prope Woodbridge, Perth, d. 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1950.

Calyces fructigeri in pedicellis adscendentibus erectiusculi.

PORTULACEAE Juss. Endl. gen. pag. 946.

Tribus II. Aizoidbae Endl. l. c.

(Auctore F. A. G. Miquel.)

TETRAGONELLA Miquel.

Calyx liber, quadrifidus, limbi laciniis ellipticis comosis, praefloratione subimbricatis. *Corolla* nulla. *Stamina* 12, ante et inter sepala disposita, *filamentis* filiformibus, *antheris* erectis oblongis bilocularibus, loculis oppositis, rima laterali antice hiantibus. *Ovarium* liberum, triloculare? loculis uniovulatis? *Stigmata* 3 vel 2, exserta, subclavato-teretia, hispidula.

Herba succulenta, glabra, crystallino-papillosa, *foliis* alternis vel in ramulis abbreviatis subfasciculatis, lanceolato-ellipticis comosis, *floribus* axillaribus solitariis longe pedunculatis.

Genus e siccis speciminibus fructibusque carentibus aegre extricandum, *Tetragoniae* et *Galenlae* affine, ab illa *stigmatibus*, *ovario*que libero, et ab hac *staminum* situ satis diversum.

1. **Tetragonella amplexicoma** *Miq.*

Crescit in clivulis arenosis insulae Rotenest, 19. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2393.

„Herba ramis intricatis, floribus flavis." *Rami* filiformi-teretes, glabri, epidermide fibrosa. *Ramuli* alterni, vagi, foliorum fasciculatorum vestigiis tuberculati, juniores papillosi. *Folia* alterna, plerumque supra ramulos contractos fasciculata, comosa, in sicco submembranacea, glabra vel glabriuscula, flaccida, obsolete uninervia, non nisi ad lentem fortiorem parce venulata, elliptico-lanceolata, obtusa vel obtusiuscula, basi in petiolum longiusculum attenuata, cum petiolo 3-4½ cent. longa, ½-fere 1½ cent. lata. Bases petiolorum post folia lapsa persistentes incrassatae. *Flores* axillares, solitarii, *pedunculis* filiformibus sursum parumper incrassatis 1-2 cent. longis sustenti, virginales obovati, florescentes obovato-semiglobosi, 2-3 mm. longi. *Calycis* succulenti quadrifidi laciniae ellipticae. *Stamina* 12, vix exserta (duo ante singulas calycis laciniasf alia inter sinus disposita?) *filamentis* subulato-filiformibus; *antheris* laete luteis. *Stigmata* staminibus paullo longiora, in sicco nigricantia.

Tribus V. Calandrinieae. Endl. l. c. pag. 950.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

TALINUM Adans. Endl. gen. n. 5178. Meisn. gen. pag. 130. (94.)

Sectio inter b et c media. *Stylus* usque ad basin fere tripartitus, *stigmatibus* filiformibus divergentibus attenuatis. *Placenta* brevis. Plantae humiles, annuae, Novam Hollandiam incolentes. — *Petala* deflorata inferne in tubum cohaerentia, fructum calyptrae ad instar tegentia.

1. **Talinum nanum** *N. ab E.* caule basi ramoso ramis lateralibus procumbentibus adscendentibus apice caulis brevissimi longioribus, foliis carnosis alternis sessilibus oblongis obtusis subtus convexis supra depressis, floribus in racemum terminalem simplicem subsecundum tam caulis quam ramorum dispositis brevipedicellatis.

In depressis arenosis umbrosis ad ripam fluvii Cygnorum supra oppidulum Perth, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1930.

Planta vix pollice altior, *radice* tenui recta subsimplici. *Rami* simplices, inferiores caule sub duplo longiores, terrae incumbentes, adscendentes, apice racemiflori sicuti et caulis apex. *Folia* vix unguicularia, glabra, demum defluentia; superiora vix lin. longa, obovata. *Racemus* scorpioideus videtur, flexuosus, e cyma proficiscens, ebracteatus, vel ubi bractea accedit, huc laterali, nec pedicello subjecta. *Pedicelli* ½-1 lin. longi. *Flos* 2 lin. latus („sordide albus." Preiss.). *Calycis* foliola ovato-subrotunda, herbacea, decidua relicto disco orbiculari capsulam suffulciente. *Petala* quinque, oblonga, calyce duplo longiora, patentia, libera. *Stamina* 10; *filamenta* basi dilatata;

antherae ovales, locellis discretis parallelis. *Stigmata* longa. *Capsula* rigida, chartacea, nitida, petalorum marcescentium calyptra involuta, ovato-subglobosa, obsolete trigona, trivalvis, in nostris autem clausa valvulis arcte cohaerentibus. *Semina* funiculis longis erectis placentae basilari brevi adfixa, multa, parva, ovali-lenticularia, striata, fusca.

Propter stylum ad basin ferme divisum, et vitam annuam cum sectione secunda (Talinastro) conjungi nequit, a genere autem tam diu haud removendam esse hanc speciem censeo, dum in eo restant sectiones Talinellum et Eutmon.

CALADRINIA H. B. K. Endl. gen. n. 5179. Meisn. gen. pag. 130. (94, 357.)

1. **Calandrinia liniflora** *Fenzl.* glaberrima, caulibus (ex una radice pluribus) simplicibus adscendentibus, foliis lineari-filiformibus teretiusculis carnosis basi attenuatis, racemo laxo terminali, petalis 5 late obovatis sepalis ellipticis mucronulatis subtriplo longioribus, staminibus 10 basi in annulum membranaceum connatis. Fenzl in Endl. Enumerat. pl. Hügel pag. 52. n. 172. Walp. Rep. 2. pag. 236. n. 22. (*C. linifolia* errore calami.)

In arenosis ad fluvium Cygnorum, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 1952. ⊙

2. **Calandrinia polypetala** *Fenzl.* glaberrima, caulibus adscendentibus, foliis teretiusculis filiformibus, racemo laxo terminali, petalis 8-10 oblongis ellipticisve integerrimis roseis sepala ovato-subrotunda duplo superantibus, staminibus 8-10 in annulum membranaceum basi connatis.

α. caulibus simplicibus, racemo terminali *simplici* vel inferiori minori aucto.

Calandrinia polypetala Fenzl in Endl. Enumerat. pl. Hügel. pag. 51. n. 171. Walp. Rep. 2. pag. 236. n. 21. (Swan River, Hügel.)

β. **composita.** caule supra basin in ramos multos fastigiatos basi simplices a medio inde composita racemosos diviso.

In arenosis prope oppidulum York, Octobri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1951. „Herba annua, humifusa. *Flores* rosei.“ (Preiss.)

3. **Calandrinia calyptrata** *J. Hook.* caule ramosissimo ramis valde diffusis, foliis lineari-spathulatis, superioribus (supremis) minutis bracteiformibus, pedunculis circa ramorum apicem axillaribus elongatis post anthesin deflexis, petalis in corollam calyptriformem conniventibus. — Hook. Icones plant. t. 296. Walp. Rep. 2. pag. 236.

In arenosis insulae Rotenest, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 2400.

Petala 5, distincta ut in reliquis, sed tenerrima et apicibus denique marcescendo conglutinata, quo facto corolla calyptrae ad instar capsulae

vertici inhaeret. *Stamina* 5. *Stigmata* 3, subsessilia, clavata. *Calyx* ad $^3/_4$ bifidus. — Est planta digitalis et humilior, *Montiae* habitu, laxa, irregularis, floribus parvis. *Radix* simplex, annua.

„Flores pallide rosei.“ (Preiss.)

MESEMBRYANTHEMEAE Fenzl. in Ann. Wien. Mus. 1. pag. 347, 349. Endl. gen. pag. 945.

MESEMBRYANTHEMUM Linn. Endl. gen. n. 5163. Meisn. gen. pag. 129. (93.)

§. 18. Humillima DeC.

1. **Mesembryanthemum australe** *Ait.* (?) caule semitereti reptante, foliis triquetris glaucescentibus punctulatis laevibus incurvantibus, pedunculis obtuse ancipitibus basi bibracteatis. H. Kew. 2. pag. 187. Haw. synops. pag. 241. ed. Schrank. pag. 261. DeC. Prodr. 3. pag. 428. n. 103. Salm-Dyk. 3. n. 12.

? Var. pedunculo (solo obvio, fructifero) subtripollicari.

In districtu Victoria, Martio, J. Drummond legit. Herb. Preiss. No. 1909. Specimen nimis incompletum.

§. 20. Acinaciformia Salm-Dyk.

2. **Mesembryanthemum virescens** *Haw.* caulibus (crassis) decumbenti-prostratis, foliis subinaequilateri-triquetris subvirentibus, pedunculis terminalibus solitariis alato-ancipitibus, calyce quadrifido, stigmatibus octo filiformibus. Haw. Syn. pag. 236. ed. Schrank. pag. 260. DeC. Prodr. 3. pag. 429. n. 117. Salm-Dyk Monograph. 3. t. 93. (secundum Walp. Repert. 2. pag. 268.), quae tabula in nostro hujus operis exemplo deest.

In arenosis prope oppidulum Freemantle, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1908.

„Prostratum, ramis valde elongatis. *Folia* triangularia, subacinaciformia. *Flores* laete purpurei. Ab incolis Colonial-Figs et ab aboriginibus, qui fructum comedunt, Kolbōje appellatur.“ (Preiss.)

Apud Candollium l. c. pro „*petiolis* basi albis“ legendum „*petalis* basi albis.“

FRANKENIACEAE St. Hilaire. Endl. gen. pag. 913.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

FRANKENIA Linn. Endl. gen. 5053. Meisn. gen. pag. 22. (20.)

1. **Frankenia fruticulosa** *DeC.* foliis linearibus acutiusculis margine revolutis glabris basi non ciliatis, caulibus erectis glabris; calycibus acutis glabris. DeC. Prodr. 1. pag. 350. n. 13.

In arenosis exsiccatis inter Restiones ad ripam fluvii Cygnorum prope Peninsulam, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1283.

„Suffrutex 2-3-pedalis, ramis intricatis. *Flores* incarnati.“ (Preiss.)

DROSERACEAE DeC. Endl. gen. pag. 906.

DROSERA Linn. Endl. gen. n. 5033. Meisn. gen. pag. 22. (19.)

Sect. I. Rorella DC. Prodr. I. pag. 317.

§. 1. Acaules.

1. **Drosera platystigma** *Lehm.* foliis minimis orbiculatis petiolatis supra margineque glanduloso-ciliatis, stipulis scariosis, scapo simplici erecto uni-paucifloro calyceque pauciglanduloso, stylis tribus indivisis, stigmatibus peltatis. Lehm. Pugill. VIII. pag. 37.

In solo glareoso inter frutices densos Plantagenet prope „Seven miles bridge,“ d. 20 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1994.

Planta pulchella, humilis. *Folia* numerosa, conferta, rosulata, terrae adpressa, cum petiolo 2 lineas longa. *Lamina* exacte orbicularis, pagina inferiore glabra, superiore glandulis sparsis versus marginem crebrioribus obtecta, margine longe glanduloso-ciliata: ciliis laminam aequantibus. *Petiolus* lamina duplo fere longior. *Stipulae* ad basin petiolorum scariosae, albae, margine serratae, a basi ad medium usque indivisae, dein trifidae, laciniis lateralibus plerumque bifidis, intermedia trifida, interdum vario modo laciniatae: laciniis lanceolatis. *Scapus* erectus, pollicaris, tenuis, apice

1-3 florus, glandulis nonnullis minutis instructus. *Sepala* ovata, acuta, basi angustata, extus glandulosa. *Petala* obovata, calyce triplo longiora, 2-2½ lineas longa, 1½ lin. lata, pulchre punicea, venis saturatioribus striata. *Filamenta* glabra, calycem aequantia; antherae oblongae, longitudinaliter dehiscentes. *Ovarium* sphaericum, glabrum, subcoloratum. *Styli* tres, simplices, stamina subaequantes, diaphani, stigmatibus peltatis nigris.

2. **Drosera pulchella** *Lehm.* foliis parvis orbiculatis petiolatis supra margineque glanduloso-ciliatis, stipulis scariosis, scapo adscendente simplici paucifloro calyceque pauciglanduloso, stylis 5, stigmatibus linearibus papillosis. Lehm. l. c. pag. 38.

In districtu Plantagenet ad Stirling's-terrace locis turfosis arenosis d. 8 m. Sept. 1840. Herb. Preiss No. 1992.

Herba bipollicaris. *Folia* rosulata terrae adpressa, in statu sicco laete viridia. *Lamina* orbicularis petiolo plano, bilineari, glabro duplo brevior. *Cilia* marginem cingentia basi sunt latiora longitudine fere folii. *Stipulae* scariosae prope basin foliorum omnino ut in *Drosera Platystigmate*. *Scapi* adscendentes plerumque bipollicares, glandulis minutis instructi. *Pedunculi* 2-4, breves, in modum racemi dispositi, inferiores lineam longi. *Petala* obovata, basi cuneata, calyce plus quam duplo longiora, rosea, striis saturatioribus longitudinalibus. *Stamina* quinque: antheris longitudinaliter dehiscentibus. *Styli* 5, indivisi: stigmatibus lateralibus elongatis papillosis. *Semina* oblonga, nigra, subpunctata.

Obs. D. Platystigma valde affinis; sed diversa foliis majoribus, scapo adscendente praesertim floribus minoribus, stylorum numero, stigmatibusque elongatis non peltatis.

3. **Drosera pygmaea** *DC.* foliis minimis orbiculatis subpeltato-petiolatis supra margineque glanduloso-ciliatis, stipulis scariosis, scapo simplici erecto paucifloro calyceque subglanduloso, stylis tribus indivisis, stigmatibus elongatis lineari-subclavatis. — DC. Prodr. 1. pag. 317.

Drosera micrantha Lehm. l. c. pag. 39.

Rarissime occurrit in locis arenosis prope oppidulum Perth, d. 26 m. Sept. 1839 lect. Herb. Preiss. No. 1995.

Radix e fibrilis paucis, filiformibus, simplicibus, brunneis constat. *Folia* numerosa, dense rosulata, inferiora terrae adpressa, plerumque rufescentia, superiora in statu sicco obscure viridia, omnia 2 lin. longa. *Lamina* orbiculata, semilinearis, non sensim in petiolum attenuata sed subpeltato-petiolata. *Pili* glandulosi marginem foliorum cingunt et laminam longitudine superant. *Stipulae* scariosae ad basin petiolorum, margine serratae, acute trifidae, lobis iterum divisis in lacinias plures setaceas. Hae stipulae in apice rosularum saepe dense aggregatae, imbricatae, bulbillum referunt album ut in *Drosera Platystigmate* et *pulchella*, sed in his bulbillus ob folia majora minus conspicuus est. *Scapus* pollicaris, rarius bipollicaris, filiformis hinc inde glandulis minutis instructus, rarius glaber et subnitidus, apice 2-6-florus. *Pedunculi* breves vix semilineam longi, ut et calyces subglandulosi vel glabriusculi. *Sepala* lanceolata, obtusiuscula, ½ lin. longa. *Petala* obovata, alba, calyce paullo langiora. *Stamina* brevissima, glabra: antheris subrotundis. *Ovarium* sphaericum, glabrum. *Styli* 3, simplices, breves: stigmatibus linearibus subclavatis indivisis, papillosis, stylo longioribus.

Obs. Characteribus accedit ad *Droseram Platystigma* et *pulchellam*, sed habitu valde est diversa. A priori differt praeter alias notas: floribus multo minoribus albis, a posteriore foliis minimis, scapo erecto, floribus minoribus stylorumque numero.

Sect. II. Ergaleium DC. l. c.

§. 1. Caulescentes.

* *Foliis rosulatis.*

4. **Drosera rosulata** *Lehm.* caule brevi simplici squamoso, foliis rosulatis late obovatis basi cuneatis supra margineque glanduloso-ciliatis, pedunculis aggregatis unifloris folia aequantibus, calycibus glabris. Lehm. l. c. pag. 36.

Crescit locis arenoso-turfosis ad fluvium Cygnorum prope oppidulum Perth, d. 29 m. April. 1839. Herb. Preiss. No. 1983.

Radix in speciminibus Preissianis deest, sed verisimiliter bulbosa. *Caulis* erectus, pollicaris, et paullo longior, fibris cinerascentibus dense tectus. *Folia* 6-8 in rosulam expansa ut videtur terrae adpressa, 6 lineas circiter longa, 3-3½ lin. lata, obovata, apice rotundata basi cuneato-attenuata, non petiolata, nervo medio basi valde incrassato apice tenuiore ramulosoque percursa, subtus glaberrima, supra et margine glandulis stipitatis purpureis, cum stipite fere lineam longis ciliata. *Pedunculi* congesti, (4-10) longitudine foliorum, juniores breviores, glaberrimi, teretes, semper uniflori. *Sepala* ovata, acuta, glabra, 2 lin. longa. *Petala* calyce triplo longiora, obovata, basi cuneata, alba striolis (in floribus siccis non discoloribus) longitudinalibus. *Stamina* 5, calyce vix breviora. *Filamenta* aequalia: antheris subrotundis. *Ovarium* subsphaericum, glabrum. *Styli* capillaceo-multifidi. Secundum adnotationes Preissianas antherae in viva planta sunt badiae, filamenta alba et germen cum stylis viridi-flavum.

Obs. Valde similis *Droserae bulbosae* Hook. Icon. plant. tab. 375; sed nostra est humilior, foliis sessilibus triplo latioribus. Pedunculi, qui in icone Hookeriana foliis duplo longiores reperiuntur in *Drosera rosulata* folia non superant. An forsan varietas?

A *Drosera erythrorhiza* Lindl. differt statura humiliore et praesertim pedunculis brevibus unifloris.

5. **Drosera erythrorhiza** *Lindl.* radice bulbosa coccinea, caule brevi simplici, foliis rosulatis obovato-rotundatis supra marginibusque villoso-glandulosis pedunculo solitario cymigero, cyma puberula. — Lindl. Swan-River Bot. pag. XX. n. 90.

In arenosis umbrosis sylvae prope oppidulum Perth, d. 13 m. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1987.

Caulis pollicaris squamis nonnullis lanceolatis glabris. *Folia* 6-7 lin. longa, 5-6 lin. lata, basi subangustata subtus glaberrima, supra margineque pilis albis (½ lin. longis) glandula purpurea terminatis dense vestita. *Pedunculus* glaberrimus circiter bipollicaris. *Cyma* 6-20-flora. *Pedicelli* plerumque glanduloso-puberuli. *Sepala* ovata, acuta, 2½ lin. longa. *Petala* alba calyce duplo longiora. *Stamina* calycem subaequantia: antheris subrotundis. *Styli* capillaceo-multifidi.

6. **Drosera macrophylla** *Lindl.* radice tuberosa solida, caule simplici, foliis (magnis) rosulatis cuneatis apice truncatis in petiolum brevem attenuatis supra marginibusque glanduloso-pilosis, pedunculis aggregatis folio longioribus 2-3 floris. — Lindl. l. c. n. 91. Hook. Icones plant. Vol. IV. tab. 376.

In solo turfoso humido ad portum Princess Royal Harbour, d. 17 m. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1986.

Affinis *Droserae erythrorhizae*, a qua differt: foliis duplo majoribus basi magis attenuatis, tenuioribus reticulato-venosis, pedunculisque gracilioribus 1-3 floris.

7. **Drosera glandulligera** *Lehm.* foliis parvis obovato-rotundatis in petiolum attenuatis supra margineque glandulosis, scapo suberecto pedunculisque racemosis glandulosis. Lehm. l. c. pag. 37.

In solo sublimoso inter frutices Perth, d. 30 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1976.

Planta pusilla. *Folia* omnia radicalia. *Lamina* obovata, rotundata, subtruncata, longitudine fere petioli, 2¼ lin. longa, subtus glabra, supra margineque pilis longioribus basi latioribus apice glandulosis instructa. *Scapus* erectus fere pollicaris, a basi ad apicem usque pilis glanduligeris tectus, in singulo specimine subsimplex apice biflorus in reliquis omnibus floribus (4-8) racemosis instructus. *Pedunculi* glanduloso-pilosi, 2 lin. circiter longi. *Flores* punicei, primum erecti, dein horizontaliter patentes vel subdeflexi. *Calyx* extus glandulosus, sepalis lanceolatis, basi subattenuatis, lineam longis, margine fimbriatis: fimbriis glanduligeris. *Petala* obovata, basi cuneata, calyce duplo longiora.

8. **Drosera ramellosa** *Lehm.* caule brevissimo apice squamoso plerumque stolonifero, foliis parvis rosulatis suborbiculatis in petiolum attenuatis utrinque glabris margine glanduloso-ciliatis, pedunculis 1-3 floris foliis subduplo longioribus. Lehm. l. c. pag. 40.

In locis arenosis humidis prope lacum insulae Rotenest, d. 17 m. Junii 1839. Herb. Preiss. No. 1990.

Planta pusilla, vix pollicaris, glabra. *Radix* ut videtur bulbosa. *Caulis* semipollicaris, prope basin nudus, apicem versus squamis nonnullis glabris tectus et verticillo foliorum unico terminatus. Ex axillis foliorum oriuntur *rami* laterales seu stolones adscendentes, semiunciam fere longi. *Folia* ramorum lateralium alterna, ceterum reliquis conformia, omnia orbiculata, subcuneata et in petiolum aequilongum decurrentia, cum petiolo 3 lineas longa, glabra, margine pilis apice glandulosis ciliata. *Flores* solitarii insident pedunculo glabro, simplici vel subramoso et tunc 2-3 floro stolonibus vix aut ne vix quidem longiore. Quandoque pedunculi uniflori oriuntur in axillis foliorum ramorum lateralium, sed hi pedunculi semper sunt brevissimi et folia non superant. *Sepala* ovata, obtusa, glabra, apice denticulata, 1½ lin. longa. *Petala* obovata, alba, calyce longiora. *Styli* tres, in lacinias 6 vel plures irregulares vel potius inaequales divisi.

9. **Drosera porrecta** *Lehm.* bulbo sphaerico coccineo, caule erecto anguloso glabro saepe stolonibus adscendentibus instructo, foliis verticillatis orbiculatis in petiolum angustatis, pedunculo e verticillo supremo orto apice paniculato subglanduloso. Lehm. l. c. pag. 41.

In locis arenosis montis „Eiza mountain" Perth, d. 20 m. August 1839. Herb. Preiss. No. 1985.

Radix gracilis, perpendicularis, basi bulbo parvo, sphaerico, intus pulchre coccineo terminata, tota longitudine fibris tenuissimis subflexuosis et apice squamis herbaceis instructa. *Squamae* inferiores minimae, lanceolatae, sequentes majores, supremae infra verticillum foliorum primum positae li-

neari-subspathulatae, foliis simillimae et ab iis vix distinguendae. Verticilli semper duo, ex foliis decem compositi. *Folia* 5 lin. longa, *lamina* orbiculari, margine pilis purpureis glandulosis; petioli modo angustiores modo latiores, sensim in folium dilatati. *Caulis* circiter pollicaris, angulatus, glaber, verticillo foliorum altero terminatus. Ex hoc verticillo oritur *pedicellus* solitarius, vel 2-4, quorum unus et intermedius reliquis longior est. *Pedicellus* intermedius 3-4 poll. longus, glaber, aphyllus, laterales — si adsunt — circa bipollicares, verticillum unicum foliorum orbiculatorum, petiolo 2-5 lineari insidentium ferentes. *Paniculae* corymbosae vel subracemosae; rami glandulis minutis sparsis instructi, plerumque basi bracteis setaceis fulti, inferiores 4-6 lin. longi, superiores breviores. *Sepala* in speciminibus siccis nigricantia, ovata, acuta, apicibus patentibus vel subreflexis. *Petala* alba sepalis duplo longiora. *Antherae*, teste cl. Preissio, sulphureae. *Styli* capillaceo-multifidi.

Obs. Simillima *Droserae stolonifera* Endl. in Hüg. Enumerat., a qua differt: stolonibus lateralibus brevibus vel nullis, praesertim vero eo, quod flores semper e verticillo foliorum superiore proferuntur, nunquam vero e verticello inferiore.

10. **Drosera stolonifera** *Endl.* foliis radicalibus spathulatis rosulatis, stolonibus e basi procumbente adscendentibus, foliis suborbiculatis petiolatis quaternatim verticillatis scapum racemoso-paniculatum aequantibus, calycibus glabris. Endl.! in Enumerat. plant. Hügel. pag. 5. n. 13.

In locis arenosis umbrosis inter frutices silvae prope Peninsulam, Perth, d. 31 Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1984 et in solo turfoso-arenoso prope montem Wuljenup, Plantagenet, No. 1977.

Stolones nunc scapo florifero breviores nunc eo longiores, non semper steriles sed interdum ex axilla inferiore vel ex suprema pedunculos solitarios emittentes. *Folia* internodiis breviora nunquam longiora, petiolo latiori vel angustiori insidentia. *Flores* albi.

** *Foliis sparsis solitariis ternisve.*

11. **Drosera Hügelii** *Endl.* caule erecto flexuoso glabro, foliis sparsis longe petiolatis peltatis orbiculatis, racemis paniculatis, pedicellis bracteisque glaberrimis, petalis sepala acutiuscula glaberrima ciliata duplo superantibus. Endl.! in Enumerat. plant. Hügel. pag. 6. n. 15.

In solo turfoso humido inter frutices densos planitiei prope oppidulum Albany (Perth,) d. 8 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1980.

Flores secundum adnotationes Preissianas purpurei. *Petala* calyce plus minusve longiora. *Filamenta* calyce duplo breviora, antheris oblongis. *Styli* capillaceo-multifidi.

12. **Drosera pallida** *Lindl.* caule erecto flexuoso glaberrimo, foliis caulinis alternis longissime petiolatis peltatis orbiculatis glanduloso-fimbriatis, axillaribus brevibus geminis, racemis terminalibus paniculatis, petalis sepala acuta integerrima duplo superantibus. Lindl. Swan-River Bot. pag. XX. n. 87.

In arenosis subumbrosis haud longe ab oppidulo Perth, d. 29 m. April. 1839. Herb. Preiss. No. 1996.

Bipedalis et ultra. *Caulis* ad medium usque aphyllus, sed squamis nonnullis lanceolatis lineam longis instructus. *Folii* longioris petiolus ultra pollicaris folia brevia triplo superans. Internodia nunc semipollicaria nunc pollicaria.

13. **Drosera macrantha** *Endl.* caule erecto flexuoso puberulo, foliis caulinis alternis longissime petiolatis, axillaribus geminis, peltatis orbiculatis, racemis terminalibus paniculatis, pedicellis bracteisque pubescentibus, petalis sepala obtusiuscula pubescentia ciliata duplo superantibus. Endl.! in Enumerat. plant. Hügel. pag. 6. n. 14.

In locis arenosis silvae prope oppidulum Guildford, d. 31 m. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1982.

Caulis bipedalis et ultra, basi bulbo minimo subtunicato instructus. *Flores* secundum cl. Preiss albi vel rosei. *Petala* subconcava. *Antherae* sulphureae.

14. **Drosera sulphurea** *Lehm.* caule erecto flexuoso glaberrimo, foliis caulinis alternis longe-petiolatis, axillaribus geminis ternisve peltatis triangulari-lunatis, racemis terminalibus paucifloris, pedicellis glabris, petalis sulphureis sepala acutiuscula pubescentia ciliata duplo superantibus. Lehm. l. c. pag. 43.

Crescit in districtu Plantagenet in solo turfoso et inter frutices densos planitiei prope oppidulum Albany. Herb. Preiss. No. 1981.

Caulis erectus, 1-1½ pedalis, subangulatus, angulis inter folia evidentioribus, in parte inferiore squamis nonnullis exiguis lanceolatis instructus, a medio foliosus. *Folia* alterna, longe petiolata, petiolo subpollicari basi latiore canaliculato, apice tereti. Internodia nunc pollicaria nunc semipollicaria. Folia axillaria plerumque bina, interdum etiam terna, petiolo brevissimo bilineari, teretiusculo. Foliorum *lamina* peltata, lunato-triangularis, basi truncata auriculata, auriculis duabus e ciliis longis deorsum spectantibus laminam aequantibus formata, subtus glabra, in disco et margine ciliis glandulosis basi latioribus obsita. *Inflorescentia* subracemosa, e floribus 3-6 composita. *Pedicelli* erecti, glabri vel apicem versus glandulis paucis instructi, inferiores circa 4 lin. superiores 2-3 lin. longi. *Bracteae* minutae, lineares, margine glandulosae. *Sepala* ovata, acuta, 2 lin. longa, in statu sicco nigrescentia, intus glabra, extus glandulis brevibus densis pubescentia, margine pilis longis, minutissime glandulosis ciliata. *Petala* sulphurea, obovato-cuneata, 4 lin. longa, apice subtruncata, 2 lin. lata. *Filamenta* calycis longitudine, glabra: antheris oblongis. *Ovarium* glabrum. *Styli* capillaceo-multifidi, staminibus subbreviores.

15. **Drosera Neesii** *Lehm.* caule erecto glabro, foliis caulinis alternis longe petiolatis, axillaribus geminis, peltatis triangulari-lunatis, racemis terminalibus subpaniculatis, pedicellis glandulosis, petalis purpureis sepala acutiuscula puberula glanduloso-ciliata triplo superantibus. Lehm. l. c. pag. 42.

In solo turfoso ad portum Princess Royal Harbour, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1978.

Radix ut videtur bulbosa. *Caulis* bipedalis, basi teres, apicem versus subangulatus, subflexuosus, glaber. *Folia radicalia* nulla, caulina inferiora squamaeformia, linearia seu lineari-lanceolata, 1-2 lin. longa, *superiora* internodiis pollicaribus sejuncta, alterna, petiolo pollicari, prope basin canali-

culato, apice tereti, glabro, patenti vel subincurvo insidentia. Foliorum *lamina* lunato-subtriangularis, auriculis 2 longe ciliatis, diametro bilineari, subtus et in disco glabris, margine pilis basi latioribus apice glandulosis diametrum laminae aequantibus ciliata. *Folia axillaria* gemina, brevi petiolata, petiolo glabro trilineari, lamina conformi. *Flores* in racemum subpaniculatum dispositi. *Pedicelli* glandulis brevibus obtecti, primarii circiter pollicares, secundarii 2-3 lin. longi, erecti vel subpenduli, deflorati semper erecti. *Bracteae* ad basin pedicellorum, minimae, ciliatae. *Sepala* ovata, acuta vel sublanceolata, 2 lin. longa, extus glanduloso-pubescentia, margine fimbriato-ciliata, ciliis apice glanduligeris. *Petala* late obovata, sepalis triplo longiora et multo latiora, apice denticulata, purpurea. *Stamina* calyce breviora; filamentis glabris: antheris subrotundis. *Ovarium* subsphaericum. *Styli* capillaceo-multifidi, longitudine staminum. *Semina* immatura arcuatim caudata, membranaceo-arillata, parte crassiore dilatato calyculata, oblique truncata.

Obs. Proxime accedit ad sequentem, differt vero caule multo robustiore foliisque non orbiculatis. A *Drosera peltata* Sm. (Labill. Nov. Holl. Vol. I. tab. 106 fig. 2) facile distinguitur caule robustiore, foliis radicalibus nullis, caulinis fasciculatis et floribus multo majoribus.

16. **Drosera filicaulis** *Endl.* caule erecto flexuoso glaberrimo, foliis caulinis alternis longe petiolatis, axillaribus geminis peltatis orbiculatis, racemo terminali paucifloro glabro, bracteis ciliatis, petalis sepala obtusiuscula puberula ciliata plus duplo superantibus. Endl. in Enumerat. plant. Hügel. pag. 6. n. 16.

In locis uliginosis inter frutices prope oppidulum Perth, d. 1 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1988.

Caulis pedalis et ultra, purpureo-nitidus, basi bulbosus et tunicatus. *Racemus* pauciflorus. *Filamenta* calyce breviora: antheris oblongis. *Styli* capillaceo-multifidi.

17. **Drosera gigantea** *Lindl.* caule erecto paniculato glaberrimo, foliis brevi petiolatis peltatis triangularibus, longissime fimbriatis, axillaribus geminis fere aequilongis, panicula laxa multiflora, alabastris subrotundis, petalis sepala acuta glaberrima superantibus. Lindl. Swan-River Bot. pag. XX. n. 88.

In locis turfoso-arenosis aquaticis inter frutices prope oppidulum Perth, d. 1 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1991.

Radix perpendicularis tunicata. *Caulis* basi simplex apice paniculatus, erectus 1½-2 pedalis, subangulatus, glaberrimus, squamosus: squamis lanceolatis vel lineari-lanceolatis in parte caulis inferiore aggregatis, apicem versus sparsis. *Folia* peltata, non cauli sed ramis tantum insidentia, internodiis circiter pollicaribus sejuncta. *Petiolus* folii longioris 4-5 lin. longus, illi foliorum axillarium paullo breviores. *Lamina* triangularis, duas fere lineas lata, fimbriato-ciliata: ciliis ex angulis 2 inferioribus egredientibus longissimis, lamina duplo longioribus. *Rami* inferiores apice subramoso 10-20-flori, paniculam laxam formantes superiores sensim breviores pauciflori. *Flores* parvi, albi, pedunculo brevi lineari glabro insidentes. *Calycis* glabri sepala ovata, acuta, lineam longa, petalis ovato-oblongis subtriplo breviora. *Filamenta* brevia longitudine fere calycis.

SONDERA Lehm. Pugill. VIII. pag. 44.

Calyx profunde 8-fidus, aequalis. *Petala* 8, hypogyna, oblonga vel oblongo-linearia. *Stamina* 8, petalis alterna, filamenta lineari-subulata, antherae extrorsae, biloculares: loculis longitudinaliter dehiscentibus. *Ovarium* uniloculare pluriovulatum, placentis parietalibus. *Stylus* terminalis partitus, cruribus penicillato-multipartitis, stigmata obtusa. *Capsula* membranacea, unilocularis, bivalvis. *Semina* linearia, teretia in processum filiformem elongatum attenuata, testa crustacea, basi obliqua superficiei capsulae affixa.

Herbae Australasiacae elegantissimae, *Droseracearum* habitu, caule erecto, foliis alternis infimis squamaeformibus reliquis orbiculatis, peltatis, glanduloso-pilosis, junioribus circinatis, floribus terminalibus, subsolitariis, albis vel roseis.

1. **Sondera macrantha** *Lehm.* sepalis ovatis obtusis corolla triplo brevioribus, petalis oblongo-linearibus. Lehm. l. c.

Habitat in solo turfoso-arenoso planitiei prope oppidulum Albany. Herb. Preiss. No. 1979.

Radix bulbosa cum inferiore caulis parte tunicata. *Caulis* 1-1½ pedalis, subflexuosus, subangulatus, glaberrimus. *Folia infima* sessilia, subaggregata, squamaeformia, plana, lineari-lanceolata, 2-3 lin. longa, glabra, *superiora* petiolata, alterna, interstitio 3-6-linearl sejuncta, axillaria interdum bina sed plerumque deficientia. *Petiolus* 3-4 lin. longus, basi subsulcatus, glaber. *Lamina* semilunaris, excentrice peltata, supra margineque glanduloso-ciliata, subtus glabra. *Flores* terminales gemini, longe pedicellati: pedicellis glabris, ultra pollicem longis. *Calycis* laciniae ovatae, obtusae, 3 lin. longae, glabrae, margine glandulosae, siccitate nigricantes. *Petala* oblongo-linearia, prope basin attenuata, 7-8 lin. longa, in planta exsiccata rosea, striis longitudinalibus saturatioribus. *Stamina* calycem subaequantia. Filamenta glabra: antheris subrotundis, longitudinaliter dehiscentibus. *Styli* capillaceo-multifidi. *Capsula* subsphaerica, membranacea, glabra, 3 lin. longa, bivalvis. *Semina* nigricantia, glaberrima, basi obliqua latiore superficiei internae capsulae affixa, lineari-subulata, 2 lin. longa, in processum (caudam) filiformem curvatum eadem longitudine attenuata.

2. **Sondera Preissii** *Lehm.* sepalis ovatis acutiusculis corolla quadruplo brevioribus, petalis oblongis. Lehm. l. c. pag. 45.

Crescit prope oppidulum Perth in locis depressis exsiccatis ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1989.

Radix ut videtur bulbosa. *Caulis* erectus, pedalis, subangulatus, subflexuosus, glaberrimus, prope basin foliis sessilibus, squamaeformibus, lanceolatis vel lineari-lanceolatis, 1-3 lin. longis tectus. *Folia* reliqua omnia petiolata, alterna, internodiis semipollicaribus sejuncta, erecto-patentia, axillaria nulla. *Petioli* glabri, 3-4 lin. longi, teretiusculi, basi latiore subcanaliculati. *Lamina* foliorum excentrice peltata, semilunata, lineam longa et vix 1½ lin. lata, subtus glabra, supra margineque glanduloso-ciliata: ciliis marginalibus lamina ipsa longioribus, glandula nigra, subcapitata terminatis. *Flores* terminales, plerumque solitarii, rarius bini. *Calycis* glabri laciniae ovatae, acutae, 1½ lin. longae, siccatae nigrescentes, margine glandulis breve stipitatis ciliatae. *Petala* oblonga, obtusa, versus basin subattenuata, 5 lin.

longa, alba vel subrosea: striis longitudinalibus tenuissimis saturatioribus. *Stamina* calyce subbreviora, lineari-subulata: filamentis glabris, antheris subrotundis, longitudinaliter dehiscentibus. *Ovarium* sphaericum, glabrum. *Styli* capillaceo-multifidi, glabri: stigmatibus obtusis.

BYBLIS Salisb. Endl. gen. no. 5035. Ejusd. Iconogr. gen. plant. tab. 113. Meisn. gen. pag. 22. (19.)

1. **Byblis gigantea** *Lindl.* glanduloso-pubescens, caule erecto flexuoso (sesquipedali), foliis longissimis filiformibus, pedunculis solitariis unifloris axillaribus foliis brevioribus, sepalis lineari-lanceolatis 3-5-nerviis quam petala serrulata duplo brevioribus, stigmate simplici. Lindl. Swan-River Bot. pag. XXI. n. 92.

In locis arenosis inter frutices planitiei haud longe a praedio rustico „Maddington" ad fluvium Canning, d. 1 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1993.

CRUCIFERAE Juss.

(Auctore A. Bunge.)

STENOPETALUM R.Br. Endl. gen. n. 4920. Meisn. gen. pag. 13. (13.)

1. **Stenopetalum gracile** *Bge.* foliis radicalibus inferioribusque caulinis pinnatipartitis; laciniis utrinque 2-3 distantibus linearibus obtusiusculis integerrimis vel dente majusculo auctis, superioribus tripartitis linearibusve integerrimis, racemis florentibus laxis, pedicellis calyce brevioribus demum cernuis, petalis sepala 3plo superantibus (albis), ovario 12-ovulato, silicula . . . . . ?

In arenosis umbrosis vallis haud longe ab ora maritima Perth, 24. Juni 1839. Herb. Preiss. No. 1938.

A *St. lineari* R.Br. distinctum, uti sequentes, pedicellis demum cernuis, nec erectis. *St. robusto* Endl. affine videtur, at diversum: foliis neutiquam interrupte lyratis, pedicellis brevioribus, floribus majoribus, petalis longioribus. — *Caules* erecti, stricti, solitarii e radice tenui (bienni? vel annua), florentes pedales, diametro ad summum 0,8‴ metientes, teretes, striati, glabri. *Folia radicalia* 1½-2 pollicaria, pinnatipartita, rhachi lobisque utrinque 2-3, linea angustioribus, linearibus, inferioribus brevioribus, 2‴ longis, caeteris 4-5‴ longis, terminali longiore, apice obtusis vel rotundatis, integerrimis vel basi dente majusculo auctis, terminali saepius medio utrinque denticulis 2 brevibus instructo; *caulina* inferiora similia, superiora plerumque tripartita, lobis ut in radicalibus, vel etiam magis elongatis; *summa* et *ramea* linearia.

Racemi gracillimi, multiflori, jam florentes valde elongati, floribus ab invicem 7-10‴ distantibus. *Pedicelli* lineam longi, erecti, subinde cernui. *Sepala* albida, nervis 3 viridibus tenuissimis picta, infra apicem gibbosa, valvaria 1,7‴ longa 0,7‴ lata, placentaria breviora angustiora. *Petala* alba ex toto 6‴ longa, latiora, strictiora quam in sequentibus, lamina obliqua. *Stamina* calycem subaequantia. *Glandulae* hypogynae valvariae fere subulatae. *Ovarium* 12-ovulatum. Fructus, vel juniores, desunt.

2. **Stenopetalum croceum** *Bge.* foliis radicalibus inferioribusque pinnatifido 3-5-lobis; lobis lineari-spathulatis, summis linearibus integerrimis, racemis florentibus laxis, pedicellis calyce dimidio brevioribus demum cernuis, petalis sepala quadruplo superantibus (croceis) ovario 12-ovulato, silicula orbiculato-obovata pedicellum superante.

In arenosis sylvae haud longe ab oppidulo Perth, 13. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1939.

A praecedente facile distinctum florum colore, petalis angustioribus longioribus contortes. — *Caules* basi violacei, fructiferi altitudinem pedalem haud excedentes, plerumque humiliores. *Folia radicalia* fere omnia deperdita, e rudimentis videntur similia sed minus dissecta ac in antecedente; *caulina* omnia linearia. *Racemi* elongati. *Pedicelli* florum linea vix longiores. *Sepala* valvaria obovato-oblonga, albida, infra apicem extus gibba viridula, late membranaceo-marginata, 1,9‴ longa, basi in sacculum producta, placentaria 1,7‴ longa, superne 0,8‴ lata, basi cuneata, apice obtusata. *Petala* crocea, unguiculata, lamina in appendiculum lineari-lanceolatum apice circinnatum longe producta, basi crispato-marginata, exteriora videntur paulo longiora, omnino explanata, 8‴ longa, (unguiculo 1‴, lamina 1‴, appendice 6‴ longis.) *Filamenta* longiora sepala aequantia. *Glandulae* hypogynae valvariae utrinque binae, obovatae, placentariae nullae. *Ovarium* oblongum stamina subaequans, 12-ovulatum. *Stigma* sessile, capitatum, obsolete bilobum. Silicula (nondum omnino matura) 1,9‴ longa, 1,5‴ lata, obovato-suborbicularis, valvis convexiusculis, reticulato-venosis. *Semina* in loculis 2-3 (immatura) obovata, laevia, fusca. *Dissepimentum* tenuissime dense reticulato-areolatum, plica opaca, apicem versus evanida medio percursum.

3. **Stenopetalum minus** *Bge.* foliis radicalibus inferioribusque basi cuneatis obovato-oblongis inciso-dentatis; lobis utrinque 2-3 obtusis distantibus, summis lineari-oblongis integerrimis, racemis florentibus abbreviatis, pedicellis calyce brevioribus demum cernuis, petalis sepala duplo superantibus (croceis), ovario 8-ovulato, silicula . . . . . ?

Ad Princess Royal Harbour Dec. 1840. Herb. Preiss, No. 1936.

Cum *St. croceo* convenit floris colore; ab hoc vero et *St. gracili* differt statura humili, petalorum longitudine et ovario. — *Radix* simplex, annua; (vel biennis?). *Caules* solitarii, (vel in unico specimine, ex una radice plures, laterales duo videntur steriles subaphylli?) basi puberuli, vel glabri, florentes 3-4 pollicares. *Folia radicalia* et *caulina infima* fere rosulata, pollicaria, cum dentibus 3-4‴ lata, dentibus lobisve linea paulo longioribus, lanceolato-triangularibus, subcurvatis, obtusiusculis; *superiora* angustiora dentibus minoribus, caulina caetera pauca, 5‴ longa, lineam lata, integerrima. *Racemi* terminales et axillares, florentes 1-1½ pollices longi, ebracteati, vix ultra 10 flores gerentes. *Pedicelli* lineam vix aequantes, ante petalorum expansionem erecti mox nutantes. *Flores* omnino praecedentis, at minores. *Sepala* breviora latiora, valvaria 1,6‴ longa, 0,9‴ lata, placentaria paulo breviora et angustiora. *Petala* 4,2‴ longa, appendice 2,2‴. *Ovarium* videtur 8 ovulatum. *Fructus* desunt. *Glandulae* valvariae tenuiores magis elongatae.

MENKEA Lehm. Ind. sem. in h. Hambg. 1843 collect. pag. 8.

(Nov. genus e Camelinearum tribu.)

Sepala quatuor, obovata, patula, basi aequalia. *Petala* 4 calycem aequantia, unguiculata, obovato-oblonga, integra. *Stamina* 6 tetradynama inclusa. *Glandulae* hypogynae. *Ovarium* suborbiculatum, stigmate sessili. *Silicula* sessilis obovato-oblonga, utrinque subacutata, plano-compressa, bivalvis, *septo* ad marginem angustissimum reducto, unilocularis. *Valvae* uninerviae, reticulato-venosae. *Placentae* inclusae filiformes. *Semina* minutissima, in funiculis setaceis elongatis, in toto placentarum ambitu horizontalibus, numerosa, quadriseriata, suborbiculata immarginata, striatim verruculosa. *Cotyledones* incumbentes.

Genus distinctissimum, affine ex characteribus *Orobto* et *Eudemati*, ex habitu *Stenopetalo;* ab *Orobto* differt seminibus numerosis quadriseriatis, funiculis horizontalibus ex toto placentarum ambitu ortis, nec paucis ex apice pendulis; ab *Eudemate* seminibus quadriseriatis et stigmate sessili, ab utroque habitu; a *Stenopetalo* petalis, et silicula uniloculari.

1. **Menkea australis** *Lehm.* l. c.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1937.

Herba annua, debilis, glabra, habitu *Drabae vernae*. *Caules* 1-3 pollicares plures e radice simplici, exili, simplices vel ramo aucti, oligophylli. *Folia* radicalia obovato-spathulata integerrima caulinum unum alterumve, rarius plura, spathulato-oblonga, in petiolum brevem angustata. *Racemi* pauci (6-7) flori, ebracteati, laxi. *Flores* fugaces suaveolentes, minutissimi, 0,5‴ longi latique, pedunculati. *Sepala* obovata. *Petala* alba acutiuscula, calycem vix excedentia. *Antherae* pallide violaceae. *Stigma* sessile, bilobum. *Pedunculi* fructiferi laxi, elongati, 4-5‴ longi, filiformes. *Silicula* 2,5‴ longa, supra medium 1,3‴ lata, basin versus angustata, apice stigmate sessili, subacutata, facillime dehiscens; valvis delapsis persistunt placentae, latere interiore tenuissimum marginem hyalinum, dissepimenti rudimentum, gerentes, et funiculis horizontalibus inaequilongis numerosis (ultra 50) quasi fimbriatae. *Semina* 0,1‴ lata, paulo longiora, rufula, verruculoso-striato, 4 vel pluriseriata. *Cotyledones* stricte incumbentes.

MONOPLOCA Bge. (Lepiae sp. Desv. Journ. bot. 166 et 181? Lepidii et Iberidis sp. DC. Prodr. II. 537.

Sepala 4, oblonga, erecta, basi aequalia. *Petala* 4, obovata, aequalia, integra, obtusa. *Stamina* tetradynama, edentula libera. *Glandulae* hypogynae 4 valvares. *Ovarium* obcordatum, biovulatum, stylo elongato; stigma capitatum. *Silicula* a latere compressa suborbiculata, profunde bifida, bivalvis, valvis navicularibus dorso alatis, stylo inter alas libero, bilocularis, loculis

monospermis. *Dissepimentum* crassiuscule spongiosum, medio pellucidum, transverse rugosum. *Semina* pendula. *Cotyledones* dissepimento applicitae et parallelae, transversim ad basin semel plicatae, rostello longiores illique parte superiore incumbentes, apice subinflexae.

Obs. Embryonis structura distinguenda ab *Iberide* et *Lepidio* quibuscum convenit siliculis angustiseptis dispermis dehiscentibus. A *Lepia* (Lepidii sectione) differt insuper stylo omnino libero, elongato et dissepimenti structura. Cotyledones omnino ut in *Sennebiera*, *Subularia*, *Stroganowia* et *Lachnolomate*, a quibus differt valvis navicularibus alato-carinatis. Structura embryonis in veris *Diplecolobeis: Brachycarpaea*, *Chamira Heliophila* et *Cycloptychi* longe aliena, in his enim cotyledonis sunt vere bis plicatae in illis semel tantum, ad basin.

1. **Monoploca rotunda** *Dew.* caulibus angulatis asperulis, foliis oblongo-linearibus. Dew. l. c. (sub Lepia.) Lepidium rotundum. DC. l. c. Endl. in Hügel Enum. plant. pag. 5.

In arenosis prope oppidulum Freemantle, 7. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1941.

2. **Monoploca linifolia** *Dew.* caulibus teretiusculis striatis, foliis anguste linearibus. Dew. l. c. (sub Lepia.) Iberis linearifolia. DC. syst. 2. pag. 405.

In limoso-arenosis porrectis circa urbiculam York, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2070.

Hanc alteram, priori valde affinem, nec forsan specie distinctam, quamvis fructu maturo caret, sine ullo dubio huc traho. Utriusque habitus omnino idem, *Iberidem* potius, quam *Lepidium* aemulans. Herbulae perennes 3-4″ altae, *caulibus* strictis rigidulis; prior robustior, (quia fructifera?) caulibus exquisite angulatis, asperulis, sub lente valida ad angulos tuberculis cartilagineis minutis quasi muriculata; alterius caules multo tenuiores (quia planta junior, florens?) teretiusculi striati, vix ac ne vix quidem exasperati. *Folia* prioris pollice longiora 1-1½‴ lata, basi angustata, apice fere cuspidata, alterius fere filiformi-linearia, inferiora pollice longiora 0,5‴ vix lata. *Racemi* terminales 10-20 flori, laxiusculi, ebracteati. *Flores* (in *M. linifolia* tantum visi) albi, sesquilineares. *Petala* calycem parum excedentia. *Siliculae* maturae (in *M. rotunda* solummodo visae) pedicello depresso-plano horizontali 1,8‴ longo suffultae, adscendentes, extus convexae intus concavae, 3‴ longae, 2,3‴ latae, basi rotundatae, apice profunde bifidae, lobis (valvarum alis) parum divergentibus. *Valvae* reticulato-venosae, alatae; ala superne loculum latitudine aequans; lineam ultra loculum producta. *Placentae* lineares crassiusculae, 2‴ longae. *Stylus* persistens 0,5‴ longus. *Semina* lapsis valvulis diutius persistunt, pendula, 1‴ longa, 0,7‴ lata, humefacta mucilagine multa obducuntur, uti semina *Lepidii sativi*.

LEPIDIUM (L.) R.Br. Endl. gen. n. 4932. Meisn. gen. pag. 14. (13.)

1. **Lepidium (Dilleptium) impressum** *Bge.* glaberrimum; siliculis pedicello brevioribus ovato-oblongis emarginatis stigmate vix prominulo quasi truncatis, floribus corollatis tetradynamis, foliis carnosulis: inferioribus lineari-oblongis basi integerrimis a medio ad apicem remote inciso-

dentatis; dentibus acutis, superioribus angustioribus utrinque acutis 1-2 dentatibus integerrimisve, novellis subtus glaucis tenuissime impresso-punctulatis, caule erecto anguloso folioso ramoso, ramis patulis.

In arenosis prope oppidulum Freemantle, Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1942.

Ex specimine unico incompleto, et Diagnosi brevi cl. Desvaux dijudicari nequit, an nostra planta sit eadem cum *L. hyssopifolio* Desv.; cui sane propius accedit quam ad alias generis, e Nova Hollandia ortas, species. Neque enim diagnosis *L. foliosi* Desv. quadrat nostram plantam, licet siliculis majusculis cum illo convenit. — Specimen nostrum praebet *caulis* robusti partem superiorem, basi fere crassitie pennae anserinae, 8 pollicarem in ramos divisum, cum rhachi racemi primarii oppositifolia, quadripollicari superstite, racemis ramos ramulosque paucos terminantibus fructus maturos gerentibus brevioribus. *Caules* ramique glaberrimi, angulosi foliis numerosis obtecti. *Folia inferiora* bipollicaria, crassiuscula, 4‴ lata, supra medium dentibus magnis remotis 5-6 incisa, penninervia, nervis subtus valde prominulis; *superiora* breviora, angustiora, parcius dentata vel integerrima, in ramulo novello juniora glauca, subtus sub lente punctis minutis impressa. *Flores* linea dimidia minores; sepala glabra, obtusa, albo-marginata. *Petala* minuta, in unico alabastro, quod examinare licuit, duo tantum extrorsum sita, interiorum vix vestigium ullum. *Stamina* 6, tetradynama. *Stigma* sessile. *Silicula* pedicello subpatulo bilineari et quod excurrit insidens, 1,8‴ longa, infra medium 1,2‴ lata, ovato-oblonga, apice emarginata, stigmate subsessili emarginaturam explente quasi truncata. *Valvulae* apice obtusae. *Placentae* basi dilatato-saccatae. *Semina* rufa, linea paulo breviora, dimidiam lata, obovato-oblonga. *Cotyledon* altera radiculae incumbens ad basin plicata, altera recta.

2. **Lepidium (Dilleptium) puberulum** *Bge.* siliculis pedicellum aequantibus oblongo-obovatis brevissime emarginatis, stigmate exserto, floribus apetalis 2-4-andris, foliis subtus margineque tenuissime setulosis; inferioribus in petiolum longe attenuatis oblongis utrinque grosse inciso 4-5-dentatis; dentibus subaequalibus acutissimis, summis linearibus integerrimis, caule tereti simplici erecto vel ramoso decumbente pedicellisque dense puberulis, radice annua.

In rupibus calcareis insulae Rotenest, 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1940.

A *L. piscidio* Forst. quocum e Diagnosi Candolleana (Prodr. I. pag. 206) silicularum forma convenit, foliis omnibus, praeter summa, grosse incisis differt; a caeteris affinibus siliculis evidenter obovatis distinctum, praesertim a *L. owayhiensi* Cham. et Schl., cujus stigma insuper inclusum. *Specimina* plurima omnino deflorata, *foliis* orbata, *caulibus* erectis, strictis, 3 pollices et quod excurrit altis, superne in racemos fructiferos plures divisis; *pedicelli* erecti, puberuli, 1‴ longi. *Siliculae* glabrae pedicellum longitudine tantisper superantes, supra medium 0,8‴ latae, basi acutae, apice latiuscule emarginatae, *stylo* vix ullo, *stigmate* ex emarginatura prominente bilobo. *Valvulae* naviculares, carinatae, apice obtusae. *Placentae* filiformes, basi aequales. *Semina* rufa 0,5‴ longa, 0,3‴ lata. *Specimen* unicum simul folia, flores et fructus gerens pubescentia et siliculorum forma exacte cum illis convenit, sed robustius, multicaule, caulibus decumbenti-divaricatis. *Folia radicalia et caulina inferiora* in petiolum semipollicarem attenuata, lamina 8-9‴ longa, 4‴ lata, oblonga, utrinque dentibus 4-5 magnis, acutis, interdum ad basin denticulo auctis, incisa; *superiora* lineari-oblonga, brevius petiolata, lamina longiore, 1,5‴ lata, dentibus minoribus distantibus incisa, summa linearia, integerrima. *Flores* minutissimi, 0,3‴ longi, sepala oblonga, extus hirsutiuscula. *Petala* nulla video. *Antheras* plerumque duas tantum in alabastris inveni,

rarissime quatuor. *Siliculae* omnino ut in caeteris speciminibus, at pedicello paulo longiori (1,5‴) insidentes.

RANUNCULACEAE Juss.

(Auctore E. T. Steudel.)

CLEMATIS Linn. Endl. gen. n. 4768. Meisn. gen. 1. (1.)

Sect. Flammula §. 2. DC. Prodr. Vol. 1. pag. 4.

1. **Clematis linearifolia** *Steud.* caule scandente striato angulato ad nodos praesertim piloso; foliis longe petiolatis biternatis; foliolis linearibus sublanceolatis basi pilosulis uninerviis; floribus dioicis umbellatis axillaribus; pedicellis folio brevioribus trifloris cum flore intermedio, bracteatis ad basin umbellulae lanceolatis sepalisque piloso-sericeis.

In arenosis sylvae Pointwater et insulae Rotenest, 18. Jul. 1839. 2. ♄. Herb. Preiss. No. 1343.

Caulis ramosissimus, flexuosus, scandens, profunde striatus hinc angulatus, obsitus pilis sparsis patentibus ad internodia plus minus incrassata copiosioribus; petioli communes 2-3 pollicares, patentes, apice divisi, in partiales 2-3 pollicares et longiores, trifoliatos; *foliola* 1-1½ pollices longa, vix 2 lineas lata, pallida, basi et apice attenuata, uni-vel obscure trinervia; *flores* in axillis foliorum pseudo-umbellato-paniculati; *pedicelli* inaequales cum floribus dense piloso-sericei; bracteae ad basin pedicellorum, 2 lineas longae; flores fructiferi desunt.

2. **Clematis indivisa** *Willd.* floribus paniculatis, foliis ternatim sectis, segmentis ovatis integerrimis mucronatis coriaceis glabris. DC. Prodr. Vol. 1. pag. 5. n. 38. Willd. spec. plant. 2. pag. 1291.

In solo limoso sylvae ad fluvium Vasse-River, provinciae Sussex, 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1345.

3. **Clematis discolor** *Steud.* caule scandente striato angulato ad internodia pubescente; foliis longe petiolatis ternatis, foliolis petiolulatis ovatis nervosis glabris integerrimis subtus glaucis; floribus axillaribus paniculatis dioicis, petiolo communi pedunculo breviore pedicellisque sericeo-pilosis.

In limoso calculosis sylvae Halfwayhouse, 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1344.

Caulis ramosus, flexuoso-scandens, angulato-striatus, pilis sparsis patentibus ad internodia parum incrassata copiosioribus; *petioli* basi plus minus pubescentes sursum glabri; *foliola* 1½ pollices longa, dimidiam lata, subcoriacea, margine subundulata, subtus glauco-albida, utrinque glaberrima, laxe

reticulato-venosa; *flores* axillares paniculati; *petala* lineari-oblonga, subpollicaria, extus praesertim sericea; *antherae* connectivo 1-1½ lineas producto superatae; flores foemineae desunt. ♄.

Praecedenti, uti sequens, proxima.

4. **Clematis cognata** *Steud.* caule scandente glaberrimo angulato-striato; foliis ternatis petiolatis, foliolis petiolulatis ovatis vel ovato-oblongis coriaceis glabris obscure nervosis; floribus paniculatis axillaribus folio brevioribus; carpellis ovato-lanceolatis pubescentibus, caudis elongatis longe pilosis.

In littore arenoso sinus Middletowsbay, ditionis Plantagenet, 30. Sept. 1830. Herb. Preiss. No. 1346.

RANUNCULUS Hall. Endl. gen. n. 4783. Meisn. gen. 1. (1.)

Sect. IV. Hecatonia. §. 4. DC. Prodr. Vol. 1. pag. 33.

1. **Ranunculus plebejus** *Brown.* caule rectiusculo dichotomo basi petiolisque patentim pilosissimo apice subglabro, foliis 3-sectis villosis, segmentis petiolulatis ovatis inciso-dentatis, summis linearibus integris, calyce subreflexo. DC. Prodr. Vol. 1. pag. 39. n. 118.

In regionibus interioribus Australasiae meridionali-occidentalis, 18. Nov. 2. Herb. Preiss. No. 1348.

2. **Ranunculus discolor** *Steud.* caule erecto dichotomo basi petiolisque patentim pilosissimis apice subglabro; foliis patenti-villosis trisectis subtus albescentibus, segmentis lateralibus brevius (medio longius) petiolulatis tri- (rarius bi-) partitis, laciniis inciso-dentatis, summis linearibus; calycibus reflexis carpellis glabris obliquis marginatis stylo acuminato terminatis.

In arenosis umbrosis sylvaticis haud procul ab ore maritima, in districtu Perth, 23. Sept. 1839. 2. Herb. Preiss. No. 1347.

Caulis 3-pedalis et ultra, fistulosus, striatus, internodiis 6-10 pollices distantibus, pilis basi tuberculis minutis insidentibus, 1-1½ lineas longis obsitus; *folia inferiora* longissime petiolata, petiolus basi dilatata impresso-striatus, semiamplexicaulis, uti caulis pilosus, 4-5 pollicaris; *folia superiora* breviter petiolata, summa sessilia; folia ternato-secta, foliola trisecta, segmenta 2-4 ter inciso-dentata, superiora simpliciora, trisecta trifido-dentata; *sepala* reflexa, longe pilosa, *petala* lutea, ovato-oblonga, striata; *carpella* in disco glabra, ad marginem incrassatum pilosa, in stylum uncinatum carpellis pauco breviorem terminata.

DILLENIACEAE DeCand.

(Auctore E. T. Steudel.)

PLEURANDRA Labill. Endl. gen. n. 4754. Meisn. gen. 2. (5.)

1. **Pleurandra enervia** *DC.* caule a basi ramoso, ramis strictis glabris; foliis anguste linearibus planis acutiusculis glabris; floribus in ramulis brevissimis sessilibus; sepalis ovatis ovariisque glabris. DC. Prodr. Vol. 1. pag. 72. n. 16. ♄.

In arenosis fruticosis sylvae ad radices montis Parker, districtus Plantagenet, 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2155 et in turfoso arenosis clivuli prope villam Albany, districtus Plantagenet, 21. Dec. 1840. No. 2163.

Frutex 1½-2-pedalis, a basi ramosus; *rami* erecti, subangulosi, fusco-cinerei, cortice facile secedente; *folia* interstitiis breviora, subfasciculata non immediate e ramo, sed plerumque mediante ramulo brevissimo (½-1 lineam longo) erumpentia, 1½-4 lineas raro excedentia, glabra, subtrigona, enervia, saepissime florem sessilem foliis breviorem foventia; *sepala* ovata, obtusa, mucronulata; *flores* pallide lutei. No. 2155.

Non differt nisi foliis paulo majoribus 5 lineas longis, floribus rarioribus, sepalis magis acuminatis. Etiam *P. riparia* Sieb. No. 150 vix differre videtur.

2. **Pleurandra recurvifolia** *Steud.* caule ramosissimo humili (vix pedali) ramis erectiusculis; foliis sparsis subapproximatis glaucescentibus brevibus (4 lineas longis) glabris rigidiusculis crassiusculis margine puncticulato-scabris apice recurvo fasciculo pilorum brevissimorum deciduo terminato; floribus axillaribus sessilibus; sepalis ovatis puncticulatis; ovariis villosis. ♄.

In glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup, districtus Kent, 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2170.

Fruticulus ex trunco crasso lignoso radicali mox ramosus, ramis erectis sursum ramulosis; *folia* in ramis primariis delapsa in ramulis laxe imbricata, apice distincte recurva, submucronulata, praeterea sub lente valida, pilis aliquod confertis brevibus mox deciduis, hinc in pluribus deficientibus terminata; *pedicelli* folio longiores; *sepala* obtuse mucronulata, puncticulata, caeterum glabra.

3. **Pleurandra glaucophylla** *Steud.* caule ramoso glabro, ramulis teretibus tenue pubescentibus; foliis subfasciculatis glaucis brevibus (3-4 lineas longis) rigidiusculis crassiusculis glaberrimis apice obtuso vel vix conspicue recurvato-mucronulato; floribus axillaribus sessilibus; calycibus bracteolis 1-2 accessoriis munitis, sepalis ovatis ovariisque glabris. ♄.

In arenosis prope Avon-Dale, districtus York, 10. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 2159.

Fruticulus parvus 6-9-pollicaris, cortice pallide rufescente facile secedente; *rami* subalterni subpatenti-erecti tenui, pubescentes; *folia* interstitiis breviora, solitaria, bina-quaterna in apice ramulorum quandoque (juventute?) viridia caeterum glauca; *flores* pallide lutei.

4. **Pleurandra hemignosta** *Steud.* caule ramis cortice cinereo secedente glabris; foliis subsetaceo linearibus glabris acutis; floribus ad foliorum fasciculos sessilibus; calycibus glabris; sepalis ovato-lanceolatis margine scariosis apice acutis; ovariis glabris. ♄.

In Australasia meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 2172.

5. **Pleurandra hibbertioides** *Steud.* caule fruticoso basi ramoso, ramis simplicibus vel sursum divisis; foliis fasciculato; confertis lineari-subulatis glabris; floribus axillaribus vel in ramulis brevissimis sessilibus; calycibus glabris; sepalis ovatis mucronatis; antheris subunilateralibus; ovariis glabris. ♄

Ob stamina fere aequaliter ovaria cingentia ad *Hibberttam* accedens, toto habitu *Pleurandrts* affinior.

In lapidosis ad latus septentrionale montis Bakewell, ditionis York, 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2164.

Fruticulus 1½-2 pedalis, truncus basi lignosus in radicem validam attenuatus, a basi ramosus; *rami* erecti, simplices vel sursum ramosi, pedales et ultra, glabri, a basi dense foliati; *folta* setacea, subteretia, 4-9 lineas longa, in ramulis brevissimis pseudofasciculato-conferta; *flores* praesertim inferne in ramulis terminales solitarii vel raro bini inter folia nidulantes vel versus apices ramorum simpliciter racemosi; *sepala* margine pellucido-membranacea petala pallide lutea fere aequantia. *Pleurandrae camphoromae* Sieber. (Herb. mixt. No. 506.) proxima ejusque forsan varietas robustior magis glabra.

6. **Pleurandra diamesogenos** *Steud.* caule basi ramosissimo, ramis superne divisis angulatis glabris; foliis sparsis anguste linearibus margine reflexis glaucescentibus sparsim longe villosis demum glabrescentibus; pedunculis subaxillaribus elongatis folia duplo superantibus; calycibus bractea accessoria (plerumque) munitis; sepalis ovato lanceolatis longe pilosis margine membranaceis; staminibus unilateralibus; ovariis 2 villosis. ♄

Generice ad *Pleurandras* pertinet habitu vero uti sequens species inter utrumque genus intermedia.

In turfosis sylvaticis districtus Sussex, 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2141.

Fruticulus vix pedalis, e trunco lignoso divisus in ramos plures basi simplices, sub medio iterum ramulosos; *folta* 6-8 lineas longa, vix semilineam lata, subtus marginibus sese non attingentibus reflexa, glaucescentia, nitida primo intuitu glabra sub lente sparsim ex puncticulis asperis pilosa; *pedunculi* versus apicem ex axillis foliorum, erecti, glabri; *sepala* oblongo-lanceolata acuta pilosa; *petala* pallida, flava.

7. **Pleurandra cognata** *Steud.* caule humili (vix pedali, basi parum) superne ramoso; ramis angulatis glabris; foliis sparsis anguste linearibus margine revolutis apice acutis undique punctis elevatis setulisque minutissimis asperulis; ovariis villosis. ♄.

In fissuris rupium ad latus orientale montis Melville, ditionis Plantagenet, 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2156.

Simillima praecedenti, a qua differt: *ramis* superne magis confertis; *foliis* marginibus arcte incumbenti-reflexis, subtus non adeo carinatis quam bilineatis, evidentius puncticulato-scabris, brevius (calycibus vero densius) pilosis, floribus aureo-luteis.

HIBBERTIA Andr. Endl. gen. n. 4753. Meisn. gen. 2. (5.)

DC. Prodr. Vol. 1. pag. 74. §. 2.

1. **Hibbertia perfoliata** *Hügel.* caule volubili, foliis ovatis perfoliatis aristulato-serrulatis; pedunculis oppositifoliis unifloris folio longioribus. Endl. in Hügel Enumerat. plant. pag. 3.

In subumbrosis scaturiginosis prope villam clb. Andrews supra urbiculum Perth, 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2127.

2 **Hibbertia amplexicaulis** *Steud.* caule erecto flexuoso glabro; foliis amplexicaulibus ovato-oblongis basi subhastatis levissime repando-denticulatis integrisve; pedunculis oppositifoliis unifloris folio longioribus; calycis sepalis ovato-lanceolatis (magnis) glabris bracteola accessoria multo minore munitis; staminibus basi subcoadunatis; ovariis glabris. ♄.

Staminibus basi submonadelphis et floribus in genere maximis generi *Candolleae* affinis.

In limoso calculosis umbrosis sylvaticis prope Mahagony-creek, 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2129.

Caulis fruticosus; *rami* subflexuosi, glabri, fusco-rufescentes, cortice tenui facile secedente; *folia* ½-1½ pollices longa, glaberrima, oblongo-ovata, arcte amplexicaulia basi profunde cordato-emarginata, hinc subhastata, lobis obtusis, apice in mucronem plicato-contorta, margine subreflexo integerrima, vel hinc inde denticulo uno alterove ex undulatione notata; *pedunculi* subpollicares flore longiores; *sepala* oblongo-lanceolata, acuminata, 5-6 lineas longa, ad basin calycis bracteola accessoria; *petala* ovata obtusa, margine (in siccis) subundulato-crenata.

A praecedente specie facile diagnoscitur: floribus duplo majoribus, foliis non perfoliatis, sed amplexicaulibus oblongis, pedunculis folia non superantibus.

3. **Hibbertia hastata** *Steud.* caule subvolubili glabro cortice secedente; foliis basi hastata amplexicaulibus linearibus vel sublanceolatis integerrimis apice mucronulatis; pedunculis axillaribus folia subaequantibus unifloris; calyce unibracteato; ovariis 2 glabris; staminibus liberis. ♄.

In Australasia occidentali-meridionali. Herb. Preiss. No. 2128.

Caulis debilis vix fruticulosus, ramosus, cortice in ramis adultioribus facile secedente; *folia* bipollicaria et ultra, 2-3 lineas lata, uninervia, nervo subtus prominente, margine subrevoluta, supra fusco-viridia, subtus pallidiora, utrinque glabra; *pedunculi* in axillis foliorum solitarii, elongati, arcuati, folium

aequantes vel superantes; *sepala* ovata basi bracteola multo minore aucta, 6 lineas longa, petala subaequantia.

4. **Hibbertia lactucaefolia** *Steud.* caule erecto vel subflexuoso glabro subancipiti-anguloso; foliis linearibus elongatis (2-3-pollicaribus) basi hastata amplexicaulibus integerrimis glabris apice mucronulatis; pedunculis axillaribus unifloris folio (sub-) brevioribus; calyce ebracteolato ovariisque glabris. ♄.

In sublimosis sylvaticis districtus Sussex, 23. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2161 et in umbrosis sylvaticis prope Albany, districtus Plantagenet, 22. Sept. 1840. No. 2173.

Difficile a praecedente praeter notas allatas distinguitur: caule erecto basi distincte fruticuloso, stricto, minus ramoso; *foliis* multo angustioribus, latitudine lineam saepe non attingentibus, raro vix excedentibus; *pedunculis* brevioribus erectis in apice caulis copiosioribus et tunc quam folia vix evoluta parva vix longioribus.

5. **Hibbertia confertifolia** *Steud.* caule fruticuloso erecto ramoso piloso-scabro demum cortice secedente glabro; foliis subfasciculato-confertis sessilibus oblongo-cuneatis obtusis utrinque pilosis; floribus sessilibus axillaribus; calycibus bracteolis ferrugineis (gemmarum phyllis persistentibus?) involucratis; sepalis ovato-lanceolatis longe pilosis acutiusculis; petalis obovatis emarginatis; germinibus (3?) glabris. ♄

In subarenosis districtus Plantagenet, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2143.

Fruticulus sursum ramosus, ramuli teretes cano-pubescentes; *folia* in intervallis parvis ½-1 pollicaribus, superne magis approximata, in fasciculos unilaterales conferta, 2-3 lineas longa, — juniora praesertim — pilis sericeis elongatis obsita; *flores* in axillis foliorum sessiles, involucrati, bracteis ovatis ferrugineis deciduis; *sepala* (plerumque) ad marginem membranaceo-scariosa petala subaequantia.

6. **Hibbertia commutata** *Steud.* caule fruticuloso erecto basi ramoso pubescente demum cortice secedente glabro; foliis confertis oblongo-lanceolatis utrinque (praesertim infra) villosis; floribus axillaribus (saepe ad axillas foliorum dejectorum) sessilibus bracteis ferrugineis involucratis; sepalis lanceolatis dense villosis; ovariis 3-4 glabris; stylis stamina superantibus. ♄.

In saxosis vallis cataractae ad caput fluvii Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2136.

Fruticulus ramis brevibus (2-pollicaribus) praesertim ad basin vel in medio caulis superne simplicis; *folia* subconferta 3-5 inaequalia, ovato-oblonga vel lanceolata, apice breviter acutata, minora 2-3 reliqua ad summum 7 lineas longa, supra obscure viridia pilosa, subtus dense pilis longioribus albidis subintricatis canescentia; *flores* axillares in fasciculis foliorum sessiles, bracteis ferrugineo-rubris apice pubescentibus caeterum glabris involucrati; *calyx* villis longis albidis dense obsitus, *sepala* ante florescentiam in conum acutum conniventia, aperta oblongo-lanceolata acuminata.

7. **Hibbertia discolor** *Steud.* caule fruticuloso ramoso cinereo-villoso vel cortice secedente demum glabro; foliis

oblongis vel oblongo-linearibus supra tenuissime adpresse pilosis vel nudiusculis opacis subtus pube alba intricata brevi velutinis; calycibus bracteis ferrugineis involucratis; sepalis ovato-lanceolatis, extus dense villosis, intus basi subglabris; ovariis (2-3) glabris. ♄.

In limosis ad fluvium Canning, 22. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2137.

Variat: caule stricto minus ramoso et hirsuto.

A praecedente simillima differt praecipue: *ramis* strictis elongatis firmioribus; *foliis* majoribus 5-12 lineas longis utrinque pube breviore indutis; *reliqua* praecedentis, cujus forsan var.

8. **Hibbertia argentea** *Steud.* caule humili erecto sericeo-villoso cortice secedente demum glabro; foliis confertis oblongis obtusis utrinque (praesertim junioribus) calycibusque sericeo villosis; ovariis glabris. ♄.

Ad promontorium Cape-Riche, 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2144.

9. **Hibbertia depressa** *Steud.* caule fruticuloso prostrato ramoso cortice secedente; ramis villosulis; foliis subfasciculato-confertis linearibus margine revoluto longe sericeo-villosis subrecurvis; floribus axillaribus terminalibusque sessilibus; sepalis lanceolatis pilosis; ovariis (5) glabris. ♄.

In clivulo arenoso prope oppidulum Albany, ditionis Plantagenet, 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2153.

Caulis diffusus ramosus; *rami* subhorizontales pilis plus minus longis cum epidermide deciduis obsitus; *folia* plerumque in interstitiis folio longioribus fasciculata, raro in ramulis secundariis solitaria, alterna, anguste linearia, margine revoluto subteretia, 4-8 lineas longa, curvata, pilis longis sericeis, in adultis rarioribus obsita; *flores* in axillis foliorum sessiles; *bracteae* involucrantes, pallide-ferrugineae, multo minus quam in praecedentibus conspicuae; *sepala* extus dense, intus in medio tantum, pilosa, aequantia petala, pallide flava.

Proxima videtur *Hibbertiae prostratae* Hook. Journ. I. 246. sed vix dubie diversa.

10. **Hibbertia tenuiramea** *Steud.* fruticulosa ramosa glabra, ramis attenuatis divaricatis; foliis linearibus apice subdilatatis glaberrimis obtusiusculis; pedunculis axillaribus folia subaequantibus; sepalis ovatis obtusis glaberrimis petalis emarginato-bilobis (duplo) brevioribus; ovariis glabris. ♄.

In arenosis subumbrosis fruticosis prope Perth, 19. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2145.

Fruticulus 1-2 pedalis, a basi ramosus, omnino etiam in partibus junioribus glaber; *folia* vix fasciculata, sed saepe basi subimbricata, 2-4 approximata, quandoque solitaria, ½-1½ pollices longa, angusta, linearia, infra medium attenuata; *pedunculi* solitarii, axillares, teneres, subflexuosi folia subaequantes; *sepala* glaberrima, patentia, margine pellucido-scariosa, *petala* aureo-flava.

11. **Hibbertia basitricha** *Steud.* caule fruticuloso ramoso glabro, cortice secedente; foliis linearibus margine revolutis basi pilosis sursum glabris apice acutiusculo; floribus axillaribus sessilibus; sepalis ovato-lanceolatis piloso-sericeis margine membranaceis; ovariis glabris. ♄.

In confragrosis ad radices jugi montium Darling's-range, ditionis Perth, 4. Dec. 1839. Herb. Preiss, No. 2165.

Frutticulus tenuis pedalis et ultra, ramosus; *folia* in interstitiis variis fasciculato-aggregata, anguste linearia, vix semilineam lata, $^3/_4$-1 pollicem raro ultra longa, margine revoluta, erecta, plerumque curvata, glaucescentia, basi pilis longiusculis notata sed vix ampliata, *sepala* acuminata, margine membranaceo glabra, medio pilosa, *petala* pallide flava subaequantia.

12. **Hibbertia pachyrrhiza** *Steud.* radice lignosa incrassata ramosa; ramis erectis strictis ramulosis pubescentibus ad foliorum ortum conferto-albo-pilosis; foliis subfasciculatis elongatis anguste linearibus revolutis striatis basi pilosis sursum glabris; floribus axillaribus solitariis sessilibus; sepalis vix puberulis; ovariis glabris. ♄.

In arenosis montium Darling's-range, ditionis Perth, 20. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2149.

Caules e trunco radicali crasso lignoso plurimi, erecti, 1-1$^1/_2$ pedales, glabrescentes vel pilosuli ad foliorum ortum dense villosi; *folia* raro solitaria sed 2-4 approximata, anguste linearia, 1$^1/_2$-2 pollices longa, margine revoluto subtus canaliculata, basi parum dilatata subamplexicaulia; *flores* arcte sessiles; bracteae involucrantes nullae; *sepala* ovata, medio praesertim puberula, aequantia petala pallide flava.

13. **Hibbertia subexcisa** *Steud.* fruticulosa a basi ramosa; ramis subsimplicibus vel brevi-ramulosis pubescentibus; foliis longiusculis (pollicaribus) sublinearibus margine revolutis glabris, basi dilatata subamplexicaulibus ciliatis, apice emarginatis; pedunculis pilosis axillaribus solitariis folia subaequantibus; sepalis lanceolato-ovatis ovariisque (2?) glabris. ♄.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth, 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2146.

Frutticulus 1-2-pedalis, e trunco lignoso incrassato ramosus; *rami* erecti, basi cortice secedente glabri sursum pubescentes; *ramuli* breves, foliati; *folia* approximata, linearia, inferne angustiora, basi pilosa et dilatata, in parte dilatata lineola transversa notata quasi articulata, in margine ampliata baseos pilis longiusculis albidis ciliata, apice plus minus conspicue emarginata quandoque mucronulata; *pedunculi* folio plerumque parum breviores, patentim pilosi; *sepala* ovata, apice mucronulata aequantia petala pallide flava.

DC. Prodr. Vol. I. pag. 74. §. 3.

14. **Hibbertia latifolia** *Steud.* caule prostrato serpente adscendente tereti asperulo; foliis petiolatis ovatis subinciso-dentatis pilosis ruguloso-scabris; pedunculis axillaribus folio longioribus unifloris; carpellis pilosis. ♄.

In clivulo arenoso inter frutices prope Pointpossession, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2126.

Caulis longissime prostratus, nudus, tandem in ramos adscendens erectos, foliatos, piloso-asperulos, pedales et ultra; *petioli* 3-4 lineas longi, erecti vel recurvi; *folia* 2-4 subconferta, magnitudine varia, majora pollicem longa et $^1/_2$-$^3/_4$ lata, ovata vel oblongo-ovata, minora subrotundata, supra pilis brevibus scabra, subtus pilis adpressis longioribus pubescentia, margine subinciso-crenata crenis obtusis; *pedunculi* axillares arcuati, patenti-pilosi

basi; *sepala* pilosa, duplo breviora quam petala pallide flava, ovata, emarginata.

15. **Hibbertia ovata** *Steud.* caule fruticuloso a basi ad apicem ramoso villosulo vel cortice secedente glabro; foliis ovatis (raro oblongis) utrinque praesertim subtus villosis, hinc inde dente uno alterove notatis vel integerrimis; floribus axillaribus terminalibusque sessilibus; calycibus bracteis ferrugineis involucratis; sepalis ovato lanceolatis extus albido-villosis, intus (basi) glabriusculis; ovariis velutinis. ♄.

In limoso-calculosis fruticosis prope Mahagony-creek, ditionis Darling's-range, 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2134.

16. **Hibbertia montana** *Steud.* caule fruticuloso ramoso villosulo vel demum cortice secedente glabro; foliis subconfertis oblongis obtusis integerrimis utrinque dense molliterque villosis; floribus axillaribus terminalibusque sessilibus; calycibus bracteis ferrugineis involucratis; sepalis ovato-lanceolatis, extus albido-villosis, intus (basi) glabriusculis; ovariis velutinis. ♄.

In limosis lapidosis cacuminis montis Bakewell, ditionis York, 5. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2135.

Frutículus pedalis diffuse ramosus; *rami* lignosi, validiusculi, villis longis albidis plus minus dense vestiti; *folia* fusco-viridia, sessilia, 6-8 lineas longa, 1½-2½ lata, margine reflexo, uti ramuli villis albidis dense utrinque obsita; *flores* in apice ramulorum inter folia vel in axillis sessiles, bracteis lutescenti-ferrugineis, ovatis, obtusis vel mucronatis, glabris vel carina et apice pilosis involucrati; *sepala* acuta petala intense lutea aequantia.

17. **Hibbertia astrophylla** *Steud.* foliis oblongo-linearibus integris obtusis margine revolutis supra pulvinato-stellato-asperis pilosis, subtus stellato-intricato-cinereo-pilosis; floribus in pedicellis brevibus demum parum elongatis; sepalis ovatis obtusis asperis; ovariis dense velutinis. ♄.

In rupestribus ad latus occidentale montis Clarence, districtus Plantagenet, 28. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2167.

Frutex 1-2 pedalis, ramosissimus; *rami* subvalidi lignosi, post epidermidis secessum glabri; *ramuli* pilis stellatis simplicibusque asperi; *folia* alterna in apice ramulorum magis conferta, basi in petiolum brevissimum attenuata, 6-8 lineas longa, 1-1½ lata, margine revoluta, obscure viridia subtus pallidiora; *flores* sparsi, axillares et terminales, brevissime pedicellati; *sepala* breviora quam petala ovata, profunde emarginata, obscure flava; *stamina* ovarium quidem cingunt, sed uno latere confertiora, hinc ad *Pleurandram*, coalitione eorum ad basin ad *Candolleam* accedens species.

18. **Hibbertia aspera** *DC.* foliis oblongis obtusis margine subrevolutis superne subscabris subtus cinereo-velutinis; floribus pedicellatis digynis; ovariis hirsutis. ♄. DC. Prodr. Vol. I. pag. 74. n. 14.

Ad fluvium Cygnorum locis arenosis 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2136 a.

19. **Hibbertia proxima** *Steud.* caule erecto stricto brevi ramuloso asperulo sparsim rigide villoso; foliis planiusculis oblongo-linearibus margine revolutis rugulosis junioribus (praesertim margine) villosis, villis demum deciduis, supra nitentibus asperis, subtus pube densa brevissima canescentibus; floribus in apice ramulorum axillaribus terminalibusque pedunculatis; pedunculis folia subaequantibus; sepalis ovatis tenuissime asperulis pilosulis apice acuminatis vel obtusis; ovariis velutinis. ♄.

In sublimoso-glareosis umbrosis jugi montium Darling's-range, ditionis Perth, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2147.

Caulis erectus strictus pallide-rufescens, pilis brevissimis adpressis asperulus, intermixtis sparsim longioribus patentibus rigidiusculis pilosus; *rami* erecti, breves, 1-2-unciales; *folia* sparsa, linearia, 6-10 lineas longa, 1-2 lata, supra rugulosa, punctis lepidotis sparsim notata, ad marginem pilis rigidiusculis demum deciduis ciliata; *sepala* breviora quam petala, aureo-lutea, margine crenulata, apice emarginata. *H. asperae* DC. proxima.

20. **Hibbertia trachyphylla** *Steud.* caule fruticuloso (bipedali) ramosissimo glabro; ramulis puncticulato-asperulis subpilosis; foliis anguste linearibus margine revolutis (hinc subteretibus) supra punctato- vel sublepidoto-asperis demum denudatis subtus glabriusculis; floribus in apice ramulorum terminalibus vel axillaribus; pedunculis folia superantibus; sepalis ovatis puncticulato-scabris; petalis ovatis emarginatis; ovariis 2 velutinis. ♄.

In arenosis prope oppidulum Perth, 31. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2132.

Caulis bipedalis et ultra, diffuse ramosissimus, glaber; *rami* pallide rufescentes, erecto-patentes, sub lente punctis minutis plerumque ex pilis brevissimis compositis asperuli; *folia* alterna, in apicibus ramulorum magis congesta, angusta, vix ½ lineam lata, 6-10 longa, obtusiuscula, margine revoluto subtus canaliculata, glaucescentia, punctis vel squamulis ex epidermide elevatis albidis asperula; *pedunculi* folia aequantia vel superantia similiter asperuli, erecti; *sepala* ovato-oblonga, extus punctato-scabra, margine evanescenti-ciliolata et apice mucronulato intus brevissime pilosula, basi glabrescentia, quam petala laete lutea breviora.

21. **Hibbertia cinerascens** *Steud.* caule fruticuloso erecto asperulo sparsim piloso brevi ramuloso; foliis planis oblongo-linearibus margine subreflexis supra lepidoto-asperis subtus pube brevissima cinerea velutinis; pedunculis axillaribus terminalibusque folia superantibus; sepalis ovatis oblongis asperulis; ovariis velutinis. ♄.

In limosis ad praerupta vallis Cataractae, ditionis Perth, 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2140.

Frutex 2-3 pedalis, ramosus; *caules* rufescentes pilis brevissimis rigidis adpressis asperulus, intermixtis sparsim longis albidis; *folia* sparsa, subalterna, magnitudine varia ½-1 pollicaria, 1-2 lineas lata, supra fusco viridia squamulis sub epidermide nidulantibus albidis aspera, subtus cinereo-albicantia, utrinque praesertim ad margines pilis sparsis rigidiusculis munita; *pedunculi* erecti, asperuli et pilosi; *sepala* intus glabrescentia petalis aureo-luteis emarginatis breviora.

22. **Hibbertia pilosa** *Steud.* caule subscandente patenti-ramoso piloso; foliis oblongo-ovatis acutis supra sparsim lepidoto-punctatis pilosis; floribus axillaribus sessilibus solitariis vel 2-3 aggregatis; sepalis oblongis pilosis obtusiusculis mucronulatis; carpellis 1-2 dense longeque undique pilosis. ♄.

In densis umbrosis montis Darling's-range, ditionis Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2130.

23. **Hibbertia pallida** *Steud.* caule basi ramoso; ramis strictis simplicibus angulosis glabris; foliis sparsis anguste linearibus margine revoluto (hinc subteretibus) glabris apice subrecurvo mucronulatis; floribus versus apicem ramorum axillaribus vel in ramulis brevissimis terminalibus (subracemosis); calycibus bracteola lanceolata auctis; sepalis ovatis acutiusculis glabris; ovariis (2?) velutinis. ♄.

In sublimoso glareosis ad radices jugi montium Darling's-range, ditionis Perth. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2152 a.

Caules e trunco radicali lignoso plures, erecti, simplices, pedales et ultra, luteo-albidi; *folia* glaucescentia, sparsa, solitaria, pollicaria et ultra, basi in foveola conspicua elevata nidulantia, post delapsum foliorum persistente; *flores* vel immediate e caule vel in ramulis brevissimis, 2-5 lineas longis, sessiles; *petala* pallide lutea emarginata quam sepala parum longiora.

24. **Hibbertia aurea** *Steud.* caule erecto sursum ramoso ramisque glaberrimis cortice demum secedente angulosis; foliis sparsis anguste linearibus margine revoluto (marginibus sese non attingentibus) puncticulis elevatis sparsis exasperatis, apice apiculatis; floribus versus apices ramulorum (subracemosis) axillaribus sessilibus; calycibus glaberrimis bracteis pluribus ovato-lanceolatis involucratis; ovariis (2?) velutinis. ♄.

Cum antecedente lecta. Herb. Preiss. No. 2152 b.

A praecedente simillima, quacum in *Pretssii* herbario erat commixta, differt: *caule* sursum ramosiore, bracteis 6-8 imbricatis calycem involucrantibus, sepalis similibus sed minoribus tenuissime ciliatis, primo intuitu vero petalis aureo-luteis.

25. **Hibbertia lineata** *Steud.* caule fruticuloso a basi ramoso; ramis erectis strictis cortice cinereo secedente glabris; foliis sparsis superne subconfertis anguste linearibus longitudinaliter sulcato-striatis strictis rigidis margine punctato-asperis; floribus axillaribus solitariis pedunculis folia subaequantibus; sepalis asperulis ovatis bracteola lanceolata (decidua) munitis; ovariis (2.) velutinis. ♄.

In confragosis umbrosis sylvaticis ad latus septentrionale montis Wuljenup, ditionis Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2151.

Caules e trunco radicali incrassato lignoso plures, erecti, stricti, 1½-2 pedales, basi nudi supra medium foliati; *folia* magnitudine varia, 4-8 lineas longa, una vix latiora, supra vix convexiuscula, glabra, ad margines praesertim punctis elevatis exasperata, infra sulcis 3 longitudine percursa, apice breviter

recurva, mucronulata; *pedunculi* erecti vel subarcuati glabri; *calyx* praeter punctula minuta asperula glaber; *petala* sepalis majora pallide lutea, emarginata.

26. **Hibbertia microphylla** *Steud.* caule erecto parvulo (4-8-unciali) ramoso fruticuloso; foliis confertis brevissime petiolatis crassiusculis oblongo linearibus obtusiusculis (raro mucronulatis) glabris; floribus axillaribus pedicellis folia superantibus; sepalis obtusis ante anthesin pilosis demum glabris; ovariis (2?) pilosis. ♄.

In glareosis prope montem Wuljenup districtus Plantagenet, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2154 et 2180.

Fruticulus parvus 6-8 uncialis vel pedalis, e trunco radicali lignoso ramosus, ramis plerumque simplicibus strictis vel plus minus ramulosis (No 2180) *folia* approximata, sparsa (non fasciculata) 1-1½ lineas longa, dimidiam lata, subcarnosa, viridi-glaucescentia, glabra vel punctis minutissimis sparsis asperula; *flores* ad apices ramorum axillares, *pedunculi* folia superantes; *sepala* oblonga petalis luteis vix emarginatis breviora.

CANDOLLEA Labill. Endl. gen. n. 4755. Meisn. gen. pag. 2. (5.)

1. **Candollea assimilis** *Steud.* caule ramoso epidermide secedente glabro; ramulis subunifariam pilosis; foliis linearibus subconfertis margine revolutis sparsim — basi ampliata — dense pilosis apice mucronulatis; floribus axillaribus pedunculatis pedunculis pilosis folio brevioribus; sepalis ovatis obtusiusculis ovariisque glabris. ♄.

In arenosis ad fluvium Cygnorum, 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2133 b.

Fruticulus praecedenti simillimus, pedalis et ultra, caule glabro cortice facile secedente; *rami* rufescentes praesertim ramuli unifariam pube alba sericea quandoque in totum ramulum diffusa pubescentia, in apice ramulorum subcongesta; *folia* ½-1 pollicaria, ad margines inflexos vix semilineam lata, sursum parum dilatata, mucronulata, basi ampliata ciliolata, caeterum glabra glaucescentia; *pedicelli* folio breviores, 4-5 lineas longi, pubescentes; *sepala* ovata, tenuissime pubescentia. Iterum *Pleurandrae* facie sed stamina partim dianthera intermixtis monantheris.

2. **Candollea latifolia** *Steud.* caule diffuse ramoso ramis angulatis pubescentibus; foliis glabris subcoriaceis obovatis apice dentatis basi angustata, junioribus minoribus saepe omnino integerrimis; floribus solitariis in apice ramulorum inter folia sessilibus; sepalis ovatis glabris mucronatis (basi) ciliolatis petala obovata superantibus; phalangibus 2-3-andris. (*C. tetrandrae* Lindl. proxima, an var?)

In depressis umbrosis ad portum Leschenault, Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2162.

Caulis lignosus, diffuse ramosus, inferne glaber uti ramuli dense pubescentes, cicatricibus et basi foliorum delapsorum persistente notati; *folia* sparsa, versus apicem ramorum approximata, magnitudine varia ½-1 pollicaria et ultra, ovata vel ovato-oblonga, coriacea, versus apicem dentibus remotis 3-5 notata, supra fusco- (subtus pallidius) rufescentia; *sepala* quam in praecedente

parum minora sed petala eis multo longiora, ovato-oblonga, margine subcrenulato-undulata; *ovaria* 5, glabra.

3. **Candollea Preissiana** *Steud.* caule fruticoso erecto (2-3 pedali) ramuloso pubescente; foliis lineari-cuneatis apice obtusis subemarginatis medio mucronulatis subcoriaceis superne demum glabris, basi dense pilosis et dilatato-semiamplexicaulibus; floribus ad apices ramulorum inter folia subracemosis pedunculatis; calycibus pilosis sepalis ovato-lanceolatis acutis; staminibus sublateralibus 2-4 andris; carpellis glabris. (Si mavis ad Pleurandras sect. IV. *Candolleanas* DC. referre possit.) ♄.

Inter saxa calcarea colliculi maritimi ditionis Perth, 9. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2159 b.

Caulis subflexuosus, inferne cortice facile secedente glaber sursum pubescens; *rami* patentes, plerumque abbreviati, densius pube albida vestita; *folia* in ramulis conferta, pollicem et ultra longa, 2-4 lin. lata, basin versus attenuata, ima basi dilatata subamplexicaulia, apice subtruncata; *pedunculi* dense pilosi, ex axillis foliorum his breviores; *sepala* margine membranacea, glabra, medio pilosa, petalis pallide-luteis breviora.

4. **Candollea calycina** *Steud.* caule fruticoso (6-8 pedali) ramoso rigido piloso demum glabrescente; foliis subcoriaceis glabris margine subrevolutis oblongo-lanceolatis raro integris sed apice 3-5 dentatis mucronulatis basi in petiolum brevem subdilatato-amplexicaulem abeuntibus; calycibus magnis, sepalis ovatis apice acutis petala superantibus glabris; staminibus antheras 2-4 gerentibus; ovariis 2-5 glabris stylis capitatis antheras aequantibus. ♄.

In colliculis arenosis ad portum Leschenault et ad littora maritima districtus Sussex, 11. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2131.

Caulis valde lignosus, diffuse ramosus; *rami* cicatricibus foliorum noduloso-notati, sursum foliati puberuli albidi; *folia* in petiolum angustum brevem attenuata, ima basi sursus semi-amplexicauli-dilatata, subcoriacea, magnitudine varia 4 lineas-pollicem et ultra longa, oblonga, quandoque linearia, plus minus lanceolata; nunc (praesertim juniora) omnino integra nunc apice dentibus 3 rarissime 5, plus minus distinctis notata; *flores* in apice ramulorum brevissimorum sessiles; *calyces* in genere maximi, *sepala* foliacea margine et basi membranacea, semipollicaria; *petala* pallide lutea.

5. **Candollea glaberrima** *Steud.* caule fruticuloso erecto ramosissimo (uti tota planta) glaberrimo; foliis linearibus margine revolutis apice leviter emarginatis vel obtusis mucronulatis basi valde ampliatis subamplexicaulibus; floribus axillaribus sparsis sessilibus, sepalis ovato-lanceolatis acutis, staminibus diantheris et simplicibus. ♄.

In arenosis fruticosis sylvaticis cis oppidulum Guildfort ditionis Perth, 2. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2157.

Frutticulus 1-2 pedalis, radice lignosa, parum fibrosa; *caulis* a basi ramosus, cinerascens, uti rami binc inde cicatricibus foliorum notati; *folia* erecto-patentia, subpollicaria, 1½-2 lineas lata, basin versus parum angustata, ima basi late ovato-ampliata et hac basi subimbricata, glaucescentia; *flores* basin

ampliatam excedentes, *sepala* 3-4 lineas longa, margine subscariosa *petala* flava subaequantia.

6. **Candollea subvaginata** *Steud.* caule erecto fruticuloso ramoso glabro, ramis junioribus pubescentibus; foliis apice cuneato dilatatis mucronulatis vel subemarginatis (raro omnino obtusis) integerrimis glabris basi dilatato-vaginantibus; floribus axillaribus subsessilibus staminibus 2-4 antheras gerentibus; sepalis lanceolatis acuminatis petala superantibus; ovariis 3-4 stylis longis filiformibus. ♄.

In sublimosis districtus Hay, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2160.

A praecedenti simillima, cujus forsan varietas, differt: habitu tenuiore, foliis apice vel omnino obtusis vel simpliciter mucronulatis nec subtruncatis nec 3-dentatis, basi magis solutis, caulem quasi subvaginantibus; *ramis* junioribus praesertim ad divisiones et foliorum ortum omnino nec in linea laterali pubescentibus.

7. **Candollea rupestris** *Steud.* caule fruticoso (4-5 pedali) ramoso, ramis junioribus pubescentibus; glaberrimis sublineari-cuneatis apice obtusiusculo subtridentato vel mucronulato, basi subdilatata subamplexicaulibus; floribus axillaribus sparsis subsessilibus; sepalis lanceolatis acuminatis glabris; staminibus 2 antheriferis vel simplicibus; germinibus glabris. ♄.

Inter rupium rimas montium Darling's-range ditionis Perth, 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2158.

Caulis fruticosus, 4-5-pedalis; *rami* rufescentes, glaberrimi, *ramuli* juniores apicem versus unifariam pubescentes; *folia* subalterna sparsa, linearia, pollicem et ultra longa, 1-1½ lineas lata, apicem versus plerumque latiora, truncata et utrinque in dentem plus minus conspicue excedentia vel obtusa dente medio solum restante, ima basi subamplexicauli-dilatata, glaucedine fugaci adspersa; *flores* axillares, brevissime pedunculati, *pedunculis* bractea una alterave munitis; *sepala* lanceolata, margine subscariosa, longe subpungenti-acuminata *petala* flava subaequantia.

8. **Candollea striata** *Steud.* caule fruticuloso (1-2 pedali) ramoso, ramis subteretibus (junioribus) pubescentibus; foliis angustissime linearibus (3) striatis, superne glabris basi pilosis vix ampliatis; floribus axillaribus sessilibus; sepalis ovatis acuminatis pilosis ciliatis; staminibus 2-3 antheriferis et simplicibus; ovariis pubescentibus. ♄.

In arenosis prope oppidulum Perth, 6. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2148.

Caulis et rami erecti vel divaricato-patentes, glaberrimi; *folia* in ramulis brevibus subfasciculato-conferta, 1-1½ pollices longa, marginibus reflexis subteretia, striata, sursum glabra, nitida, basi pilosa, apice subpungenti-emarginata; *flores* in apice ramulorum inter folia sessiles, solitarii; *sepala* semipollicaria, extus pilis sericeis munita, intus glabra, acute acuminata *petala* pallide lutea superantia.

9. **Candollea cygnorum** *Steud.* caule erecto debili parum ramoso pubescente; foliis anguste linearibus integris pilosis basi non dilatata semiamplexicaulibus; floribus oppositifoliis pedicellatis pedicello infra calycem bracteolato; se-

palis ovatis acuminatis extus pubescentibus intus ovariisque glabris. 4. ♄.

In arenosis prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2174.

Caulis vix pedalis, ramosus, debilis, inferne glabrescens superne dense pubescens, pallide rufescens; *folia* erecta, pollicaria et ultra, vix lineam lata, plana, margine vix revoluta, basi praesertim pilosa; *pedunculi* oppositifolii 5-6 lineas longi, medio bractea filiformi 3-4 lineas longa muniti; *sepala* petalis obscure flavis sublongiora, acute acuminata.

10. **Candollea parviflora** *Steud.* caule fruticuloso (1-1½ pedali) erecto ramoso piloso; foliis linearibus margine revolutis supra basin glabris apice leviter emarginatis, basi pilosis dilatatis subamplexicaulibus; floribus axillaribus pedunculis folia subaequantibus pilosis; sepalis glabris ovato lanceolatis acutis; staminibus 2-3 antheris; germinibus glabris. (Habitus *Pleurandrae*, stamina *Candolleae*.) ♄.

In arenosis montium Eliza mountain ditionis Perth, 17. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2150 et ad Princess Royal Harbour, 11. Oct. 1840. No. 2168.

Frutex 1-1½ pedalis, diffuse ramosus, omnino *Pleurandrae* facie ad filamentis diandris et foliis basi dilatatis *Candolleae* congener; *caulis* ante corticis secessum ramique plus minus dense molliter pilosi; *folia* subfasciculato-conferta, pollicem et ultra longa, 1-1½ lineas lata, margine plus minus revoluta, praesertim basi pilosa, ad 2-2½ lineam dilatata et quoad basin subimbricata, apice obtuso subtruncato subemarginata, quandoque mucrone brevissimo munita, subtus pallidiora; *pedunculi* axillares, pilosi, folio nunc breviores nunc sublongiores, ebracteati, subfiliformes; *calyx* parvus, glaber, *sepala* vix 3 lineas longa, oblongo ovato *petalis* pallide flavis vix breviora.

11. **Candollea? exasperata** *Steud.**) caule ramoso cinerascente cortice secedente; foliis sparsis ad apices ramulorum confertis glaucescentibus linearibus apice mucronatis punctato exasperatis dorso tenuissime sulcato lineatis; floribus inter folia sessilibus terminalibus. ♄.

In glareosis planitiei Quangen ditionis Victoria, 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 2175.

---

*) Genus dubium, flores nulli adsunt evoluti; ex unico staminum rudimento diviso genus divinari potest.

CRASSULACEAE DC. Endl. gen. pag. 808.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

TILLAEA Mich. Endl. gen. n. 4607. Meisn. gen. pag. 134. (89.)

Characteri generico addas: *Calyx* 3-5-partitus. *Stamina* 3-5. *Ovaria* 3-5.

* ***Tillaeà*** DC. Endl. l. c. *Flores* 3-5-meri. *Carpella* disperma.

1. **Tillaea adscendens** *N. ab E.* caule basi brevi spatio decumbente hinc stricte erecto inferne ramoso, foliis connatis ovato-cymbiformibus subcarnosis, floribus pentameris in axillis congesto-verticillatis omnibus sessilibus, sepalis petalisque membranaceis acuminatis, his duplo angustioribus.

In arenosis haud procul ab oppidulo Freemantle, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1931.

Caulis vix digitalis, strictus, tetragonus, purpureus, brevi spatio e basi procumbens, dein erectus, basi ramosus. *Folia* in sicco statu pallida exsucca et valde collapsa, in vivo ergo succulenta, 1-2½ lin. longa. *Flores* ex omnium fere foliorum axillis, sessiles, inferiores gemini ternive, superiores oppositi, hinc habitus verticillatus, verticillis folia articulosque aequantibus denis. *Bracteolae* ad basin calycis duae, ovatae, apice subulatae, calyce plus duplo breviores ejusque laciniis similes. *Calyx* sessilis, basi truncatus, albo-membranaceus, quinquepartitus, laciniis basi hyalinis, superiora versus in disco purpureis, ambitu hyalinis, ovato-lanceolatis, subulato-acuminatis. *Petala* 5, lanceolata, setaceo-acuminata, saturatius purpurascentia. *Stamina* 5. *Squamulae* obsoletae. *Carpella* 5, nonnullis saepe abortivis, oblique lanceolata, apice subulata retrorsum uncinata, compressa, disperma. *Semina* ovalia, fusca, ad hilum carunculata. *Discus* hypogynus delapsis carpellis quinqueareatus. ⊙.

2. **Tillaea colorata** *N. ab E.* caule erecto stricto inferne ramoso, foliis connatis ovato-cymbiformibus subcarnosis, floribus pentameris in axillis congesto-verticillatis, verticillis sex-plurifloris confertis, flore intermedio cujusque axillae pedicellato, sepalis petalisque membranaceis acuminatis, his duplo angustioribus.

In arenosis silvae prope oppidulum Perth, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1932.

Simillima *Tillaeae adscendenti*, cujus nescio an sit varietas, differt *caule* statim a basi erecto (ejusdem altitudinis), *verticillis*, praesertim versus apicem caulis et in ramis, contiguis, faciem alopecuroidem provocantibus, plurifloris, flore fasciculi cujusque lateris intermedio pedicello longitudine calycis praedito, lateralibus fasciculum triflorum flore *intermedio* et in hisce, ut brevi-

ter, pedicellato exhibentibus, ideoque verticillo quoque 14-flore, tametsi raro omnes flores perficiantur, — porro *florum* colore rufo seu rubro saturatiore calycem et petala undique imbuenti, saepe tamen etiam expallescente, *lacinitis calycis* angustioribus oblongo-lanceolatis, petalis non modo sepalis angustioribus sed iis etiam ¼ brevioribus, *disco hypogyno* minori non plano et evidentissime quinquealveolato, sed elevato subconico.

** ***Bulliarda*** DC. Endl. l. c. *Flores* tetra-pentameri. *Petala* ovalia vel oblonga, acuta vel acuminata. *Squamulae* hypogynae lineares, vel filiformes subcapitatae (staminum interiorum rudimenta). *Capsulae* ovales, in stylum attenuatae, polyspermae (in medio haud contractae styloque deciduo denique obtusatae ut in *Tillaea muscosa* ejusque affinibus).

3. **Tillaea (Bulliarda) intricata** *N. ab E.* caule diffuso intricato repente, ramis adscendentibus, floribus axillaribus sessilibus oppositis pentameris distantibus, sepalis petalisque ovato-lanceolatis acuminatis, foliis oblongo-linearibus obtusis carnosis supra depressis subtus convexis.

In arenosis conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest, Augusto 1839. Herb. Preiss. No. 1929.

Caulis 1-2 poll. longus, repens, ramosus; rami etiam decumbentes, apice adscendentes, purpurei, acute tetragoni, ut reliquae partes glabri; internodia foliis longiora aut ea aequantia. *Folia* patentissima, incurva, 1¼-1¾ lin. longa, oblongo-linearia, obtusa. *Flores* in angulis foliorum inferiorum aggregati vel eorum loco gemmula microphylla, in superiorum foliorum angulis subsessiles, oppositi, folium aequantes (¾ lin.). *Bracteae* duae ad basin calycis, ovato-oblongae, obtusae, adpressae, succulentae, calyce dimidio breviores. *Aestivatio* calycis valvata. *Sepala* et *petala* longitudine aequalia, alba (?); illa latiora, utraque acuminata. *Stamina* longitudine pistilli, filamentis subulatis, antheris transversim ovalibus. *Staminа* sterilia capitulo parvo praedita, filamentis triplo breviora. *Ovarium* acute 4-5-angulum; *styli* subulati, papulosi, recurvi. *Ovula* plura. *Fructum* non vidi.

CEPHALOTEAE Endl. gen. pag. 812.

Rosaceae, Tribus 5 Sanguisorbeae, Subtribus 2, Cephalotbae Meisn. gen. pag. 105. (74.) Cephalotaceae Lindl. Syst. ed. 2. pag. 14.

CEPHALOTES Labill. Endl. gen. n. 4628. Meisn. gen. pag. 105. (74.)

1. **Cephalotes follicularis** *Labill.* Fl. Nov. Holl. Vol. 2. pag. 7. tab. 145. R. Brown in Flind. Vol. 2. pag. 601. tab. 4. opp. ed. Nees ab Esenb. 1. pag. 144. Hook. in Bot. Mag. Vol. 58. tab. 3118 et 3119.

In locis subturfosis arenosis, prope oppidulum Albany (Plantagenet) m. Januar. 1841. Herb. Preiss. No. 1204.

LORANTHACEAE Don.

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

NUYTSIA R. Brown. Endl. gen. n. 4587. Meisn. gen. pag. 154. (110. 359.)

1. **Nuytsia floribunda** *R.Br.* glabra, foliis late linearibus obtusis crassis, staminibus petalis nudis aequilongis, stylo exserto. Lindl. Swan-River Bot. tab. 4. (mala.) Fenzl. in Endl. Enum. pl. Hügel pag. 57. Brown in Journ. of the royal geogr. Societ. I. pag. 17.

Crescit in arenosis sylvae ad fluvium Cygnorum incolis Cabbagetree nuncupata, 18. Dec. 1838 florens. Herb. Preiss. No. 1608.

„Arbor 25-35 pedalis."

LORANTHUS Linn. Endl. gen. n. 4586. Meisn. gen. pag. 154. (110. 359.)

1. **Loranthus (Dendrophthoë) linophyllus** *Fenzl.* foliis ramulis floribusque albo-tomentosis fasciculatis oppositis alternisque tereti-filiformibus obtusis, cymis squamoso-dichotomis 3-5-floris simplicibus vel subcorymbosis axillaribus, floribus sessilibus, calycis limbo obsolete denticulato truncato, petalis 4-5 lineari-subspathulatis a basi liberis in alabastro clavato angulato coalitis, staminibus petalorum trienti superiori insertis, antheris aequilongis, stigmate filiformi. Fenzl. in Endl. Enum. pl. Hügel pag. 56.

Parasiticus in Casuarinis planitiei supra urbiculam Perth, 10. Oct. 1839. Flores coccinei (intus). Herb. Preiss. No. 1614.

2. **Loranthus (Dendrophthoë) Casuarinae** *Miq.* glaber, ramulis teretibus foliisque subopppositis vel oppositis tereti-filiformibus succulento-coriaceis brevi-mucronatis glabris, floribus axillaribus solitariis vel in pedunculo communi binis pedicellatis, calycis limbo obsolete denticulato, petalis 6 anguste subspathulato-linearibus in alabastrum tereti-subclavatum cohaerentibus, demum solutis, staminibus petalorum trienti superiore insertis, antheris anguste linearibus aequilongis, stylo filiformi.

Parasiticus in Casuarinis planitiei supra urbiculam Perth, 18. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1615.

Rami teretes, trichotomi vel alternatim ramulosi, laeves, fusco-cinerascentes, haud fragiles. *Folia* subopposita, raro perfecte opposita, viridia, teretia, in sicca rugulosa, glabra, rigidiuscula, in brevem mucronem terminata, recta vel subflexuosa, 5-10 cent. longa, 1-2 mm. crassa. *Flores* axillares, solitarii vel in *pedunculo* communi 2-4 mm. longo bini, *pedicellis*

1 cent. circiter longis suffulti, basi *bractea* ovata brevi-acutata, concava, carnosa sustenti, 4 cent. paullo superantes, sulphurei, in sicco fusci, virginales cylindraceo-subclavati versus apicem parumper curvati. *Calyx* 4 mm. longus, obconicus, margine pallido, obsolete denticulato. *Petala* linearia versus apicem aliquid dilatata, acuta. *Antherae* 7 mm. longae.

3. **Loranthus (Dendrophthoë) Preissii** *Miq.* glaber, ramulis teretibus, foliis suboppositis tereti-filiformibus strictiusculis subacutis muticis succulento-carnosis, floribus axillaribus in cymis di-vel trichotomis folio brevioribus, pedicellatis (vel intermedio sessili), calycis brevi-obconici limbo repando, petalis 5 lineari-spathulatis apice concavis, staminibus eorum quadrienti superiori insertis aequilongis stylo filiformi sursum leviter incrassato paullo brevioribus.

Parasiticus in Acaciae specie, ad Perth, 8. Mart. 1841 florens. Herb. Preiss. No. 1611.

Praecedenti similis, sed inflorescentia et florum forma diversissimus. *Rami ramuli*que teretes stricti, dichotomi, alterni, glabri, laeves, fuscescenti virides. *Folia* erecta, recta vel leviter curvata, 4-5 cent. longa, teretiuscula, in sicco rugulosa rigidiuscula, acutiuscula, mutica, 1-2 mm. crassa. *Flores* in cymis iteratim di- vel trichotomis *pedunculis* ½ cent. circiter longis sustenti, *medii* sessiles, *bractea* carnosa, colorata, ovata, acuta naviculari glabra apice subciliolato-lacera sustenti, in sicco fuscescentes, 2½ cent. longi, virginales clavato-cylindrici, basi parumper tumiduli, apice incrassato obtusi, rectiusculi, *calyce* brevi-obconico subcyathiformi 2 mm. longo, margine truncato repando, *petalis* 5 linearibus, apice elliptice dilatato acutiusculo concavis, *staminibus* paullo infra partem dilatatam insertis, *antheris* spathulato-linearibus, acutis, 3 mm. longis. *Stylus* filiformis petala parumper superans, versus apicem incrassatus, stigmate vix capitellato subtruncato.

Loranthus Preissii, varietas? Rami et folia ut in specie, sed haec interdum omnino alterna. Flores desunt.

Parasiticus in Acacia Lehmanniana, reg. York. Flores coccinei. 8. Mart. 1840. Herb. Preiss. 1618.

4. **Loranthus (Dendrophthoë?) scoparius** *Miq.* glaber, ramis teretibus, foliis suboppositis erectis, axillaribus accessoriis plerumque subfasciculatis, filiformi teretibus acutiusculis glabris, floribus . . . . .

Parasiticus in Acaciae specie, reg. York, 20. April. 1840. Herb. Preiss. No. 1613.

Praecedenti foliorum forma similis, sed eorum situ plerumque fasciculato et minore magnitudine distinctus, ob flores incognitos haud tuto determinandus. Fruticulus dichotome et alternatim ramosissimus; *rami ramuli*que teretes, in sicco fusco-grisei, densi, erecti. *Folia* versus ramulorum apices confertissima, viridia, erecta, subopposita vel plane opposita, accedentibus in eorum axillis plerumque uno binisve paullo brevioribus spurie fasciculata, filiformia, teretia, plerumque leviter curvata, glabra, 1-2½ cent. longa, ½ mm. in sicco crassa vel paullum crassiora, acutiuscula, mutica.

5. **Loranthus (Dendrophthoë) Miquelii Lehm.** *Mss.* glaber, ramis teretibus, foliis suboppositis vel oppositis longe petiolatis, infimis quibusdam obovatis vel obcordatis, reliquis lanceolatis vel linearibus plerumque leviter falcatis, obtusissimis muticis, basi attenuatis, uninerviis vel subtriplinerviis venulosis purpureo-marginatis, corymbis axillaribus

solitariis longe pedunculatis folia aequantibus vel superantibus 4-5-fidis, ramis trifloris, floribus omnibus longiuscule pedicellatis, singulis ad basin bractea rotundata naviculari sustentis, calycis limbo truncato obsoletissime denticulato.

Parasiticus in Eucalyptis, distr. York, 13. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1617.

Lorantho pendulo Sieb. fl. Nov. Holl. n. 241. DC. Mémoir. Loranth. Tab. I.! maxime affinis, sed species nihilominus distinctissima ob folia multo breviora obtusa uninervia, flores pedicellatos omnesque bracteatos.

„*Rami* valde elongati, penduli, brunneo-cinerascentes, *ramuli* purpurascentes", teretes, nodosi. *Folia* subopposita, summa plerumque plane opposita, coriacea, glabra, „purpureo-marginata", longe petiolata, *petiolis* semiteretibus 1½-3 cent. longis, *inferiora* quaedam obovata vel obcordata, 2-4 cent. longa, *reliqua* subobliqua, falcata, lanceolata vel summa linearia, obtusa, basi in petiolum contracta, 5-9 cent. longa, 1½-4 mm. lata, perspicue uninervia vel subtriplinervulosa, reticulata. *Corymbi* axillares solitarii, *pedunculis* purpureis 2½-4 cent. longis sustenti, umbellatim in ramos 4-5 teretes 1-1½ cent. longos partitis, *ramis* trifloris, *pedicellis* 5-8 mm. longis. *Bractea* sub quovis flore subrotundata, concava, carnosa, apice subtilissime ciliata. *Alabastra* tereti-clavata, recta, 3 cent. circiter longa. *Calyx* obconico-cylindraceus, 3-4 mm. longus, limbo subdilatato truncato repando-denticulato. *Petala* 5 „coccinea" linearia, apice subspathulato-dilatato elliptico concavo. *Stamina* trienti propemodum superiori inserta, petala circiter aequantia, *antheris* linearibus, versus basin attenuatis, fere 4 mm. longis. *Stylus* stamina parumper superans filiformis, sulcato-angulatus, stigmate „flavo" subcapitellato, verruculoso.

Loranthus Miquelii *Lehm.* **varietas?** foliis lanceolatis perspicue triplinerviis, floribus brevioribus (an nascentibus?) a specie differens. Baccae immaturae ovatae.

Parasiticus in Eucalyptis districtus Grantham, 7. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1612.

Ulterius inquirendum num revera a specie differat, nam flores in praesente specimine ½ breviores juveniles videntur et pressione tantum aperti.

6. **Loranthus (Dendrophthoë) Melaleucae Lehm.** *Mss.* glaber, ramis ramulisque teretibus, foliis oppositis vel suboppositis decussatis longiuscule petiolatis coriaceis anguste spathulatis obtusis basi sensim in petiolum contractis obsolete uninerviis aveniis vel praesertim supra subvenuloso-reticulatis, floribus corymbosis pedicellatis pentameris, basi bractea oblonga concava glabra suffultis, calycis cylindraceo-conici longiusculi limbo subdilatato truncato.

In ramis Melaleucarum insulae Rotenest, 18. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1616.

Fruticulus dichotome ramosus. *Rami* vetustiores cylindracei cortice griseo-fusco laevi obducti, foliorum cicatricibus tuberculati, *ramuli* subteretes. *Folia* 2-4 cent. longa, 6-8 mm. versus apicem lata, sicca facile decidua. *Petioli* cum lamina confluentes semiteretes, ½-fere 1 cent. longi. *Pedicellus* 6 mm. longus teres sursum incrassatus. *Bractea* patula 1 mm. longa. *Calycis* tubus 7 mm. longus, carnosus, limbo angustissimo dilatato subundulato truncato vix aliquid repando.

7. **Loranthus (Dendrophthoë) miraculosus** *Miq.* glaber, ramis teretibus, ramulis praesertim infra foliorum

insertionem compressis, foliis oppositis breviter petiolatis carnoso-coriaceis elliptico- vel subspathulato-lanceolatis basi contractis apice obtusis obsolete uninerviis aveniis, cymis breviter pedunculatis di-trichotomis, ramis trifloris, floribus pedicellatis vel medio sessili, bractea ovato-rotundata naviculari apice ciliolata, calyce truncato.

Parasiticus in Santali specie ad Wicklow, 8. Mart. 1841, florens. Herb. Preiss. No. 1609, ad York, 12. Apr. 1840 sterilis. No. 1610.

Species ob magnam cum planta materna similitudinem admodum insignis et in parasitismi physiologia memorabilis. Non solum enim foliorum forma, compage et nervatione, sed ramulorum juniorum compressorum, aetati teretium indole *Santalis* simillima.

„Frutex *Santalo* cui increscit simillimus sed paullo flavior", dichotome ramosus, glaber, *ramis* teretibus laevibus, *ramulis* praesertim versus superiorem internodiorum extremitatem compressis, dilatatis. *Folia* opposita vix subopposita, decidua, cicatrices elevatas relinquentia, *petiolis* antice canaliculatis, 3-4 mm. longis sustenta, crasse carnoso-coriacea, elliptico-vel spathulato-lanceolata, versus basin cuneato-contracta, apice obtusa vel rotundata, $2\frac{1}{2}$-$4\frac{1}{2}$ cent. longa, 1-$1\frac{1}{2}$ supra medium lata, obsolete uninervia avenia. *Cymae corymbosae,* axillares, an et terminales, folio breviores, di-et-trichotomae, fragiles. *Pedunculi* triflori. *Flores* pedicellati vel intermedio aliquando sessili. *Bracteae* carnosae rotundato-ovata naviculari-concava, apice subtilissime ciliata. *Calyx* obconicus, repando-truncatus, 2 mm. paullo brevior. *Petala* 5, in sicco fusca, lineari-spathulata, apice elliptico concava, 8-9 mm. longa. *Stamina* paullo supra mediam altitudinem inserta, *antheris* lineari-ellipticis. *Stylus* stamina parum superans, filiformis, anguloso-sulcatus, sursum plerumque flexuosus, *stigmate* verruculoso, subcapitellato.

UMBELLIFERAE Juss.

(Auctore A. Bunge.)

HYDROCOTYLE Tourn. Endl. gen. n. 4355. Meisn. gen. pag. 140. (102.)

1. **Hydrocotyle Cymbalaria** *Benth.* glaberrima, caulibus diffusis subalatis, foliis inferioribus subpeltatis cordato-reniformibus angulato-quinquelobis, lobis integerrimis acutiusculis, pedunculis petiolum subaequantibus, umbellis plurifloris capitatis, fructibus compressis orbicularibus utrinque quadricostatis. — Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 53. n. 175.?

In depressis arenosis umbrosis sylvae ad fluvium Cygnorum supra urbiculam Perth, 27. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2084.

Dubitanter huc refero plantulam, cujus pauca specimina praesto sunt; *folia* enim subpeltata, petiolo paulo supra basin laminae, nec margini inserto.

Stipulae majusculae, scariosae, integrae, margine tenuissime denticulatae. *Caetera* cum Diagnosi citata congruunt.

2. **Hydrocotyle hispidula** *Bge.* caulibus erectis basi nudis glabris, foliis utrinque sparse hispidulis cordato-reniformibus palmato 5-fidis partitisve quinquenerviis, lobis obovatis acute tri-pluridentatis, stipulis scariosis laceris, pedunculis oppositifoliis petiolo brevioribus, involucro brevissimo scarioso-lacero, umbella subcapitata 7-10-flora, pedicellis aequantibus fructum didymum compressum minute punctulato hispidulum utrinque bicostatum.

In arenosis insulae Rotenest, 21. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2086.

H. tripartitae Rich. affinis videtur, sed folia, saltem radicalia et caulina inferiora semper quinquepartita, nec trisecta. — *Caules* erecti, 6‴ alti, a basi ad duas tertias partes nudi. *Folia radicalia* longe petiolata, petiolis 1-1½″ longis; *lamina* ad summum 7‴ lata, 5‴ longa, ad medium usque vel profundius quinquepartita, sinubus acutis, rarius subrotundatis; *caulina* minora, petiolo inferiorum ad summum 8‴ longa, superiorum vix trilineari, *lamina* profundius partita, summorum interdum fere trisecta, lobis obovato-oblongis, inciso-pluridentatis; dentibus mucronato-acuminatis. *Umbellae* gracillimae, florentes subsessiles, globosae, vix linea dimidia in diametro latiores; fructiferae pedunculo 2-4‴ longo suffultae, pilis scariosis pedicellos subaequantibus involucratae. *Fructus* minuti 0,6‴ lati, 0,4‴ alti rufescentes. *Carpophorum* persistens, indivisum, rigidulum.

3. **Hydrocotyle callicarpa** *Bge.* annua, hirtula, erecta, foliis palmato-5-3-fidis, lobis ovatis acutis acute incisodentatis, supra sparse hirtis, stipulis scariosis fimbriato-laceris, umbellis oppositifoliis brevius longiusve pedunculatis exinvolucratis globosis 9-15-floris, fructibus pedicello brevioribus didymis dorso acutis lateribus turgidis ad commissuram utrinque profunde impressis laevibus subecostatis.

Ad portum Princess Royal Harbour, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2074.

Plantula 1-2 pollices alta. *Radix* exilis. *Caules* solitarii, erecti, basi rubentes glabri, superne hirtuli. *Folia* infima brevius petiolata, superiorum petiolis 2-3‴ longis, *lamina* inferiorum basi cuneata, acute 3-5-loba, lobis integerrimis, superiorum basi fere rectilinea, palmato 5-partita, lobis obovato-oblongis, inaequaliter acute 2-3-pluridentatis. *Umbellae* pedunculatae, pedunculo 1½-3 lineas longo, florentes in diametro lineam parum superantes, fructiferae fere bilineares, globosae. *Pedicelli* fructiferi 0,5‴ longi. *Petala* acutiuscula recta videntur rubicunda. *Styli* divergentes. *Fructus* singularis, a generis structura normali recedens; 0,6‴ latus, 0,4‴ altus, utrinque emarginatus, didymus; medio utrinque profunde impressus, cavitate subcordato-orbiculari producta sub juga lateralia arcuata tumida; *mericarpia* dorso acute marginata. *Semen* dorso arcuato acutum, medio turgidum, versus commissuram abrupte compressissimum. Nec haec ad stabiliendum novum genus sufficere videntur, quum caeterum habitu plantula nostra cum nonnullis veris *Hydrocotylis* Novae Hollandiae convenit.

4. **Hydrocotyle asiatica L.** *DC.* villosula vel glabrata, caulibus repentibus, foliis orbiculato-reniformibus aequaliter crenatis 7-nerviis, petiolis pedunculisque fasciculatis, umbellis capitatis brevi pedunculatis 3-4-floris, fructu orbiculari utrinque 4-costato. — DC. prodr. IV. pag. 62. n. 26.

In turfosis exsiccatis ad fl. Cygnorum prope urbiculam Freemantle, 17. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2065.

5. **Hydrocotyle tetragonocarpa** *Bge.* glabra, prostrata annua, foliis reniformi-orbiculatis 5-lobis, lobis late 3-pluricrenatis, stipulis ovatis scariosis margine laceris, umbellis oppositifoliis capitatis parce scarioso-involucratis 5-7 (?) -floris, fructibus pedicello longioribus acute tetragonis apice subtruncatis, mericarpiis trigonis utrinque obsolete costatis.

In arenosis conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest, 21. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2085.

Radix filiformis. *Caules* plures laxi prostrati. *Folia radicalia* longe (1½-2 poll.) petiolata, ad summum 6‴ lata, a basi ad apicem 3½‴ alta, plerumque minora, sinu plerumque clauso orbiculata, rarius reniformia; lobi 5 subaequales late obovati, saepissime crenis tribus majoribus, interdum nonnullis insuper minoribus instructi. *Stipulae* scariosae late ovatae margine lacerae. *Folia caulina* radicalibus similia, at brevius petiolata. *Pedunculi* oppositifolii demum petiolum aequantes vel superantes. *Flores* sub anthesi capitati, capitulis vix lineae ¾ diametro metientibus. *Fructus* minuti 0,6‴ longi, 0,4‴ lati, tetragoni, basi subrotundati, in pedicellum acutati, apice subtruncati, stylis subpersistentibus coronati, obsolete inter commissuram carinatam et juga dorsalia acuta pluricostati. *Semen* triquetrum. Observavi etiam fructum e mericarpiis tribus conflatum, subhexagonum, angulis commissuralibus magis prominulis. Fructu ad commissuram haud compresso ab omnibus facile distinguenda, nec tamen, nisi invita natura, a genere removenda.

DIMETOPIA DC.*) Endl. gen. n. 4358. Meisn. gen. pag. 140. (102.)

1. **Dimetopia hirta** *Benth.?* piloso-hirta, caule elongato, foliis longe petiolatis trisectis, segmentis trifidis, lobis tridentatis, involucri umbella brevioris foliolis oblongis integris setoso-ciliato-dentatisve, mericarpio altero discolori laevi margine crenato. — Benth. l. c.? (*Pritzelia discoides* Walp. l. c.?)

In arenosis circa urbiculam Perth, 2. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2072.

Diagnosis et Descriptio nimis breves Benthamianae l. c. non male quadrant in nostram plantam, ad solvenda dubia tamen haud sufficiunt. Mericarpium interius maturum pallidius griseum, exterius pallide fuscum.

2. **Dimetopia Preissii** *Bge.* piloso-hirta, pumila, foliis longe petiolatis tripartitis, laciniis bi-trifidisque inciso-dentatis, involucri umbellam duplo superantis foliolis foliiformi-

*) *Observ.* Huc sine dubio: *Pritzelia* Walpers Repertorium II. pag. 428. Petala inaequalia; mericarpia in speciebus a me observatis compressa, nec turgida, ex cl. Bentham (Endl. Enum. pag. 64) etiam in *D. pusilla* compressiuscula. Mericarpium utrumque fertile, neque alterum, interius, constanter sterile, quale e manca observatione fructus immaturi *Pritzeliae* suae adscribit Walpers l. c. — *Hydrocotyle heteromeria* Rich. e descriptione fructus huc spectare videtur. Genus *Didisco* propius affine quam *Hydrocotyli*.

bus, mericarpio altero concolori obsolete tuberculato margine acuto integerrimo.

In arenosis clivuli prope lacum insulae Rotenest, 21. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2089.

Specimina juniora tantum praesto sunt; praecedenti simillima, at involucro uti fructu evidenter distincta. *Radix* annua, (?) *folia* radicalia numerosa. *Petioli* 1-1½ pollicares, pilis complanatis patentibus apice crispatulis hirsuti; *lamina* utrinque pilis similibus sparsis vestita. *Caulis* cum *umbella* primaria folia adaequans vel vix superans. *Involucri* foliola inaequalia, nonnulla omnino foliiformia petiolata, omnia umbellam etiam fructiferam superantia. *Flores* in umbellis post anthesin contractis sub-20; radii exteriores longiores plano-compressi, rigidi, cum carpophoro post fructus delapsum fere tres lineas longi, fructus intimi subsessiles. *Mericarpium* utrumque brunneum, exterius muricibus nudique glochidatis dense obsessum, interius glabrum utrinque costa arcuata fere obsoleta notatum, versus marginem rugis vel tuberculis 2-3 parum elevatis instructum, margine ipso acuto continuo, nec ut in praecedente crenis aliquot interrupto.

DIDISCUS DC. Endl. gen. n. 4361. Meisn. gen. pag. 149. (102.)

1. **Didiscus coeruleus** *Hook.* annuus hirsuto-villosiusculus, caule erecto simplici folioso, foliis petiolatis tripartitis, partitionibus 2-3-fidis, lobis grosse 2-3-dentatis, pedunculis involucrisque hirsuto-villosis. — DC. prodr. IV. pag. 72.

In virgultis inter saxa calcarea prope urbiculam Freemantle et in insula Garden-Island, 18. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2055.

PLATYSACE Bge.

(Nov. gen. Hydrocotylearum.)

Calycis margo obsolete 5 dentatus. *Petala* oblonga retuso-subemarginata concava intus carinata. *Styli* erecti juniores apice involuti e stylopodio crasso orti demum cum illo indurati subpungentes. *Fructus* a latere compressissimus didymus. *Mericarpia* aequalia dorso acuta utrinque unijuga, obsolete univittata, glabra. *Carpophorum* bifurcum. *Semen* compressissimum antice rectum semiorbiculare. — Umbellae compositae, involucratae; flores flavo-virentes.

Genus distinctissimum *Hydrocotylearum* tribui ob fructum adnumerandum, et quidem *Trachymeni* proximum, quamvis vitta obsoleta in altero vel in utroque mericarpiorum latere adest.

1. **Platysace cirrosa** *Bge.*

In lapidosis prope praedium rusticum Dom. Drummond, Victoria, 13. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2064.

Specimina fructifera foliis fere omnino orbata cum florum rudimentis. Ex schedula adjecta radix tuberosa, Aboriginibus „*Kanna*“ dicta, edulis.

Caules tenues, flexuósi, ramosi, ramis superioribus vel praesertim umbellarum pedunculis interdum cirrosis, sublignescentes, epidermide in inferiore parte soluta, angulato-sulcati; rami juniores subpentagoni. *Folia* (e rudimentis in ramulo juniori) sparsa, approximata, lineari-subulata, lineam circiter longa, in altero ramulo anguste linearia fere pollicaria. *Umbellae* terminales et axillares, compositae, involucratae, *involucri* folliolis linearibus brevibus; quinqueradiatae, accedentibus floribus nonnullis solitariis in pedunculis filiformibus inter radios 6-7‴ longos. *Umbellulae* 5-7-florae, involucellatae, radiolis in flore filiformibus 2‴ longis, interdum iterum divisis, 2 floris. *Calyx* cum ovario minutus, minutissime 5-dentatus. *Petala* 0,6‴ longa, aestivatione valvata (?). *Cremocarpium* nigricans, 2,5‴ latum, cum stylopodiis 2‴ altum, utrinque emarginatum; emarginaturam superiorem explent et superant stylopodia compressa fere triangularia, cum stylo recto continua. *Carpophorum* persistens, 1½‴ longum, apice in furcam semicircularem divisum.

TRACHYMENE Rudge. Endl. gen. n. 4362. Meisn. gen. pag. 140. (102.)

1. **Trachymene teres** *Bge.* herbacea, glabra; caule tereti stricto apice ramoso, foliis inferioribus petiolatis multifidis, umbellis terminalibus multiradiatis compositis, mericarpiis compressis dorso acute carinatis rugulosis etuberculatis.

In arenosis inter frutices montium continuorum Darling's-range Perth, 21. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2083.

Radix lignosa, repens, (?) multicaulis; e basi suffruticosa surgunt caules sesquipedales erecti, stricti, ad summum crassitie pennae corvinae, teretes, striati, ad duas tertias partes usque indivisi, abhinc ramo unico vel 3-4 aucti; ramis erectis strictis. *Folia* (in speciminibus omnia jam deperdita; ex rudimentis) in parte inferiore caulis conferta, petiolata, petiolo 5-7‴ longo, trisecta, segmentis bi-trisectis lineari filiformibus (?) divaricatis; folia superiora, quorum ne rudimenta quidem supersunt, e cicatricibus ab invicem institiis 5-10 linearum remota. *Pedunculus* terminalis semipedalis. *Involucrum* polyphyllum. *Umbellae* radii subduodecim, (accedentibus radiolis nonnullis uniforis) 4-6‴ longi; *umbellulae* 3-9-florae; radiolis fructu duplo triplove longioribus. *Petala* obovata, subretusa, alba. *Styli* basi divergentes, arcuato-inflexi. *Fructus* 0,8‴ longi, subaequilati.

2. **Trachymene juncea** *Bge.* suffruticosa, glabra; caule angulato stricto ramoso, ramis erectis substerilibus, foliis caulinis linearibus, umbella terminali erecta subsolitaria composita multiradiata, mericarpiis compressis dorso acute carinatis tuberculatis.

In glareoso-sublimosis porrectis sylvae, haud longe a cataracta ad caput fluvii Cygnorum, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2069.

Ex schedula suffrutex tripedalis; praesto sunt *rami* herbacei, 1-1½ pedem longi, erecti, stricti, angulati, a basi ramosi. *Folia* fere omnia deperdita, e rudimentis lineari-filiformia, 5-6‴ longa, interstitiis fere pollicaribus ab invicem distantia. *Ramuli* juncei, rigidi, apice subpungentes semipedales vel breviores 3‴ longi, erecti, plerumque steriles. *Umbella* terminalis, longe pedunculata, composita, involucri polyphylli foliola linearia, radiis multoties breviora. *Radii* numerosi, ad summum 4‴ longi. *Umbellulae* sub 10-florae; radioli 1½‴ longi; flores flavicantes. *Styli* erectiusculi, apice

convergentes. *Fructus* 1,2‴ lati parum longiores, compressi, ad commissuram contracti, dorso acuti, minutissime tuberculati.

3. **Trachymene Candelabrum** *Bge.* herbacea, glabra, multicaulis; caulibus acutangulis superne dichotome ramosissimis, foliis caulinis inferioribus petiolatis trisectis; segmentis filiformibus, superioribus linearibus, pedunculis oppositifoliis arcuato-reflexis, umbellis surrectis compositis multiradiatis, mericarpis dorso acute carinatis ruguloso-tuberculatis.

In calcareis haud longe ab urbicula Freemantle, 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2057.

Proxima videtur *Tr. pendulae* Benth., at umbellae multi-(10) radiatae et fructus evidentes tuberculati.

Radix simplex, crassitie pennae corvinae. *Caules* numerosi, erecti, stricti, graciles, pedales, a basi ad altitudinem pollicum 3-4 indivisi, abhinc dichotomi, superne ramosissimi, acutanguli, neque alato-compressi. *Folia inferiora*, usque ad umbellas primarias, mox emarcida petiolata, petiolo basi parum dilatato, subgibbo, 3‴ longo, trisecta, segmentis lineari-filiformibus 2-3 lineas longis; *superiora* linearia, *summa* linea breviora. *Umbellae* primariae in medio caule oppositifoliae; pedunculus pollices tres longus, angulatus, arcuato-deflexus, apice inflexus. *Umbellae* surrectae, *involucrum* polyphyllum, foliolis lineari subulatis, acutis, reflexis. *Radii* sub 10. *Umbellulae* subdecemflorae, involucella patula. *Flores* ex schedula albi, in sicco flavicantes, plerique abortivi masculi. *Fructus* pedicello paulo brevior, 0,9‴ in diametro metiens, orbicularis, ad commissuram utrinque sulco profundo latiusculo exaratus; *mericarpia* dorso acute carinata, utrinque ruguloso-tuberculata; caetera generis.

4. **Trachymene scabriuscula** *Bge.* herbacea, multicaulis; caulibus angulatis scabris ramosis, foliis paucis linearibus abbreviatis, umbellis pendulis? mericarpiis.....?

In arenosis humidis umbrosisque ad fluvium King's-River, Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb Preiss. No. 2075.

Specimen unicum incompletum, nondum florens, at praecedentibus evidenter congener et ab omnibus facile distinguendum scabritie caulium. Tota planta 2½ pollicaria; *caules* numerosi, ad angulos cartilagineo-denticulati, dichotomo ramosi, ramis flexuosis. *Folia* perpauca minuta, linearia, inferiora adpressa, suprema saepe reflexa. *Umbellae* virgineae cernuae, radiis tribus umbelluliferis nonnullisque unifloris. *Flores* nondum expansi. An *Tr. ramosissima* Benth. l. c.? sed caules scabri, et folia omnia integra.

5. **Trachymene platyptera** *Bge.* herbacea, multicaulis, ramosa, glabra; caulibus utrinque late alatis subdecemnerviis, foliis omnibus sessilibus tenuissime multisectis, umbellis terminalibus, involucri foliolis multifidis integrisve, fructibus truncatis, mericarpiis hinc turgidis dorso convexis tristriatis rugulosis etuberculatis.

α. **turfosa**; strictior, laevis, nervis alarum minus prominulis, venis transversalibus vix distinctis, involucri foliolis trisectis.

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad portum Princess Royal Harbour, 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2062.

β. **rupestris**; flexuosa, asperula, nervis alarum venisque transversalibus valde prominentibus, involucri foliolis linearibus integris.

In fissuris rupium cacuminis montis Baldhead, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2063.

Affinis *Tr. compressae* Spreng.; at distincta alis latioribus, foliis omnibus multisectis, mericarpiis etuberculatis. Varietates, quas proposuimus, (ex soli indole varia enatae?) forsan specie distinguendae, fructus forma, quantum ex immaturis varietatis α judicari potest, congruunt. *Radix* in utraque lignescens, tortuosa, crassa, multiceps. *Caules* a basi ramosi, in α strictiores teneriores, ramis magis elongatis, in utraque ad summum 2,5‴ lati, in α, quamvis juniore, 10 pollices alti, in β semipedales. *Folia* sessilia, omnia in lacinulas tenuissimas multisecta, in β pleraque emarcida, lacinulis, uti videtur, paucioribus brevioribusque. *Umbellae* in apicibus ramorum constrictis, sessiles, 4-5 radiatae, radiis subaequalibus, divaricatis, fructiferis 3-4 lineas longis. *Umbellulae* involucellatae, pauciflorae. *Fructus* submaturi lineam lati, 0,7‴ alti, basi apiceque subtruncati stylis brevibus reflexis coronati, lateribus hinc subconcavi, illinc turgidi, ad commissuram profunde contracti, dorso convexi, parce reticulato-rugulosi, tuberculis omnino nullis.

6. **Trachymene anceps** *DC.* herbacea, multicaulis, ramosa, glabra, caulibus ancipitibus quadrinerviis, foliis paucis summis brevissimis filiformibus, umbellis terminalibus sublateralibusque, involucri foliolis integris, fructibus . . . . . ? DC. Prodr. IV. pag. 73?

Ad promontorium: Cape-Riche, 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2061.

Specimen unicum vix florens. *Folia* omnia fere deperdita, summa videntur integra; attamen *Tr. compressa* Spreng. esse nequit; caules enim angustiores quam in icone Billardieriana (Nov. Holl. 1. tab. 101.) haud vere alati, sed ancipites 0,6‴-0,8‴ lati (in *Tr. compressa* ex icone citata 1,6‴-2‴ lati); umbellae multo minores graciliores, rami floriferi minus elongati. Melius igitur diagnosin *Tr. ancipitis* DC. quadrat.

7. **Trachymene stricta** *Bge.* herbacea, ramosa; caulibus strictis elongatis ramisque patulis anguste alatis; alis uninerviis, foliis inferioribus petiolatis minutis paucis, omnibus in lobos paucos tenuissimos fissis, umbellis axillaribus terminalibusque gracilibus, pauciradiatis patulis, involucri foliolis linearibus brevibus, fructibus turgidis cordato-reniformibus; mericarpiis dorso acute unicostatis dense acute tuberculatis.

In arenosis prope urbiculam Perth, 15. April 1839. Herb. Preiss. No. 2059. Huc sine dubio etiam specimen incompletum nondum florens lectum: in limoso-calculosis jugi montium Darling's-range, Perth, 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 2060.

Radix perennis, superne simplex, crassitie pennae corvinae vel columbinae; *caules* plures et rami inferiores elongati, stricti, bipedales et ultra, ad summum 1,5‴ lati, plerumque linea angustiores, longe indivisi; caule ipso tereti, at utroque latere abrupte in alam angustam expanso; alae plerumque uninerves; in caulis parte superiore rami florigeri patentissimi, abbreviati. *Folia* pleraque jam ante anthesin deperdita, inferiora (e rudimentis) petiolata, trisecta, segmentis tripartitis, linearibus divaricatis, superiora sessilia dissecta, segmentis abbreviatis, summa nonnulla integra filiformia. *Rami* umbelliferi in superiore parte caulis horizontaliter patentes, ¼-1-pollicares. *Umbellae* 3-5-radiatae, radiis inaequalibus patentissimis, 2 lineas circiter longis; *umbellulae* 3-5-florae, floribus albis, unico plerumque fertili. *Fructus* linea vix angustiores, reniformi cordati, commissura 0,6‴ longa. *Styli* patentissimi. *Stigmata* capitata.

8. **Trachymene filiformis** *Bge.* herbacea, glabra, ramosa; caulibus ramisque flaccidis elongatis filiformibus angustissime alatis, foliis minutissimis omnibus in lobos paucos subclavatos fissis, umbellis axillaribus terminalibusque gracillimis, fructibus turgidis didymis; mericarpiis dorso convexis unicostatis dense acute muriculatis.

In arenosis umbrosis inter frutices densos ad rivulum prope villam cl. Andrews supra urbiculam Perth, 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2058.

Specimina valde incompleta. *Caules* basi flaccidi, tenuissime alati, 0,4‴ lati ramis sparsis laxis, pendulis. *Foliorum* vestigia pauca. *Umbellae* gracillimae inaequales, terminales vix ½ pollicem in diametro latae, subquinqueradiatae, radiis nonnullis accessoriis, 1-3 floris; *umbellulae* pauciflorae interdum radiolo uno alterove umbellulifero. *Flores* plurimi masculi, pauci fertiles. *Fructus* multo minores quam in *Tr. striata*, 0,6‴-0,7‴ lati, commissura 0,4‴ longa, caeterum similes, at apice non rotundati, sed tantisper emarginati, *mericarpiis* turgidis, dorso obsoletius unicostatis. *Styli* brevissimi patuli.

SCHOENOLAENA Bge.

Calycis tubus ovatus compressus; limbi laciniae cordatae vel peltatae deciduae cartilagineae albidae. *Petala* quinque obovato-oblonga, lacinula acuminata infracta. *Stylopodia* planiuscula glabra. *Styli* subulati, demum corneo indurati, basi articulata decidui. *Fructus* evittatus compressus, mericarpiis quinquejugis, jugis nerviformibus, lateralibus a commissura remotiusculis. *Semen* compressum antice rectum. *Carpophorum* integrum liberum.

Plantae herbaceae junciformes; folia teretia. Umbellae compositae capitatae, glumaceo-involucratae.

Genus *Xanthostae* proximum, ab hac differt stylopodiis, stylis et laciniis calycinis, a *Pentapeltide* petalorum forma et jugorum numero, ab utroque habitu.

1. **Schoenolaena juncea** *Bge.* umbellis capitatis; umbellulis quinque 4-5-floris, antheris lineari-oblongis.

In solo arenoso-anfractuoso ad fluvium Cygnorum supra urbiculam Perth, 26 Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2082.

Radix crassa, perennis, multiceps. *Folia radicalia* numerosa, florendi tempore emarcida, ex rudimentis, apicibus orbatis, fere sesquipedalia, teretia, sulcata, fistulosa, crassitie pennae corvinae. *Caules* aeque crassi, 2-3-pedales, erecti, stricti, basi compressi, superne teretes sulcato-striati, superne ramosi, ramis erectis strictis. *Folium caulinum* primum circiter ½ pedem supra basin caulis ortum basi dilatata semiamplexicaule, mox angustatum teres, striatum, superne canaliculatum, acutiusculum, 5-6 pollices longum; caetera ab invicem pollices 4-5 distantia, pauca, similia at breviora, summa 4 lineas longa. *Pedunculi* terminales et axillares 2-4 pollices longi. *Capitula* 4-5 lineas in diametro lata. *Involucri* foliola quinque, glumacea, 3 lineas longa, 1½ lineas lata vel angustiora, basi attenuata, acuta, sordide albida, pallide fusco-lineata, adpressa. *Involucella* similia angustiora tetraphylla, flores superantia. *Flores* in quavis umbellula raro tres plerumque quatuor vel quinque. *Calycis* laciniae interdum orbiculatae, vere peltatae, vel saepius cordatae, sinu clauso, acutae, margine saepe denticulatae,

albo subdiaphanae, cartilagineae. *Petala* alba nervo lutescente, acumine longe inflexo. *Antherae* lineari-oblongae. *Stylopodia* glaberrima, plana, persistentia, in sicco nigricantia. *Styli* cornei, rectiusculi, demum decidui, *Fructus* (maturus desideratur), 1,5‴ longus, 0,9‴ latus, compressus, basi cordatus, apice truncatus, margine rectilineus, albus, jugis tenuissimis filiformibus fuscescentibus.

2. **Schoenolaena tenuior** *Bge.* umbellis capitatis; umbellulis quatuor trifloris, antheris subglobosis.

In solo subturfoso planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, 29. Jun. 1841. Herb. Preiss. No. 2080.

Praecedente multoties minor, glaberrima. *Radix*.....? *Folia radicalia*...? *Caules* cum inflorescentia 6-9″ alti, basi adscendentes, caeterum stricti, tenues, filiformes, simplicissimi, vel ramo uno alterove aucti, 1-4-phylli. *Folia caulina* florendi tempore fere omnino deperdita, linearia, basi parum dilatata, teretiuscula (?) superne canaliculata, acuta, rigidula, inferiora videntur pollicem longa, vel forsan longiora, medium (ex unico integro superstite) 3‴ longum, summa breviora squamaeformia. *Umbellae* capitatae longe pedunculatae, pedunculo caulem aequante vel superante. *Involucri* foliola 4, glumaceo-cartilaginea, convexa, umbellam aequantia, adpressa, oblonga acuta, basi extus sordide albida, apice violacea, demum fusca, intus alba, 2‴ longa 0,7‴ lata, obsolete nervosa. *Umbellulae* 4, subsessiles; involucelli foliola 4; tria exteriora flores fructusque superantia, involucri foliolis similia, quarto interiori membranaceo scarioso albo, flores aequante. *Flores* in quavis umbellula 3, omnes hermaphroditi, paulo minores quam in *Sch. juncea*, caeterum similes. *Calycis* laciniae reniformes, sessiles vel subpeltatae, 0,2‴ latae albido-subdiaphanae, deciduae. *Antherae* subglobosae fuscescentes. *Stylopodia styli*que praecedentis. *Fructus* (quos observavi, omnes erant vacui) forma praecedentis, et minor, 0,7‴ latus, lineam fere longus.

XANTHOSIA Rudge.*) Meisn. gen. 140. (102.) Leucolaena R.Br. Endl. gen. n. 4364. sect. a.

Sect. Chlorosia. Involucri foliola parva herbacea vel membranacea; fructus paucijugi.

1. **Xanthosia glabrata** *Bge.* herbacea, glabra; caulibus diffusis laxis, foliis petiolatis; petiolo ciliato, trisectis; segmentis oblongo-linearibus acutis margine integerrimis revolutis, umbellis axillaribus pedunculatis nutantibus unitriflorisve, involucri foliolis linearibus longe ciliatis, calycis laciniis ovatis acutis, mericarpiis 5-jugis.

In umbrosis sylvae ad fluvium Canning, Perth, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 2076.

Planta videtur annua. *Radix* exilis. *Caules* tenues, laxi, 8-pollicares, vel longiores, ramosi. *Folia* petiolata, petiolo inferiorum pollicari summorum

*) *Observ.* Nomen antiquius servandum putavi. Genus forsan in plura dividendum. Fructus enim in nonnullis speciebus paucijugati, in aliis multijugati; *X. rotundifolia* involucellis petaloideis, et habitu distat. Attamen in hisce omnibus calycis, petalorum, stylopodii, stylorumque structura eadem. Longius distat *Leucolaena peltigera* Hook. sine dubio generice distinguenda.

2‴ longo; omnia trisecta, segmenta lineari-oblonga, utrinque acuta, 8‴ longa, ad summum 1,2‴ lata, membranacea, subtus pallida, margine revoluta. *Umbellae* axillares, inferiores brevius pedunculatae, pedunculo lineam longo, superiores in pedunculo 4-lineari nutantes, in uno eodemque specimine 1- et 3-florae. *Involucri* involucellique foliola in unifloris 3-, in trifloris 6-linearia, flores superantia, pilis longis nitidis subplumosis ciliata. *Fructus* apicem versus hispiduli. *Stylopodia* majuscula villosa. Juga in quovis mericarpia 5, nerviformia, haud prominula.

2. **Xanthosia pusilla** *Bge.* herbacea; caulibus adscendentibus dense hirsutis demum glabratis, foliis petiolatis trisectis; segmentis oblongis basi attenuatis acutis obsolete dentatis ciliatis; ciliis demum evanidis, umbellis axillaribus sessilibus 1-2-floris erectis, calycis laciniis lanceolatis acuminatis, mericarpiis quinquejugis.

In arenosis humidis umbrosisque ad fluvium King's-River, Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2078.

Planta pusilla, vix bipollicaris; radix simplex, perennis (?) alte descendens; *caules* primarii erectiusculi, glabrati, rigidi steriles, laterales breviores adscendentes, hirsuti. *Folia* ima ad petiolum dilatatum, ovatum, amplexicaulem redacta, interdum apice tridentata; superiora petiolata, petiolo 2‴ parum excedente, trisecta, segmenta coriacea, lineari-oblonga, acuta, basi cuneata, juniora margine ciliata, demum glabrata, ciliorum basibus persistentibus denticulata, ad summum 4‴ longa, lineam lata. *Flores* solitarii vel gemini in axillis subsessiles, erecti; *involucri* foliola 3, flores superantia. *Calycis* laciniae angustiores longiores quam in praecedente. *Fructus* omnino praecedentis, sed parum angustior.

Sect. 2. Euxanthosia. Involucri foliola parva herbacea vel membranacea; fructus multijugi.

3. **Xanthosia Hügelii** *Steud.* canescenti-hirta, caulibus erectis, foliis trisectis, segmentis linearibus subintegerrimis margine revolutis subtus tomentosis, umbellis nutantibus subquinquefidis, umbellulis bifloris, involucro involucellisque 2-3-phyllis, foliolis lanceolato-linearibus fructum multijugatum apice hispidum superantibus. — Benth. in Endl. Enum. plant. Hügel. pag. 55. sub *Leucolaena.*

In arenosis umbrosis sylvae prope lacum Mongerslake, Perth, 4. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2090.

4. **Xanthosia candida** *Steud.* caulibus demum glabratis procumbentibus erectisve, foliis ovatis oblongisve grosse et acute dentatis junioribus subtus niveo-tomentosis, umbellis breviter pedunculatis nutantibus subquinqueradiatis, involucro 2-3-phyllo, umbellulis unifloris, media sessili exinvolucellata caeterorum involucello diphyllo, foliolis oblongis fructum multijugatum puberulum superantibus. — Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 55. sub *Leucolaena.*

a. **prostrata.**

In limosis scaturiginosis clivuli inter frutices prope praedium rusticum cl. P. Brown, ad fl. Cygnorum, 22. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2088.

β. **erecta.**

In sublimosis umbrosis districtus Sussex, 23. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2077.

Nisi caulibus erectis umbellisque brevius pedunculatis, foliis paulo majoribus, dentibus minus profundis, a var. *α* vix distinguenda.

Sect. 3. LEUCOLAENA DC. Involucri foliola magna, involucella petaloidea; fructus multijugi.

5. **Xanthosia rotundifolia** *DC.* ramulis dense hirsutis aut pube decidua submuriculatis, foliis reniformi-orbiculatis grosse et acute dentatis, umbella 3-4-radiata, umbellulis multifloris, involucro et involucello 3-phyllis. ♄. DC. Prodr. IV. pag. 75.

In solo subarenoso sylvae ad latum septentrionale montis Clarence, Plantagenet, 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2066.

Involucrum in speciminibus observatis tetraphyllum, involucella triphylla, foliolo medio cuneato-obovato, lateralibus obliquis latioribus fere semicordatis acutissimis.

PENTAPELTIS Endl. Endl. gen. n. 4364. c. Leucolaenae sectio.

Calycis tubus ovatus compressus, limbi laciniae 5 peltatae imbricatae cartilagineae. *Petala* 5 stipitata obovata acutiuscula, lacinula inflexa nulla. *Stylopodia* exigua plana glabra. *Styli* rigidi cornei, basi articulati. *Fructus* compressus turgidulus evittatus, commissura contractus; mericarpia novemjuga, jugis prominentibus.

Herba perennis multicaulis, folia semiorbiculata, basi truncata. *Umbella* composita 3-4-radiata, *umbellulae* subquadriflorae. *Involucra* involucellaque rigida linearia.

Genus a *Xanthosia* abunde diversum: calycis laciniis, petalis, stylopodiis, stylis et habitu; a *Schoenolaena* habitu, petalis, fructibusque multijugatis.

1. **Pentapeltis peltigera** *Hook.* foliis reniformi-lunatis grosse dentatis, involucri involucellique segmentis linearisubulatis striatis, lobis calycis peltatis, petalis spatulatis intus carinatis. Hook. Icon. pl. t. 45. (sub *Leucolaena.*)

Iconem citatam non vidi.

In sublimosis glareosis jugi montium Darling's-range, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2061.

ACTINOTUS Labill. Endl. gen. n. 4387. Meisn. gen. 141. (103.)

1. **Actinotus leucocephalus** *Benth.* piloso-pubescens, foliis patenatim 3-4-sectis, segmentis integerrimis 3-5-fi-

disve laciniis linearibus, calycis limbo cupuliformi, corollis pentapetalis. Benth. in Endl. Enum. plant. Hüg. pag. 56.

In limoso-arenosis apertis ad fluvium Canning, 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2056.

Habitus omnino idem ac in caeteris *Actinoti* speciebus, signaque ad distinguendum genus: *Holotome*, levis momenti.

ERYNGIUM Tournef. Endl. gen. n. 4386. Meisn. gen. 141. (103.)

1. **Eryngium pinnatifidum** *Bge.* caule superne breviter trichotomo infra ramificationem unifolio, foliis radicalibus in petiolum longe attenuatis oblongis pinnatipartitis; laciniis distantibus; infimis minoribus lanceolato-linearibus mucronatis, superioribus ovato-oblongis inciso-grosse dentatis; dentibus mucronatis, caulino solitario radicalibus simili, foliis subfloralibus ternatim verticillatis late petiolatis apice trifidis, capitulis pedunculatis, involucri foliolis suboctonis lanceolatis integerrimis rigidis spinescentibus capitulum superantibus, paleis similibus minoribus, petalorum lacinulae inflexae tripartitae lobis filiformibus.

In solo fertili montium continuorum Darling's-range, Aug. 1841. Herb. Preiss. No. 2054.

E. ovino Cunn. affine videtur, attamen caulis (e specimine unico) vix erectus neque dichotomus, folia minime bipinnatifida, laciniae nec lineares, nec spinosae. — Glaberrimum. *Folia* radicalia cum petiolo 9-11 poll. longa, pinnatipartita, partitionibus sub 10, infimis integerrimis, minutis, alternis, superioribus oppositis pollice dimidio longioribus 3-4‴ latis, summis confluentibus in lobum 7-8‴ latum, trifidum, grosse inciso-dentatis, dentibus longe mucronatis. *Caulis* pedalis laxus, decumbens (?), striatus, a basi ad duas tertias partes nudas, hic unifoliatus; folium radicalibus simile 3½ pollices longum, rhachi dilatata, in sicco transverse nodulosa; in apice caulis folia tria verticillata, ad petiolos foliaceos semiamplexicaules apice trifidos, lobis integerrimis redacta; superata pedunculo capituli primarii pollicari, ramisque tribus paulo longioribus bibracteatis, semel dichotomis. *Involucri* foliola rigida, carinato-trinervia, pungentia, 8-9 lineas longa, caerulescentia. Paleae similes, at angustiores et breviores, flores parum superantes. *Calycis* tubus obsessus vesiculis ovato-lanceolatis, obtusiusculis; laciniae tubo longiores longe cuspidatae. Petalorum lacinula infracta, apice carinata tripartita, lobis filiformibus involutis.

2. **Eryngium tetracephalum** *Bge.* caule erecto stricto sulcato infra ramificationem nudo semel trichotomo, foliis radicalibus longe petiolatis pinnatisectis; segmentis remotis linearibus integerrimis vel hinc inciso-uni-bidentatis acuminatis pungentibus, caulinis tribus verticillatis similibus subsessilibus, capituli terminalis pedunculati involucro 8-phyllo, ramis tribus diphyllis monocephalis, capitulis pedunculatis, involucro 6-phyllo; foliolis lanceolatis spinosis capitulum excedentibus, paleis similibus minoribus, petalorum lacinula apice longe fimbriata.

In arenosis sylvae prope lacum Keiermuln, Perth, 27. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2053.

Praecedenti proximum, at notis in diagnosi indicatis abunde diversum videtur. Ad *E. ovinum* Cunn., quoad diagnosin hujus incompletam, referri nequit, ob folia simpliciter pinnatisecta, et caulem semel trichotomum quasi umbella 4-radiata terminatum. Longius distat ab *E. vesiculoso* Labill., et *E. angustifolio* DC. — *Folia radicalia* pedem longa vel breviora, petiolo interdum plus quam semipedali, angusto, lineari, rhachis angusta nodulosa, segmenta sub 10, inferiora minora integerrima, media ad summum pollicem longa, lineam lata, acuminato-pungentia, integerrima, vel hinc dente solitario vel binis distantibus subulato-pungentibus munita, extimum elongatum lineare, integerrimum. *Caulis* penna anserina tenuior, cum inflorescentia 1-1½ pedalis, a basi usque ad altitudinem 9-12 pollicum nudus, profunde sulcatus; superne foliis tribus verticillatis munitus, petiolis basi dilatatis; caeterum folia radicalibus similia, inaequalia, uno longiore, ramos aequante. *Rami* 3, circa pedunculum terminalem inaequales, pedunculo breviores vel longiores, supra medium bifoliati, foliis oppositis pinnatipartitis, vel rarius integerrimis, in axillis interdum ramulos abortivos gerentibus. *Capituli terminalis* subglobosi, 4-6‴ in diametro, pedunculus 2-3 pollicaris, striato-sulcatus; *involucrum* sub 8-phyllum capitulum superans, erectum; foliola 6-8 lineas longa, basi linea latiora, carina nervisque marginalibus subtus prominentibus, rigida, spinescentia; paleae pleraeque minores, flores subaequantes, una alterave longior spinosa, longe e capitulo prominens. *Capitula ramealia* minora involucro sub 6-phyllo. *Calycis* tubus dense obsessus vesiculis oblongo-linearibus elongatis obtusis, intermixtis brevioribus, limbi laciniae lanceolatae acuminato-pungentes. *Petalorum* lacinula inflexa apice fimbriis piliformibus subquatuor involutis appendiculata. *Stamina* longe exserta.

Observ. Petalorum forma hae species ab omnibus, quae examinare licuit differunt. In plerisque speciebus *(E. campestri, Burgatt, Billardieri, Spina alba, dilatato, amethystino, maritimo, plano, dichotomo, pustillo, tripartito, tricuspidato, ilicifolio,)* petalorum lacinula apice obtusa; rarissime fimbria una alterave brevi aucta v. gr. in *E. triquetro;* in paucis *(E. glaciali, giganteo* et *alpino)* petala acuminata, acumine inflexo, denique in *E. corniculato* lacinula dilatata lacera.

HELOSCIADIUM Koch. Endl. gen. n. 4397. Meisn. gen. 142. (104.)

1. **Helosciadium (Cyclospermum) australe** *Bge.* glabrum; caule erecto parce dichotomo-ramoso angulato, foliis sparsis inferioribus pinnatisectis; segmentis paucis basi cuneatis 2-3-partitis; laciniis lanceolatis acuminatis integerrimis incisisve, superioribus trisectis; segmentis basi attenuatis elongatis lanceolatis integerrimis, umbellis oppositifoliis subsessilibus pedunculatisve 4-6-radiatis, involucro utroque nullo, petalis apice inflexis, jugis crassiusculis subsuberosis.

In solo turfoso ad fluvium Cygnorum, 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2052.

Specimina duo pedalia, superne bis vel ter dichotoma, internodia inferiora 3-2½ poll. longa. *Folia inferiora* emarcida, petiolis elongatis fere bipollicaribus suffulta, pinnatisecta bijuga; segmenta pollicem longa, lateralia bipartita, lobo altero integerrimo, altero inciso trifido, terminale cuneatum tripartitum, lobis basi ljneam, et quod excurrit, latis, lanceolatis acutis integerrimis; *folia superiora* petiolo pollice dimidio breviori, dilatato insi-

dentia, trisecta, segmentis basi angustatis, acuminatis 15‴ longis, ad summum 1½‴ latis. *Umbellae* in superiore caulis parte oppositifoliae, inferiores subsessiles, superiores pedunculatae; pedunculus 3-4 lineas longus, acute angulatus; radii plerumque 6, in umbella deflorata 5-7 lineas longa. *Calycis* margo obsoletus. *Petala* ovata acuta, lacinula inflexa. *Fructus* maturi 0,7‴ longi, turgiduli, a latere compressiusculi; juga crassiuscula aequalia, vittae in quavis vallecula solitariae, latiusculae. *Stylt* patentes reflexi. *Carpophorum* integrum liberum. — Sine dubio igitur ad *Helosciadii* genus referenda species.

2. ? **Helosciadium prostratum** *Bge.* caule procumbente flexuoso, foliis pinnatisectis segmentis petiolulatis pinnatifidis laciniis 5 lanceolatis ultimis apice trifidis, umbellis subsessilibus oppositifoliis, involucro submonophyllo. Hook. Icon. plant. tab. 305. sub. *Petroselino* (tabula non inspecta). DC. Prodr. IV. pag. 102.?

Apium prostratum Labill. ex schedula Preissii adjecta.

Ad fluvium Cygnorum, 19. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2051.

Specimina communicata duo vix florentia, igitur genus haud extricandum. *Petala* acuminata! ad *Petroselinum* vel ad *Apium* referre dissuadent. Praecedenti videtur congener, et evidenter affine, at caules multo crassiores profunde sulcati, folia magis decomposita.

DAUCUS Tournef. Endl. gen. n. 4497. Meisn. gen. 141. (107.)

1. **Daucus brachiatus** *Sieb.* caule erecto foliis bipinnatisectis segmentis multipartitis, lobis linearibus, involucri foliolis multifidis, radiis inaequalibus divergentibus, aculeis fructus apice glochidatis, carpophoro indiviso. — DC. Prodr. IV. pag. 214.

In arenosis sylvae ad fl Canning, Perth, 31. Oct. 1839 et in Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 2071 et 2073.

Hispiditate tantum a planta Sieberiana differe videtur. Comparatis speciminibus *D. montani* Willd. *(tortilobis* DC.), mexicanis, *D. montevidensis*, H. Berol. cultis et specimine Poeppigiano e Valparaiso *D. australis* Poepp., quorum differentiae vix ad distinguendas varietates suppetunt, sententiae cl. Bentham (Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 56.) assentio qui has species haud diversas esse affirmat.

EPACRIDEAE R. Brown.

(Auctore O. Guil. Sonder.)

Tribus I. Styphelieae Bartl.

STYPHELIA Smith. Endl. gen. n. 4267. Meisn. gen. 248. (156. 157.) Styphelia et Soleniscia DC. Prodr. 7. pag. 735 et 737. *)

1. **Styphelia elegans** *Sond.* erecta, ramulis tenuissime puberulis, foliis ovatis acuminatis rigide mucronatis coriaceis supra nitidis subtus glaucis striatis, corollae tubo elongato intus fasciculis barbatis destituto.

Styphelia tenuifolia Lindl. Swan-River bot. pag. 25.? *Soleniscia elegans* DC. l. c. pag. 738.

In arenosis silvae prope Bellevue, ad fluvium Cygnorum, d. 14. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 468. (Drummond n. 481!)

„Frutex bipedalis erectus.“ *Folia* coriacea 6-9 lin. longa, 3 lin. lata, supra laevia nitida, subtus glauca striata, margine denticulata scabra. *Pedunculi* axillares brevissimi, 1-2-flori. *Bracteae* 4, obtusae apiculatae. *Calyx* 5-partitus, pergamaceus, foliola lanceolata 2½ lin. longa. *Corollae* albae tubus calyce 6-tuplo longior, gracilis, extus glaberrimus, intus apice velutinus, basi glaber, lobi lineares, revoluti, barbati. *Filamenta* exserta. *Discus* hypogynus 5-dentatus, dentibus acutis ovario brevioribus. *Ovarium* 5-loculare, loculis 1-ovulatis. *Stylus* stamina superans. *Stigma* capitella-

*) Characteres quibus cl. DC. genera *Soleniscias* et *Stypheliae* distingui vult, ad corollam gracilem et praesentiam fasciculorum barbatorum in basi corollae redeunt, discum enim hypogynum quem in *Soleniscia* deesse dicit, in exemplaribus ad unum omnibus invenio. Verum neque majorem corollae longitudinem neque absentiam praesentiamve fascicul. barbat. tanti esse ex quibus genus singulare distinguatur, cum *Astroloma humifusum* et *longiflorum*, nec non *Conostephii* species sola praesentia et absentia fasciculorum barbatorum distingui viderimus, nemo est qui concedat. Cum denique fructus *Soleniscias* et *Stypheliae* non differant utrumque genus in unum comprehendere non dubitavi. Etiam *Stenantherae* aliquam speciem nondum descriptam a *St pinifolia* praesentia fascic. barbat. distingui, hac occasione significare licebit.

Stenanthera conostephioides Sond. ramulis hirtellis, foliis erectis adpressis v. subpatulis linearibus mucronatis margine ciliatis revolutis utrinque pilosis supra scabriusculis, pedunculis axillaribus brevissimis recurvis, cor. tubo intus juxta basin fasciculis barbatis instructo. Ad Port Adelaide leg. Th. Siemssen 1839. (com. amic. Steetz.) *Frutex* erectus ramosus, ramis glabris, ramulis pubescenti-hirtellis. *Folia* 8-11 lin. longa, lineam lata, supra viridia subtus pallida striata, mucrone pungente terminata. *Flores* in axillis foliorum solitarii subpenduli. *Bracteae* circ. 8, margine ciliolatae, inferiores brevissimae rotundatae, superiores acutiusculae glabrae. *Calycis* foliola subacuminata glabra, bracteis longiora. *Corollae* tubus concolor, coccineus, calycem aequans, 5 lin. longus, extus apice pubescens, intus glaber, prope basin vero fasciculatim barbatus, limbi lobis semibarbatis apice glabris. *Filamenta* brevissima alte adnata, antheris linearibus sublatiora. *Cyathus* hypogynus integer. *Ovarium* glabrum 5-loculare. *Stylus* corollam aequans, glaber, stigmate capitellato. *β.* **glabrata**, foliis ciliatis supra laevibus. In regionibus interior. Nov. Holl. legit cl. Mitchell.

tum. *Drupa* oblonga, styli basi mucronata, calyce duplo longior, coerulescens, subexsucca, putamine osseo solido.

β. **lanceolata**, foliis lanceolatis acuminatis.

In glareosis inter frutices districtus York, d. 25. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 469.

ASTROLOMA R.Br. Stomarrhena et Astroloma DC. Prodr. *) Endl. gen. n. 4268. Meisn. gen. pag. 248. (156.)

1. **Astroloma longiflorum** *Sond.* caule prostrato ramosissimo, ramulis pubescenti-hirtellis, foliis patentibus lanceolato-linearibus mucronatis supra convexiusculis margine ciliatis, bracteis calycibusque pubescentibus, corollae tubo intus prope basin fasciculis barbatis destituto.

Stenanthera ciliata Lindl. Swan-River bot. pag. XXV.

In arenosis silvae prope oppidum Perth, d. 13. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 419. (Drummond n. 474!)

Suffrutex pedalis et ultra, ramis elongatis. *Folia* numerosa, horizontaliter patentia, linearia mucrone subulato terminata, subtus striata, 4 lin. longa, vix ½ lin. lata. *Flores* axillares, solitarii, brevissime pedicellati. *Bracteae* 4, obtusae, apiculatae, inferiores minimae, superiores calyce triplo breviores. *Sepala* ovata, subacuminata, ut bracteae extus pubescentia. *Corolla* purpurea, elongata, calyce 3-4-plo longior (circ. pollicaris) tubo intus prope basin glabro, limbo erecto vel subpatente, acuminato, barbato, apice glabro. *Filamenta* brevissima, ad faucem sessilia. *Antherae* oblongo-lineares. *Discus* hypogynus cyathiformis, subdentatus. *Ovarium* glabrum, 5-loculare. *Stylus* glaber corolla brevior. *Stigma* capitatum. *Drupa* subexsucca, subglobosa, styli basi superata, 5-sperma, calyci aequilonga.

Simillimum *A. humifuso* Br. differt tantum: tubo corollae longiore graciliore fasciculis villorum carente et limbo apice glabriusculo, fructus et reliquae utriusque plantae partes non differunt.

2. **Astroloma foliosum** *Sond.* caule prostrato, ramis adscendentibus pubescenti-hirtellis, foliis confertis linearibus mucronatis supra convexis margine ciliatis, bracteis calycibusque glabris.

In limoso-calculosis ad rivulum planitiei haud longe a praedio rustico Maddington, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 420. (Drummond n. 472!)

„Frutex bipedalis.“ *Rami* hirtelli ramulis brevibus foliosissimis dense obsiti. *Ciliae* foliorum longae, tenues. *Bracteae* obtusae, apiculatae. *Calyces* acuminati. *Corolla* deest. *Drupa* globosa Pisi minoris magnitudine, calyce brevior.

Valde affinis *A. humifuso* et *longifloro*, differt: caule elatiore foliosissimo, foliis adpressis subbrevioribus, margine magis revolutis, sepalisque angustioribus.

---

*) *Stomarrhenae* genus, quod cl. DC. *Stypheliae* proximum judicat, secundum observationes meas ab *Astrolomate* non diversum est, characteres enim *Stomarrhenae* in plurimis *Astrolomatis* speciebus inveniuntur.

3. **Astroloma discolor** *Sond.* caule prostrato ramoso, ramulis hirtellis, foliis linearibus mucronatis supra convexiusculis viridibus, subtus pallidis striatis, margine rigide ciliatis, bracteis calycibusque pubescentibus, corollae tubo intus fasciculis barbatis destituto.

In arenosis silvae prope oppidum Perth, d. 13. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 419 ex parte.

Rami nunc erecti simplices, nunc humifusi, ramulis adscendentibus brevissimis. *Folia* 3 lin. longa, semilineam lata, ramulorum subbreviora. *Calyces* pallidi. *Corollae* (purpureae) tubus longissimus, intus a basi ad apicem omnino glaber, limbi lobis acuminatis, barbatis. *Filamenta* brevissima. *Antherae* oblongae. *Discus* hypogynus cyathiformis, subdentatus. *Ovarium* glabrum. *Stylus* filiformis, glaber, non exsertus. *Stigma* subcapitatum.

Summopere affine *A. longiflori*, sed diversum: foliis brevioribus discoloribus erectis subadpressis, quorum ciliae sunt rigidiores.

4. **Astroloma dilatatum** *Sond.* caule diffuso, ramulis adscendentibus glaberrimis, foliis lineari-spathulatis mucronatis, margine revoluto rigide ciliatis, glaucescentibus, bracteis calycibusque pubescentibus.

In arenosis silvae prope oppidum Perth, d. 13. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 419 (ex parte) (Drummond!)

Habitu proxime accedit ad *A. prostratum* et *longiflorum* sed ramulis glaberrimis, foliis linearibus apice latioribus satis distinctum. *Folia* 4½ lin. longa, apice semilineam lata, subglauca, concoloria. *Calyces* 2½ lin. longi, bracteis 4 obtusis mucronulatis. *Corollae* desunt.

5. **Astroloma glaucescens** *Sond.* caule erecto ramoso, ramulis glabriusculis, foliis erectis subadpressis anguste linearibus planis, mucrone subulato terminatis, margine serrulato scabris, bracteis calycibusque glabris.

In Australasia occidentali. Herb. Preiss. No. 409. (Drummond n. 478!)

Frutex, ut videtur, ultra pedalis. *Folia* 5 lin. longa, ¼ lin. lata, conferta, cauli ramisque subadpressa, glaucescentia, subtus obsolete striata. *Bracteae* 4, obtusae. *Sepala* lanceolata. *Corollam* non vidi. *Drupa* subglobosa, Pisi minoris magnitudine, styli basi mucronata, 5-locularis.

Propter folia tenuia conferta *Stenantherae pinifoliae* Br. haud absimile.

6. **Astroloma microcalyx** *Sond.* caule erecto ramoso, ramulis pubescentibus, foliis patentibus linearibus mucronatis margine revoluto rigide ciliatis, bracteis calycibusque puberulis glabrisve.

Inter saxa calcarea clivuli prope Lime-Kiln, Perth, d. 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 470. (Drummond n. 470!)

„Frutex 1-1½ pedalis.“ *Radix* ramosa, fibrillosa. *Caulis* sublignosus, epidermide fusco-nigricante rimosa, penna gallinacea subcrassior, nunc a basi nunc apice tantum ramosus, rami erecti, subnudi, ramuli foliosi. *Folia* inferiora sparsa patentia, 4 lin. longa, ½ lin. lata, superiora magis adpressa confertiora. *Flores* miniati folium superantes. *Bracteae* 4, obtusae, mucronulatae. *Calyces* parvuli cum bracteis vix 2 lin. longi, sepalis sublanceolatis, apiculatis. *Corollae* tubus calyce duplo longior, intus juxta basin fasciculis 5 barbatis instructus; limbi lobis acuminatis, barbatis. *Filamenta* brevissima. *Antherae* lineari-oblongae. *Discus* hypogynus cyathiformis, sub-

integer. *Ovarium* discum superans, glabrum. *Stylus* filiformis, glaber, non exsertus.

7. **Astroloma Baxteri** *A. Cunn.* erectum, ramosissimum, ramulis pubescenti-hirtellis, foliis linearibus mucrone apiculatis serrato-ciliatis erectis, corollae lobis linearibus glabriusculis. — A. Cunningh. ap. DC. Prodr. l. c. pag. 739.

In arenosis ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 425. New-South-Wales leg. Fraser! (herb. Shuttleworth.)

„Frutex tripedalis". *Folia* 5 lin. longa, margine subrecurva. *Bracteae* 4 vel 6, inferiores minores, superiores 2 calycem dimidiam aequantes, omnes obtusiusculae, apiculatae. *Sepala* acuminata, corolla duplo triplove breviora, glaberrima. *Corollae* lobi erecti, glabriusculi, apice vix barbulati. *Drupa* globosa Pisi minoris magnitudine stylo longo glabro persistente terminata *).

8. **Astroloma divaricatum** *Sond.* caule erecto ramoso, ramis divaricatis, ramulis tenuissime puberulis, foliis coriaceis patulis reflexisve lanceolatis basi subcordatis apice mucronatis, margine recurvato integerrimis vel denticulato scabris subtus glaucescentibus, bracteis calycibusque subcoloratis glaberrimis.

Leucopogon epacridis DC. l. c. pag. 754!

In glareosis silvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, York, d. 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 467. (Drummond n. 468!)

„Frutex bipedalis" ramis valde rigidis, habitu *Acrotriches divaricatae*. *Folia* 4-6 lin. longa, $1\frac{1}{2}$-2 lin. lata, basi subcordata, sessilia, subtus pallidiora, striolata. *Pedunculi* subreflexi, squamosi. *Bracteae* 4, obtusae vel brevissime apiculatae, calyce subtriplo breviores. *Sepala* obtusa mucronulata colorata. *Corollae* tubus intus prope basin fasciculis 5 barbatis instructus, ad faucem tomentosus, limbi lobis patentibus apice glabris. *Filamenta* fauci inserta antheris lineari-oblongis breviora. *Discus* hypogynus cyathiformis, subinteger. *Ovarium* glabrum, 5-loculare. *Stylus* non exsertus glaber, lente auctus tuberculis obsitus. *Stigma* subcapitatum.

9. **Astroloma marginatum** *Sond.* caule erecto ramoso, ramis divaricatis, ramulisque glabris, foliis rigidis squarroso-patulis e basi cordata lanceolatis in mucronem subpungentem attenuatis, striatis, glaucis subcoloratisve, margine scabridis.

In solo glareoso sterili silvae prope fontem Pitscharding, Victoria, d. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 471.

---

*) **Astroloma Drummondi** Sond. erectum, ramosum ramulis tenuissime puberulis, foliis subsessilibus erectis linearibus mucronatis margine revolutis integerrimis, bracteis calycibusque pubescentibus. Swan-River. leg. Drummond n. 467. Frutex rigidus, ramis erectis. *Folia* 6-7 lin. longa, explanata $1\frac{1}{2}$ lin. lata, utrinque glabra, subtus pallidiora, petiolo brevissimo insidentia, mucrone subpungenti terminata, ramis subadpressa. *Flores* axillares, solitarii. *Bracteae* 4 vel 6, inferiores minutae. *Sepala* ovata apiculata, 4 lin. longa, margine ciliata. *Corollae* rubrae tubus calyce vix longior intus prope basin fasciculis villorum instructus, medio glaber, apice inter antheras tomentosus. *Limbi* laciniae erectae acutissimae barbatae. *Antherae* lineari-oblongae, glabrae. *Discus* hypogynus subinteger, ovario glabro duplo brevior.

Specimina perpauca deflorata tantum adsunt. *Caulis* ut videtur, ultra pedalis fruticosus, teres, pennae gallin. crassitie, cortice griseo-albo. *Ramt* erecto-patentes, rigidi. *Folta* 4-5 lin. longa, 1½-2 lin. lata, basi cordata, sessilia, plana, utrinque nervoso-striata, subglauca vel roseo subcolorata, margine denticulis brevissimis scabriuscula. *Flores* fructusque ignoti. Habitus paene praecedentis speciei. An hujus generis?

10. **Astroloma pallidum** *R.Br.* diffusum, ramis adscendentibus, foliis lanceolatis sessilibus ciliatis imbricatis supra concaviusculis. R.Br. prod. 538. DC. l. c. pag. 739.

Leucopogon blepharodes DC. l. c. pag. 753!

In arenosis apertis silvae caeduae haud longe ab oppido Freemantle, d. 13. Jan. 1839 et in solo sublimoso inter frutices densos planitiei ad fluvium Canning, d. 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 424. (Drummond!)

„Frutex spithamaeus, caespitosus", ramulis pubescentibus. *Folta* 5-7 lin. longa, 1½ lin. lata, mucrone setaceo pungenti terminata, subtus pallida, striata. *Flores* axillares, solitarii, interdum in apicibus ramulorum aggregati, subspicati. *Corolla* incarnata. *Ftlamenta* brevia. *Discus* hypogynus subinteger ovarium dimidium aequans. *Stylus* glaber. *Drupa* oblonga vel subglobosa longitudine calycem aequans, stylo persistente coronata, abortu saepe monosperma.

β. **suberectum.** caule erectiusculo, ramis gracilioribus.

Inter formam primariam. An species distincta?

11. **Astroloma compactum** *R.Br.* diffusum, ramulis adscendentibus brevissimis, foliis obovato-lanceolatis ciliatis petiolato-attenuatis supra concaviusculis. R.Br. l. c. DC. l. c.

In arenosis terrae superioris undulatae, York, d. 21. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 423. In colliculo arenoso et in rupestribus prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 28. Sept. 1840. No. 421. (Drummond n. 473!)

„Frutex humilis, diffusus, 3-4-pollicaris, rarius spithamaeus." *Ramt* abbreviati, ramuli puberuli. *Folta* 4 lin. longa, lineam lata, basi valde angustata, mucrone pungenti terminata supra laevia, subtus pallidiora, margine ciliata, ciliis saepe geminis. *Calyces* pallidi, bracteis obtusissimis apiculatis. *Corolla* sanguinea, gracilis, calyce duplo triplove longior, intus supra basin fasciculis 5 villorum instructa. *Ftlamenta* abbreviata. *Discus* hypogynus integer. *Stylus* glaber. *Drupa* subglobosa, calyce paullo longior, styli basi mucronata.

Variat: foliis remotioribus vel confertis imbricatis, concavis vel subplanis, glabris vel subtus minute puberulis.

12. **Astroloma cuneifolium.** *Sond.* erectiusculum ramosissimum ramulis abbreviatis pubescentibus, foliis obovatis in petiolum attenuatis margine serrato-ciliatis, apice subrecurvo truncatis spinuloso-mucronatis, supra concaviusculis.

In glareosis silvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, York, d. 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 422.

„Frutex digitalis" apice ramosissimus, ramis adscendentibus. *Folta* cuneata, apice truncato vel obtuso integerrima, mucrone pungenti refracto terminata, 3-4 lin. longa, apice 1½ lin. lata, margine serrato-ciliata, ciliis rigidis, basi dilatatis, subtus pallida multinervia, nervis lateralibus ramosis. *Bracteae* et calyces pallidae, ab illis *A. compacti* non diversae. *Corolla* deest.

Affine *A. compacto*, sed foliorum forma satis diversum.

13. **Astroloma Stomarrhena** *Sond.* caule erecto, ramulis hirtellis, foliis rigidis imbricatis lineari-lanceolatis in mucronem pungentem attenuatis concavis margine serrulato-scabris extus pilosis glabrisve, bracteis calycibusque pubescentibus.

In regionibus interioribus Australasiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 410. (Swan-River Drummond n. 467!)

Frutex ut videtur pedalis. *Rami* erecti, rigidi, basi glabriusculi, apice hirtelli. *Folia* subadpressa, imbricata, concaviuscula, supra nitida laevissima, subtus pallida, striata, rigide mucronata, pollicem longa, 1½ lin. lata, nunc dorso et margine pilis longis albis obsita nunc omnino glabra. *Flores* axillares folio breviores. *Bracteae* 4, oblongae, inferiores glabriusculae, superiores pubescentes. *Sepala* lanceolata, 4 lin. longa, a medio ad apicem usque hirsuta. *Corolla* calyce duplo longior, tubo intus dense tomentoso, limbi laciniis supra glabriusculis et apice tantum barbulatis, subtus vel in superficie exteriore pilosis. *Filamenta* brevissima. *Discus* hypogynus subinteger, ovario glabro duplo brevior. *Stylus* corollam aequans. *Drupa* depresso-globosa Pisi minoris magnitudine, styli basi coronata, 5-locularis.

14. **Astroloma xerophyllum** *Sond.* caule erecto, ramulis pubescentibus, foliis rigidis imbricatis lineari-lanceolatis acuminatis subpungentibus concavis margine integerrimis glabris pilosisve, bracteis calycibusque glaberrimis.

Stomarrhena xerophylla DC. l. c. pag. 738!

In colliculosis arenosis prope Pine-Aple, d. 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 407. (Drummond n. 476!)

„Frutex 2-3 pedalis“ ramis erectis vel subpatentibus. *Folia* petiolulata, concava, supra laevia nitida, subtus nervoso-striata, pallida, inferiora sparsa cauli adpressa 7-9 lin. longa, lineam lata, superiora confertiora imbricata. *Flores* in axillis foliorum superiorum sessiles, solitarii, folio breviores. *Bracteae* 4 obtusae, subapiculatae. *Sepala* pallida, ovata, sublanceolata, glaberrima, margine brevissime ciliata bracteis subtriplo longiora. „*Corolla* alba“ in sicco subarmeniaca. *Tubus* calyce inclusus, intus dense barbatus, prope basin glaber, rarius annulo piloso praeditus, limbi laciniae erectae vel subconniventes, barbatae. *Filamenta* brevissima, corollae adnata, apice inter corollae lacinias libera, ob barbam densam non conspicua, antheris lineari-oblongis. *Discus* hypogynus cyathiformis, 5-partitus, ovarium pentagonum aequans vel brevior. *Stylus* glaber corollae longitudine aequalis basi sensim incrassatus, per lentem visus tuberculis minutis dense obsitus. *Stigma* capitatum. *Drupa* immatura subglobosa, subcrustacea, glaucescens, styli basi apiculata, 5-locularis, 5-sperma.

Variat: foliis glaberrimis, pilosiusculis et pilosissimis.

A praecedente cui simillimum differt: foliis integerrimis, calycibus albidis glaberrimis, corollae tubo calycem non superante, stylo tuberculato et fructu.

15. **Astroloma macrocalyx** *Sond.* diffusum, ramis erectis vel adscendentibus, ramulis nitidis glabris, foliis imbricatis lineari-lanceolatis elongatis concaviusculis mucronatis margine scabriusculis, calycibus maximis bracteisque glaberrimis.

In arenosis inter fruticea silvae prope Pine-Aple, d. 4. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 413. (Drummond n. 477!)

„Frutex spithamaeus“ radice crassa, perpendiculari, saepe pedali. *Rami* intermedii erecti, laterales adscendentes, epidermide griseo-alba, ramuli nitidi, glabri, dense foliosi. *Folia* 16-24 lin. longa, 1-1½ lin. lata, in acumen pungens producta, supra nitida, subtus pallidiora, striata, margine denticulis brevissimis scabrida. *Flores* axillares pedunculo perbrevi insidentes. *Bracteae* 4, obtusae mucronatae. *Calyces* maximi *Styphelitae*. *Sepala* lanceolata acuminata, 10 lin. longa. *Corolla* purpurea, calyce inclusa. *Tubus* intus juxta basin fasciculis 5 barbatus, medio glaber, apice tomentosus, limbi laciniis acuminatis barbatis, apice flavescentibus, glabris. *Filamenta* brevissima, fauci affixa. *Antherae* lineari-oblongae, inclusae. *Discus* hypogynus cyathiformis subinteger, brevis. *Ovarium* obsolete pentagonum. *Stylus* glaber, corollae limbo brevior. *Stigma* subcapitatum. *Drupa* coerulescens, oblonga, pentagona, acuta, styli basi superata, 5-sperma calyce duplo brevior.

Species quam maxime, singularis quae primo adspectu facile pro *Styphelia longifolia* R.Br. haberi potest.

16. **Astroloma Candolleanum** *Sond.* caule erecto ramoso, ramulis puberulis, foliis imbricatis ovatis basi attenuatis apice acuminatis mucronatis margine rigide ciliato-serratis concaviusculis, bracteis calycibusque glabris.

Stomarrhena serratifolia DC. l. c.!

In calculosis cacuminis montis Bakewell (alt. 1300 ped) d. 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 466. (Drummond n. 471!)

„Frutex bipedalis“ ramis rigidis inferioribus elongatis, superioribus brevioribus. *Ramuli* foliis imbricatis tecti, inferne plerumque nudi. *Folia* intus laevia, extus glauca, striata, 5-6 lin. longa, 2-2½ lin. lata. *Bracteae* obtusae mucronulatae. *Sepala* pallida vel subrosea obtusiuscula, mucronata. *Corolla* purpurea. *Tubus* calycem aequans vel parum superans, intus prope basin fasciculis 5 villorum barbatus, limbi lobis erectis, subconniventibus, angustis acutissimis dense barbatis. *Filamenta* brevissima, longitudine et latitudine antheras oblongas aequantia, fauci inserta et inter tomentum densum occultata. *Discus* hypogynus cyathiformis, subdentatus, ovario glabro brevior. *Stylus* glaber non exsertus. *Stigma* capitatum. *Drupa* coerulea, oblonga, styli rudimento superata, calycis longitudine, 2-5 sperma.

17. **Astroloma latifolium** *Sond.* erectiusculum simplex, caulibus apice puberulis, foliis imbricatis ovato-lanceolatis rigide mucronatis basi in petiolum brevem angustatis striatis margine cartilagineo-denticulatis, bracteis calycibusque glabris.

In solo basaltico-glareoso inter frutices densos prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 411.

„Frutex spithamaeus“. E radice crassa cylindrica perpendiculari sublignosa caules assurgunt plures simplices, quorum laterales adscendentes, intermedii erecti. *Folia* coriacea, concaviuscula, supra nitidula, subtus pallidiora, multistriata, striis lateralibus divergentibus apice ramulosis, 9-11 lin. longa, 3-4 lin. lata. *Bracteae* 4, obtusae, vix apiculatae, margine brevissime ciliatae. *Sepala* lanceolata, 4 lin. longa. *Corolla* deest. *Discus* hypogynus cyathiformis, integer. *Drupa* oblonga, calycem subaequans, styli basi apiculata, abortu plerumque 1-2-locularis.

CONOSTEPHIUM Benth. Endl. gen. n. 4266. Meisn. gen. pag. 248. (157.)

Calyx 5-phyllus pergamaceus ovoideus vel ovoideo-oblongus, bracteis pluribus conformibus imbricatus. *Corolla* tubulosa extra calycem plerumque ventricosa conoidea, limbo minimo erecto vel subpatente imberbi, tubo intus juxta basin fasciculis 5 villorum instructo vel basi glabro et apice villoso. *Filamenta* corollae adnata linearia brevissima. *Antherae* inclusae bifidae. *Discus* hypogynus 5-partitus vel brevissimus subinteger. *Ovarium* 5-loculare, loculis 1-ovulatis. *Drupa* exsucca abortu 1-sperma, putamine osseo solido.

§. 1. tubo intus juxta basin fasciculis 5 barbatis.

1. **Conostephium pendulum** *Benth.* calycibus ovoideo-oblongis, filamentis alte adnatis, ovariis stylisque glabris.

Conostephium pendulum Benth. in Hügel. Enum. pag. 76.

In colliculosis arenosis silvae ad Preston-creek, d. 28. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 414. (Drummond n. 466!)

„Frutex 1-2 pedalis“ ramis lutescentibus, ramulis tenuissime puberulis. *Folia* erecta, pollicaria, 2 lin. lata, lineari-oblonga, mucrone brevi rigido nigro terminata, utrinque glabra vel supra glabra subtus villis brevissimis canescentia, margine subrevoluta, denticulis minimis scabrida. *Pedunculi* recurvi squamosi, 2 lin. longi. *Calyx* 4-5 lin. longus plerumque velutinus, rarius subglaber. *Bracteae* 8-10 ovato-rotundatae, apiculatae. *Sepala* ovata apiculata margine tenuissime ciliata. *Corolla* 6 lin. longa, aetate juniore calyce inclusa, evoluta infra stamina constricta, pars supra constricturam exserta, conica, subcoriacea, intense purpurea, 2 lin. longa, pars inferior inclusa, tenuis, non colorata, tubus extus glaber, intus villosus et basi fasciculis barbatis instructus, limbus brevissimus, laciniis vix ½ lin. longis, linearibus, erectis, imberbibus. *Filamenta* parti corollae superiori adnata. *Antherae* magnae, lanceolatae, demum profunde bifidae, glabrae, filamentis subduplo longiores. *Discus* hypogynus 5-partitus, ovario glabro duplo brevior. *Stylus* demum longe exsertus, glaber. *Stigma* obtusum.

§. 2. tubo intus absque fasciculis barbatis.

2. **Conostephium minus** *Lindl.* calycibus ovoideis, filamentis tubo medio adnatis, ovario sericeo, stylo piloso.

In arenosis juxta oppidum Perth, d. 24. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 408. (Drummond n. 467!)

„Frutex pedalis strictus“ ramis virgatis, ramulis glabris vel tenuissime puberulis. *Folia* 6-8 lin. longa, lineam lata, mucrone brevissimo obtuso sphacelato terminata, margine integerrima, supra glabra, subtus striata et villis minimis subcanescentia. *Pedunculi* recurvi velutini. *Flores* purpurei, 3-4 lin. longi. *Bracteae* circ. 6, obtusae, apiculatae. *Sepala* obtusiuscula, ut bracteae extus velutino-pubescentia. *Corollae* tubus paullo infra medium constrictus, pars inclusa extus puberula, pars exserta conica, glabra, purpurea, lineam longa, intus inferne glaber, a medio ad apicem usque pilosus. Limbi brevissimi laciniae subpatentes, imberbes, rarius basi subpilosae. *Filamenta* corollae tubo paullo infra medium adnata, antheris subbifidis bre-

viora. *Discus* hypogynus brevissimus, 5-dentatus. *Ovarium* sericeum. *Stylus* pilosus, apice exserto glaber. *Stigma* obtusum.

Primo adspectu ab antecedente et sequente distingui potest: caule humiliore debiliore et foliis brevioribus duplo angustioribus revolutis.

3. **Conostephium Preissii** *Sond.* calycibus ovoideis, filamentis basi corollae adnatis, ovario glabro, stylo piloso.

In arenoso-umbrosis silvae haud longe ab urbe Freemantle, d. 13. Mart. 1839. Ad ripam fl. Canning-River, d. 4. Dec. 1839. In solo arenoso inter frutices ad fluvium Cygnorum, d. 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 416.

„Frutex 2 pedalis" glaber seu velutino-pubescens. *Folia* lineari-oblonga, subpollicaria, 2 lin. lata, apice callosa plana vel margine denticulato scabro recurva, utrinque glabra vel velutino-pubescentia, vel supra glabra subtus canescenti-velutina. *Pedunculi* recurvi, 2-3 lin. longi. *Calyx* 3 lin. longus, glaberrimus, rarius velutinus. *Bracteae* 6, obtusae. *Sepala* obtusa. *Corolla* pallide purpurea. Tubus conicus, prope basin constrictus, pars inclusa extus velutina, pars exserta (vix 1 lin. long.) glabra, intus basi glaber, a constrictura usque ad limbum pilosa. Limbus brevissimus, subpatens, linearis, imberbis. *Filamenta* imae corollae adnata, antheris lanceolatis bifidis subduplo breviora. *Discus* hypogynus brevissimus. *Ovarium* glabrum. *Stylus* pilosus, apice exserto glaber. *Stigma* obtusum.

Floribus subduplo minoribus et foliis callosis facile distinguitur a *Conostephio pendulo.*

MELICHRUS R.Br. Endl. gen. n. 4270. Meisn. gen. pag. 348. (156.) DC. l. c. pag. 740.

Sect. I.

1. **Melichrus squarrosus** *Sond.* foliis squarroso-patentibus lanceolato-linearibus basi concaviusculis utrinque marginibusque pilosis.

In glareosis inter frutices circa oppidum Albany, Plantagenet, d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 418.

Fruticulus prostratus ut videtur spithamaeus, dense foliatus. *Caulis* pennae corvinae crassitie glaber purpurascens, superne foliorum rudimentis subsquamosus. *Rami* circ. digitales adscendentes a medio ramulosi, ramulis inferioribus brevioribus, superioribus vix ultra pollicem longis, omnibus foliis squarroso-patentibus basi imbricatis obtectis. *Folia* 5-6 lin. longa, basi lineam lata, subtus striis circ. 5 parallelis discoloribus notata, elongato-lanceolata apice valde attenuata rigidiuscula, squarrosa, aetate juniori utrinque pilosa, superiora stellatim patentia, inferiora remotiora apice subrecurva demum subglabrata. *Flores* non vidi.

A *Melichro rotato* differt: foliis brevioribus basi concaviusculis squarrosis recurvisve, junioribus non imbricatis.

BRACHYLOMA Sonder.

Calyx coloratus ovoideus, 4-bracteatus, 5-partitus, sepalis subinaequalibus. *Corolla* tubulosa calyce inclusa, tubo medio fasciculis 5 sericeis, limbo erecto imberbi lobis linearibus concaviusculis. *Filamenta* brevissima, corollae alte adnata. *Antherae* inclusae. *Discus* hypogynus cyathiformis dentatus. *Ova-*

rium 5 loculare: loculis 1 ovulatis. *Stylus* brevis, crassus, cylindricus. *Drupa* sub exsucca, 5 sperma, putamine osseo solido.

Genus habitu *Conostephii*.

1. **Brachyloma Preissii** *Sond.*

In arenosis prope Bull's-creek, Nov. 1841 leg. cl. Preiss. (Swan-River, Drummond n. 480!)

Frutex erectus, ut videtur, ultra pedalis, ramis teretibus, cinerascentibus, glabris, ramulis hirtellis. *Folia* erecta adpressa superiora subimbricata, petiolulata, linearia vel oblongo-linearia, mucronata, glabra, supra laevia, viridia, subtus pallidiora, nervoso-striata, striis lateralibus divergentibus, plana, margine serrulato-scabra, 6-7 lin. longa, 1-1½ lin. lata. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati. *Pedunculus* bracteatus, recurvus, 2 lin. longus. *Bracteae* 4, obtusae, inferiores minores, subcoloratae. *Sepala* roseo-colorata ut bracteae glaberrima, ovata, apiculata, vix ultra 2 lin. longa, imbricata subinaequalia, inferiora 2-3, subbreviora. *Corolla* parva, roseo-rubra, calyce inclusa, 2 lin. longa, tubulosa, tubus brevis. limbum aequans, extus glaber intus medio fasciculis 5 villorum sericeorum barbatus, basi et apice glaber, limbi lobis erectis, linearibus, glaberrimis, concaviusculis. *Filamenta* brevissima, tubo alte adnata. *Antherae* lineari-oblongae, inclusae, dorso infra apicem insertae. *Discus* hypogynus 5 dentatus, ovarium dimidium glabrum aequans. *Stylus* crassus, vix ultra ½ lin. longus, cylindricus, glaber. *Stigma* breve capitellatum. *Drupa* parvula, suborbicularis, calyce subbrevior, styli basi terminata.

β. **brevifolium.** foliis duplo brevioribus et angustioribus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 426.

LEUCOPOGON R. Brown. Endl. gen. n. 4273. Meisn. gen. pag. 248. (156.)

§. 1. Psilostachyi.

1. **Leucopogon Richei** *R.Br.* ramulis tenuissime velutinis, foliis oblongo-lanceolatis extra medium latioribus 3-5 nerviis basi striatulis marginibus subrecurvis, spicis erectis folia subaequantibus.

Leucopogon Richei R. Brown l. c. pag. 541.

Leucopogon lanceolatus Sieb.! fl. exs. Nov. Holl. n. 102.

Leucopogon Richei et *parviflorus* DC. l. c.

Styphelia Richei Labill.! Nov. Holl. 1. pag. 44. t. 60.

In solo sublimoso inter frutices planitiei ad fluvium Vasse-River, Sussex, Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 372 ex parte (King George's Sound, Hügel! New-South-Wales, Fraser!)

Specimina Preissiana cum Billardierianis et Sieberianis exacte conveniunt *Spicae* axillares et terminales. *Drupa* parva ovata, baccata, pulpa coerulea, 4-5 sperma.

2. **Leucopogon parviflorus** *Lindl.* ramulis glaberrimis, foliis lanceolatis vel lineari-oblongis planis supra 3-5 nerviis

subtus striatis, spicis sub terminalibus erectis folio brevioribus longioribusve. — Lindl. bot. Reg. t. 1560.

Styphelia parviflora Andr. bot. repos. tab. 287.

In collibus calcareis silvae haud longe ab ora maris Perth, d. 25. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 370, in arenosis umbrosis silvae insulae Rotenest, d. 18. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 365. (Drummond n. 459!)

„Frutex strictus, 2-3 pedalis", ramis teretibus ramulisque glaberrimis. *Folia* coriacea, glabra, plana, apiculo brevi, obtuso, lanceolata basi subattenuata, lineari-lanceolata vel lineari-oblonga, inferiora 12-16 lin. longa, 3-3½ lin. lata, superiora angustiora et breviora margine praesertim versus apicem denticulata, scabra, supra laevia nitidula, 3 vel 5 nervia, subtus multinervia nervis 5-7 evidentioribus intere apiceque ramosis. *Spicae* ad apices ramulorum aggregatae erectae, inferiores folio breviores vel aequilongae, superiores saepe longiores. *Rachis* cano-puberula, 10-20 flora, ad basin infra flores bracteolas plures gerens. *Bracteae* carinatae. *Corollae* tubus calycem brevem aequans, lobis superne dense barbatis. *Filamenta* brevissima. *Antherae* lineares. *Cyathus* hypogynus, 5 dentatus. *Stylus* brevis stigmate capitato. *Drupa* parva subglobosa, coerulescens, pulpa vix ulla, 4,5-rarissime 6-sperma.

Antecedenti quamquam simillimus, tamen dispar: foliis multo crassioribus magis oblongis basi vix cuneatis planis.

3. **Leucopogon Drummondi** *DC.* ramulis glabris, foliis lanceolatis basi subobtusis apice attenuatis acutis callosis planis, supra glabris 5-7 nerviis, subtus tenuiter velutinis 7-9 nerviis, spicis axillaribus ad apices ramorum subpaniculatis folio aequalibus vel longioribus, rachi angulata puberula, bracteis parvis dorso carinulatis, calycis lobis ciliatis albidis, corollae tubo limbum hirsutissimum aequante. DC.! l. c. pag. 745.

In turfoso-arenosis umbrosis inter gramina alta silvae prope oppidum Perth, d. 1. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 368. (Drummond n. 459!)

„Frutex 4 pedalis" palleus, caule tereti, pennae corvinae crassitie, ramulis angulatis, glaberrimis, subvitellinis. *Folia* subtus pallidiora et tenuissime puberula, 2-2½ poll. longa, plana, lanceolato-attenuata vel lineari-lanceolata, acuta, rarius mucrone brevi terminata. *Spicae* subterminales, foliis plerumque longiores, rarius aequilongae vel subbreviores 20-30 florae. *Rachis* puberula, basi multibracteata. *Bracteae* carinatae ut calyces pallidi margine ciliolatae. *Corollae* albae tubus calycem aequans, tubus cum limbo 1½ lin. longus, limbi laciniae angustae, dense barbatae, tubo aequales. *Filamenta* brevia antheris linearibus. *Discus* hypogynus dentatus. *Stylus* brevis, ut ovarium glaber. *Stigma* capitatum.

4. **Leucopogon paniculatus** *Sond.* ramulis glabris, foliis lanceolatis acutis mucronatis margine revolutis subtus tenuissime pubescentibus, spicis terminalibus erectis paniculatis folio multo longioribus, rachi angulata puberula, calycis lobis ciliatis albidis, corollae tubo limbi lobis hirsutissimis breviore.

In locis subturfosis ad marginem lacus prope Middleton's Bay, Plantagenet, Oct. 1840. Herb. Preiss No. 367. et in turfoso-humidis inter frutices densos ad marginem lacus planitiei haud longe ab oppidulo Albany, Plantagenet, d. 11. Oct. 1840. No. 374.

„Frutex 6-8 pedalis" caule tereti, ramis ramulisque subangulatis, vitellinis, glaberrimis. *Folia* brevissime pedicellata, erecta, adpressa, subopaca.

tactu mollia, supra 5 nervia, subtus vix pallidiora, multinervia, apice sphacelata, mucronata, margine revoluta, 1½-2 poll. longa, explanata, 3 lin. lata. *Spicae* ad apices ramorum paniculatae folia plerumque multo longiores, 20-30 florae, rachi puberula, angulata. *Bracteae* carinatae ut calyces pallidi margine ciliolatae. *Corolla* alba, lineam longa, tubo brevi, limbi laciniis linearibus, tubo longioribus, dense barbatis. *Filamenta* brevissima antheris sublinearibus subexsertis, supra medium peltatis. *Cyathus* hypogynus, 5 dentatus. *Stylus* calycem aequans, stigmate subcapitato. *Drupa* parvula, subglobosa, pentagona, apiculata.

A *Leucop. Drummondi* habitu strictiore, foliis magis adpressis opacis margine recurvis, spicis sublongioribus et tubo corollae abbreviato diversus.

5. **Leucopogon verticillatus** *R.Br.* foliis interrupto-verticillatis oblongo-lanceolatis apice attenuatis, spicis subterminalibus aggregatis, fructiferis nutantibus, drupis 5-locularibus putamine 5 gono. R. Brown l. c.

L. glaucescens DC.! l. c.

Lissanthe verticillata Lindl. Swan-River bot. pag. XXV.

In limoso-calcareis silvae inter Mahagoni-creek et Halfwayhouse nec non in subarenosis silvae prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 13. Sept. 1839 et d. 23. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 431. (Swan-River, Drummond!)

„Frutex 2-5 pedalis erectus" apice plerumque ramosus, glaberrimus. *Folia* sessilia, basi subangustiora, subtus glaucescentia, multinervia, supra 5-nervia, utrinque laevia, inferiora saepe 4 poll. longa, pollicem lata, superiora breviora et angustiora. *Verticilli* in parte caulis inferiore intervallo 3-4 pollicari disjuncti, apicem versus magis approximati e foliis 6-8 constant. *Internodia* plerumque nuda sunt, interdum vero foliola nonnulla brevia, reliquis conformia et semper cicatrices foliorum delapsorum in illis inveniuntur. *Spicae* in foliorum superiorum verticillis, elongatae, laxae, sero nutantes, multiflorae, rachi angulata glaberrima. *Bracteae* 2 ut calyces viridis, margine tenuissime ciliatae. *Corolla* in sicco purpurascens apice pallidiore. Tubus calyce duplo longior, extus glaber, intus subpilosus, limbi lobis revolutis basi parce barbatis. *Filamenta* brevissima antheris linearibus subexsertis duplo superata. *Discus* hypogynus 5 dentatus. *Stylus* brevis glaber stigmate obtuso. *Drupa* parvula subexsucca (?) oblonga, pentagona, 5 locularis, rarius 4 gona, 4 locularis *).

§. 2. Brachystachyi.

6. **Leucopogon polystachyus** *R.Br.* ramulis glabris virgatis, foliis lineari-lanceolatis muticis convexo-con-

*) **Leucopogon Shuttleworthii** Sond. ramulis glabris, foliis erectis adpressis, concaviusculis petiolatis ovato-oblongis acutis calloso-mucronatis glabris subtus striatis margine denticulatis scabris, spicis axillaribus folio subtriplo longioribus, axi flexuosa angulata puberula, bracteis persistentibus ciliatis, corollae lobis supra dense barbatis. New-South-Wales leg. Fraser! (herb. Shuttleworth). Frutex pluripedalis ramis ramulisque teretibus, subvirgatis, glabris. *Folia* adpressa supra concaviuscula, impresso 3-5 nervia, subtus nervoso-striata, 7-9 lin. longa, 2½-3 lin. lata petiolo brevissimo (1 lin. long.) insidentia, apice acuta et callo brevi obtuso terminata. *Spicae* erectae in axillis foliorum supremorum. *Axis* subflexuosa, tenuissime puberula. *Bracteae* persistentes lanceolatae dorso striatae margine ciliatae. *Bracteolae* acutae carinatae puberulae. *Calycis* laciniae acutae, ut bracteae pubescentes. *Corollae* tubus calyce brevior, limbi lobis lanceolatis albo hirsutissimis. *Filamenta* brevissima. *Cyathus* hypogynus, subdentatus, ovario glabro duplo brevior. *Stylus* brevissimus.

caviusculis adpresse erectis, spicis axillaribus terminalibusve aggregatis 7-10 floris, rachi hirsuta, drupis exsuccis ovalibus apice depresso. R. Brown l. c. DC. l. c.

In arenosis prope oppidulum Albany, Plantagenet, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 363.

Frutex bipedalis et ultra, erectus ramis virgatis. *Folia* sparsa, sessilia, glaberrima, plerumque 5-6 lin. longa, lineam lata, erecta vel caulí subadpressa, supra concaviuscula, apice callo brevissimo terminata, margine integerrima, in varietate serrata. *Spicae* folio aequales, 5-7 florae vel parum longiores 8-10 florae rachi pubescente. *Bracteae* carinatae ut calyx membranaceae, pallidae et rufo coloratae, subtendentes, ovatae, acutae margine ciliato-lanatae. *Calycis* foliola lanceolata, obtusiuscula, margine ciliata, 2 lin. longa. *Corollae* tubus calycem aequans, limbi lobi tubo longiores, revoluti, albo hirsutissimi. *Filamenta* brevissima, antheris linearibus. *Discus* hypogynus 5 dentatus. *Stylus* brevissimus stigmate subcapitato. *Drupa* exsucca, pentagona, oblonga basi angustiore, apice truncata, stylo coronata, calyci aequilonga, 5 locularis, abortu 1-4 locularis.

β. **serratifolius.** foliis lanceolatis acuminatis muticis margine serrulatis scabris.

In arenoso-turfosis humidis inter frutices densos prope villam beat Rich. Spencer, Plantagenet, d. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 364.

„Frutex 4-6 pedalis". *Folia* 6-9 lin. longa, 1-1½ lin. lata; utrinque glaberrima, viridia margine serraturis minimis scabra, inferiora saepius margine ciliata et subpatentia, superiora erecta, concaviuscula. *Flores* et fructus ut in *α.*

γ. **monostachys.** spica solitaria terminali multiflora, bracteis subtendentibus subfoliaceis.

Habitat cum priore.

7. **Leucopogon brachycephalus** *DC.* ramulis glabriusculis, foliis obovatis oblongisve erectis vix acutiusculis margine scabriusculis junioribus et summis subtus distincte striatis, inferioribus subtus et omnibus superne laevibus; spicis paucifloris pluribus in capitulum terminalem aggregatis, bracteis subacutis, corollae lobis angustis superne barba candida copiosa hirsutissimis. — DC.! l. c.

In arenosis silvae ad fluvium Canning, d. 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 384. (Drummond n. 461 et 463!) (Vasse River, Mrs. Molloy 1839!)

Frutex pedalis subramosus, ramulis glabriusculis erectis. *Folia* sessilia inferiora sparsa, obovata, acutiuscula vel oblonga, rarius oblongo-lanceolata, ramulorum subimbricata, adpressa, omnia supra laevia, subtus striata, margine plerumque denticulato-scabra, rarius integerrima, coriacea, 1½-2½ lin. longa, 1-1½ lin. lata. *Spicae* terminales, saepius numerosae. *Rachis* pubescens. *Bracteae* dorso carinatae, acutae, glabrae, apice ciliatae, subtendente parum minore. *Sepala* lanceolata lineam longa, extus a medio ad apicem puberula et margine ciliolata. *Corollae* tubus calyce subbrevior, limbi laciniae lanceolatae, dense barbatae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* lineari-oblongae. *Cyathus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Ovarium* glabrum. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum.

β. **heterophyllus.** foliis inferioribus imbricatis lanceolatis acutis, ramulorum superiorum remotioribus ovatis suborbiculatisve acutiusculis, bracteis calycibusque glabris.

In limoso-calculosis ad radices jugi montium Darling's-range, d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 383.

Folia inferiora 1½ lin. longa et semilineam lata, superiora lineam longa et lata. *Spicae* pauciflorae.

8. **Leucopogon vitellinus** *Sond.* ramulis puberulis foliis adpressis lineari-lanceolatis callosis supra laevibus subtus subcarinatis nervosis, nervo medio crassiore, margine denticulatis, spicis terminalibus aggregatis, bracteis calycibusque glabriusculis.

In arenosis prope oppidulum Albany, Plantagenet, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 363 ex parte.

Frutex rigidus, ramis strictiusculis, glabris, vitellinis, ramulis velutino-pubescentibus. *Folia* inferiora sparsa, suprema subimbricata, lineari-lanceolata vel linearia, supra plana, viridia, subtus convexiuscula, nervo medio prominente subcarinata, nervis 5-7 parallelis striata, margine denticulato-scabra, 5-6 lin. longa, lineam lata. *Spicae* 4-6 florae. *Calyx* membranaceus, subcoloratus. *Bracteae* carinatae, acutae, apice et margine puberulae, subtendente ovata obtusiuscula striata subbreviore. *Calycis* foliola 1½ lin. longa, tenuissime puberula. *Corollae* tubus calycem aequans, intus prope basin glaber, limbi laciniae tubo longiores, dense et albo barbatae. *Filamenta* brevissima, inter barbam fere occultata, antheris lineari-oblongis breviora. *Discus* hypogynus obtuse 5 dentatus, ovario glabro duplo brevior. *Drupa* exsucca, oblonga, (lineam longa) obsolete 5 gona, apice truncata, stylo superata, abortu saepe disperma.

Num forte idem cum *L. assimili* Brown? Verum enim vero calyces in nostro non foliacei. *L. assimilis* β, *callosus* DC. certo ad *L. vitellinum* pertinet.

9. **Leucopogon polymorphus** *Sond.* ramulis villosis, foliis adpressis lanceolato-linearibus linearibusve muticis utrinque villosis vel glabriusculis, subtus striatis margine ciliatis denticulatisve, spicis terminalibus subsolitariis aggregatisve, bracteis calycibusque pubescentibus.

Leucopogon assimilis Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel. vix Brown.

In arenosis inter frutices prope Pine-Aple, Perth, d. 20. Jun. 1839. No. 392 et in porrectis arenosis inter frutices haud longe a cataracta ad caput fluvii Cygnorum, d. 26. Jun. 1839, Herb. Preiss. No. 402. (King George's Sound, Hügel!)

Fruticulus 1-2 pedalis, nunc villosissimus nunc fere glaber, subsimplex, apice tantum ramosus ramis abbreviatis, vel ramosissimus ramis longis virgatis. *Folia* inferiora seu caulina sparsa superiora subimbricata, inferiora lineari-lanceolata seu linearia, 6 lin. longa, ½ lin. lata, superiora breviora, 3-4 lin. longa, lineam lata, omnia sessilia, villosa, glabriuscula vel omnino glabra, supra concaviuscula laevia, subtus nervoso-striata, nervo medio vix aut ne vix elevato, margine pilis longis ciliata, vel glabrata tantum denticulato-scabra. *Spicae* in apicibus ramulorum simplices vel subaggregatae 4-8 florae. *Rachis* puberula. *Bracteae* subtendentes plerumque foliaceae striatae, flores aequantes, vel breviores. *Bracteolae* calycesque puberuli subcolorati, interdum subglabri, pallidi, membranacei, margine ciliolati. *Bracteolae* ovatae acutae. *Sepala* ovato-lanceolata. *Corollae* tubus calycem aequans, limbi lobis albo-hirsutissimis. *Antherae* lineari-oblongae. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobus. *Stylus* brevis glaber ovario aequilongus, stigmate subcapitato. *Drupa* calycem non superans, crustacea, ovato-oblonga, apice depressa, 5 locularis.

10. **Leucopogon pulchellus** *Sond.* ramulis pubescentibus, foliis erectis vel distiche subpatentibus crassiusculis linearibus obtusiusculis supra planis subtus carinatis uninervis, pilosis vel glabris, margine ciliatis denticulatisve, spicis terminalibus subsolitariis, bracteis calycibusque coloratis puberulis.

In arenosis inter frutices haud longe a valle cataractae, d. 26. Jul. 1839 et in lapidosis ad jugum montium Darling's-range, d. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 401 et 396. (Drummond n. 460!) (Vasse River. Mrs. Molloy 1839!)

„Frutex gracilis 2-4 pedalis" ramis ramulisque teretibus. *Folia* caulina sparsa, ramulorum subimbricata, 3-3½ lin. longa, semilineam lata, anguste linearia, supra plana vel vix carinata, subtus carinata, nervis 2 lateralibus obsoletis, intermedia valde prominente ut folium apice fere triquetrum adpareat. In nonnullis speciminibus folia omnia pilis brevibus vestita sunt, in aliis omnia glabra, in prioribus margo ciliatus in posterioribus denticulatus. *Folia* ramulorum suprema imbricata a ceteris recedunt quod breviora sint et minus carinata. *Spicae* ramulos terminantes plerumque solitariae, 3-8 florae, rarius aggregatae. *Rachis* pubescens. *Bracteae* ovatae obtusiusculae carinatae. *Sepala* puberula rarissime glabra, membranacea, apice colorata, margine longe ciliata, lineam longa. *Corollae* tubus calycem aequans, lobis lineari-lanceolatis, albo hirsutissimis. *Filamenta* brevissima, antheris linearioblongis. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobus. *Stylus* brevis, stigmate obtuso. *Ovarium* glabrum. *Drupa* exsucca, oblongo-linearis, calyce longior, monosperma.

11. **Leucopogon hirsutus** *Sond.* ramis ramulis foliisque pilis longis patentibus hirsutis, foliis petiolatis oblongis muticis planis vel margine subrecurvis spicis axillaribus terminalibusque solitariis 3-5 floris bracteis calycibusque glabris, corollae lobis parce barbatis.

In solo limoso inter frutices densos ad latus austro occidentale montis Clarence, Plantagenet, d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 464. (Drummond n. 465!)

Caulis ut videtur procumbens, ramis saepe longissimis (ultra 2 ped.) flaccidis, tenuibus undique pilis patentibus hirsutis. *Ramuli breviores. Folia* oblonga, 3 lin. long., 1½ lin. lata, pilis subsericeis utrinque pilosa, supra impresse subtus elevato 3 nervia, breviter petiolata, apice acutiusculo mutica, plana vel marginibus integerrimis ciliatis subrecurva. *Flores* parvi spicati, spicae solitariae 3-6 florae, semper solitariae et in apice ramulorum et in axillis foliorum supremorum. *Axillae* nonnunquam florum abortu pedunculum 1 vel 2 tantum gerunt. *Pedunculi* hirsuti. *Bracteae* et *calyces* obtusiusculi, glabri, apice longe-margine breve ciliati, bracteae subtendentes minores striatae. *Corolla* ¾ lin. longa. Tubus calyce brevior, intus glaber, limbi lacinias revolutis supra pilis nodulosis parce barbatis. *Filamenta* glabra. *Antherae* oblongae, apice subemarginatae, sub apice affixae. *Cyathus* hypogynus obtuse 5-lobatus. *Stylus* brevis, crassus, stigmate obtuso. *Drupa* subexsucca, subrugulosa, globosa, subcompressa, dorso elevato obliqua, stylo laterali persistente, semper monosperma.

Planta insignis, ab reliquis hujus generis habitu peculiari et fructibus obliquis diversa.

12. **Leucopogon revolutus** *R.Br.* ramulis minute hirtello-pubescentibus, foliis modice patentibus lineari-oblongis obtusis muticis apiculo obtuso calloso, supra convexis scabris, subtus lineatis glabris, marginibus recurvis nudis, spicis subterminalibus aggregatis 4-5 floris, calycibus

bracteisque tenuissime pubescentibus, subtendenti dimidio minore, drupis exsuccis obovatis 4-5 locularibus. R.Br. l. c. DC. l. c.

L. villosus Benth.! in Endl. Enum. plant. Hügel. non R.Br.

In arenosis haud procul ab oppidulo Albany, Plantagenet, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 393. (King George's Sound, Hügel!)

„Frutex 2 pedalis" ramis erectis, substrictis. *Folia* oblongo-linearia, ramorum floriferorum saepe linearia, apiculo obtuso terminata, supra scabra margine revoluta, inferiora cauli adpressa, 6 lin. longa, lineam lata, superiora erecto-patentia, 4-5 lin. longa. *Spicae* 4-6 florae, subterminales. *Bracteae* et *calycis* foliola obtusiuscula, pubescentia, margine ciliolata. *Corollae* tubus calycem aequans, limbi lobi tubo aequilongi, revoluti, barbati. *Filamenta* brevissima, antheris lineari-oblongis. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Stylus* brevissimus, stigmate subcapitato. *Drupa* parva, obovata, 4-5 locularis.

Leucopogon villosus R.Br. cujus specimen a cl. Mittchel in interiore Nov. Holl. lectum possideo, cum *L. revoluto* confundi non potest.

13. **Leucopogon angustatus** *Benth.* ramulis glabriusculis, foliis ovali-ellipticis sublanceolatisve obtusis muticis supra convexis margine subrevoluto, supra glabriusculis subtus pilosis, spicis paucifloris terminalibus congesto-capitatis, bracteis calycibusque subcoloratis glabris. Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 77. DC. l. c.

In arenosis haud procul ob oppidulo Albany, Plantagenet, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 393b.

Frutex pedalis et ultra, ramis erectis, ramulis brevissime pubescentibus. *Folia* sessilia, oblongo-lanceolata, lanceolata vel oblongo-linearia, acutiuscula, mutica, inferiora sparsa, subplana, superiora subimbricata, margine subrevoluto ciliolata vel denticulato-scabra, supra pilosiuscula, demum glabrata, subtus pilosa rarius glabra, 4-5 lin. longa, lineam lata. *Flores* in apicibus ramulorum aggregati, spicati. *Bracteae* carinatae ut calycis foliola obtusiuscula, margine ciliolatae. *Corollae* tubus calycem aequans, limbi lobis dense barbatis. *Filamenta* brevissima. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Stylus* brevis ovarium subaequans. *Stigma* obtusum.

β. **hirsutus.** ramulis hirsutis, foliis utrinque pilosis margine subrecurvo ciliatis, calycibus bracteisque puberulis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 394.

Folia obscure viridia, supra brevius, subtus longe pilosa, 4-5 lin. long. 1 lin. lata. Indumento densiore excepto nullas differentias inter specimina Preissiana et Hügelianum invenio. Nescio an melius haec varietas pro typo et *Leucop. angustatus* pro forma glabrata habeatur? Ceterum *Leucop. angustatus* a *L. collino* R.Br. cujus specimen anth. in herb. Lehmanniano vidi, vix diversus videtur.

14. **Leucopogon capitellatus** *DC.* ramulis minute puberulis hirtellis, foliis linearibus acuminatis erecto patulis superne et margine minutissime scabridis subtus glabris, capitulis 3-5 floris folio brevioribus ad axillas sessilibus, bracteis obtusis, calycis lobis ciliolatis, corollae lobis barba alba conferta superne hirsutis. — DC.! l. c.

In limoso calculosis silvae prope Mahagony-creek, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 371. (Drummond n. 462!)

„Frutex 1-2 pedalis“ strictus. *Rami* breves, erecti, hirto-pilosi. *Folia* linearia, acuminata, planiuscula vel margine revoluta, supra marginibusque scabra, 6-10 lin. longa, ½-1 lin. lata. *Flores* 3-5 in axillis sessiles, rarius capitula multiflora in apice ramulorum. *Bracteae* carinatae, obtusae, subtendente dimidio minore. *Calycis* foliola vix lineam longa, ovata, acuta, margine ciliolata, corollae tubum aequantia. Lobi corollae demum reflexi angusti. *Antherae* lineari oblongae, ad sinus corollae subexsertae, lobis breviores. *Discus* hypogynus obtuse lobatus. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum. *Drupa* parvula, suborbicularis, apice depressa, stylo superata, 4 et 5 locularis.

β. **sparsiflorus.** floribus omnibus axillaribus, axillis 1-3 floris.

In glareosis inter frutices montis prope fontem St. Ronan'swell, d. 25. April. 1840. Herb. Preiss. No. 427.

Folia in hac varietate magis sunt adpressa et 6-7 lin. longa, ¾ lin. lata, flores non spicati nec capitati, corollae paullo minores.

15. **Leucopogon racemulosus** *DC.* ramulis glabris rigidulis, foliis linearibus margine recurvatis mucrone subpungenti apiculatis utrinque glabris supra convexis subtus concavis substriatis subglaucescentibus, racemulis axillaribus 3-5 floris folio brevioribus, bracteis minimis pedicello brevioribus, bracteolis brevibus subrotundis, calyce tubo corollae dimidio breviore, lobis corollae dense barbatis. — DC.! l. c.

In arenosis silvae circa oppidum Perth, d. 10. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 369. (Drummond n. 482! Capt. Mangles!)

„Frutex rigidus, 7 pedalis“, foliis sessilibus, patulis, pungentibus, 8-9 lin. longis. *Flores* omnes axillares, albi. *Corolla* infundibuliformis 3 lin. longa, tubo intus glabro, limbi lobis brevissime sed dense barbatis demum subrevolutis, tubo subtriplo brevioribus. *Filamenta* longiuscula tubo corollae adnata, apice libera. *Antherae* lineares, dimidia parte exsertae. *Discus* hypogynus 5 lobatus, lobis acuminatis ovarium aequantibus. *Stylus* glaber, apice muriculatus, corollam fere aequans, stigmate capitato. *Ovarium* glabrum.

β. **pauciflorus.** pedunculis axillaribus 1-3 floris.

Huc pertinet specimen Drummondianum sub No. 482 in herb. Shuttleworth. asservatum, alterum Drummondianum a Cl. Alph. DC. mecum communicatum racemulis axillaribus instructum est. In collectione Preissiana formas intermedias vidi. Intelligitur hanc speciem eodem jure ad sectionem quintam „Axilliflori“ accenseri posse.

16. **Leucopogon gracillimus** *DC.* fruticulosus erectus ramosissimus, ramis tenuissimis glabris, foliis teretiusculis vix acutis stricte adpressis glabris, spicis abbreviatis terminalibus solitariis aut subcongestis, bracteis obtusiusculis substriatis, corollae tubo calyci aequali, lobis superne villis albis confertissimis hispidis. — DC.! l. c.

In limoso-calculosis lateris orientalis montis Bakewell, York, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 395. (Drummond!)

„Suffrutex 1-3 pedalis“ ramosissimus. *Rami* virgati tenuissimi, ramulis glabris foliis dense obsitis. *Folia* subtus plerumque trinervia, 1-1½ lin. longa. *Bracteae* subfoliaceae, striatae. *Sepala* membranacea vel subfoliacea, margine membranaceo, obtusiuscula, apice ciliata. *Antherae* lineares.

Discus hypogynus lobis 5 obtusis. *Stylus* brevis, stigmate obtuso. *Drupa* crustacea, subcompressa, calycem aequans, stylo coronata, 2 locularis.

Hic et sequens ob calyces subfoliaceos forsan rectius sect. 4 „Perojoani" consociantur.

17. **Leucopogon obtusatus** *Sond.* ramulis puberulis, foliis semiteretibus obtusis glabris margine ciliato-denticulatis, spicis terminalibus paucifloris solitariis aggregatisve, bracteis calycibusque obtusis subfoliaceis glabris.

In limoso-calculosis lateris orientalis montis Bakewell, York, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 395 ex parte.

Fruticulus gracilis, ramosissimus, praecedenti proxime affinis sed ramulis pubescentibus et foliis crassioribus facile diversus. *Folia* lineam longa, ⅓ lin. lata, supra plana, vix concaviuscula, subtus convexa, carinata, subuninervia, apice obtusa, stricte adpressa, ramulorum subimbricata. *Spicae* in apicibus ramulorum solitariae vel aggregatae, pauciflorae. *Bracteae* obtusissimae apice lanato-ciliatae, subtendenti parum minore. *Sepala* obtusa lanato-ciliata tubum corollae aequantia. *Corollae* lobi albo-hirsutissimi. *Antherae, discus, stylus* et *stigma* ut in antecedente. *Drupa* crustacea, oblonga, cylindrica (non compressa) calyce parum longior, stylo superata, 2-rarius 1-locularis.

§. 3. Cardiophylli.

18. **Leucopogon cordatus** *Sond.* ramulis glabris, foliis alternis exacte cordatis acutis vel acuminatis planis glaberrimis patentibus reflexisve, spicis ramulos terminantibus solitariis vel axillaribus aggregatis, bracteis inferioribus foliaceis calycem coloratum subaequantibus, superioribus brevioribus.

In Australia meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 388.

Frutex erectus, ramis filiformibus glabris. *Folia* caulina 3-3½ lin. longa, 2-2½ lin. lata, ramulorum minora, aeque longa ac lata, basi profunde cordata, subtus pallidiora, striata. *Spicae* in apice ramulorum 5-8 florae, solitariae vel ad basim earum spicis 2-3 brevioribus patentibus sub 4-floris munitae. *Bractearum* inferiores 3-4 foliaceae, calycem subaequantes, sequentes coloratae breviores. *Bracteolae* obtusiusculae ut sepala coloratae, margine ciliolatae. *Corollae* tubus brevis, lobi dense barbati. *Filamenta* brevissima, antheris linearibus. *Discus* hypogynus brevis, lobis obtusis. *Stylus* brevis, stigmate subcapitato. *Drupa* exsucca oblonga cylindrica, striata, apice truncata, stylo persistente apiculata, plerumque 3 locularis.

Plurimis notis convenire videtur cum *L. glabello* R.Br. sed folia in nostro non late cordata. An potius varietas est? *L. cordifolius* Lindl. in Annal. sc. nat. XV. 62. est species valde diversa.

19. **Leucopogon distans** *R.Br.* ramulis glabris, foliis ovatis subcordatis divaricatis muticis supra convexis subtus pubescentibus, spicis terminalibus aggregatis flexuosis, floribus distantibus, drupis crustaceis 5 locularibus depresso-obovatis. — R.Br. l. c. DC. l. c.

In solo subturfoso arenoso inter frutices densos planitiei prope Albany, Plantagenet, d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 390.

„Frutex 1-1½ pedalis" erectus, ramis gracilibus ramulisque glabris. *Folia* sparsa, alterna, patentia, inferiora saepius reflexa, omnia lineam circ.

longa, supra convexa profunde striata glabra, subtus dense pubescentia, margine revoluta. *Spicae* terminales subpaniculatae. *Rachis* flexuosa, puberula, floribus sessilibus distantibus. *Bracteae calyces*que fusco coloratae. *Bracteae* obtusiusculae, subtendenti parum minore. *Sepala* ovata, acuta, ciliolata. *Corollae* tubus brevissimus, limbi laciniis supra hirsutissimis subtus tenuissime puberulis. *Filamenta* brevissima, inter barbam occultata. *Antherae* lineares. *Stylus* brevis, stigmate subcapitato. *Drupa* calyce brevior, crustacea, depresso-ovata vel potius suborbicularis, stylo apiculata, 5 locularis.

Variat: calycibus minute puberulis et glabriusculis intensius coloratis.

20. **Leucopogon reflexus** *R.Br.* ramulis pubescentibus, foliis ovatis subcordatis muticis reflexis divaricatisve, supra convexis, subtus concavis pilosis lineatis, spicis terminalibus confertis paucifloris, floribus imbricatis, drupis crustaceis 5 locularibus. — R.Br. l. c. DC. l. c.

In turfosis inter frutices densos prope oppidulum Albany, Plantagenet, Decbr. 1840. Herb. Preiss. No. 398. (New-South-Wales: Fraser! herb. Shuttleworth.)

„Frutex 1-3 pedalis". *Rami* elongati, graciles, simplices vel apice divisi, ramuli pubescentes. *Folia* inferiora angustiora, sublanceolata, mutica, patenti-reflexa, superiora breviora, ovata, subcordata, omnino reflexa, adpressa supra convexa glabra, subtus pallidiora, lineata, pilosa, marginibus recurvis. *Bracteae* acutae, subtendente minore obtusiuscula, ut calycis foliola ovato-lanceolata, subvillosae. *Corollae* tubus brevis, limbi lobis dense barbatis. *Filamenta* brevissima, antheris lineari-oblongis. *Stylus* brevis, stigmate obtuso. *Drupa* parvula, crustacea, stylo coronata, 5-rarius 4-locularis.

21. **Leucopogon varifolius** *Sond.* ramulis glabris, foliis glabris sessilibus patentibus reflexisve inferioribus lanceolatis muticis margine recurvo ciliatis, superioribus ovato-cordatis cordatisve subacuminatis margine subrecurvo denticulatis scabris, spicis subterminalibus multifloris, calycibus bracteisque foliaceis glabris.

In subarenosis prope oppidulum Albany, Plantagenet, Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 404.

„Frutex bipedalis" ramis erectis, glabris. *Folia* inferiora lanceolata, basi non cordata, 3 lin. longa, vix ultra ½ lin. lata, superiora ovato-acuminata, ovato-cordata vel cordata acuta et subacuminata, subtus striata, 2-2½ lin. longa, 2 lin. lata. *Spicae* elongatae, solitariae vel aggregatae in axillis foliorum supremorum, 8-20 florae. *Flores* bracteati, bracteis foliaceis, margine ciliolatis, calyce plerumque brevioribus. *Bracteolae* acutae ut *calycis* foliola lanceolata foliacea, margine ciliolatae. *Corollae* lobi breves, albo-hirsuti. *Antherae* oblongo-lineares. *Ovarium* glabrum. *Stylus* brevis. Stigma obtusum.

A *L. glabello* R.Br. cui affinis videtur, foliis non coriaceis nec late cordatis et inferioribus lanceolatis, omnino differt.

§. 4. Perojoani.

22. **Leucopogon elatior** *Sond.* ramulis glabris, foliis inferioribus linearibus vel lineari-lanceolatis patentibus deflexisve, superioribus ovatis acutis vel subacuminatis erecto-patentibus, omnibus glabris margine denticulatis, spicis ter-

minalibus elongatis solitariis aggregatisve, calycibus bracteisque subfoliaceis glabris.

In solo sublimoso planitiei haud longe ab oppidulo Busselton, Sussex, Decbr. 1839. Herb. Preiss. No. 391. (Vasse-River, Mrs. Molloy!)

Caulis fruticosus, 3-pedalis, gracilis. *Radix* teres subfusca, ramulis fibrillisque paucis longis. *Truncus* cylindricus, pennae corvinae crassitie, ramis elongatis, teretibus, vitellinis, glabris, sparse foliatis terminatus. *Folia* ramulorum sterilium tenuia, patentia, exacte linearia, 3-4 lin. longa, ⅓ lin. lata, trunci seu inferiora lineari-lanceolata, mutica, subcoriacea, 5 lin. longa, basi lineam lata, margine subrecurva, intermedia latiora, subbreviora, suprema late ovata, acuta, apice patenti, omnia utrinque glabra, subtus striata. *Spicae* in apice ramulorum gracilium nunc solitariae nunc aggregatae, foliaceae, saepe 30 florae. *Rachis* glabra cum bracteis tendentibus persistens. *Bractea* ovata, acuta, plerumque apiculata, concava, dorso striata, viridis, floribus brevior. *Bracteolae* carinatae, ovatae, acutae, margine serrulatae. *Sepala* lanceolata bracteolas triplo-, corollae tubum vix superantia. *Corollae* lobi albo-hirsutissimi, pilis subplanis margine denticulatis. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Ovarium* suborbiculare basi parum angustatum, glabrum. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum.

Ut videtur haec species transitum e sectione praesente ad antecedentem facit, in omnibus quidem speciminibus Preissianis bases foliorum cordatae desiderantur, in uno a dom. Molloy collecto folia nonnulla subcordata video. Habitu et characteribus proxime accedit ad *L. varifolium*.

23. **Leucopogon vaginans** *Sond.* ramulis glabris, foliis adpressis basi subvaginantibus lanceolatis subacuminatis muticis utrinque glabris striatulis margine vix denticulatis, spicis terminalibus elongatis multifloris, calycibus bracteisque subfoliaceis glabris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis leg. cl. Roe, Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 382.

Fruticis pars inferior desideratur. *Caulis* tenuis ramos habet graciles, glabros. *Folia* in parte speciminum inferiore 1½ lin. longa, sessilia, subcoriacea, basi latiore semivaginantia, ramulorum floriferorum sparsa, sterilium subimbricata, lanceolata supra concaviuscula obsolete, subtus evidenter striata. *Spicae* in apice ramulorum fere semipedalium 4-6 elongatae, saepe 20 florae, basi subramulosae. *Flores* in axillis bractearum foliacearum solitarii, haec bractea ovata acuta nervosa viridis floribus brevior. *Bracteolae* acutae. *Sepala* lanceolata, lineam fere longa, margine ciliolata. *Corollae* tubus brevis calyci subbrevior, limbi lobi hirsutissimi, pilis scabridis incrassatis. *Antherae* lineari-oblongae. *Cyathus* hypogynus obtuse 5 lobus. *Ovarium* glabrum, disco duplo longius. *Stylus* brevis, stigmate obtuso.

24. **Leucopogon rupestris** *Sond.* ramulis glabris, foliis sessilibus planis late ovatis vix acutiusculis supra laevibus subtus nervosis glabris margine cartilagineo-denticulatis, inferioribus sparsis superioribus imbricatis, spicis terminalibus solitariis aggregatisve multifloris elongatis, bracteis calycibusque foliaceis glabris.

In rupestribus collium Konkoberup, promontorii Cape Riche, d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 406.

„Frutex rigidus" ramis ramulisque abbreviatis, subvitellinis, glabris. *Folia* inferiora 2 lin. longa, 1½ lin. lata, coriacea, glaberrima, subtus nervosa, nervis lateralibus divergentibus, superiora parum minora, dense imbricata. *Spicae* ramulos terminantes, 10-20 florae, solitariae, rarius aggrega-

tae, lateralibus vel inferioribus abbreviatis, paucifloris. *Rachis* glabra, persistens. *Bracteae* ovatae, acutae, inferiores foliis conformes flores superantes, sequentes sensim minores. *Bracteolae* ovatae acutae, margine ciliatae. *Sepala* bracteolas triplo superantia, lanceolata, foliacea, margine ciliolato-serrata. *Corollae* tubus brevis, limbi lobis albo-hirsutis. *Drupa* immatura obovata, 1 locularis.

25. **Leucopogon gracilis** *R.Br.* ramulis glabris filiformibus, foliis lanceolato-linearibus erectis concavo-convexis muticis, subtus nervosis trilineatis margine laevibus, spicis congestis 4-6-floris, calycibus bracteisque subfoliaceis glabris, subtendente parum breviori. — R.Br. l. c. DC. l. c.

In solo turfoso humido inter frutices densos planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 8. et 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 381 et 389.

Frutex pedalis et ultra, ramis virgatis. *Folia* sparsa, alterna, adpressa vel erecta, glabra, 3-3½ lin. longa, ½ lin. lata, subtus convexa, striis 3, in foliis latioribus saepius 5. *Calycis* foliola viridia, bracteis subtriplo longiora, tubum corollae aequantia. *Corollae* lobi albo hirsutissimi. *Antherae* lineares. *Discus* hypogynus acute 5 lobatus. *Stylus* brevis, stigmate subcapitato.

Simillimus *L. virgato* Br., differt: foliis minus acuminatis margine nudis, spicis terminalibus et calycibus foliaceis.

26. **Leucopogon oppositifolius** *Sond.* ramulis puberulis, foliis oppositis adpressis lanceolato-linearibus muticis supra concavis albo-velutinis subtus trinerviis glabris margine laevibus, spicis terminalibus aggregatis paucifloris, calycibus bracteisque foliaceis glabris.

Ad sinum regis Georgii, Dec. 1840 et in Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 380 et 400.

„Frutex dodrantalis“ (No. 380) nunc ultra pedalis (400) radice crassa, nigricante, multicauli, caulibus erectis, a basi ramosis, teretibus, striatis, ramis virgatis lutescentibus, tenuissime puberulis. *Folia* sessilia, decussata, lanceolato-linearia vel sublinearia, convexo-concava, plerumque 2 lin. longa et ¼ lin. lata, in spec. majoribus sublongiora et latiora, inferiora remotiora, superiora et praesertim ramulorum sterilium distiche imbricata, omnia cauli arcte adpressa et supra villis brevibus albis velutina. *Spicae* 3-4, terminales. *Bracteae* obtusiusculae, margine ciliatae, tendente subaequali. *Sepala* lanceolata, obtusiuscula, margine ciliolata, bracteas duplo superantia. *Corollae* tubus calycis longitudine, limbi lobi dense barbati. *Filamenta* antheris linearibus breviora. *Cyathus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Stylus* brevissimus, stigmate obtuso.

β. **pubescens.** minor, ramis foliisque inferioribus pubescentibus.

In regionibus interioribus Australiae merid.-occid. m. Nov. 1840 leg. cl. Preiss.

27. **Leucopogon crassifolius** *Sond.* ramulis pubescentibus, foliis crassiusculis linearibus apice subtriquetro mucronatis glabris, spicis subaggregatis paucifloris, calycibus bracteisque foliaceis ciliatis.

In rupestribus collium Konkoberup, promontorii Cape Riche, d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 386.

„Frutex 2 pedalis“ ramis rigidis, sublignosis, elongatis, erectis, ramulis abbreviatis, foliosis. *Folia* inferiora adpressa, sparsa, 3 lin. longa, ½ lin. lata, glaberrima, supra plana sed apice cucullato-contracta, mucrone brevi rigido

terminata, subtus carinata, 3 nervia, nervo medio valde prominente et hinc apice subtriquetra, margine ciliolata demum nuda; folia superiora seu ramulorum imbricata, reliquis subbreviora. *Spicae* terminales in nonnullis speciminibus forsan ramuli abortu axillares, subaggregatae, 3-6 florae. *Bracteae* carinatae, glabrae, margine ciliatae, subtendente minore. *Calycis* foliola ovata acuminata, apice sphacelato patula. *Corollae* tubus calyce longior, limbi lobis albo hirsutissimis. *Antherae* apice affixae. *Discus* hypogynus obtuse lobatus, ovario 4 plo brevior. *Stylus* subnullus. *Stigma* obtusum. *Drupa* (immatura) lineari-oblonga, turbinata, pentagona.

28. **Leucopogon tetragonus** *Sond.* ramulis, foliis, bracteis, calycibusque hispidulis, foliis quadrifariam imbricatis oblongo-linearibus oblongisve margine recurvo longe ciliatis, spicis terminalibus paucifloris, calycibus bracteisque foliaceis.

In rupestribus collium Konkoberup, promontorii Cape Riche, d. 19. Nov. 1840, Herb. Preiss. No. 387.

„Caulis fruticosus, 2 pedalis". *Rami* rigidi, sublignosi, ramulis foliosis. *Folia* erecta, imbricata, lineari-oblonga, oblonga vel ovato-oblonga, obtusiuscula, 1-1½ lin. longa, supra scabriuscula, subtus nervosa, nervo medio validiore, margine ciliata, ciliis longis. *Flores* 4-12 in apice ramulorum spicati. *Bracteae* ovatae, acutae, margine ciliatae, subtendente parum majori. *Calycis* foliola lanceolata, margine ciliata, apice sphacelato plerumque patula. *Corollae* tubus calyce brevior, lobis albo-barbatis, pilis barbae nodulosis. *Antherae* oblongo-lineares. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobus. *Stylus* brevis ovario obovato turbinato aequilongus. *Stigma* obtusum.

29. **Leucopogon corifolius** *Endl.* foliis lanceolatis acutis margine revolutis patentibus vel reflexis ramulisque hispidis, spicis terminalibus paucifloris congesto-capitatis, calycibus bracteisque herbaceis villosis. — Endl. nov. stirp. dec. 2. n. 19.

In solo turfoso inter frutices densos prope oppidulum Albany, Plantagenet, Febr. 1840. Herb. Preiss. No. 399.

Folia inferiora glabrata. *Antherae* oblongo-lineares. *Discus* hypogynus obtuse lobatus ovario glabro duplo brevior. *Stylus* brevis, stigmate obtuso.

30. **Leucopogon squarrosus** *Benth.* ramulis pubescentibus, foliis ovatis lanceolatisve acutis ciliatis subglabris basi subadpressis apice recurvis, spicis paucifloris terminalibus aggregatis, bracteis calycibusque subfoliaceis glabris. — Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 77.

Inter saxa calcarea clivulorum haud longe ab oppidulo Freemantle, d. 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 403. (v. sp. anth. in Herb. caes. Vindob.)

„Frutex 3 pedalis" apice ramosissimus, ramulis hirtello pubescentibus. *Folia* lanceolata, ovato-lanceolata vel ovata, acuta, 1-2 lin. longa, ½-1 lin. lata, sessilia, squarrosa-patentia basi plerumque adpressa, utrinque glabra, subtus striata, margine ciliata vel denticulata. *Spicae* ramulos terminantes, 2-4-florae. *Bracteae* lanceolatae, carinatae, glabrae, margine ciliolatae. *Sepala* lanceolata, lineam longa, pallida, apice serrato-ciliata. *Corollae* tubus calyce brevior, lobis albo-hirsutissimis. *Filamenta* brevissima, antheris oblongo-linearibus. *Discus* hypogynus obtusus. *Ovarium* suborbiculare glabrum. *Stylus* brevis, stigmate obtuso.

β. **paradoxus.** caule humiliore, foliis inferioribus lineari-lanceolatis planis, superioribus ovatis acuminatis subsquarroso-patentibus.

Herb. Preiss. No. 403 ex parte.

31. **Leucopogon cymbiformis** *Cunn.* ramulis glabriusculis, foliis imbricatis lanceolatis mucronatis superne planoconcavis laevibus subtus subcarinatis striatis margine subdenticulatis, spiculis aggregatis paucifloris, calycibus bracteisque foliaceis ciliolato-serratis, ovario setis circumdato. — A. Cunn. ap. DC. l. c.

In arenosis inter frutices planitiei cis flumen Gordon, Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 385. (Swan-River, Drummond!)

Fruticulus ½ pedalis, a basi ramosus, rami erecti, glabri, ramuli vix pubescentes, foliis sparsis, imbricatis obsiti. *Folia* arcte adpressa acuminata, mucronata, supra concaviuscula subtus-striata, et nervo medio valido subcarinata, pleraque 2-2½ lin. longa, semilineam lata, alia 1-1½ lin. longa, semilinea angustiora. *Spicae* 3-4 florae, in apice ramulorum aggregatae, in nonnullis speciminibus ramuli forsan abortu axillares solitariae. *Bracteae* lanceolatae, apice serrulatae, subtendente breviori. *Sepala* lanceolata, acutissima, bracteas duplo superantia, apice ciliolato-serrata. *Corollae* tubus calyce parum longior, intus glaber, limbi laciniae lanceolatae, tubo subbreviores, supra dense barbatae. *Antherae* lineari-oblongae. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Ovarium* sublineare, angulatum, setis numerosis albis disco hypogyno longioribus circumdatum. *Drupa* (immatura) subcrustacea, obsolete pentagona.

32. **Leucopogon elegans** *Sond.* ramulis villosis, foliis ovatis sublanceolatisve acutiusculis convexo-concavis supra pilosiusculis subtus glabris, striis 5 semipellucidis notatis, margine longe ciliatis, spicis terminalibus solitariis, calycibus bracteisque foliaceis glabris.

In glareosis sterilibus collium Konkoberup, promontorii Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 378.

Fruticulus humilis, vix spithamaeus, ramis purpurascentibus glabris, ramulis brevibus, erectis, villosis. *Folia* sparsa, versus apicem copiosiora, subimbricata, petiolulata, petiolo purpureo, erecto adpressa, valde concava, 2½ lin. longa, explanata 1-1½ lin. lata, intense viridia, utrinque concolora, margine ciliis longis obsita. *Spicae* in omnibus exemplar. a me examinatis solitariae, flores inferiores in axillis foliorum supremorum. *Bracteae* obtusiusculae, apice ciliatae, sepalis lanceolatis, margine ciliatis triplo breviores. *Corollae* 2 lin. longa, tubus longitudine calycis intus apice pilosus, limbi laciniae albo-hirsutissimae (pilis longiusculis non crispatis, exasperatis). *Antherae* lineares. *Discus* hypogynus 5 dentatus, ovarium dimidium aequans. *Stylus* brevissimus. *Stigma* capitellatum.

β. **glaucifolius.** ramulis glabris, foliis glabris glaucescentibus.

Ad portum regis Georgii leg. cl. Preiss.

33. **Leucopogon tectus** *Sond.* ramulis tenuissime puberulis, foliis imbricatis oblongis sublanceolatisve muticis glabris supra planiusculis subtus convexiusculis nervis elevatis, margine ciliato-denticulato, spicis terminalibus solitariis, calycibus puberulis margine ciliatis.

In rupestribus collium Konkoberup, promontorii Cape Riche d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 406 ex parte.

Frutex ultra pedalis, ramis glabris, ramulis abbreviatis foliis imbricatis dense obsitis. *Folia* 3 lin. longa, lineam lata, glaberrima, petiolulata, supra laevia, subplana vel apice cucullato-contracta, concaviuscula, subtus elevato-nervosa, nervo medio valde prominulo. *Spicae* simplices, 6-8-florae, rachi puberula, persistente. *Bracteae* tendentes foliaceae, obtusiusculae, striatae deciduae. *Bracteolae* margine ciliolatae calycem dimidium paullo superantes. *Sepala* subfoliacea, extus puberula, lanceolata, obtusiuscula, margine ciliata. *Corollae* lobi albo-hirsutissimi.

L. nervosus R.Br. simillimus videtur, differt tamen ut ex descriptione elucet: foliis ellipticis, spicis congestis et calycibus foliaceis glaberrimis.

34. **Leucopogon ovatus** *Sond.* ramulis tenuissime puberulis, foliis sessilibus adpressis ovatis oblongisve muticis glabris supra concaviusculis subtus convexiusculis nervoso-striatis, margine denticulatis scabris, superioribus subimbricatis, spicis terminalibus paucifloris, calycibus apice ciliatis bracteas duplo superantibus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 375.

Fruticis ramos video semipedales, ramulis nonnullis erectis, tenuibus, abbreviatis, instructos. *Folia* sunt ovata, ovato-oblonga vel oblonga, 1½-2 lin. longa, coriacea, supra laevia, subtus striata, inferiora remotiuscula, superiora breviora, subimbricata. *Flores* ramulos terminantes spicam subfoliosam efformantes, spicae rarius solitariae, plerumque subaggregatae, pauciflorae. *Bracteae* subtendentes inferiores foliaceae, calycem aequantes, superiores sensim minores. *Bracteolae* calycesque membranacei, obtusi, glabri apice ciliati. *Corollae* tubus calycem aequans, limbi laciniis revolutis dense barbatis. *Antherae* lineari-oblongae. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus. *Stylus* brevis, glaber. *Stigma* subcapitatum. *Drupa* calycem subaequans, crustacea, truncata, striata, plerumque bilocularis.

Num forte idem est ac *L. striatus* R.Br.? Ab antecedente differt: foliis duplo brevioribus tenuioribus, nervis subtus vix prominulis et spicis subaggregatis.

35. **Leucopogon parvifolius** *DC.* ramulis glabris, foliis ovatis concavo-cymbaeformibus obtusis muticis margine integerrimis subtus striatis utrinque glabris, floribus in axillis foliorum superiorum sensim decrescentium solitariis sessilibus in spicam ideo elongatam foliaceam dispositis, drupis obovato-globosis sub 1-spermis. — DC. l. c. pag. 752!

Ad sinum regis Georgii leg. cl. Preiss.

Fruticulus semipedalis. *Folia* ramorum inferiorum 1½ lin. longa, saepe longiora, nunc planiuscula nunc caulem subamplectentia, supra laevia, subtus striata, margine integerrima vel subdenticulata. *Rachis* spicae puberula. *Bracteae* subtendentes persistentes. *Bracteae* calycesque subfoliacei glabri. *Sepala* acutiuscula margine ciliata, bracteolas triplo superantia. *Corollae* lobi revoluti, albo hirsutissimi. *Drupa* subglobosa, calycem subaequans, bilocularis 1-2-sperma.

Specimen Preissianum bene congruit cum frustulo speciminis Candolleani. Differt a praecedente cui proximus, foliis integerrimis vel subintegerrimis saepe subamplexicaulibus, spicis solitariis et praesertim calycibus acutiusculis bracteisque brevioribus.

36. **Leucopogon sprengelioides** *Sond.* ramulis glabriusculis, foliis parvulis late obovatis vix acutiusculis, basi

cucullatis semivaginantibus supra laevibus subtus lineatis margine nudis glabris, spicis terminalibus solitariis aggregatisve, calycibus puberulis subtendentibus foliaceis.

In Australia meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 376 et in arenosis planitiei haud longe a Halfwayhouse, York, d. 13. Sept. 1839. No. 397. (Drummond!)

„Suffrutex 1-3 pedalis" ramis nunc elongatis nunc abbreviatis. *Radix* gracilis nigrescens. *Caulis* prope basin crassitie pennae corvinae. *Rami* ut caulis basi plerumque nudi, glabri, *Ramuli* semper breves vix puberuli foliis tecti. *Folia* imbricata, coriacea, lineam circ. longa totidemque lata apice subattenuata sed non acuta, basibus cucullatis semi-vaginantia, apice patulo vel subadpresso, subtus lineis notata, margine integerrima rarissime subdenticulata. *Spicae* solitariae, rarius aggregatae, 4-8-florae. *Rachis* pubescens bracteolis persistentibus foliaceis margine tenuissime ciliatis, bracteas carinatas obtusas margine ciliolatas aequantes vel parum longiores. *Calycis* foliola subfoliacea, obtusiuscula, extus puberula margine ciliolata, bracteas duplo superantia. *Corollae* lobi elongati, revoluti, dense hirsuti. *Antherae* lineari-oblongae. *Discus* hypogynus obtuse 5 lobatus, ovario duplo brevius. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum. *Drupa* crustacea, striata, calycem subaequans, stylo coronata, 4-5 locularis.

37. **Leucopogon cucullatus** *R.Br.* ramulis vix puberulis, foliis ovatis obtusis muticis cucullatis imbricatis sessilibus subtus lineatis margine nudis, spicis solitariis aggregatisve, bracteis subtendentibus foliaceis, ovariis 5 locularibus. — R.Br. l. c.

In littore arenoso inter frutices Point Possession (sinus regis Georgii III.) d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 377.

„Frutex pedalis" ut videtur prostratus, basi lignosus, ramis adscendentibus gracilibus plerumque nudis, ramulis glabriusculis foliis imbricatis dense tectis. *Folia* 3 lin. longa, explanata 2 lin. lata, basi vaginantia, ovata apice obtuso subincurvo, utrinque glaberrima, subtus striatula, margine integerrima. *Spicae* in speciminib. Preissianis semper solitariae 4-12-florae, foliaceae. *Bracteae* subtendentes (i. e. folia suprema) basi non vaginantes, calyces aequantes. *Bracteolae* calycesque membranacei, saepius subcolorati. *Bracteolae* calyci dimidio aequales, carinatae, obtusiusculae. *Sepala* ovato-lanceolata, obtusiuscula ut bracteolae ciliolata *Corollae* tubus calyce subbrevior, limbi lobis elongatis, revolutis, supra dense barbatis. *Filamenta* brevissima. *Antherae* supra medium affixae, lineares. *Cyathus* hypogynus obtuse 5-lobus. *Ovarium* conicum subangulatum, 5 loculare. *Stylus* brevis, glaber, stigmate sublobato.

§. 5. Axilliflori.

38. **Leucopogon secundiflorus** *Sond.* ramulis tenuissime puberulis, foliis erectis subadpressis linearibus cuspidato-mucronatis glabris margine revoluto denticulato-scabris, pedunculis 1-2 floris recurvis, corollae tubo calycem duplo superante, stylo subexserto.

L. pendulus Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 77. non R.Br.

Ad sinum regis Georgii leg. cl. Preiss. (King George's Sound, Hügel! New-South-Wales, Fraser!

Frutex spithamaeus, erectus. *Rami* a basi orti, erecti, ramuli digitum circiter longi, lente visi tenuissime puberuli. *Folia* in parte caulis inferiore sparsa, alterna, adpressa, in ramis densiora, subimbricata et subadpressa, linearia, 4 lin. longa, ½ lin. lata, margine revoluta, mucrone subpungenti cuspidata, subtus striata. *Pedunculi* 1-2-flori, 1-1½ lin. longi, recurvi, squamulis nonnullis obsiti. *Bracteae* 2 obtusae apiculatae. *Calycis* foliola acutiuscula, 1 lin. longa, glabra margine ciliolata. *Corolla* 2 lin. longa, tubus calyce duplo longior, limbi lobis brevibus demum revolutis, dense barbatis. *Stamina* inclusa. *Stylus* corolla longior, glaber, stigmate obtuso.

39. **Leucopogon oxycedrus** *Sond.* ramulis tenuissime puberulis, foliis patentibus vel reflexis lineari-lanceolatis mucrone pungenti terminatis glabris supra convexis subtus concaviusculis lineatis margine denticulato-scabris, pedunculis 1-2-floris recurvis, corollae tubo calycem duplo superante.

In Novae Holl. ora meridionali-occidentali leg. cl. Preiss. (Herb. Preiss. sine No.)

Frutex valde rigidus, ramis patentibus et divaricatis. *Folia* sessilia, utrinque glabra, 6-8 lin. longa, lineam lata, nunc erecto-patentia, nunc reflexa, marginibus subrecurvis denticulatis, subtus subpallidiora, striatula. *Pedunculi* semper reflexi, brevissimi, pubescentes, 1 vel biflori. *Bracteae* obtusae, apiculatae, glabrae, margine ciliolatae, calyce triplo breviores. *Sepala* lanceolata, glaberrima, margine ciliolata. *Corolla* 3 lin. longa, limbi lobis albo hirsutis, pilis nodulosis. *Filamenta* glabra, antheris inclusis, oblongo-linearibus, minimis, infra apicem affixa. *Discus* hypogynus acute 5-lobus. *Stylus* glaber, longitudine corollae, stigmate obtuso. *Ovarium* ovoideum, glabrum, disci lobis subtriplo longius.

40. **Leucopogon conostephioides** *DC.* ramulis puberulis, foliis lineari-sublanceolatis acuminato-pungentibus convolutis glabris subtus striatulis supra laevibus, margine scabris, floribus axillaribus geminis subsessilibus patulis, corolla tubo calycem aequante. — DC. l. c. pag. 753!

In arenosis inter frutices supra urbiculam Perth, d. 26. April 1839. Herb. Preiss. No. 405. (Drummond n. 479!)

Fruticulus pedalis, rigidus, ramosissimus. *Folia* brevissime petiolata, 5-6 lin. longa, lineam lata, lanceolata sensim in mucronem pungentem attenuata, supra concaviuscula, nitidula, subtus convexiuscula, pallidiora, striata, striis lateralibus divergentibus. *Pedunculi* brevissimi patuli vel reflexi, 2 rarius 1-flori. „*Flores* albi" in sicco subrosei. *Bracteae* obtusae apiculatae, glabrae, ciliolatae. *Calycis* foliola glaberrima, acuminata, bracteis 3-plo longiora. *Corollae* tubus intus hirsutus, lobi acuminati, revoluti, barbati, barbae pilis nodulosis. *Filamenta* antheris linearibus semiexsertis medio affixa. *Discus* hypogynus acute 5-lobatus. *Stylus* longitudine corollae, glaber, stigmate subcapitato. *Drupa* crustacea, parvula, ovalis, striata, 3-locularis, abortu saepe 1 vel 2-locularis.

A praecedente facile distinguitur foliis supra concaviusculis acuminatissimis et corollae tubo breviore *).

*) **Leucopogon similis** Sond. ramulis glabris, foliis sessilibus patulis lineari-lanceolatis supra concaviusculis laevibus, subtus planis striatis cuspidato-mucronatis margine subdenticulatis, pedunculis 1-2-floris recurvis, corollae tubo calycem subsuperante, stylo exserto. Habitat in Australasia. (H. mus. Paris. No. 88.) Vidi in herb. Caes. Vindob. *L. conostephioidi* affinis, differt: foliis sessilibus patulis cuspidatis non sensim attenuatis, margine vix denticulatis, planiusculis et subbrevioribus (4 lin. long.) florum pe-

41. **Leucopogon flavescens** *Sond.* ramulis puberulis, foliis glabris erectis lineari-oblongis basi attenuatis apice obtusiusculo callosis planis margine scabris, pedunculis erectis 1-2-floris, calycibus margine ciliatis tubum corollae aequantibus, disco hypogyno acuto, ovario lineari-clavato.

In confragosis prope Two-peopled Bay, Plantagenet, d. 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 379.

„Frutex 4-pedalis“ ramis erectis gracilibus, foliis imbricatis dense obsitis. *Folia* pallide flavescentia, 4-5 lin. longa, apice latiore lineam lata, in petiolum brevem attenuata, supra laevia, subtus nervosa, nervis lateralibus divergentibus, mucrone brevissimo calloso terminata. *Pedunculus* pubescens, erectus, 1, 2, rarius 3-florus, basi 2-bracteolatus. *Bracteae* calyci subadpressae, acutae, glabrae, margine ciliatae. *Calycis* foliola lanceolata, lineam fere longa, bracteas duplo superantia, basi saepe pilosiuscula, apicem versus glabra et margine lanato-ciliata. *Corollae* tubus calyce parum longior, intus prope basin glaber, limbi laciniis lanceolato-linearibus tubum duplo superantibus, supra albo-barbatis, barbae pilis nodulosis vel tuberculatis. *Filamenta* brevissima alte adnata, antheris oblongis supra medium affixa. *Discus* hypogynus 5-partitus, foliolis lanceolatis ovarium dimidium aequantibus. *Ovarium* lineari-clavatum, striatum, glabrum. *Stylus* longitudine tubi corollae, stigmate capitato.

42. **Leucopogon corynocarpus** *Sond.* ramulis fere glabris, foliis glabris oblongo-lanceolatis acutiusculis muticis supra concaviusculis laevibus, subtus convexis striatis margine subintegerrimis, pedunculis erectis subbifloris, calycibus margine nudis corollae tubum subsuperantibus, disco hypogyno obtuso, ovario obovato.

In Novae Hollandiae ora merid.-occid. prope promontorium Cape Riche, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 379 (ex parte.)

Frutex ut videtur pluripedalis. *Folia* petiolulata, 4 lin. longa, lineam lata, subtus convexiuscula, nervis tribus validioribus parallelis et pluribus lateralibus divergentibus instructa, crassiuscula, supra laevissima, subtus pallidiora. *Pedunculi* erecti, 1-3-flori, lineam circ. longi, basi bracteolati. *Bracteae* obtusae, extus glabrae calyce 3-plo breviores. *Calycis* foliola lanceolata, glabra, 1¼ lin. circ. longa, margine nuda, rarissime apice vix ciliolata. *Corollae* tubus calyce subbrevior, limbi laciniis lanceolato-linearibus tubo longioribus, supra albo-barbatis, pilis brevibus nodulosis. *Filamenta* alte adnata antheris oblongo-linearibus sub apice adfixa. *Discus* hypogynus 5-partitus, foliolis truncato-obtusis. *Ovarium* obovatum, glabrum. *Stylus* glaber antheris aequilongus, stigmate capitellato. *Drupa* pedicellata, erecta, crustacea, clavata, ventricosa apice mammillata, brunnea, nitida, 2 lin. longa, 1-locularis, semine nigro.

A priore cui simillimus est differt: foliis crassioribus magis oblongis et subtus concavis, margine plerumque integerrimis et praesertim disci foliolis obtusis ovarioque obovata.

43. **Leucopogon planifolius** *Sond.* ramulis tenuissime puberulis, foliis petiolatis erecto-patulis lanceolatis vel lineari-lanceolatis acutis calloso-mucronatis planis margine

---

dumculo longiore recurvo et antheris duplo brevioribus (lineari-oblongis). *Flores* sunt parum majores, corollae intus hirsutae. *Stylus* glaber stigmate obtuso. *Ovarium* glabrum disco hypogyno acute lobato longius.

subintegerrimis, pedunculis 1-2-floris erectis, calycibus tubum corollae superantibus, disco hypogyno acuto.

In arenosis silvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, York, d. 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 415.

„Frutex 5-pedalis" ramis erectis, teretibus, cinerascentibus, ramulis strictiusculis. *Folia* breviter petiolata, 9-10 lin. longa, 1½ lin. lata, coriacea utrinque glabra supra laevia, subtus striata, striis apice ramosis, juniora margine denticulato-scabriuscula, adulta subintegerrima. *Pedunculi* brevissimi puberuli, saepius 2-rarius 1-flori, erecti. *Bracteae* obtusae, apiculatae, glabrae, ciliolatae. *Calycis* foliola ovato-lanceolata, acuta, extus glabra, margine ciliolata bracteas triplo superantia. *Corollae* tubus calyce subbrevior, limbi lobi dense barbati, pilis barbae subnodulosis. *Antherae* linearioblongae, supra medium peltatae. *Discus* hypogynus 5-partitus, foliolis ovarium dimidium aequantibus. *Stylus* glaber, ovario glabro duplo longius. *Stigma* capitatum.

44. **Leucopogon oblongifolius** *Sond.* **ramulis hirtellis, foliis sessilibus patentibus reflexisve oblongis obtusis mucrone pungenti cuspidatis glabris, marginibus revolutis denticulatis scabris, pedunculis erectis patulisve 1-3 floris, bracteis calyce duplo brevioribus, disco hypogyno obtuso.**

In region. interior. Australiae merid.-occid. leg. cl. Preiss. Herb. Preiss. sine No.

Fruticis rami sunt rigidi, sparse foliati. *Folia* 4-5 lin. longa, 1½ lin. lata coriacea utrinque glabra, supra opaca, subtus subpallidiora striatula, marginibus recurvata, in aliis ramis patula, in aliis subreflexa. *Pedunculi* puberuli, lineam longi, 2-3 rarius 1-flori, erecti vel subpatuli. *Calyces* tribracteati, bractea inferior brevior, reliquae obtusae, glabrae, margine ciliolatae, calyce duplo breviores. *Calycis* foliola obtusa, glabra, margine apiceque ciliolata. *Corollae* lobi barbati, pilis nodulosis. *Filamenta* antheris oblongo-linearibus supra medium affixa. *Discus* hypogynus 5-partitus, partitionibus obtusis. *Ovarium* suborbiculare, sulcato 5-striatum, glabrum. *Stylus* glaber, stigmate capitato.

45. **Leucopogon rotundifolius** *R.Br.* **ramulis brevissime subvelutinis, foliis subrotundis ovatisve petiolatis modice patentibus planis mucronulatis supra laevibus, subtus striatis, marginibus pellucidis tenuissime subciliatis, pedunculis brevissimis erectis 1-2-floris, bracteis calyce subtriplo brevioribus, disco hypogyno obtuso. — R.Br. l. c. DC. l. c.**

In colliculis arenosis silvae ad fluvium Canning, d. 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 434 et in glareosis silvae montium Greenmountains, d. 26. April 1840.

„Frutex 1-1½-pedalis", erectus, rigidus. *Folia* plana, supra nitidula, subtus subpallidiora striata, striis lateralibus divergentibus, nunc subrotunda nunc obovata, obtusa, mucrone pungenti cuspidata, margine subpellucido cartilagineo brevissime ciliolata et scabriuscula, pleraque 3-3½ lin. longa, et 2½-3 lin. lata, superiora subbreviora, omnia plerumque patentia, interdum horizontalia et subreflexa. *Pedunculi* puberuli. *Calycis* tribracteolati, bractea inferiore minori, reliquae obtusae margine ciliolatae. *Sepala* obtusiuscula margine tenuissime ciliata. *Corollam* evolutam non vidi, in juniore tubus intus prope basin glaber et limbi laciniae pilis nodulosis barbatae. *Filamenta* antheris lineari-oblongis aequalia. *Discus* hypogynus ovario glabro subquadruplo brevior, 5-partitus, foliolis obtusis. *Stylus* corollam subaequans. *Stigma* aetate juniore infundibuliforme ob lobos margine con-

natos, demum 5-lobum, lobis apice latioribus, patentibus. *Drupa* exsucca, obovata, 5-sulcata, 1-locularis.

β. **oblongatus** foliis obovato-oblongis subacuminatis; caetera ut in *α.*

Crescit ad fluvium Canning. Herb. Preiss. No. 434 (ad sinum regis Georgii herb. Kunth!)

46. **Leucopogon ovalifolius** *Sond.* ramulis glabris, foliis petiolulatis reflexis glabris ovalibus obovatisve mucrone brevi cuspidatis, supra convexiusculis laevibus, subtus concaviusculis striatis, margine serrulatis scabris, pedunculis 2-floris recurvis, disco hypogyno obtuso, stylo longe exserto.

In planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 417.

„Frutex rigidus 1-2-pedalis" radice perpendiculari, longa, subramosa, nigricante. *Caulis* pennae corvinae crassitie, basi subsimplex, apice ramosissimus, ramulis tenuibus, gracilibus, glabris. *Folia* omnia reflexa, coriacea, 2 lin. longa, 1¼ lin. lata, supra nitidula subtus pallidiora striata, striis lateralibus divergentibus, petiolo brevi insidentia, apice mucrone brevi subpungenti terminata, margine serrulata. *Pedunculi* plerumque 2-flori 1-1½ lin. longi, glabri, basi bracteolis minutis obsessi, demum recurvati. *Bracteae* obtusae, calyce plus duplo breviores. *Calycis* foliola lineam longa, obtusiuscula, apiculata, margine ciliolata. *Corollae* tubus calyce longior, limbi lobis revolutis, pilis subnodulosis barbatis. *Filamenta* alte adnata. *Antherae* lineares faucem superantes, subexsertae. *Disci* hypogyni foliola obtusiuscula. *Ovarium* glabrum. *Stylus* glaber, exsertus, 2½ lin. longus, stigmate obtuso.

Habitu prope accedit ad *L. rotundifolium*, sed foliis concavo-convexis, pedunculis recurvis et stylo longe exserto satis differt.

47. **Leucopogon pungens** *Sond.* ramulis pubescentibus, foliis linearibus sublanceolatisve, mucrone longo pungenti terminatis glabris, margine recurvo serrulatis scabris, pedunculis erectis axillaribus 2-4-floris, bracteis aristatis, drupa subbaccata maxima.

In locis arenosis Australiae occidentalis, d. 21. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 366. In solo calcareo colliculi prope oppidulum Freemantle, d. 17. Dec. 1839. No. 373 et ad sinum regis Georgii. (Swan-River: Drummond!)

„Frutex 2-4-pedalis" ramosissimus, dense foliosus. *Folia* sessilia, erecta plerumque 9-11 lin. longa, lineam lata, (in spec. ad sinum reg. Georgii lectis longissima, 1¼ pollicaria, 2 lin. lata.) linearia vel sublanceolata, mucrone rigido pungenti terminata, utrinque glabra, supra impresse 3-nervia, subtus vix pallidiora nervosa, nervis tribus magis prominulis. *Pedunculi* breves, pubescentes, bracteolati, bracteolis acuminatis, plerumque 2-rarius 3-5-flori. *Bracteae* plerumque 2, rarius 4, exteriores 2 minores, interiores calycem dimidium aequantes, dorso carinatae longe cuspidatae vel aristatae, margine ciliolatae. *Calycis* foliola lanceolata, acuminata, margine brevissime ciliata, corollae tubum aequantia. Laciniae *corollae* revolutae, barbatae. *Antherae* oblongo-lineares. *Discus* hypogynus lobis acutiusculis, ovario brevioribus. *Stylus* filiformis, glaber, antheris circ. aequalis, stigmate capitato. *Drupa* baccata, (3 lin. longa) coerulescens, ovalis, styli basi mucronata, 5-locularis.

Obs. Flores quidem numerosiores qui in singulis exemplaribus inveniuntur nec non fructus baccati, hanc speciem potius ad sect.: *brachystachyorum* quam ad praesentem relegare videntur, sed in centenis fere exemplaribus, quae in herb. Preissiano examinare mihi contigit, pedunculos semper

2-floros (rarius 1-3-floros) vidi. Etiam habitus, hujus magis quam illius sectionis specierum est. Fructus baccati et bracteae 4 hanc plantam *Astroloma* aequant, sed flores omnino *Leucopogonis* sunt *).

ACROTRICHE R.Br. DC. prodr. 7. pag. 756. Endl. gen. n. 4275. Meisn. gen. pag. 248. (156. 364.)

1. **Acrotriche subcordata** *DC.* ramulis minutissime subvelutinis, foliis petiolulatis ovatis basi subcordatis apice callosis muticis planis subtus striatulis, floribus ad axillas paucis subspicatis subsessilibus. — DC. l. c.

Acrotriche cordata et *A. ovalifolia* Br. prodr. *Acrotriche ovalifolia* Hook. bot. mag. t. 3171. *Styphelia cordata* Labill.! Nov. Holl. 1. pag. 46. tab. 63.

In arenosis prope oppidulum Freemantle et in insula Rotenest, d. 26. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 435.

---

*) **L. dasystylis** Sond. ramulis puberulis, foliis erectis subadpressis lanceolatis, mucrone pungenti cuspidatis planis, supra laevibus nitidulis, subtus pallidis striatis, pedunculis brevissimis 1-2-floris, corollae tubo calyce subduplo longiore, stylo piloso, stigmate lobato. In Nova Hollandia (Mus. paris. No. 81.) Spec. vidi in herb. Caes. Vindob. Frutex rigidus; ramis erecto-patentibus. *Folia* petiolulata, erecta, superiora imbricata, lanceolata, sublinearia, mucronata, subtus striata striis lateralibus divergentibus. *Pedunculi* bracteolati. *Bracteae* carinatae, obtusae. *Calycis* foliola glabra, acuta, 1 lin. longa, margine tenuissime ciliata, bracteis triplo longiora. *Corolla* 2½ lin. longa, limbi lobis erectis, parce barbatis. *Stamina* inclusa. *Discus* hypogynus obtuse lobatus. *Stylus* 2 lin. longus, pilosus. *Stigma* lobatum.

L. abnormis Sond. ramulis pubescenti-hirtellis, foliis erectis adpressis lanceolatis basi attenuatis apice mucrone subpungenti terminatis planiusculis supra laevibus subtus pallidioribus striatis margine scabris, pedunculis brevissimis subbifloris, drupa truncata 5-locularis. *Leucopogon acuminatus* Voyage de la Coquille tab. 53, vix R. Brown. Ile de Waighiou, terre des Papoux (d'Urville et Lesson 1825) v. in herb. Kunth. Frutex gracilis, erectus. *Folia* 7-8 lin. longa, 1½ lin. lata, vix ab iis *L. appressi* distinguenda sed basi parum magis angustata. *Pedunculi* bracteolati, bracteolis bracteisque obtusissimis, mucronulatis, glabris. *Calycis* foliola ovata cuspidata, corollae tubum aequantia. *Discus* hypogynus 5-dentatus, obtusus. *Drupa* subbaccata, ovata, truncata, stylo rigido terminata calyce vix brevior, 5-locularis, sed aborta interdum 1-locularis. Differt a simillimis *L. appresso* et *esquamato* praeter drupam, ramulis hirtellis et forma calycis. Drupa in *L. esquamato* est lineari-oblonga, siccata laevis, crustacea plerumque bilocularis rarissime 1-3-locularis.

L. vaccinioides Sond. ramulis glabriusculis, foliis petiolatis imbricatis oblongis concavo-cymbaeformibus muticis margine pellucidis subtus lineatis, junioribus tenuissime ciliatis, pedunculis axillaribus 1 floris. *Epacris vaccinioides* Lhotzky pl. exs. In turfosis humidis inter sphagna vallis Napoleon leg. Dr. Lhotzky. (Vidi in herb. Lucaceno.) Prostratus ramosissimus semipedalis, radice repente. *Folia* dense imbricata, supra concava, laevia, subtus convexa et lineis albidis notata, apice mutica vel subcallosa, 2½-3 lin. longa, lineam lata. *Flores* solitarii, pedunculo brevi multibracteato. *Bracteae* obtusae, ciliatae, superiores calyci adpressae. *Calycis* foliola obtusiuscula, striata, pallida, margine ciliolata apice barbulata. *Corolla* infundibuliformis, tubus calyce triplo longior, limbi lobis dense barbatis, barbae pilis nodulosis. *Filamenta* brevia, antheris lineari-oblongis sub apice affixa. *Discus* hypogynus 5-lobatus, lobis emarginatis ovario glabro subpentagono brevioribus. *Stylus* stamina aequans, teres, glaber. *Stigma* capitatum.

Folia forma variant, utpote nunc ovalia nunc subcordata, in nonnullis ramis adultis folia superiora basi profunde cordata iconi Billardierii prorsus convenientia video. *Spicae* in plerisque speciminibus axillares, in nonnullis etiam terminales. „Bacca immatura sordide alba, matura violacea“ *).

NEEDHAMIA R.Br. Endl. gen. n. 4279. Meisn. gen. pag. 248. (157.)

1. **Needhamia Pumilio** *R.Br.* l. c.

α. **Brownii** *DC.* caule basi simplici apice ramoso, foliis omnibus oppositis dorso obtusiuscule convexis.

In subarenosis rupestribusque inter frutices densos montis Clarence, Plantagenet, d. 31. Sept. 1840 et in arenosis aridis clivuli ad Princess Royal Harbour prope oppidulum Albany, d. 28. Sept. Herb. Preiss. No. 436 et 437. (Swan-River: Drummond 1839! et Capt. Mangles!)

Fruticulus 2-4-pollicaris. *Rami* inferiores subadscendentes, reliqui erecti, glabri; ramuli tenuissime puberuli. *Folia* omnia opposita, minuta, lineam longa, arcte adpressa, carinata, utrinque laevia, margine ciliolata. *Spica* terminalis 6-10-flora. *Folia* suprema flores fulcrantes reliquis parum majora concava margine evidentius ciliata. *Calycis* lobi angustissimi hyalini, nervo apice sanguineo percursi, margine longe ciliati. *Corollae* tubus cylindricus calyce longior, intus subpilosus, limbi lobis rotundatis, imberbibus. *Filamenta* brevissima tubo prope basin adnata, antheris oblongis. *Stylus* brevis. *Stigma* subcapitatum. *Drupa* minima, subglobosa, apice subvelutina, 2-sperma, rarius 1-sperma.

β. **Cunninghami** *DC.* caule a basi ramosissimo, ramis exterioribus adscendentibus, foliis inferioribus oppositis, superioribus alternis dorso acutius carinatis.

(New-South-Wales: Fraser!) (herb. Shuttleworth.)

OLIGARRHENA R.Br. DC. prodr. 7. pag. 759. Endl. gen. n. 4280. Meisn. gen. pag. 248. (157.)

1. **Oligarrhena micrantha** *R.Br.* l. c.

In arenosis districtus Hay et ad promontorium Cape Riche, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2099.

---

*) **Acrotriche Manglesii** Sond. ramulis pubescentibus, foliis petiolatis lanceolatis cuspidatis planis supra nitidulis subtus discoloribus nervosis, margine ciliato-serratis, petalis, spiculis rameis. Swan-River Capt. James Mangles. Fruticulus verisimiliter diffusus. *Rami* glabri. *Ramuli* breves puberuli. *Folia* 3-4 lin. longa, e basi lin. lata sensim in mucronem rigidum attenuata, erecto-patula vel horisontaliter patentia, utrinque glabra, subtus nervis 4 debilibus et intermedio valido in mucronem excurrente, praedita, margine breve et rigide ciliata. *Spiculae* 6-10-florae, in axillis foliorum et semper in ramis adultis non in junioribus. *Calyx* glaber bibracteatus, bracteae obtusae sepalis obtusiusculis apice vix ciliolatis lineam longis subtriplo breviores. *Corollae* tubus calyce longior, gracilis, extus glaber intus fauce barbata, limbi lobis stellato patentibus apice barba rara deflexa penicillatis. *Antherae* subexsertae. *Cyathus* hypogynus integer ovario albo-sericeo triplo brevior. *Stylus* brevis glaber. *Stigma* obtusum.

„Fruticulus vix pedalis“ radice bipollicari subfusca simplici vel subramosa. *Caulis* brevis glaber, circ. pollicaris, apice ramosus, ramis strictiuscule erectis saepe fastigiatis, tenuissime puberulis, nudis vel sparse foliatis, ramulis pubescentibus abbreviatis, rarius elongatis, foliis subimbricatis tectis. *Folia* minima (1 lin. longa) sparsa, arcte adpressa, lanceolata, supra canaliculata, subtus carinata 3-nervia, nervo medio valde prominente, lateralibus obsoletis, apice subincurva, utrinque glabra, margine tenuissime ciliata. *Spica* ramulos terminans nunc ½ nunc 2-pollicaris. *Flores* iterum racemosim dispositi, in rachi 2-3-lineari pubescenti sessiles. *Bracteae* subtendentes persistentes, ovatae, sublanceolatae, margine ciliatae calyce subtriplo breviores horizontaliter patentes. *Bracteolae* 2 sublanceolatae, calyci adpressae et duplo breviores. *Calycis* foliola 4, lanceolata, subacuminata ut bracteae margine longe ciliata. *Corolla* minima, alba, subclavata, tubo calyce longior intus glaber, limbi lobis brevibus erectis vel subconniventibus imberbibus. *Filamenta* 2 glabra, inclusa, medio tubo adnata, corollae lobis alterna, antheris minimis oblongis. *Discus* hypogynus 4-partitus. *Ovarium* 2-loculare 2-ovulatum suborbiculare compressum, glabrum, sessile. *Stylus* brevissimus, apice bifidus, stigmatibus aequalibus. *Drupa* ovata, (semilinea subbrevior) crustacea, brunnea, nitidula, tenuissime striata monosperma.

Trib. II. Epacreae Reichenb.

LYSINEMA R.Br. DC. prodr. 7. pag. 764. Endl. gen. n. 4282. Meisn. gen. pag. 249. (157. 364.)

1. **Lysinema pentapetalum** *R.Br.* corollis pentapetalis, unguibus longitudinaliter distinctis calyce longioribus extus glabris, filamentis antheras triplo superantibus. — R.Br. l. c. DC. l. c.

In depressis arenosis prope oppidulum Perth, d. 21. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 441 (ex parte) et in planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840 (fruct.) Herb. Preiss. No. 442 (v. v. c.)

„Frutex 1-2½-pedalis.“ *Ramuli* tenuissime puberuli. *Folia* glabra, trigona, obtusiuscula, ramulorum minora, imbricata. *Bracteae* circ. 10, obtusiusculae. *Calycis* foliola lineari-obtusiuscula ut bracteae margine ciliatolanata. *Corollae* tubus 5-6 lin. longus, extus glaber, intus pubescens, limbi lobis ovatis, reflexis. *Filamenta* pilosa tubum aequantia, antheris triplo longiora. *Squamulae* hypogynae obtusae, subdentatae. *Stylus* pilosus, stigmate 5-lobulato. *Capsula* glabra, cylindracea calyce brevior.

2. **Lysinema elegans** *Sond.* corollis pentapetalis, unguibus longitudinaliter distinctis calyce longioribus extus glabris, antheris elongatis subexsertis longitudine filamentorum.

In colliculis arenosis silvae ad flumen Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 439. (Swan-River: Drummond! et Capt. Mangles!)

Frutex pedalis et ultra, radice subsimplici, perpendiculari, fusca, pennae gallinaceae crassitie. *Rami* erecti, teretes, striati, glabri, ramulis tenuissime pubescentibus. *Folia* inferiora imbricata, superiora remotiuscula, opposita vel subalterna, omnia arcte adpressa, lanceolata vel linearia, acuta vel obtusiuscula, glabra, supra canaliculata, subtus acute carinata, margine brevissime ciliata, 1-1½ lin. longa. *Flores* terminales spicatae, spica mox 8-12-

flora mox elongata multiflora. *Calyces* fusco-scariosi, in axillis foliorum sessiles, bracteis circ. 15 lanceolatis et linearibus fuscis concoloribus margine ciliato-pilosis cincti. *Calycis* foliola linearia, acuta, margine ciliato-pilosa, 5 lin. longa, tubo tereti demum breviora. *Corolla* alba. Lobi demum reflexi lineari-oblongi acutiusculi ungue 3-plo breviores. *Filamenta* pilosa. *Antherae* glabrae, supra medium peltatae, elongato lineares, unguibus longiores et subexsertae. *Squamulae* hypogynae, lineares, apice bifidae, scabriusculae ovarium angulatum apice albo-velutinum superantes. *Stylus* pilosus, exsertus, in stigma quinquelobum sensim incrassatus.

3. **Lysinema curvatum** *Lindl.* corollis pentapetalis, unguibus apice cohaerentibus subcurvatis calyce longioribus extus glabris pubescentibusve, filamentis antheras longitudine 3-plo superantibus. — Lindl. Swan-River bot. pag. XXV!

In depressis arenosis prope oppidulum Perth, d. 21. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 441 (ex parte) et in planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840. No. 442 ex parte. (Drummond n. 494!)

Frutex 2-pedalis, erectus. *Rami* steriles plerumque breves, floriferi longi virgati. *Folia* nunc longiora nunc breviora, ovata, acuta vel lanceolata, apice leviter incurvo, subtus carinata, margine brevissime ciliata, rarius glabra, ramulorum sterilium saepius trigona. *Spica* 1-4-pollicaris. *Flores* in axillis foliorum solitarii, rarius 3-4 iterum spicati. *Bracteae* 20-25, lineari-lanceolatae margine lanatae, acutae vel obtusiusculae. *Corollae* albae tubus calycem superans, 8 lin. longus subcurvatus, rarissime inter flores serotinos 1 vel pauci recti inveniuntur — intus tomentosus, extus glaber vel basi pubescens, unguibus summo apice cohaerentibus, limbi lobis lineari-oblongis, acutiusculis, reflexis. *Filamenta* pilis brevibus adpressis velutina. *Antherae* supra medium peltatae, glabrae. *Squamulae* hypogynae ovario albovelutino duplo breviores, apice emarginatae vel eroso denticulatae. *Stylus* pilosus sensim in stigma clavatum attenuatus. *Capsula* angulata, pubescens, calyce brevior. *Semina* ovata, punctata, glabra.

4. **Lysinema ciliatum** *R.Br.* corollis pentapetalis, unguibus apice cohaerentibus longitudine calycis extus glabris, limbi lobi reflexis tubo 4-plo brevioribus, filamentis anthera duplo longioribus, foliis lanceolatis. — R.Br. l. c.

In depressis arenosis prope oppidulum Perth, d. 21. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 441 (ex parte) et in virgultis inter saxa calcarea prope oppidulum Freemantle, d. 18. Dec. 1838. (Swan-River: Drummond!)

Radix horizontalis, crassa, multicaulis. *Caules* 1-1½-pedales, graciles, stricti, ramulis puberulis. *Folia* ovata, acuminata, erecta, basi adpressa, inferiora seu caulina 3-4 lin. longa, lineam lata, sparsa, suprema et ramulorum sterilium breviora imbricata, omnia glabra, supra laevia, subtus carinata, striata, petiolulata, margine prope basin breve ciliata. *Flores* albi, spicati, spica nunc densa ovata, nunc laxa elongata: floribus in axillis foliorum sessilibus. *Bracteae* 8-10, fusco-scariosae margine ciliato-pilosae, inferiores minores ovatae acutae, sequentes acuminatae, superiores lanceolatae. *Corollae* tubus subpentagonus, circ. 5 lin. longus, intus tomentosus, ungues apice cohaerentes calycem aequantes, limbi lobis ovatis acutis vel obtusiusculis, reflexis, saepius superne transverse rugulosis. *Filamenta* pilosa. *Squamulae* hypogynae breves, obtusae, emarginatae vel denticulatae. *Stylus* pilosus, apice verruculosus, stigmate subclavato. *Capsula* calycem dimidium subaequans, adpresse pilosa.

Variat: unguibus extus glabris et subtomentosis; ad Varietatem posteriorem pertinet: *Lysinema virgatum* DC. l. c.! et *Lysinema spicatum* Lindl. Swan-Riv. bot. pag. XXV.!

In nonnullis exemplis tubus juxta basin tantum tomentosus est, in aliis paene ad apicem. Sed hujusmodi character ad speciem singularem statuendam certo non sufficit. Ungues in flore spec. auth. *L. spicati* quas Vir. ill. liberas esse dicit apice cohaerentes esse et in flore pl. Candolleanae quem Vir. ill. calycem superare dicit, revera non eminere edoctus sum.

5. **Lysinema ovatum** *Sond.* corollis pentapetalis, unguibus apice cohaerentibus longitudine calycis extus basi subpuberulis, limbi lobis ovato-oblongis tubo triplo longioribus, filamentis anthera 3-plo longioribus, foliis ovatis.

In glareosis promontorii Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 443.

„Frutex bipedalis" erectus, ramulis puberulis. *Folia* adpressa, ovata acutiuscula, supra laevia, subtus vix striata, subuninervia, carinata, utrinque glabra, basi margine brevissime ciliata, 1½-2 lin. longa, ¾ lin. lata, plerumque sparsa, ramulorum sterilium subimbricata. *Flores* in axillis foliorum superiorum sessiles, spicam subcapitatam vel ovatam efformantes. *Bracteae* circ. 10, scariosae, pallide fuscae, lanceolatae, superiores magis acuminatae. *Calycis* foliola lineari-lanceolata ut bracteae margine ciliata. *Corollae* albae tubus subpentagonus, 4 lin. longus, extus infra medium subpuberulus, intus tomentosus, limbi lobis reflexis. *Filamenta* pilosa. *Squamulae* hypogynae breves, obtusae, subemarginatae. *Ovarium* albvo-elutinum. *Stylus* pilosus, corolla subbrevior, in stigma subclavatum incrassatus.

6. **Lysinema lasianthum** *R.Br.* petalis inter se liberis, unguibus calycem superantibus extus lanatis limbo quadruplo quintuplove longioribus. — R.Br. l. c.

In solo turfoso planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 440. (King George's Sound. Hügel!)

„Frutex 1½-pedalis" gracilis. *Caulis* teres, erectus, plerumque a basi ramosus, ramis tenuibus virgatis glabris. *Folia* sparsa, petiolata, subadpressa vel subpatula, linearia vel lanceolato-linearia obtusa supra concava, subtus nervo prominente carinata et apice plerumque trigona, utrinque glabra, 2-2½ lin. longa. *Flores* pauci (3-5) spicati, in axillis foliorum superiorum sessiles, remoti, plerumque distichi, rarius unilaterales. *Bracteae* circ. 15, scariosae, pallidae, obtusae, margine ciliato-pilosae, calyce angusto obtuso breviores. *Corollae* tubus subinflatus calycem superans extus dense et albotomentosus, basi glaber, 4-5 lin. longus, ungues liberi sed margines ob tomentum densum non conspicui; concreti non sunt, nam pressione in petala 5 finduntur, limbi lobi glaberrimi, tubo 5-plo breviores. *Filamenta* pilosa, tubo adglutinata sed non adnata. *Antherae* lineares supra medium peltatae, filamentis triplo breviores. *Squamulae* hypogynae obtusae, subemarginatae, ovarium albo-velutinum aequantes. *Stylus* pilosus stigmate capitato. *Capsula* brevis, ovata, glabra.

Obs. Haud scio an hoc idem sit ac Brownianum. Quod in descriptione Candolleana *L. lastantho* folia elliptico-oblonga et flores pollicares adtribuuntur — qua de causa nostrum olim *L. gracile* nominaveram — hoc in pl. Preissian. non quadrat. Cum vero cl. Bentham judicaverit, plantam Hügelianam, quae omnino cum nostra convenit, eandem cum pl. Browniana esse, melius mihi visum est, huic sententiae adstipulari, quam novam speciem temere proponere.

7. **Lysinema conspicuum** *R.Br.* corollis monopetalis, tubo 5-fido calycem superante, foliis lanceolato-subulatis adpressis. — R.Br. l. c.! DC. l. c.!

In arenosis juxta oppidulum Albany, Plantagenet, d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 444.

Frutex pedalis et ultra, ramulis glabriusculis. *Folia* 3 lin. longa, adpressa, apice subpatula, carinata, margine ciliata. *Flores* spicati in axillis sessiles, spica plerumque densa, 1-2-pollicaris, rarius elongata subpedalis et apice subramosa. *Bracteae* apice patulae. *Calyces* acuminati basi ciliolati. *Corollae* tubus extus glaber, intus tomentosus, in sicco subroseus, 4 lin. longus, apice 5-fidus, limbi lobis albissimis, ovatis, subrugulosis, reflexis. *Filamenta* antheras lineares supra medium peltatas longitudine 3-plo superantia. *Stylus* subpilosus, apicem versus verruculosus, in stigma subclavatum incrassatus. *Capsula* cylindrica, calyce duplo brevior.

COSMELIA R.Br. DC. Prodr. 7. pag. 766. Endl. gen. n. 4285. Meisn. gen. pag. 249. (157.)

1. **Cosmelia rubra** *R.Br.* DC. l. c.

In solo turfoso arenoso oppiduli Albany, Plantagenet, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 429.

„Frutex 8-10-pedalis“. *Folia* nitida, margine basin versus brevissime ciliata, pollicem longa, 3-4 lin. lata, dorso laevia vel substriata. *Flores* 9-10 lin. longa. *Calycis* foliola lanceolato-linearia, margine vix ciliolata, circ. 8 lin. longa. *Stylus* filiformis, glaber, corollae limbum aequans. *Stigma* capitatum. *Capsula* matura Pisi majoris magnitudine. *Semina* parva oblonga.

ANDERSONIA RBr. DC. Prodr. 7. pag. 766. Endl. gen. n. 4286. Meisn. gen. pag. 249. (157.)

Sect. 1. Euandersonia. Sepala lanceolata, filamenta inclusa.

a. bibracteatae.

1. **Andersonia sprengelioides** *R.Br.* caule erecto, ramis dense foliosis, foliis patulis subspiraliter tortis, acumine plano, filamentis medio piliferis basi dilatatis. R.Br. l. c. Bot. magaz. t. 1645. DC. l. c.

In rupestribus montium prope portum Princess Royal Harbour, d. 28. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 459. (v. v. c.)

Folia 3-4 lin. longa, 1½ lin. lata. *Stylus* glaber. *Stigma* subcapitatum.

2. **Andersonia Lehmanniana** *Sond.* caule erecto ramoso, foliis basi adpressis, lanceolato-acuminatis subspiraliter tortis apice subtriquetro patulo, filamentis apice dilatata hirsutis.

In solo limoso-arenoso inter frutices prope oppidulum Guildford, Perth, d. 2. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 457. (Drummond n. 496!)

„Frutex bipedalis“ habitu *A. gracilis*, caracteribus fere *A. sprengelioidis*. Differt a priore: ramis densius foliosis et foliis tortis: ab *A. sprengelioide* cui similior: foliis brevioribus et angustioribus magis adpressis, corollae lobis

hirsutioribus, filamentis non basi sed apice dilatatis et stigmate eximie capitato.

Folia 2 lin. longa, lineam lata. *Calyces* pulchre coerulescentes, corolla alba *).

3. **Andersonia gracilis** *DC.* caule erecto, foliis basi cucullatis apice subulatis vix adpressis, summis amplius vaginantibus. DC. l. c.

In locis calcareis ad radices jugi montium Darling's-range, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 456. (Drummond!)

Pedalis et ultra. *Spicae* capitatae 3-10-florae. *Flores* majusculi. *Calyces* coerulescentes glabri. *Corollae* in sicco plerumque roseae, intus hirsutae. *Filamenta* glabra aequalia, non dilatata. *Stylus* glaber. *Stigma* subcapitatum.

4. **Andersonia patens** *Sond.* caule erecto a basi ramosissimo, foliis rectis horizontaliter patentibus cuspidatis margine sublaevibus apice triquetris, sepalis lineari-lanceolatis bracteas cuspidatas duplo superantibus.

In solo turfoso inter frutices densos planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 451.

Fruticulus pedalis, ramis glaberrimis basi plerumque nudis, apice dense foliosis. *Folia* saepe disticha nitidula, patentia, recta, non spiraliter torta, 2 lin. longa, 1-1½ lin. lata, acumine triquetro vix mucronulata, margine integerrima vel denticulis brevissimis scabriuscula. *Spicae* terminales capitatae. *Bracteae* ovatae breve cuspidatae, ciliatae, subtendente latiore subbreviore glabro. *Calycis* foliola glabra, margine nuda, lineari-lanceolata corollam aequantia. *Corolla* in sicco rosea, extus glabra intus hirsuta, limbi lobis acuminatis barbatis, tubum subaequantibus. *Filamenta* hypogyna aequalia, glabra, antheris linearibus. *Ovarium* apice puberulum. *Stylus* corollam aequans puberulus, prope basin plerumque tortus. *Stigma* obtusum **).

5. **Andersonia involucrata** *Sond.* caule erecto ramoso, foliis sublanceolatis acuminatis squarroso-patulis vel subspiraliter tortis, margine laevibus, acumine plano recurvo,

---

*) **Andersonia pubescens** Sond. caule erecto, ramis dense foliatis, foliis pubescentibus erectis subadpressis, subspiraliter tortis, acumine elongato triquetro, filamentis apice latiore pilosis. Swan-River: Drummond n. 495! (Vidi in herb. Shuttleworth.) Fruticulus circ. pedalis, subramosus, supra basin partitus, ramis erectis, ramulisque saepe aggregatis. *Folia* pube densa vestita, apice acuminatissima, 2 lin. longa, basi lineam lata. *Calycis* laciniae lineari-lanceolatae, margine ciliatae. *Corolla* alba, in sicco subrosea, intus pilosa. *Filamenta* calycem dimidium aequantia, apice sublatiora, pilosa. *Antherae* lineari-oblongae breves. *Stylus* glaber, teres, stigmate capitellato. *Ovarium* glabrum apice puberulum.

) **Andersonia Fraseri Sond. caule erecto ramoso, foliis ovato-lanceolatis cuspidatis subsquarroso-patulis margine serratis scabris, acumine recto subulato, spica oblonga foliosa, sepalis ovato-acuminatis bracteas cuspidatas duplo superantibus. In New-South-Wales leg. Fraser! (herb. Shuttleworth.) *Folia* 2½-3 lin. longa, lineam lata, margine evidenter serrato-scabra. *Bracteae* ovatae, cuspidatae, carinatae, ciliatae, calyce duplo breviores. *Calycis* foliola glabra imbricata, ovata, acuminata, margine pallidiora, apice vix ciliolata, 2 lin. longa, corollam aequantia. *Corollae* tubus extus glaber, intus pilosus, limbi lobis tubum aequantibus erectis, acuminatis, basi barbatis. *Filamenta* glabra, *Antherae* minimae oblongae. *Ovarium* apice puberulum. *Stylus* rectus glaber, longitudine tubi.

capitulis involucratis, sepalis lineari-lanceolatis bracteas acuminatas parum superantibus.

In arenosis planitiei districtus Sussex, d. 22. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 463. (Vasse River: Mrs. Molloy!)

„Frutex pedalis“ gracilis, ramis erecto-patulis, foliosis. *Folia* nitida, squarrosa, apice recurvato, margine integerrima vel apice summo brevissime denticulata, 3 lin. longa, 1-1½ lin. lata. *Spica* terminalis ovoidea, subcapitata, basi foliis pluribus apice subreflexis involucrata. *Bracteae* carinatae, acuminatae, dorso ciliatae, subtendenti aequali. *Sepala* lineari-lanceolata, pallida, glabra, margine nuda. *Corolla* in sicco rosea, calycem aequans, extus glabra, intus vix puberula, limbi lobis subbarbatis tubo subtriplo brevioribus. *Filamenta* hirsuta. *Antherae* lineares. *Stylus* glaber stigmate obtuso.

6. **Andersonia parvifolia** *R.Br.* caule erecto, foliis adpressis rectis acumine triquetro. R.Br. l. c. DC. l. c.

In regionibus interioribus Australiae austro-occidentalis, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 453.

Fruticulus spithamaeus. *Folia* 1-1½ lin. longa. *Spica* pauciflora. *Bracteae* mucronulatae calycibus pallide coerulescentibus 4-plo breviores. *Calyces* 2 lin. longi, laciniis margine nudis corollam aequantibus. *Filamenta* ut styli glabra. *Stigma* obtusum. *Ovarium* apice puberulum.

7. **Andersonia pauciflora** *Sond.* caule erecto ramosissimo, foliis adpressis, acumine triquetro arcuato.

In solo glareoso sterili districtus Grantham, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 455.

Vix spithamaea. *Folia* minima basi vaginantia subauriculata, acumine triquetro erecto incurvo, lineam longa, basi semilineam lata. *Spicae* pauciflorae, rarius flores in apice ramulorum solitarii. *Calycis* laciniae 2½ lin. longae, lineari-lanceolatae obtusiusculae, margine nudae bracteis carinatis 3-4-plo longiores. *Corolla* calycem aequans, intus subhirsuta, limbi lobis apice glabris. *Filamenta* glaberrima. *Stylus* glaber. *Stigma* obtusum.

A. parvifoliae similis, sed foliis triquetris patenti-incurvis distinctissima.

b. multibracteatae.

8. **Andersonia micrantha** *R.Br.* caule erecto ramosissimo; foliis basi lata subvaginantibus acuminatis acumine triquetro, floribus solitariis aut subaggregatis, stylis infra medium pubescentibus. — R.Br. l. c. DC. l. c.!

In solo arenoso inter frutices ad latus meridionali-occidentale montis Clarence, Plantagenet, d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 461.

„Frutex vix pedalis“ erectus a basi ramosissimus, glaber. *Folia* 1-1½ lin. longa, adpressa, in ramis inferioribus saepe erecto-patula, e basi lata in acumen triquetrum attenuata, acumine basin aequante vel superante, nitidula, margine denticulata. *Flores* ramulos terminantes solitarii, bracteis mucronulatis longiores. *Calyces* in sicco pallide rosei, 2 lin. longi, sepalis lineari-lanceolatis margine ciliatis, extus glabris. *Corollae* calycem aequantes intus subhirsutae, limbi lobis apice glabris. *Filamenta* glabra antheras lineares longitudine subtriplo superantes. *Stylt* infra medium incrassati, puberuli. *Capsula* minima apice puberula.

9. **Andersonia brevifolia** *Sond.* caule erecto ramosissimo, foliis arcte adpressis ovatis mucronato-cuspidatis

margine membranaceis, floribus solitariis aut subaggregatis, filamentis stylisque glabris.

In planitie arenosa haud longe a Halfwayhouse, York, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 462.

„Frutex 1-3-pedalis," a basi ramosissimus, ramulis abbreviatis subaggregatis. *Folia* vix lineam longa, ½ lin. lata, ramulorum juniorum per lentem visa subpubescentia, margine membranaceo brevissime ciliata. *Bracteae* arcte adpressae, ut *calyces* margine breve ciliatae. *Flores* albi, in sicco rosei. *Corolla* intus hirsuta 2½ lin. longa, tubulosa, calycem aequans, limbi lobis basi hirsutissimis. *Filamenta* glabra antheris linearibus triplo longiora. *Stylus* corollam aequans, *stigmate* obtuso.

Habitu *A. micranthae*, differt tamen: foliis latioribus imbricatis margine membranaceis brevissime ciliatis et stylis glabris non incrassatis.

10. **Andersonia coerulea** *R.Br.* caule erecto, foliis modice patentibus, novellis calycibusque extus pubescentibus, filamentis stylisque hirsutis. — R.Br. l. c. DC. l. c.

In solo turfoso-arenoso circa oppidulum Albany, Plantagenet, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 450. (New-South-Wales leg. Fraser! herb. Shuttleworth.)

Frutex pedalis et ultra, ramis erectiusculis. *Folia* caulina lanceolata, acuminata, 6-7 lin. longa, basi 2 lin. lata, subadpressa apice subspiraliter torta, glabra, subtus striata, margine scabriuscula. *Flores* in apice ramulorum solitarii, sed ramuli aggregati et hinc flores spicam ovatam referentes. *Calycis* laciniae coerulescentes, puberulae, lineari-lanceolatae, 4 lin. longae, margine ciliatae. *Corollae* tubus intus basi glaber, apice hirsutus, limbi lobi apice glabri, basi albo-hirsutissimi. *Filamenta* hirsuta. *Stylus* corollae longitudine pilis erectis hirsutus. *Stigma* subcapitatum. *Capsula* puberula.

11. **Andersonia prostrata** *Sond.* caule prostrato ramosissimo, foliis anguste lanceolatis squarroso-patulis vel subspiraliter tortis glabris, filamentis apice piliferis, stylis pubescentibus basi tortis.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 458.

Fruticulus spithamaeus, ramis glabris adscendentibus dense foliosis. *Folia* concaviuscula, lanceolata, acuminata, glaberrima, nitidula, striata, patula, apice recurvata vel subtortilia, 3-4 lin. longa, ½-1 lin. lata. *Flores* ramulos terminantes solitarii vel racemosi et laxe spicati. *Bracteae* exteriores squarroso-patentes, margine glabrae, interiores adpressae, ciliatae, calycem dimidium aequantes. *Calyces* in sicco pallidi, basi virescentes, glabri, margine ciliati, corollam superantes, 4-5 lin. longi. *Corollae* pallide roseae intus pubescentes, lobis hirsutissimis. *Stylus* prope basin semper subspiraliter tortus, pilosus. *Stigma* capitatum.

12. **Andersonia heterophylla** *Sond.* caule erecto ramoso, foliis ramorum sterilium erecto-patulis subulatis, florigerorum amplius vaginantibus ovatis acuminatis, filamentis glabris, stylis medio incrassatis scabriusculis.

In locis calcareis silvae ad radices jugi montium Darling's-range, d. 29. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 460.

„Frutex pedalis" ramis erectis inferne nudis. *Folia* glaberrima, subnitida, basi margine submembranacea, ramorum sterilium 2-2½ lin. longa, basi ½ lin. lata, ramulorum florigerorum 1 lin. longa, ½ lin. lata. *Flores* terminales solitarii, vel subaggregati. *Bracteae* inferiores subpatentes, superiores plerumque adpressae. *Calyces* bracteas duplo superantes, glabri, in

sicco pallidi, margine nudi, 3 lin. longi. *Corolla* calycem aequans, lobis basi hirsutissimis. *Filamenta* glabra antheras lineares longitudine non superantia. *Stylus* medio vel paullum infra medium subincrassatus. *Stigma* subcapitatum.

13. **Andersonia variegata** *Sond.* caule erecto rigido subramoso, foliis adpressis acumine triquetro mucronulato, bracteis coloratis, filamentis apice stylisque pilosis.

In regionibus interioribus Australiae austro-occidentalis, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 454.

Fruticulus 4-pollicaris nunc spithamaeus, ramis erectis, rigidulis, glabris. *Folia* imbricata, glaberrima, nitidula, basi cucullata, acumine triquetro incurviusculo, adpressa et mucrone brevissimo terminata, 1-1½ lin. longa. *Flores* solitarii, rarius subspicati, ramulis nunc brevioribus nunc longioribus insidentes. *Bracteae* arcte adpressae, lanceolatae, inferiores virides apice tantum coloratae, superiores intense violaceae, calyce subdimidio breviores. *Calycis* foliola lanceolata, margine non ciliata, pallide coerulescentia, 2½ lin. longa. *Corolla* in sicco rosea calyce superata, limbi lobis basi hirsutissimis. *Filamenta* basi subdilatata, apice subhirsuta, antheris oblongis. *Stylus* corollam aequans. *Stigma* capitellatum.

β. **subconcolor** caule humiliore, foliis mucronulatis muticisve, floribus saepius spicatis, bracteis superioribus apice tantum coloratis.

In regionibus interioribus Australiae austro-occidentalis, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 452.

Habitu valde differt ab *Andersonia micrantha.*

Sect. 2. Atherocephala. — Atherocephala DC. Prodr. 7. pag. 755. Endl. gen. pag. 1411. Meisn. gen. (364.) Andersonia spec. Lindl. Swan-River bot. pag. XXV. Sepala cuspidiformia, filamenta exserta.

14. **Andersonia aristata** *Lindl.* foliis adpressis acumine triquetro mucronulato, spica capitata, corollae laciniis revolutis apice imberbibus, genitalibus exsertis. Lindl. l. c *Atherocephala Drummondi* DC. l. c.!

In arenosis planitiei haud longe a praedio rustico Maddington ad fluvium Cygnorum, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 449. (Drummond!)

„Frutex 1-2-pedalis" erectus, ramosissimus. *Radix* perpendicularis, subsimplex, nigrofusca. *Caulis* brevis pennae gallinaceae crassitie vel crassior, cortice fusco-cinereo, subrimoso. *Rami* alterni, erecti, glabri, ramulis gracilibus teretibus longioribus vel brevioribus pubescentibus. *Folia* imbricata, glabra, basi subvaginantia lata, cuspidato-acuminata, acumine triquetro mucronulato, 1-1½ lin. longo, adpresso. *Flores* spicati, spica densa capitata vel ovata in apice ramulorum nunc terminalium nunc lateralium, plerumque solitaria, rarius 2-3 subaggregatae. *Folia* floralia reliquis conformia sed basi latiora et evidentius cuspidata. *Bracteolae* 2 foliaceae carinatae, cuspidatae, glabrae, bracteis seu foliis floralibus breviores. *Calycis* 5-phylli foliola albida, glabra, lanceolato-linearia, marginibus demum convolutis aristaeformia, rigida, 4½ lin. longa, basi parum latiora, bracteolis triplo longiora. *Corolla* albida vel (in sicco) subrosea, infundibuliformis, tubo extus glabro intus hirsuto calyce subbreviore, limbi laciniis linearibus revolutis, albo-hirsutissimis apice summo glabris. *Filamenta* libera, corolla longiora, glabra. *Antherae* lineares dorso infra medium filamentis affixae.

Squamulae 5 hypogynae, obtusae, ovario dimidio breviores, cum staminibus hypogynis alternantes. *Ovarium* subglobosum, apice puberulum, 5-loculare. *Stylus* filiformis, glaber, exsertus, 5½ lin. longus. *Stigma* obtusum, vix capitellatum. *Capsula* minima subglobosa, 5-locularis, 5-valvis, placentis columnae centrali adnatis.

SPHENOTOMA Sweet. Endl. gen. n. 4293. Meisn. gen. pag. 249. (157.) Dracophylli sect. Sphenotoma R.Br. Sphenotoma DC. Prodr. 7. pag. 770.

§. 1. Stamina hypogyna.

1. **Sphenotoma dracophylloides** *Sond.* caule erecto ramoso, ramis strictis, foliis omnibus rigidis adpressis imbricatis lanceolatis acuminatis glabris margine scabriusculis, supremis basi subciliatis, ramis floriferis spica ovata duplo longioribus, staminibus hypogynis.

In lapidosis inter frutices lateris meridionalis collis Konkoberup promontorii Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 446.

„Frutex bipedalis" strictus. *Rami* glabri, basi nudi annulati. *Folia* pollicaria rigida, arcte adpressa, elongato-lanceolata, parallele nervosa, basi latiore submembranacea, cucullata, semiamplexicaulia, glabra, margine denticulis brevissimis scabriuscula, superiora prope basin piloso-ciliata. *Rami* floriferi 1½-2-pollicares, foliis conformibus imbricatis dense obsiti. *Spica* pauciflora terminalis, e floribus 4-8 constans. *Bracteae* 2 carinatae, cuspidato-mucronatae circ. 2 lin. longae, glabrae, subtendente longiore et latiore calycem aequante. *Calycis* foliola lanceolata mucronata, 4 lin. longa, glabra, ut bracteae fusca, margine pallidiore. *Corolla* alba hypocrateriformis, tubus fauce subcoarctatus, calyce subbrevior, extus et intus glaber, limbi lobis patentibus rotundatis obtusissimis. *Filamenta* glabra, hypogyna, corollae adglutinata sed non adnata. *Squamulae* hypogynae acutiusculae, ovario breviores. *Stylus* brevis, stigmate obtuso. *Capsula* globosa, glabra, Pisi dimidii magnitudine, calyce duplo minor, stylo persistente coronata. *Semina* oblonga, flavescentia.

Planta memorabilis habitu *Dracophylli*, et quodammodo medium tenens inter hoc et *Sphenotoma*, sed propter corollam hypocrateriformem adnumeranda posteriori, ad quod sese habet ut *Dacryanthus* ad *Dracophyllum*.

§. 2. Stamina corollae inserta.

2. **Sphenotoma capitatum** *Lindl.* ramis floriferis spica subcapitata multoties longioribus, foliis caulinis ensiformi-lanceolatis erectiusculis, rameis adpressis. Lindl. in Bot. reg. t. 1515.

Dracophyllum capitatum Brown prodr. 556. Hook. Bot. mag. t. 3624 opt.!

In solo turfoso inter frutices prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 4. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 447. (King George's Sound. Hügel!)

Frutex nunc spithamaeus nunc 1½-pedalis. *Folia* margine ciliata vel glabra, scabriuscula, erecto-subpatentia, rarius adpressa, e basi latiore vaginante lanceolata acuminata subpungentia, pollicaria, basi 1-1½ lin. lata, ramea adpressa amplius vaginantia cuspidato-acuminata. *Spica* subcapitata. *Bracteae* carinatae ut *calycis* foliola pubescentia margine subciliatae. *Corollae* tubus extus glaber, limbi lobis obtusissimis. *Filamenta* brevia, tubo adnata. *Stylus* brevis, glaber. *Stigma* obtusum.

3. **Sphenotoma gracile** *Sweet.* ramis floriferis spica ovata multoties longioribus, foliis caulinis subulato-lanceolatis patulis recurvisve, rameis adpressis. — Sweet. fl. Austr. t. 44.

Dracophyllum gracile Brown prodr. 556. Bot. mag. t. 2678.

In turfoso-arenosis elevatis circa oppidulum Albany, Plantagenet, d. 21. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 448. (King George's Sound. Hügel! A. Cunningh! Lewin's Land: Ferd. Bauer!)

Bipedalis et ultra. *Folia* in nonnullis specim. ciliata, in aliis glabra; inferiora erectiuscula superioribus saepe duplo triplove latiora, intermedia et superiora anguste lanceolata, acuminata, patula, magis minusve recurva. *Folia* ramea adpressa magis vaginantia, breviora, rarissime patula subrecurva. *Spica* ovata. *Bracteae* carinatae, ciliatae, calycis foliolis subinaequalibus glabris duplo breviores. *Corollae* tubus extus apice subpilosus, limbi lobis obtusissimis. *Filamenta* brevia infra medium tubum adnata. *Stylus* brevis, glaber, stigmate obtuso. *Capsula* calyce triplo superata, apice puberula.

4. **Sphenotoma squarrosum** *Don.* ramis floriferis vix longitudine spicae, foliis squarrosis ensiformi-lanceolatis. Don. gen. syst. 3. pag. 785.

Dracophyllum squarrosum Brown l. c.

In solo turfoso humido ad marginem lacus planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 445.

„Frutex 8-10 pedalis.“ *Rami* subverticillati. *Folia* caulina specimium sesquipedalium 1-1½ poll. longa, basi 2-3 lin. lata, lanceolata acuminata, glabra, striata, squarroso-patula, suprema villis brevissimis subcanescentia, omnia basi vaginante ciliata. *Spicae* aggregatae, laterales ovatae, ramum floriferum aequantes vel sublongiores, rarius breviores, terminali elongata saepe bipollicari ramo florifero 2-3-plo longior. *Rachis* puberula. *Bracteae* carinatae, ciliatae, calycem dimidium aequantes, subtendentibus in spicis lateralibus parum longioribus, in spica terminali elongatis acuminatissimis. *Calycis* foliola pubescentia. *Corollae* albae tubus longitudine calycis, superne adpresse pilosus, intus vix hirsutus, limbi lobis obovatis obtusis. *Filamenta* brevissima, corollae tubo adnata. *Squamulae* hypogynae breves, obtusae. *Stylus* glaber, stigmate obtuso. *Capsula* subglobosa, apice puberula, calycem dimidium subaequans. *Semina* oblonga, flavescentia.

PRIMULACEAE Vent. Endl. gen. pag. 729.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Tribus IV. Samoleae. Endl. pag. 734. DC. Prodr. 8. pag. 72.

SAMOLUS Tournef. Endl. gen. n. 4215. Meisn. gen. pag. 254. (163.)

1. **Samolus littoralis** *R.Br.* caule tereti ramoso folioso ramis flexuosis, foliis radicalibus spathulatis, caulinis spathulato-lanceolatis lineari-subulatis, floribus ad apices ramorum racemosis ab initio subcorymbosis demum elongatis, calycis corolla duplo brevioris laciniis anguste lanceolatis acuminatis, corollae laciniis tubum aequantibus. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 428. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 284. DC. Prodr. 8. pag. 3. G. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel pag. 83. 24.

   Var. *β.* ramis sterilibus prostratis, floriferis adscendentibus, foliis caulinis spathulato-lanceolatis ramis calycibusque tuberculato-asperis lacunosisque incanis, bracteis (plerisque) pedicello impositis.

   In clivulis calcareis orae orientalis insulae Gardenisland, Novembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1241.

   A var. *α* R.Br. l. c. differt colore cinerascenti-glauco et superficie aspera. *Bractea* lanceolata in plerisque pedicellis fere ad medium adscendit longitudinem. *Rami* dense foliosi. — Reliquis formis minor est haecce varietas.

   Var. *γ.* R.Br. *incana*, ramis omnibus erectis foliisque lanceolato-spathulatis tuberculato-asperis et lacunosis, bracteis plerumque pedicello subjectis, floribus corymboso-racemosis.

   γ * caule subsimplici, foliis ramorum bractealibus lanceolatis. *Samolus littoralis var. γ.* R.Br. l. c. *Samolus littoralis β. incanus.* Duby in DC. Prodr. 8. pag. 73. *Scheffieldia incana* Labill. Nov. Holl. 1. pag. 40. t. 54.

   In uliginosis ad Vasse-inlet, Sussex, Decembri a. 1840. Herb. Preiss No. 1240.

   γ ** caule superne ramosissimo ramis flexuosis, foliis ramorum bractealibusque subulatis recurvo-patulis.

   In lutosis exsiccatis ad ripam fluvii Cygnorum prope urbiculam Freemantle, Perth, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1237.

2. **Samolus parviflorus** *N. ab E.* caule tereti tuberculato-exasperato a basi ramoso flexuoso subaphyllo, foliis

scariosis squamiformibus (foliis radicalibus spathulatis ?), racemo in apice ramorum parvo brevi paucifloro, calyce tubum corollae angustum aequante laciniis lanceolatis acutis, corollae laciniis oblongis tubo brevioribus.

In solo glareoso sterili silvae prope fontem Pitscharding, Victoria, Martio a. 1840. Herb. Preiss. No. 1239.

Primo adspectu *Samoli littoralis var. γ* ** diceres formam aphyllam, sive foliis potius in *squamas* ovatas fuscas obtusas ramos et pedicellos suffulcientes conversis, sed tamen differre videtur flore, inprimis *corolla* dimidio minore et angustiore. In pedicellis medium versus saepe *bracteola* adest membranacea, exigua, fusca, qua diffluente annulus relinquitur. Folia radicalia in nostro specimine desunt. 2.

3. **Samolus junceus** *R.Br.* caule erecto subsimplici tereti laevi subaphyllo, foliis caulinis scariosis squamiformibus distantibus, radicalibus obovatis spathulatisque, racemo paucifloro, calycibus acutis (tubo corollae longioribus). R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 429. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 285. n. 3. G. Benth. in Endl. Enumerat. pl. Hügel. pag. 83.

In depressis arenosis hieme aqua inundatis ad ostium fluvii Cygnorum, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1238.

Folia radicalia in nostris ad petiolos lato-lineares, membranaceos redacta, emarcida. *Squamae* ramos, ubi adsunt, et flores suffulcientes lanceolatae vel lanceolato-subulatae, fuscae. *Racemus* terminalis, 4-8-florus. fructibus distantibus. *Caulis* absque tuberculis, in sicco statu corrugato-striatus.

„Corolla incarnata". (Preiss.) 2.

UTRICULARIEAE Endl. gen. pag. 728. Lentibularieae (Rich.) A. DC. Prodr. Vol. VIII. pag. 2.

Sect. Lentibularia, floribus luteis. DC. l. c.

UTRICULARIA Linn. Endl. gen. n. 4193. Meisn.gen. pag. 314. (225.) A. DC. Prodr. l. c.

Sect. Oligocista. §. 1. floribus coeruleis vel purpureis. DC. l. c.

1. **Utricularia australis** *R.Br.* scapo paucifloro, lobis indivisis, inferiore duplo latiore quam longo, calcari adscendente emarginato. Brown Prodr. pag. 430. — DC. Prodr. l. c. pag. 6.

In fluvio Avon, York, m. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1875.

Obs. Sterilis quidem lecta est, sed omnino convenit cum specimini bus Bauerianis herb. Caesar. Vindob. a me comparatis.

2. **Utricularia volubilis** *Brown.* foliis radicalibus integris, scapo volubili tereti subbifloro, lobis calycis obtusis, labiis integris superiore cuneato inferiore maximo securiformi, calcare descendente obtuso depresso. Brown Prodr. pag. 430. Benth. in Endl. Enum. plant. Hügel pag. 82. A. DC. Prodr. l. c. pag. 14. et 666.

In locis turfoso-scaturiginosis ad Princess Royal Harbour, d. 11. m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1922.

3. **Utricularia Menziesii** *Brown.* foliis radicalibus numerosis spathulatis, scapo filiformi unifloro bracteolis duabus parvis oppositis, lobis calycinis latis retusis, labio superiore corollae late obovato, inferiore integro (?) basi angustato supra late semiorbiculato reflexo margine crenulato, calcare decumbente cylindraceo obtuso labio inferiore duplo majore. — Brown Prodr. pag. 431. Benth.! in Endl. Enum. plant. Hügel. pag. 82. A. DC. Prodr. VIII. pag. 15.

β. **macroceras**, calcari majore. *U. macroceras* A. DC. l. c. pag. 666.

In arenosis subhumidis ad fluvium Canning. Perth, d. 29 m. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1917 *α* et *β*.

4. **Utricularia Hookeri** *Lehm.* scapo simplici filiformi unifloro, corollae labio superiore bifido, inferiore obtuse trilobo, lobis indivisis lateralibus subdivaricatis; calcari porrecto obtuso labio inferiore subduplo breviore. Lehm. in Mohl. et Schlecht. Bot. Zeit. 2. (1843) pag. 109. Pugillus VIII. pag. 47.

Utricularia inaequalis. A. DC. Prodr. Vol. VIII. pag. 666.

In locis uliginosis Peninsulae, Perth, d. 30 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1918.

Radix constat e fibrillis tenuibus, vesicula subsphaerica terminatis. *Folia* omnia radicalia, linearia, 3-4 lin. longa, glabra. *Scapus* solitarius, simplex, 3-5-pollicaris, tenuis, glaberrimus, infra apicem bracteis 4 parvis verticillatim dispositis instructus. *Calycis* bipartiti laciniae obtusae, linea subbreviores. *Corolla* lilacina, palato luteo. Labium *superius* bifidum: laciniis ob tusis, divaricatis lineam longis, *inferius* latius quam longum (6-7 lin. latum, 4-5 lin. longum) trilobum, angulis obtusis: lobis omnibus obtusis et indivisis, *medio* majore, *lateralibus* subdivaricatis. *Palatum* glabrum. *Calcar* cylindricum obtusum, subporrectum, 2-2½ lin. longum, labio inferiore subduplo brevius. *Capsula* minima, sphaerica, glabra, stylo brevi terminata.

5. **Utricularia similis** *Lehm.* scapo simplici filiformi 1-paucifloro, corollae labio superiore bifido laciniis acutis, inferiore trifido laciniis obtusis subemarginatisve, calcari brevi obtuso. Lehm. l. c.

Utricularia Preissii DC. l. c.

In locis arenosis aquaticis prope oppidulum Perth, d. 26 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1919.

Radix fibrillata: fibrillis tenuissimis, elongatis, saepe vesicula minima terminatis. *Folia* spathulata, petiolata, 3 lin. longa, lamina ½-¾ lin. lata, glabra. *Scapus* glaberrimus, 4-5 pollicaris, supra medium bracteolis duabus minutis oppositis instructus. *Flores* 1-2, in apice scapi, rosei. *Calycis* laciniae parvae, obtusae. *Corollae* labium superius bifidum: laciniis subdivaricatis, e basi latiore acuminatis, lineam fere longis. Labium inferius trifidum, latius quam longum (5-6 lin. latum et 4-5 lin. longum) lobo medio obovato, obtuso, crenulato vel subemarginato, lateralibus duobus obtusis subdivaricatis paullo longiore. *Palatum* brevissime pubescens. *Calcar* obtusum vix 1½ lin. longum.

Secundum adnotationes Preissianas folia in viva planta purpurea sunt et genitalia sulphurea.

POLYPOMPHOLYX Lehm. in Mohl et Schlechtend. Bot. Zeit. 2. pag. 110. (1843.) Pugill. VIII. pag. 48. Tetralobus A. DC. Prodr. l. c. pag. 667. (1844).

Calyx quadripartitus, foliolis inaequalibus antico posticoque inaequalibus, lateralibus brevioribus aequalibus. *Corolla* hypogyna personata, basi antice calcarata, tubo brevissimo; labio superiore breviore bifido, inferiore longiore trifido: palato prominente. *Stamina* duo, corollae labio superiori inserta; filamenta incurva conniventia; antheris cohaerentibus, uniloculari-bus, longitudinaliter dehiscentibus. *Ovarium* uniloculare, pluriovulatum; placenta globosa, crassa, basi fixa. *Stylus* brevis crassus; stigma bilabiatum; labio superiore brevissimo vel obsoleto, inferiore lamelliformi, dilatato. *Capsula* globosa, unilocularis. *Semina* in placenta basilari globosa, libera.

Herbae Australasiaceae paludosae, radicantes, habitu *Utriculariarum*, foliis radicalibus confertis, indivisis, vesiculis radicalibus numerosis, scapis nudis, squamulis nonnullis instructis, floribus paucis subracemosim dispositis.

1. **Polypompholyx Endlicheri** *Lehm.* corollae labio inferiore trifido laciniis latis emarginatis, intermedia calcari recto obtuso triplo longiore. Lehm. l. c.

Tetralobus Preissii DC. l. c. *Utricularia multifida* Benth. in Endl. Enumerat. pl. Hügel. et R.Br. sec. descriptionem.

In locis turfoso-uliginosis planitiei prope oppidulum Albany, d. 17 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1921.

Radix fibrillata: fibrillis tenuibus, pallidis vesicula sphaerica parva terminatis. *Folia* omnia radicalia spathulata, glabra, petiolata, 3-3½ lin. longa. *Scapus* simplex, erectus, 3-6-pollicaris, glaberrimus, in statu sicco compressus, apice pedicellis 2-4 in racemum dispositis. *Pedicelli* glabri, inferior 3-4 lin. longus, superiores sensim breviores, ad basin bracteolis parvis squamaeformibus suffulti. *Calycis* laciniae inaequales, breviores obtusae. *Corolla* majuscula, secundum adnotationes cl. Preissii rosea. Labium superius bifidum: laciniis e basi lata acuminatis, 2 lin. circiter longis. Labium inferius latius quam longum (7-8 lin. latum, 5 lin. fere longum) trifidum: laciniis latis, obtusis, emarginatis. *Palatum* valde auctum, brevissime pubescens. *Calcar* rectum 1½ lin. longum, obtusum, lacinia intermedia labii inferioris

triplo brevius. *Stylus* brevis. *Capsula* sphaerica diametro subbilineari, glaberrima, membranacea: membrana laxe cellulosa.

2. **Polypompholyx latiloba** *Lehm.* corollae labio inferiore trifido laciniis rotundato-obtusis indivisis, intermedia calcari recto obtuso triplo longiore. Lehm. l. c.

Utricularia latiloba Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel pag. 82?

In districtu Perth, locis aquaticis ad radices jugi montium Darling's-range, d. 23 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1923.

Radicis fibrillae vesiculigerae. *Folia* omnia radicalia, spathulata, 3 lin. longa, lamina glabra, petiolo subaequilongo. *Scapus* in specimimibus siccis subcompressus, glaberrimus, spithamaeus, apice floribus 3-4 distantibus subracemosis. *Pedicellus* inferior 4-6 lin. longus, superiores sensim breviores, basi-bracteolis minutis. *Calycis* laciniae obtusissimae, inaequales, laciniae laterales aequales reliquis duplo fere breviores. *Corollae* roseae labium superius bifidum: laciniis oblongo-lanceolatis, apice subconniventibus, lineam longis. Labium inferius 4 lin. longum, 5 lin. latum, trifidum: laciniis apice paullo latiore rotundatis, crenulatis. *Palatum* oculo armato visum brevissime puberulum. *Calcar* rectum, obtusum, 1½ lin. longum. *Stylus* brevis. *Capsula* ut in antecedente specie.

3. **Polypompholyx tenella** *Lehm.* corollae labio inferiore trifido laciniis obtusis indivisis, intermedia calcar adscendens elongatum aequante. Lehm. l. c.

Tetralobus pusillus A. DC. l. c. *Utricularia tenella* Brown?

Crescit in fossis supra oppidulum Perth, solo arenoso, d. 26 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1920.

Planta tenella, 2-3-uncialis, fibrillis vesiculigeris. *Folia* radicalia plura, obovata, spathulata, glabra, 1-2 lin. longa. *Scapus* tenuissimus, glaberrimus in speciminibus siccis subangulatus, apice 1-2-florus. *Pedicelli* basi squamula minima suffulti, ½-1 lin. longi. *Flores* exigui, rosei, vix lineam superantes. *Calycis* laciniae obtusae, majores labiis oppositae. *Corollae* labium superius bifidum, inferius trifidum: laciniis indivisis, obtusis. *Palatum* valde auctum, brevissime pubescens. *Calcar* adscendens, obtusum, apice paullo latiore, longitudine laciniae intermediae labii inferioris. *Capsula* sphaerica glabra membranacea: membrana e cellulis laxis efformata. *Placenta* globosa crassa.

SCROPHULARINAE R.Br.

(Auctore F. T. Bartling.)

Tribus IV. Salpiglossideae. Endl. gen. pag. 675.

ANTHOCERCIS Labill. Nov. Holl. II. pag. 19. tab. 158. Endl. gen. n. 3902. Meisn. gen. pag. 307. (218.)

1. **Anthocercis viscosa** *R.Br.* foliis obovatis glanduloso-punctatis margine scabriusculis, novellis ramulisque tenuis-

sime pubescentibus, capsula ovata calycem subaequante. Brown. Prodr. I. pag. 448. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 304. n. 2.

Ad portum Princess Royal Harbour, Septembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1963.

Tribus VI. Gratiolbae Benth. Endl. gen. pag. 678.

GRATIOLA Linn. R.Br. Endl. gen. n. 3946. Meisn. gen. pag. 310. (221.)

1. **Gratiola pubescens** *R.Br.* glanduloso-pubescens; foliis lanceolatis dentatis; floribus subsessilibus. R.Br. prodr. pag. 435.

In turfoso-arenosis humidis ad marginem paludis prope montem Elphinstone, Plantagenet, 21. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2326. In turfosis uliginosis ad fluv. Cygnorum, 4. Febr. 1839 (fructif.) No. 2331.

„Herba humifusa. *Flores* rosei vel incarnati."

Tribus IX. Veronicbae Benth. Endl. gen. pag. 687.

VERONICA Linn. Endl. gen. 3979. Meisn. gen. pag. 306. (218.)

1. **Veronica stolonifera** *Lehm.* stolonibus reptantibus hirsutis, pilis demum distichis, foliis petiolatis cordato-ovatis grosse serrato-dentatis subhirsutis, calycibus foliosis capsula longioribus. Lehm. Ind. Sem. in hort. Hamburg 1820 collect.

In arenosis umbrosis prope urbiculam Freemantle, 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2329.

Specimina valde imperfecta ideoque paulo dubia.

2. **Veronica cygnorum** *Miq.* floribus axillaribus subracemosa confertis, foliis ovatis ellipticis, summis sublanceolatis, obtusiusculis, grosse crenatis, subtus inprimis hirtis, marginibus petiolisque versus basin hirto-ciliatis, caule bifariam retrorsum hirto.

Crescit in Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 2414.

Specimen mancum sed speciem tamen bonam constituens, ex affinitate *V. agrestis* caet.

Planta basi repens, *ramis* erectis, digitum longa. *Folia* inferiora longius petiolata, superiora subsessilia. Pagina sup. pilis brevioribus raris, inf. longioribus et firmioribus, inprimis supra versus instructa. *Flores* breviter pedicellati ex axilla *folii floralis* (bracteae) lanceolati, solitarii. *Calycis* phylla *duo latiora, duo angustiora*, omnia ciliata. *Corolla* purpurea, calycem paullo superans. *Stamina* effoeta deflexa.

Tribus XI. Rhinanthbae Benth. Endl. gen. pag. 693.

EUPHRASIA Tourn. Endl. gen. n. 4011. Meisn. gen. pag. 312. (223.)

1. **Euphrasia tetragona** *R.Br.* corollae laciniis inferioribus emarginatis; calycibus glabris obtusis subsessilibus capsulas aequantibus; foliis subovalibus 3-5-dentatis obtusis glabris; caule tetragono. R.Br. prodr. pag. 436.

In collibus calcareis ad portum Princess Royal Harbour, 1. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2338.

„Flores albi.“

2. **Euphrasia scabra** *R.Br.* glanduloso-pubescens scabra: corollae pubescentis laciniis integris; calycibus acutis; foliis lanceolatis dentato-incisis. R.Br. pag. 437.

In solo sublimoso prope Belgarup, Goderich, 30. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2337.

„Flores flavi.“

SOLANACEAE Bartl. Ord. nat. pag. 193. Endl. gen. pag. 662.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Tribus I. Nicotianbae.

NICOTIANA Linn. Lehm. Nicot. Endl. gen. n. 3841. Meisn. gen. pag. 276. (183. 366.)

1. **Nicotiana fastigiata** *N. ab E.* villoso-pubescens, caule ramosissimo coarctato-fastigiato, foliis oblongis amplectentibus inferioribus decurrentibus caulinis undulatis repandis acutiusculis, laciniis calycis lanceolatis acutiusculis, corollae tubo cylindraceo calyce duplo longiore sub limbo inflato, limbi laciniis rotundatis obtusis tubi expansione paulo longioribus, fructu erecto.

Nicotiana rotundifolia Lindl. Misc. n. 110. Dietr. Synops. pag. 662. n. 22. *)

*) Culta in horto Vratislaviensi e semine, ab ipso specimine decerpto, perstitit. ☉.

In solo humoso ad caput fluvii Cygnorum, Januario a. 1840. Herb. Preiss. No. 1911.*)

Specimina nostra valde incompleta sunt, *Nicotianae suaveolenti* subsimilia et fortassis ejusdem speciei proles imperfectior. *Radix* et *folia radicalia* desunt. Pars superior pedalis, teres, erectus, strictus, ad speciem dichotomo-ramosus, ramis coarctatis fastigiatis, simili ratione ramosis. *Folia Nicotianae suaveolentis*, paulo minus acuta, uti caulis pilis mollibus albis patentibus lanuginosa. *Flores* in ramis racemosi, sub anthesi plerique nutantes. *Pedicellus* calycis longitudine aut eo brevior, dense pubescens. *Bracteae* suboppositifoliae, oblongae, obtusae, parvae. *Calyx* 2½ lin. longus, fere campanulatus, pubescens, ad medium usque 5-fidus laciniis ovato-lanceolatis parum acutis aequalibus; fructifer erectus, 3½ lin. longus. *Corolla* calyce angustior, tubulosa, pubescens, 5½-6 lin. longa, virescenti-alba, tubo cylindrico sub limbo gibbo, limbi brevis aequalis laciniis rotundatis acutis plicatis. *Stamina* 4 longiora tubo adnata. *Capsula* longitudine calycis. ⊙.

2. **Nicotiana Neesii** *Lehm.* villosa, basi albo-lanata, caule subsimplici erecto paucifloro, foliis inferioribus radicalibusque ovalibus petiolatis, superioribus sessilibus oblongis obtusis, floribus longe pedunculatis, laciniis calycis linearisubulatis, corollae tubo calyce duplo triplove longiore sub limbo inflato, limbi laciniis acutis, fructu reflexo.

In rupestribus umbrosis ad latus occidentale montis Brown, York, Septembri 1839. Herb. Preiss. No. 1912.

Radix simplex. *Caulis* semipedalis, gracilis, simplex aut ramo praeditus, inferius dense albo-lanatus, apice laxius. *Folia* in inferiori parte 2-3 approximata, 1½-1 poll. longa, in petiolum 6-9 lin. longum attenuata, obtusiuscula, pubescentia; caulina distantia, decrescentia, magis oblonga; horumque inferiora in formam petioli lati contracta, reliqua sessilia, cuncta obtusa. *Flores* in apice caulis nutante 2-3, cernui vel penduli, pedunculis calyce longioribus lanuginosis. *Calyx* 3 lin. longus, villosus, laciniis subulato-acuminatis. *Corollae* et *staminum* natura ut in praecedente, sed tubus paulo longior est et latior, limbi laciniis acutis. *Capsula* cum pedunculo (an semper) reflexa, calyce brevior. ☉.

Tribus IV. Solaneae. Endl. l. c. pag. 664.

PHYSALIS Linn. Endl. gen. n. 3851. Meisn. gen. pag. 277. (184. 366.)

1. **Physalis peruviana** *N. ab E.* herbacea, perennis, pilis simplicibus dense pubescenti-villosa, caule erecto subramoso, foliis cordatis acuminatis vel integris vel dentato-sinuatis subtomentosis, corolla maculata, antheris violaceis, calycibus fructus ovatis subaequalibus pallidis. Ueb. d. Gattung Physalis in Schlechtend. Linn. 6. pag. 464. n. 8. et in Linn. Transact. 17. pag. 67. — *Physalis pubescens*

*) Nomen *N. rotundifolia* nescio an errore typographico irrepserit, cum nihil rotundi in foliis conspiciatur neque apud auctorem de iis legatur. Retinebamus igitur nomen „fastigiata", cum etiam caulae plantae rami fastigiati essent.

R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. I. pag. 447. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 303. n. 1. ⊙.

In arenosis oppiduli Freemantle, Decembri a. 1838. (Probabiliter introducta.) Herb. Preiss. No. 1966.

SOLANUM Linn. Endl. gen. n. 3855. Meisn. gen. 277. (184.)

1. **Solanum (Maurella) rubrum** *Linn. N. ab E.* annuum, ramosum, diffusum, caule angulato costaque foliorum denticulatis, foliis ovato-oblongis basi apiceque attenuatis repando-dentatis, pedicellis fructus divaricatis pedunculo communi gracili brevibus (polline luteo). N. ab E. Sol. Ind. or. in Linn. Transact. 17. pag. 39.

   Var. *α* baccis rubris croceisve, floribus minoribus, caule foliisque glabriusculis. N. ab E. l. c.

   In arenosis ad fluvium Cygnorum prope oppidulum Perth. Herb. Preiss. No. 1967. ⊙.

2. **Solanum laciniatum** *Linn.* fruticosum vel herbaceum, glabrum, foliis vel pinnatifidis laciniis lineari-lanceolatis terminali elongata, vel integris lineari-lanceolatis elongatis, racemis lateralibus corymbosis simplicibus bipartitisve, calycibus semiquinquefidis, corollae laciniis emarginatis, baccis ovalibus. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 445. Opp. ed N. ab E. 3. 1. pag. 301. n. 4.

   Var. *β. Fruticosum.* foliis indivisis. R.Br. l. c.

   Var. *γ. Herbaceum.* foliis pinnatifidis. R.Br. l. c.

   Var. *β.* In arenosis insulae Rotenest, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1965. Var. *γ.* Ibidem, Augusto a. 1839. No. 1964.

CONVOLVULACEAE Juss.

(Auctore W. H. de Vriese.)

CALYSTEGIA R.Br. Endl. gen. n. 3801. Meisn. gen. 275. (181.)

1. **Calystegia sepium** *R.Br.* foliis sagittatis acutissimis: postice obtuse truncatis integris, bracteis acutis, calyce longioribus, dimidio corollae brevioribus, pedunculo angulato petiolum superante. Brown Prodr. pag. 483.

   Convolvulus sepium L.

   In solo sublimoso ad portum Lechenault, d. 7 m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1926.

   Planta satis exacte congruit cum plantis Europaeis, nisi excipere velis folia in nostro specimine paulo minora.

CONVOLVULUS Linn. Endl. gen. n. 3802. Meisn. gen. pag. 275. (181. 366.) (c. Ipomaea Jacq.)

1. **Convolvulus Preissii** *de Vriese.* caule volubili; foliis sagittatis, elongatis, lineari-lanceolatis, acutis, lobis posticis subbilobis, medio integerrimo; pedunculis solitariis, unifloris; calycibus ebracteatis, persistentibus.

Ad promontorium Cape Riche, d. 21 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1927.

Caulis tenuis, adpresse pilosus; *folia* pleraque una cum petiolo 2½ cent. longa, raro longiora; *pedunculi* tenues, bracteolis duabus minutissimis, linearibus, adpressis instructi, sursum parum incrassati; *calyx* pentasepalus, sepalis membranaceis acutis, post anthesin auctus; *corolla* infundibuliformis, calyce duplo longior; *stamina* inclusa; *capsula* globosa, dissepimento tenuissimo, pellucido, in duos loculos distincta, bivalvis, valvis membranaceis, acutis, loculis dispermis; *semina* angulata nigra.

2. **Convolvulus Hügelii** *de Vriese.* caule volubili, foliis hastatis, oblongis, integris, lobis posticis rotundatis aut repando-sinuatis, in basin acutam decurrentibus, lobo medio oblongo, obtuso, rarius e basi latiore sursum angustato; pedunculis unifloris, longissimis; calycibus ebracteatis, post florem auctis; „floribus roseis".

In solo limoso haud longe a praedio rustico Maddington, ad fluvium Cunning-River, d. 2 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1928.

Valde affinis speciei praecedenti, a qua praesertim differt forma foliorum. *Caulis* ut in *C. Preissii;* petioli sunt tenuissimi, 2-3 cent. longi, folia 2-4 cent. longa, rarissime juxta petiolum decurrentia; lobi laterales multas obferunt diversitates; in aliis sunt apicibus rotundati et versus nervum medium angustati, in aliis e basi latiore in apicem tenuiorem terminati sursumque directi, vel tandem incisi; lobo medio circiter ½-¾ cent. lato; *pedunculi* filiformes, 3-5 cent. longi; *bracteolis* linearibus patentibus instructi; *sepala* margine membranacea; *corolla* calyce duplo longiore; *stamina* inclusa. *Ovarium* ovatum, vix 1½ mill. longum in stylum simplicem setiformem, *stigmate* non distincto, terminatum; *capsula* bilocularis, 2-2½ mill. longa, 1½ fere mill. transversa diametro aequans in stylum simplicem persistentem tenuem terminata.

3. **Convolvulus adscendens** *de Vriese.* caule adscendente ramoso, tomentoso, ramis filiformibus; foliis lanceolato-linearibus, acutis dentatis, basi hastato-sagittatis, incisis, summis linearibus hastatis vel sagittatis, petiolis pedunculisque elongatis; calycibus pentasepalis, foliolis ovatis, acutis; „corollis albis".

In arenosis apertis distr. York, d. 16 m. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1924.

Caulis primum prostratus, subsimplex, sublignosus; *folia* radicalia basi valde diversa, hastata, sagittata, subpinnatifida, margine inciso; *folia* caulina integra, vix 2 mill. lata, fere 3 cent. longa; *pedunculi* bibracteolati; *calyce* foliaceo, margine membranaceo; *corolla* alba, infundibuliformis, quinqueplicata; *stylus* simplex; *capsula* bilocularis, bivalvis, seminibus quatuor irregularibus, nigris.

4. **Convolvulus subpinnatifidus** *de Vriese.* planta tota pilosa, humilis, erectiuscula, stolonibus repentibus; foliis varie incisis, subpinnatifidis; pedunculis oppositifoliis, unifloris; calycibus pentasepalis; corollis, calyce duplo longioribus, infundibuliformibus, quinqueplicatis, „roseis“.

In solo sublimoso fertili prope Beljarup, Hay, d. 4 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1925.

Planta pusilla. *Radix* simplex fibrosa; *caulis* ramuli assurgentes. *Folia* petiolata; *radicalia* subcordata, trifida, multifida, varie incisa; *caulina* subpinnatifida, *summa* linearia subhastata; *pedunculi* minutissime bibracteolati; *calyces* pentasepali; *corollae* calyce bis longiores.

ASPERIFOLIAE Linn.

Subordo I. Ehretiaceae Endl. gen. pag. 645.

HALGANIA Gaudich. Endl. gen. Suppl. pag. 1402. in Annal. Mus. Vind. Vol. 2. pag. 204. Meisn. gen. 278. (186.)

1. **Halgania littoralis** *Gaudich.* piloso-villosa pilis patentissimis, foliis cuneato-oblongis superne grosse acuteque serratis, corymbis terminalibus multifloris longe pedunculatis. — Gaud. in Freycinet. Voy. Botan. pag. 449. tab. 59. (figura mala.)

   Halgania corymbosa Lindl. Swan-River. Bot. pag. 40. n. 192. (fide specim.)

In Nov. Holl. austr. occident. in itinere ab Albany ad York 1839 lecta. Herb. Preiss. No. 1295. (Drummond n. 425.)

2. **Halgania Preissiana** *Lehm.* canescens pilis brevibus incumbentibus, foliis cuneato-lanceolatis superne grosse serratis serraturis patentissimis acutis, corymbis terminalibus 2-3-floris brevi pedunculatis.

In itinere ab Albany ad York 1839 lecta. Herb. Preiss. No. 1293.

„Frutex scandens“. *Rami* accepimus lignosi, teretes vix semipedales, inferne fuscescentes, superne pilis brevibus adpressis albicantibus magis canescentes, cortice rugoso-rimulosa, subtrichotomi. *Ramuli* digitales, erecti, superne foliosi, canescentes, apice floriferi. *Folia* sparsa, sessilia, substantia crassiuscula, in ramulis junioribus valde conferta, cuneiformia vel lanceolata, versus basin integerrima et valde angustata, superne apiceque grosse serrata, serraturis valde acutis patentissimis, pilis majoribus et rigidioribus albicantibus terminatis, utrinque canescentia, pilis raris incumbentibus vix ultra marginem porrectis, pollicem fere longa, sesquilineam et duas lineas superne lata, nervo medio subtus prominente percursa. Occurrunt etiam, praesertim in ramulis minoribus sterilibus, folia nonnulla breviora et

paullo latiora omnino integerrima. *Corymbi* terminales, 2-3-flori, pedunculati; *pedunculis* erectis strictis semipollicem vel pollicem longis, *pedicellis* gracilibus, in flore erectis, strictis, dein nutantibus, purpurascentibus et pilis adpressis cinerascentibus, nunc ebracteatis nunc bractea lineari-lanceolata, patentissima suffultis, semipollicaribus et longioribus. *Calyx* basi imprimis valde pilosus, profunde 5-partitus, segmentis e basi ovata linearibus, longe acuminatis. *Corolla* rotato-quinquepartita, fere *Boraginis officinalis* sed minor; tubus brevissimus ut videtur albidus; limbus pulcherrime cyaneus, lobis obovato-oblongis, acutiusculis, duas lineas et ultra longis, lineam vel sesquilineam latis, sub anthesi patentissimis, aestivatione contortim imbricatis, calyce paullo longioribus. *Stamina* tubo corollae imposita, in conum exsertum coerulescentem, apice quinquedentatum coalita; *filamenta* brevissima, incrassata; *antherae* introrsae, intus prope apicem rimula poriformi sensim elongata instructae, oblongae, basi emarginatae, apice in acumen membranaceum, lineare, planum, obtusum productae, dorso pubescentes. *Ovarium* oviforme, biloculare, glaberrimum, stylo staminibus paullo longiore, filiforme, glaberrimo, coeruleo stigmateque simplicissimo terminatum. *Ovula* in loculis gemina, medio dissepimento affixa. Fructus maturus . . . . . .

3. **Halgania anagalloides** *Endl.* pilosa, foliis cuneatis utrinque unidentatis vel integerrimis apice trilobis lobis obtusis muticis vel mucronulatis, corymbis lateralibus paucifloris. — Endl. in Annal. Mus. Vindob. Vol. 2. pag. 204.

In Nov. Holl. ad King George's Sound 1839. (Specimina manca sine No. accepta ex comparatione herb. Caesar. Vindob. determinata.)

HELIOTROPIUM Linn. Endl. gen. n. 3751. Meisn. gen. pag. 279. (187. 366.)

1. **Heliotropium curassavicum** *Linn.* caule herbaceo, foliis suboppositis angusto-lanceolatis obsolete venosis glabris glaucis spicis conjugatis solitariisve. Lehm. Asperifol. 1. pag. 34.

   β. chenopodioides foliis lanceolatis. Lehm. l. c.

   Heliotropium chenopodioides Humbdt. et Bonpl.

α et *β* In fluvio exsiccato Avon, prope praedium rusticum Dom. Philops, Victoria, 19. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1933.

Subordo II. BORRAGINEAE Endl. l. c. pag. 647.

MYOSOTIS Linn. Endl. gen. n. 3772 Meisn. gen. pag. 279. (188.)

1. **Myosotis staminea** *Lehm.* caulibus suberectis angulatis gracilibus, foliis lingulatis vel subspathulatis, racemis terminalibus solitariis ebracteatis secundis, pedicellis calyce patente dimidio brevioribus, corollae (albae) tubo calyce longiore, antheris exsertis.

In locis arenosis humidis prope lacum insulae Rotenest, m. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1934.

Planta multicaulis habitu fere *Myosotidis versicoloris*. *Radix* perpendicularis, ramosa, fusca, ut videtur perennis. *Caules* plures ex eadem radice, angulati, erecti et adscendentes, graciles, simplices vel superne in ramos nonnullos floriferos divisi, pilis albis rigidis patentissimis hispidi, semipedales pedales et longiores, apice in racemos elongatos abeuntes. *Folia inferiora* numerosa, ante florescentiam fere rosulata, sessilia, lingulata vel subspathulata, 2-3 pollices longa, 3-4 lineas lata, *superiora* sparsa, sensim minora, distantia, basi saepe latiora magis lanceolata, *omnia* obtusa, uninervia, siccata pilis albis tuberculis minutis impositis hispida. *Racemi* terminales et in superiorum foliorum axillis, solitarii, simplicissimi, spiciformes, ebracteati ante anthesin revoluti et conglobati, peracta florescentia valde elongati, erecti strictique, floribus secundis pedicellatis, pedicellis filiformibus calyce dimidio brevioribus. *Calyx* hispidissimus, albicans, in flore erectus, crescente fructu deflexus, ad medium usque 5-fidus, segmentis linearibus, acuminatis, aequalibus, patentibus. *Corolla* „alba," pro planta magna; tubus cylindraceus calyce longior; faux subnuda; limbus erecto-patens: laciniis oblongis rotundato-obtusis basi ut videtur gibbosis. *Filamenta* medio tubo adnata; antheris oblongis ultra faucem porrectis (ut in *Exarrhena suaveolente* fere, quae planta habitu omnino est diversa). *Stylus* staminibus brevior: stigmate oculo nudo vix conspicuo, sub lente capitellato. *Nuces* immaturae laevissimae, glaberrimae, griseo colore. 2.

MYOPORINEAE R.Br. Endl. gen. pag. 642.

(Auctore F. T. Bartling.)

MYOPORUM Banks. et Sol. Endl. gen. n. 3733. Meisn. gen. pag. 292. (201.)

1. **Myoporum tuberculatum** *R.Br.* foliis lanceolatis acutis serratis ramisque glanduloso-tuberculatis. R.Br. prodr. pag. 516.

In planitie clivuli calcarei Arthur's-head, Perth, 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1351.

„Frutex 8-10-pedalis. *Flores* albi." *Folia* 1-2 poll. longa, basi longe attenuata, pleraque integerrima, nonnulla majora apicem versus parce serrata. *Pedunculi* bini ternive inaequales, crassiusculi, sicuti ramuli cum foliis glanduloso-tuberculati. *Calycis* segmenta lanceolata. *Corollae* lobi basin versus medio villosuli.

2. **Myoporum insulare** *R.Br.* foliis lanceolatis basi attenuatis apice serratis ramisque laevibus, novellis viscidis; caule erecto. R.Br. prodr. pag. 516.

In colliculosis calcareo-arenosis prope oppidulum Freemantle, Perth, 17. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1352.

„Frutex orgyalis. Drupa matura violacea." Brownianae speciei nec specimina authentica nec descriptionem fusiorem vidimus, itaque nostra paulo

adhuc dubia. *Folia* sesquipoll. longa, oblonga potius quam lanceolata, pleraque breviter cuspidata, basi longe attenuata, integerrima, apicem versus nunc integerrima, nunc obsolete vel evidentissime serrata et quidem in eodem ramo. *Pedunculi* plerumque bini, rarius terni, quaterni vel solitarii, 2-4 lin. longi, crassiusculi, angulati. *Calycis* segmenta lineari-lanceolata, acuta, drupa subglobosa plus duplo breviora.

3. **Myoporum serratum** *R.Br.* foliis lanceolatis acutissimis serratis ramisque laevibus, calycis segmentis linearioblongis cuspidatis fructu globoso duplo brevioribus. R.Br. prodr. pag. 516.

Pogonia tetrandra Labill. Nov. Holl. I. pag. 59. tab. 83.

In littore rupestri promontorii Cape Riche, 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1349.

„Frutex 5-pedalis."

4. **Myoporum subserratum** *N. ab E.* foliis lanceolatis acutis, inferioribus subtilissime argute serratis superioribus integerrimis, cunctis ramisque glabris, ramulis novellis argute triquetris, floribus axillaribus fasciculatis limbo barbato.

In calcareo-arenosis ad fluvium Cygnorum haud procul ab urbicula Freemantle, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1247.

„Fruticulus 4-5-pedalis, erectus."

Persimilis *Myoporo serrato* R.Br., differt inprimis *ramulis acutangulis* subcompressis lateribus planis, et foliorum (inferiorum) *serraturis exiguis* magisque distantibus, superiorum (floralium) omnino nullis, his etiam saepe apice paulo latioribus et obtusiusculis. Reliqua ut in *Myoporo serrata*. *Flores* axillares, 4-8 in fasciculum collecti, pedicellis basi conjunctis. *Flores Lycii Europaei* florum fere magnitudine et habitu.

5. **Myoporum gracile** *Bartl.* ramis laevibus; foliis ellipticis vel lineari-lanceolatis acutis serratis; pedunculis capillaribus; calycis segmentis subulatis fructum globosum subaequantibus; corollae lobis supra villosis.

In humidis umbrosis Peninsulae, Perth, 15. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 2386: in arenosis vel turfoso-humidis inter frutices densos ad fluvium Cygnorum prope urbiculam Freemantle, 15. Dec. 1838. No. 1350.

„Frutex 2-4-pedalis. Flores albi. (No. 2386.),— Frutex 2-3-pedalis. Flores viridi-albi. (No. 1350.)"

Valde affine *M. serrato*, sed certe diversum. *Rami* laevissimi, glaberrimi, flexuosi, a basi ramulosi, inferne teretes, superne cum ramulis subtriquetro-angulati. *Ramuli* graciles, erecto-patuli. *Folia* sparsa, tenuiora quam congenerum, acutissima, basi breviter attenuata, subpetiolata, a basi fere dense et argute serrata, serraturis parvis, aequalibus, uninervia, subvenosa, glaberrima, supra obscure viridia, subtus multo pallidiora nonnunquam foveolato-punctata, adulta 1-1½ poll. longa. *Pedunculi* plerumque bini, gracillimi, flexuosi, capillares, superne paulo crassiores, glaberrimi, angulati, striati, semipollicares. *Calycis* ad basin 5-partiti, segmenta e basi lanceolata longe subulata, 1½ lin. fere longa, sub fructu flexuoso-patentissima. *Corolla* campanulato-infundibuliformis, calyce vix duplo longior, extus glabra, lobis supra villosis demum calvescentibus. *Drupae* siccae globosae, multo minores quam specierum affinium.

6. **Myoporum brevifolium** *Bartl.* foliis ovatis obtusis sinuato-dentatis subtus ramisque glanduloso-tuberculatis; calycis segmentis linearibus; corolla ventricosa fauce barbata.

In depressis humoso-arenosis umbrosis ad fluv. Cygnorum supra oppidulum Perth, 27. Sept. 1839 cum florr. Herb. Preiss. No. 2385; in rupestribus vallis Tooday valley Victoria, 15. Mart. 1840. No. 2382.

„*Frutex* 8-10-pedalis", glaberrimus, ramis ramulisque erecto-patulis, gracilibus, teretibus, substriatis, sparse glanduloso-tuberculatis. *Folia* sparsa, (divers. $^2/_5$) arcte sessilia, coriacea, e basi appressa patentia vel recurva, parce dentata, dentibus obtusis, marginibus incurvis basin versus concava, supra laevia, enervia, subtus uninervia, 3-5 lin. longa, 2-3 lin. lata. *Pedunculi* axillares, solitarii vel rarissime bini, folio duplo et ultra breviores, erecti, ebracteolati. *Calyx* pedunculum aequans vel longior 1 $^1/_2$ lin. longus, segmentis aequalibus, erectis, obtusiusculis, carinatis, subglandulosis. *Corolla* calyce duplo longior, „nivea, ventricosa", extus glabra, tubo recto cylindraceo calycem aequante, ad faucem parum ampliato, intus glabro, fauce ventricosa, limbo brevi subbilabiato?, lobis ovatis obtusis, duobus superioribus recurvis, glabris, inferioribus parum longioribus, ad faucem lanato-barbatis. *Stamina* inclusa. *Germen* oblongum, superne compressum. *Stylus* elongatus. *Stigma* obtusum.

Species foliis insignis, atque corollae figura et germinis structura in specimine florifero a me viso haud clare perspiciendis a congeneribus nonnihil diversa.

STENOCHILUS R.Br. Endl. gen. n. 3736. Meisn. gen. pag. 292. (201.)

1. **Stenochilus albicans** *Bartl.* pilis minimis fasciculatis incanus: foliis oblongo-lanceolatis acutiusculis basi longe attenuatis impunctatis integerrimis; pedunculis folio multiplo brevioribus; corolla glabra glanduloso-punctata.

In arenosis inter frutices prope oppidulum Freemantle, 16. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2304; in clivulo calcareo Arthur's-head, Perth, 23. Dec. 1838. No. 2303.

„Frutex 2-3-pedalis (No. 2304.) vel fruticulus humilis squarrosus. (No. 2303.)" *Rami* erecto-patuli vel adscendentes, cortice griseo fuscescente. *Ramuli* teretes, pilis minimis stellato-fasciculatis albis incani, apicem versus tomentosi fere. *Folia* sparsa, conferta, crassiuscula, plana, apice subrecurva, uninervia, avenia, $^3/_4$-1 $^1/_2$ poll. longa, 2-4 lin. lata, utrinque pilis minimis stellato-fasciculatis incana, demum parum calvescentia, minute tuberculata. *Pedunculi* solitarii, axillares, ebracteolati, 2-3 lin. longi, superne incrassati. *Calyx* pedunculo parum longior, 5-partitus, laxus, laciniis lanceolatis subtrinervibus, duabus interioribus paulo angustioribus brevioribusque. *Corolla* 8-9 lin. longa „sulphurea (No. 2303.), vitellina (No. 2304.)" glabra, glandulis pellucidis sparse punctata, tubuloso-clavata, supra basin parum constricta: labium superius tubo duplo fere brevius, breviter quadrifidum, laciniis cuspidatis, lateralibus reflexis: inferius superius vix aequans, lineare, obtusum. *Stamina* longe exserta, glabra. *Germen* glabrum, ovatum, quadriloculare, quadriovulatum, ovulis pendulis. *Stylus* stamina aequans, tenuis, filiformis, glaber, apice incurvus. *Drupa* subglobosa, magnitudine Pisi minoris, putamine durissimo, quadriloculari, dissepimentis primariis duris lignosis, secundariis tenuioribus, cartilagineis.

2. **Stenochilus subcanescens** *Bartl.* pilis minimis fasciculatis subcanescens demum glabrescens; foliis lanceolatis basi attenuatis subintegerrimis punctatis; pedunculis folio multiplo brevioribus; corolla glanduloso-pubescente.

In Nova Hollandia occidentali. Herb. Preiss. No. 2318.

Similis praecedenti, sed omnibus partibus minor et minus incanus. *Folia* ad lentem dense impresso-punctata, prope apicem haud raro uni-bidentata, dentibus obtusis. *Corolla* haud glabra, sed pilis brevibus erectis glanduligeris extus adspersa.

VERBENACEAE Juss.

(Auctore F. Th. Bartling.)

CHLOANTHES R.Br. Endl. gen. n. 3961. Meisn. gen. pag. 290. (199.)

1. **Chloanthes Bartlingii** *Lehm.* foliis sparsis ternisque sessilibus subtus ramisque tomentosis; calycibus foliisque floralibus lanatis. Lehm. Ind. sem. in h. Hamburg 1844 collector.

In calculosis ad radices jugi montium Darling's-range, 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2340.

Species distinctissima pulcherrima. *Rami* pedales recti, simplicissimi, teretes, dense albo-tomentosi, a basi foliati, crassitie pennae gallinaceae. *Folia* internodiis duplo circiter longiora, erectiuscula (nec appressa), sparsa vel terna subverticillata, arcte sessilia nec decurrentia, 1½ poll. longa, linearia apicem versus paulo attenuata, obtusa, subtus albo-tomentosa, supra initio laxe lanuginoso-villosa demum glabra, nitida, obscure viridia, bullato-tuberculata, tuberculis marginalibus majoribus subrotundis subdepressis uniseriatis marginem ipsum revolutum moniliformem reddentibus, tuberculis areae minoribus subquadriserialibus. *Flores* in spicam terminalem laxiusculam eximie lanatam digitalem congesti. *Folia* floralia lanceolata, acuminata, subtrinervia, margine bullato-tuberculato, subtus cum rhachide fuscescenti-lanata, internodia aequantia, superiora oblongo-lanceolata, acuta, plana, laevia, albido-lanata, flores inexpansos superantia. *Flores* secus rhachin solitarii, brevissime pedicellati, inferiorum paria semiunc. distantia. *Calyx* cum bracteis dense albido-lanatus, profunde quinquefidus, laciniis erectis, anguste linearibus, acutis, 5-6 lin. longis. *Bracteae* laciniis calycinis simillimae easque subaequantes. *Corolla* extus villoso-tomentosa, alba.

2. **Chloanthes coccinea** *Bartl.* foliis oppositis ternisve decurrentibus supra scabris subtus ramisque lanato-tomentosis; calycis hirsutissimi laciniis linearibus; pedicellis basi bracteatis.

In confragosis sylvae district. Hay, 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2339.

Fruticulus vix pedalis, trunco crasso, tortuoso, ramis simplicibus, flexuoso-erectis, subfastigiatis, teretibus, albo-lanato-tomentosis, a basi foliis dense obtectis. *Folia* opposita vel terna, erecta vel flexuoso-erecta, subimbricata, 1-1½ poll. longa, linearia, obtusissima, supra bullato-tuberculata, linea longitudinali recta transversalibusque impressis tubercula separantibus quasi areolata, tuberculis subquadriseriatis, subrotundis vel irregulariter polygonis, punctis elevatis piligeris demum nudis asperis, margine valde revoluta, ut pagina inferior tota obtegatur vel nonnisi strla albo-tomentosa in conspectum veniat, basi longe decurrentia, marginibus bullato-tuberculatis

ima basi unitis. *Folia floralia* ceteris simillima sed minora. *Flores* prope apicem ramorum axillares, solitarii, in spicam brevem rami apice foliato superatam arcte congesti, „coccinei“, magnitudine *Chl. Stoechadis*, breviter pedicellati. *Bracteae* oppositae, basi pedicellorum insertae, submembranaceae, lineares, planae, dorso hirsutae, calyce multo breviores, circiter 3 lin. longae. *Calyx* extus hirsutissimus, 6 lin. longus, profunde 5-fidus, laciniis linearibus vel lanceolato-linearibus, acutis, margine parum recurvis, nec tuberculatis, supra planis, laevibus, coloratis, basin versus glabris. *Corolla* calyce plus duplo longior, hirsutiuscula, tubo intus basin versus lanato. *Filamenta* cum stylo longe exserta, glabra.

AVICENNIEAE Endl. Endl. gen. pag. 638.

(Auctore F. A. G. Miquel.)

AVICENNIA Linn. Endl. gen. n. 3722. Meisn. gen. pag. 292. (200.)

1. **Avicennia tomentosa** *L.* foliis lanceolato-vel obovato-oblongis acutis vel obtusis, supra glabris, subtus incanis. Brown Prodr. pag. 518. (374.)

Crescit in limosis aqua-salsis ad ripam aestuarii prope portum Lechenault, 30. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1298.

Vix dubitandum videtur nostram esse eandem speciem quam illa quam *R. Brown* l. c. enumeravit; in nostris speciminibus autem folia subtus haud „tomentosa“ dicenda.

„Frutex 10-12-pedalis“. *Rami ramuli*que trichotomi, illi teretes, hi leviter compressi, cinerascentes pube furfuracea. *Folia* opposita decussata, *petiolis* inferne antice profunde sulcatis 1 cent. longis vel longioribus sustenta, supra glabra, nitentia, venulosa, subtus cinereo-incana, nervo medio prominente, costulis erecto-patulis fere obsoletis, coriacea, alia obovato-oblonga obtusa, pleraque lanceolato-oblonga, acuta vel acuminata, basi contracta, 6-10 cent. longa, 3-2½ lata. *Flores* nascentes in summis axillis glomerati, ad verticem glomerato-paniculati, terni et plures, tribracteati, *bracteis* ellipticis concavis. *Calycis* quinquefidi extus appresse pilosi laciniae 3 latiores lato-ovales obtusae, 2 angustiores, dorso convexo pilosulae, marginibus extenuatis ciliolatae. *Pericarpium* ovatum breviter rostellatum compressiusculum, 2 cent. longum et fere latum, coriaceum luteo-furfuraceum. *Plumula* biloba hirta, *cotyledones* plano-convexae, *radiculam* (in semine germinante) teretem, obtusam, basi hirtam, ad ½ alt. adscendentem, margine exteriore inter se recipientibus.

LABIATAE Juss.

(Auctore F. T. Bartling.)

Tribus V. Melissineae Benth.

MICROMERIA Benth. Endl. gen. 3616. Meisn. gen. pag. 285. (193.)

1. **Micromeria saturejoides** *Benth.* glabra: caulibus erectis ramosis; foliis subsessilibus subellipticis lanceolatisve obtusis planis; verticillastris laxis 8-10-floris; calycibus tenuissime pubescentibus cylindricis, dentibus abbreviatis lanceolatis, fauce intus villosa; corollis calycem vix excedentibus. Benth. Lab. pag. 380.

Mentha saturejoides R.Br. prodr. pag. 505.

In arvis prope Peninsulam Perth, 15. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 2322a in turfosis exsiccatis depressis prope urbiculam Perth, 13. April 1839. No. 2324.

„Flores albi et coerulei". *Caules* glabri vel tenuissime pubescentes. *Pedicelli* 1½ lin. longi. *Calyx* 13-nervis, anguste cylindraceo-campanulatus, basi angustatus, dentibus ovato-lanceolatis, abbreviatis, intus eximie niveo-barbatis. *Corollae* limbus exsertus, faux pubescens. *Stamina* limbum corollae aequantia.

Tribus VII. Prostantherae Benth.

HEMIANDRA*) R.Br. Endl. gen. n. 3631. Meisn. gen. pag. 286. (194.)

1. **Hemiandra rupestris** *Hügel.* erecta: ramis patentim pilosis; foliis late lanceolatis longe acuminatis basi angustatis complicatis falcato-recurvis 5-nervibus, subtus laxe pilosis; calycibus subsessilibus basi pilosis, labio superiori porrecto lato ovato acuminato pungente, inferiore paulo breviore bifido, laciniis semi-ovatis submuticis. — Hügel. bot. Arch. fasc. I. tab. 4. (icon. mediocr.) Benth. in Endl. Enum. plant. Hügel. pag. 78.

Ad Princess Royal Harbour, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2322b.

Rami et *folia* demum glabrata. *Calyx* fructifer 4 lin. longus, semigloboso-campanulatus, labio superiori basin versus saepius utrinque *unidentato*, inferioris laciniis apice recurvis, acutis.

---

*) Calycis labium superius in nonnullis speciebus nunc integrum nunc utrinque unidentatum, in una saepissime trifidum et perraro integrum, in alia quadam quoad genus adhuc paulo dubia semper trifidum.

2. **Hemiandra juniperina** *Bartl.* ramis inferne bifariam hispidulis; foliis glabris e basi appressa patentissimis lanceolatis subplanis 5-nervibus; novellis lanceolato-linearibus trinervibus subcomplicatis; calycis fructiferi e basi angustata semigloboso-campanulati glaberrimi labio superiore porrecto acuminato pungente, inferioris brevioris laciniis muticis semiovatis recurvis.

In arenosis prope oppidulum Freemantle, 7. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2308.

„Suffrutex adscendens. *Flores* violacei intus purpureo-punctati. *Ramus* adest primarius adscendens, lignosus, superne subtetragonus, glaber, crassitie pennae anserinae tenuioris fere, a basi opposite ramosus. *Rami secundarii* plerique circiter pedales, erecti vel adscendenti-erecti, subfastigiati, a basi foliati, tetragoni, striati, superne glaberrimi, internodiis inferioribus bifariam hispidulis, scil. faciebus duabus superne foliorum basibus terminatis, planis, glabriusculis, duabus alternis subcanaliculatis, setulis brevibus albidis reversis vestitis. *Ramuli* ex axillis omnium fere foliorum glaberrimi, breves, dense foliati, saepe nonnisi foliorum fasciculum sistentes. *Folia* glaberrima vel raro ima basi setulis nonnullis subciliata, coriacea, rigida, acutissima et mucrone rigido recto pungentia; ramea internodio plerumque breviora, 6-10 lin. longa, plana vel subconcava, lato-lanceolata, basi breviter attenuata, sessilia, 5-7-nervia, nervis supra impressis, subtus valde prominulis; ramulorum aequilonga quidem, sed multo angustiora, lanceolato-linearia vel linearia, basi vix attenuata semiamplexicaulia, trinervia concavo-canaliculata vel subcomplicata. *Flores* ramorum apicem versus et in ramulis axillares solitarii. *Pedunculi* glaberrimi, 2-3 lin. longi. *Bracteae* calyci approximatae eoque post anthesin breviores, patulae, glaberrimae, anguste lanceolato-lineares, acutissimae, complicatae. *Calyx* nonnunquam minutissime ciliatus, ceterum glaberrimus, post anthesin 4-5 lin. longus, e basi angustata ampliatus, semigloboso-campanulatus; labium *supertus* convexum, subrotundo-ovatum, in acumen porrectum complicatum, mucronato-pungens, lin. longum productum; *infertus* paulo brevius, breviter bifidum. *Corolla* calyce plus duplo longior, glabra. *Stylus* exsertus glaberrimus.

3. **Hemiandra hirsuta** *Benth.* caule prostrato hirsuto; foliis oblongo-linearibus basi longe attenuatis linearibusque concavis vel subplanis, subtus trinervibus hirsutis, supra pubescentibus, demum calvescentibus; calycibus hispidis turbinato-campanulatis, fructiferis amplis, labiis aequalibus, superiori lato-ovato acuminato subpungente, inferioris laciniis ovato-lanceolatis acutissimis; corolla pubescente. — Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 79

H. hispida Benth in Hügel. bot. Arch. fasc. I. n. 4. (in annot.)

In arenosis montis Eliza-mountain, Perth, 27. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2317.

„Suffrutex decumbens". Species robusta hirsutie canescens. *Folia* patentia 1-1½ poll. longa, 1-2 lin. lata, nervis supra haud conspicuis, subtus valde prominulis. *Flores* permagni. *Calyx* dense albido-hispidus. *Pedunculi* longitudine variant, nunc calycem aequantes, nunc duplo breviores. *Calyces* fructiferos haud vidi.

4. **Hemiandra brevifolia** *Benth.* caule prostrato pubescente; foliis lanceolato-linearibus linearibusque patentibus concavo-canaliculatis vel subcomplicatis, subtus 3-5-

nervibus pubescentibus demum glabrescentibus; calycibus hispidulis, fructiferis turbinato-campanulatis, labio superiori ovato acuminato pungente, inferioris brevioris laciniis lanceolatis acutissimis recurvis; corolla glabra. — Benth. in Hügel. bot. Archiv fasc. I. n. 4. (in annot.) et in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 79.

In arenosis montis Eliza-mountain, Perth, 20. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2306.

„Suffrutex prostratus." *Rami* superne ramulique pubescentia densa incani, obsolete tetragoni. *Folia* initio semiamplexicaulia, dein sessilia, nonnulla in ramis primariis latiora, 5-nervia, basin versus attenuata, pleraque anguste linearia, trinervia, 6-10 lin. longa. *Flores* multo minores quam speciei praecedentis. *Calyx* pilis brevissimis parce hispidulus.

5. **Hemiandra glabra** *Benth.* glaberrima: caule prostrato; foliis lanceolato-linearibus linearibusque patentibus concavo-canaliculatis vel subcomplicatis subtus trinervibus; pedunculis calycem subaequantibus; calyce fructifero turbinato-campanulato, labio superiore ovato breviter acuminato pungente, inferiore breviore laciniis semiovatis acutis subrecurvis; corolla glabra. — Benth. in Hügel. bot. Arch. fasc. I. n. 4. (in annot.) et in Endl. Enum. pl. Hügel pag. 79.

In arenosis prope lacum Keiermulu, Perth, 24. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 2307.

„Suffrutex pedalis. Var. fl. albo". Simillima *H. brevifoliae,* sed glabritie omnium partium, foliis paulo angustioribus longioribusque nec non pedunculis longioribus, ut videtur, specie diversa. Adest tamen ramus haud prorsus glaber sed setulis patentissimis vage adspersus.

6. **Hemiandra longifolia** *Bartl.* tota glaberrima: caule adscendente ramosissimo; foliis linearibus elongatis concavo-canaliculatis subtus trinervibus; pedunculis calycem aequantibus; calycis ampli turbinato-campanulati labio superiore acuminato pungente saepissime trifido, inferioris superius subaequantis laciniis lanceolatis pungentibus reflexis conniventi-decussatis.

In arenosis prope oppidulum Perth, 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2305.

„Suffrutex adscendens" vel potius fruticulus sesquipedalis a basi ramosissimus, glaberrimus, laevigatus, *ramis* inaequalibus adscendentibus erectisque subangulatis, a basi foliatis, junioribus viridibus. *Folia* flexuoso-patula, vel subincurva vel erectiuscula, rigida anguste linearia vel raro oblongo-linearia, basin versus parum attenuata, acutissima, mucrone interdum parum recurvo pungentia, supra laevia, subtus convexo-carinata, trinervia, nervis valde prominulis, sessilia, marginibus baseos in lineam elevatam decurrentibus, pleraque 1½ poll. longa vel longiora. *Pedunculi* in axillis foliorum superiorum solitarii, 4-6 lin. longi, immo longiores, folio florali tamen semper duplo triplove breviores. *Bracteae* calyci approximatae, eumque vix aequantes, anguste lanceolatae, acuminatae, pungentes. *Calyx* sub anthesi 6 lin. longus, turbinato-campanulatus, obsolete nervosus: labium *inferius* bifidum, laciniis lanceolatis acuminatis: *superius* parum longius raro integrum ovatum, saepissime trifidum, laciniis lateralibus nunc lanceolatis rectis pungentibus intermedio vix duplo brevioribus, nunc dentiformibus muticis, nunc obsoletis. *Corolla* magna, exserta, glabra, „labio superiore lilacino-punctato, inferiore albo. *Antherae* lilacinae".

7. **Hemiandra? incana** *Bartl.* tenuissime puberulo-incana: foliis superne recurvis lineari-lanceolatis linearibusque concavo-canaliculatis subtus 3-5-nervibus; calycibus brevissime pedunculatis, labio superiore tripartito, inferiore bipartito, laciniis omnibus lanceolato-subulatis pungentibus divergenti-porrectis.

In confragosis districtus Peel, 7. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 2316.

Fruticulus erectus?, ramis oppositis, patulis, superne ramulisque numerosis brevibus tetragonis, cum foliis calycibusque pube minima molli pulverulenta fere plus minus incani, demum glabrescentes. *Folia* 4-9 lin. longa, rigida, sessilia, patula et patentia, apicem versus saepius falcato-recurva, apice in mucronem pungentem breviter acuminata, supra laevia, ramulorum pleraque linearia subtus trinervia, ramea latiora, lineari-lanceolata, basi paulo attenuata, subtus 5-nervia. *Flores* in foliorum juniorum axillis solitarii. *Pedunculi* vix lin. longi. *Bracteolae* anguste lineari-lanceolatae, calycem subaequantes vel parum breviores, inferne calycis tubo appressae, superne falcato-divergentes. *Calycis* tubus $2\frac{1}{2}$-3 lin. longus, anguste cylindraceo-campanulatus, obsolete nervoso-striatus; limbus parum brevior, bilabiatus, labiis aequalibus, *superior.* tripartito, lacinia media lateralibus paulo longiore, *inferior.* bipartito, laciniis omnibus anguste lanceolato-subulatis concavo-canaliculatis. *Corolla* et *stamina* mihi non visa.

Species paradoxa nonnisi e paucis speciminibus imperfectis mihi nota. Habitus omnino *Hemiandrae*. *Calyx* proprium genus indicaret, nisi specie praecedente affinitas cum *Hemiandris* intima demonstraretur.

COLOBANDRA Bartl.

Calyx campanulatus, enervis, bilabiatus, labio superiore trifido lacinia media majore, inferiore subbreviore bifido. *Corollae* tubus brevis intus barbatus, faux ampliata; limbus bilabiatus, labio superiore subfornicato bifido vel emarginato, inferiore longiore patente trifido. *Stamina* 4, subadscendentia, inclusa. *Antherae* dimidiatae, connectivo elongato utrinque deflexo, extremitate altera loculum polliniferum gerente, altera sterili, staminum superiorum barbata. *Stylus* apice breviter bifidus, lobis acuminatus subaequalibus.

Frutices parvi, foliis mollibus oppositis vel rarius ternis obovatis oblongisve muticis integerrimis uninervibus subvenosis epunctatis. *Flores* axillares solitarii vel bini bibracteolati. *Calyx* intus nudus. *Corolla* extus pubescens vel villosa.

Genus *Hemiandrae* proximum, verumtamen et calyce et antheris nec non habitu diversum.

1. **Colobandra robusta** *Bartl.* foliis oblongis vel ovato-lanceolatis ramulisque sericeo-tomentosis; floribus subsessilibus subspicatis; foliis floralibus subtus calycibusque lanato-tomentosis; corollae labio superiore extus villoso.

In solo sublimoso ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2313.

„*Frutex* 5-pedalis". *Rami* crassitie pennae anatinae, vage ramulosi, albide sericeo-tomentosi, demum calvescentes. *Ramuli* densius sericeo-tomentosi, patentes, superne decrescentes, inferiores digitales. *Folia* opposita crassiuscula, internodio longiora, utrinque mollissime, subtus densius sericeo-

tomentosa, patentia, forma et magnitudine valde variabilia, lineari-oblonga, oblonga, elliptica, lanceolato-oblonga, ovato-lanceolata immo ovata, acutiuscula vel obtusa, basi attenuata vel angustata, subpetiolata, plana vel concaviuscula, uninervia, nervo supra impresso, subtus prominulo, supra avenia, subtus saepe venis aliquot simplicibus percursa, ½-1½ poll. longa, 3-5 lin. lata. *Flores* axillares solitarii, ad apicem ramulorum approximati ideoque subspicati. *Folia floralia* ceteris minora, flores vix superantia, albido- vel fusco-lanato-tomentosa. *Bracteolae* calyci appressae eoque paulo breviores, angustissime lineares. *Calyx* 3 lin. longus; tubo turbinato-campanulato; limbo paulo longiore bilabiato, labio *superiore* trifido, laciniis lanceolatis acuminatis intermedia majori, *inferiore* breviore bifido, laciniis ovatis subulato-acuminatis. *Corolla* 4-5 lin. longa; tubo calycem aequante, recto, cylindraceo, ad faucem sensim ampliato, extus glabro, intus ad staminum insertionem barbato; limbo exserto, labio *superiore* subrotundo breviter bifido convexo crenato, *inferiore* longiori plano subtus pubescente, supra glabro, ad faucem villoso-barbato, trifido, lobis lateralibus oblique subrotundis, intermedio late subrotundo bifido, undulato-crenato. *Stamina* medio tubo inserta. *Filamenta* glabra. *Stylus* glaberrimus.

2. **Colobandra moliis** *Bartl.* glanduloso-villosa: foliis subrotundo-obovatis basi cuneato-attenuatis; floribus solitariis pedunculatis.

In subumbrosis inter fragmenta rupium granit. district. York, 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2310.

„Frutex bipedalis“ pilis mollibus patentibus superne densioribus, longioribus acutis brevioribusque glanduligeris mixtis villosus, ramis erectis vel adscendentibus, teretibus, ramulis subcompresso-tetragonis. *Folia* recurva vel patentissima, subrotunda vel obovata, obtusissima, plana vel complicata, subtus venis aliquot simplicibus percursa, 4-7 lin. longa. *Flores* ad apicem ramulorum axillares, folium florale aequantes vel parum superantes. *Pedunculi* lin. longi. *Bracteolae* calycem subaequantes, anguste lineari-oblongae, utrinque acuminatae. *Calyx* 2½ lin. longus, limbo tubum dense villosum duplo longiore; labio *superiore* profunde trifido, laciniis planis acuminatis, lateralibus lanceolatis, intermedia majori ovata; *inferiore* breviore bifido, laciniis ovatis acuminatis. *Corolla* 3 lin. longa: tubus calycis tubum vix aequans, extus glaber, intus ad staminum insertionem barbatus, ad faucem valde ampliatus: limbus subcampanulatus extus villosulus; labio *superiore* breviore, calycem vix superante, lato, rotundato, breviter bifido; *inferiore* trifido, ad faucem villoso. *Stamina* brevia, filamentis glabris.

3. **Colobandra canescens** *Bartl.* villoso-canescens: foliis oppositis ternisve obovatis basi cuneato-attenuatis subpetiolatis; floribus subsessilibus.

In limoso-calculosis districtus Hay, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2314.

Fruticulus erectus vel adscendens, spithamaeus, caule pennam columbinam crassitie aequante, superne ramoso, ramis brevibus erecto-patulis, sicut folia pilis albidis eglandulosis incurvis subappressis canescentes. *Folia* 4-7 lin. longa, patentissima vel patenti-recurva, obtusa, plana vel complicata, avenia. *Flores* axillares, solitarii vel bini, remotiusculi, folio florali breviores. *Calyx* 2 lin. longus, villosus, bilabiatus; labio *superiore* trifido, *inferiore* breviore bifido, laciniis omnibus ovatis acuminatis planis. *Bracteolae* lineares, calycem aequantes fere. *Corolla* calyce duplo longior, extus villosa, tubo ad staminum insertionem intus barbato.

4. **Colobandra platyphylla** *Bartl.* foliis obovatis basi cuneato-attenuatis subpetiolatis, junioribus calycibusque tenuissime glanduloso-puberulis; floribus pedunculatis.

In calculosis montis Bakewell, York, 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2319.

„Suffrutex bipedalis“. *Rami* erecti, teretes, glabri, crassitie pennae gallinaceae. *Ramuli* oppositi, adscendenti-erecti, subtetragoni, sicut folia pedunculi calycesque pube minima glanduligera adspersi. *Folia* obovata vel subrotundo-obovata, obtusissima, plana, opaca, parce venosa, venis duabus infimis oppositis subtriplinervia, 3-12 lin. longa. „*Flores* lilacini“, axillares, solitarii, remoti. *Pedunculi* 1-2 lin. longi. *Bracteolae* calyci approximatae eumque longitudine aequantes, anguste lineari-oblongae. *Calyx* 3 lin. longus; tubo brevi campanulato; limbo amplo subbilabiato, labio *superiore* trifido, *inferiore* paulo breviore bifido, laciniis omnibus planis, ovatis, acutis. *Corolla* 5 lin. longa; tubus calycem aequans fere, cylindraceus, extus glaber, intus ad staminum insertionem villoso-barbatus: limbus exsertus, extus pubescens, labio *superiore* convexo bifido, *inferiore* duplo fere longiore trifido, ad faucem barbato, lobis undulato-crenulatis. Barba antherarum superiorum obsoleta. *Stylus* glaberrimus.

5. **Colobandra subvillosa** *Bartl.* ramulis pedunculisque villosis; foliis obovatis basi cuneato-attenuatis glanduloso-puberulis ciliatis; floribus pedunculatis.

In glareosis sylvae inter praedia rustica Dmm. Barker et Lennardt, York, 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 2311.

Persimilis *C. platyphyllae*, at ramulis villosis facile distincta. *Flores* axillares solitarii. *Pedunculi* vix lin. longi, post anthesin apice recurvi. *Bracteolae* deciduae. *Calyx* fructifer 3-3½ lin. longus, horizontalis; tubo campanulato obsolete multinervi, villoso; limbo subduplo longiore bilabiato, labio *superiore* trifido, laciniis a medio recurvis, lateralibus ovato-lanceolatis acuminatis, intermedia multo majori triangulari-ovata, acuta, labio *inferiore* porrecto bifido, parum breviori, laciniis ovatis, acutis. *Carpidia* oblique dimidiato-obovata, apice rotundata, reticulato-rugulosa. *Corolla* et stamina ignota.

6. **Colobandra? lanata** *Bartl.* foliis recurvis, obovatis basi cuneato-angustatis, supra villosis, subtus ramulisque albo-villoso-lanatis.

In glareosis districtus York, 25. April 1840. Herb. Preiss. No. 2315.

„*Frutex* bipedalis.“ *Folia* 3-5 lin. longa, concavo-complicata. *Flores* haud vidi.

HEMIGENIA R.Br. Endl. gen. n. 3632. Meisn. gen. pag. 286. (194.)

1. **Hemigenia parviflora** *Bartl.* foliis oppositis anguste lineari-oblongis linearibusque acutiusculis glabris; ramulis ultimis sericeis; floribus solitariis brevissime pedunculatis; calycibus foliisque novellis sericeo-ciliatis.

In arenosis ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2321.

Rami spithamaei, lignosi, nudi, superne ramulosi, crassitie pennam columbinam aequantes. *Ramuli* oppositi, patentes, plerique semidigitales, glabri, apice cum novellis argenteo-sericei. *Folia* internodio longiora, patentia, basi longe attenuata, concavo-canaliculata (an exsiccatione?) marginibus incurvis, supra obscure viridia, laevia, subtus pallidiora, uninervia, avenia, 8-12 lin. longa, 1 lin. lata. *Flores* in axillis foliorum superiorum. *Bracteolae* calyci approximatae eoque duplo fere breviores, angustissime lineares, obtu-

siusculae, sericeo-ciliatae. *Calyx* 2 lin. longus, tubo campanulato glabro, laciniis tubo paulo longioribus lanceolato-subulatis, sericeo-ciliatis, apice subrecurvis, duabus inferioribus paulo majoribus. *Corollam* et stamina haud vidi.

2. **Hemigenia argentea** *Bartl.* foliis oppositis erectis lineari-oblongis acutis basi attenuatis ramulisque argenteo-sericeis; calycibus demum solitariis; pedunculis calyce duplo brevioribus; calycis laciniis lanceolato-subulatis.

In rupestribus montis Currū, York. 15. April 1840. Herb. Preiss. No. 2327.

Affinis *H. sericeae*, sed omnibus partibus gracilior et tenuior. *Ramuli folia* et *calyces* pilis tenuissimis arcte appressis sericea argenteo-nitentia. *Rami* cum foliis adultis sero calvescentia. *Folia* ¾-1½ poll. longa, 1½-2 lin. lata, basin versus longe attenuata, internodio plerumque parum longiora, concava, uninervia, subtus subvenosa. *Calyces* fructigeri paulo minores quam *H. sericeae*, eodem modo in ramulorum basi dispositi. *Corolla* et stamina desunt.

3. **Hemigenia sericea** *Benth.* foliis oppositis erectis subimbricatis lineari-oblongis vel ellipticis submucronatis, adultis glabris, junioribus ramulis calycibusque sericeo-villosis; floribus axillaribus fasciculatis subsessilibus, demum solitariis bracteis ovatis bracteolisque deciduis; calycis dentibus lanceolato-subulatis. — Benth. in Endl. Enum. plant. Hügel. pag. 80.

In colliculis calcareis inter frutices pr. Pointwater, Perth, 18. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2333.

„Frutex 5-pedalis, erectus, ramis elongatis. *Flores* lilacini. Labium super. lato-ovatum, bifidum lilacino-striatum: infer. trifidum, lacinia media cordata: laterales oblongae.“

Folia 1-1½ poll. longa, 2½-3½ lin. lata. *Flores* in axillis superioribus fasciculati. *Bracteae* sub quovis fasciculo duae, ovatae, appressae, calyce triplo breviores: bracteolae anguste lineares. Fasciculi demum saepius in ramulos excrescunt, in quorum basi calyces fructigeri bracteis bracteolisque delapsis nudi, solitarii, remotiusculi, pedicellis ipsis triplo brevioribus insident. *Calycis* laciniae sub anthesi subaequales, deinde duae inferiores paulo elongatae, ut calyx subbilabiatus evadat. *Corolla* calyce triplo fere longior, extus glabriuscula, labii inferioris disco ad faucem villoso-barbato, tubo intus ad staminum insertionem dense barbato. *Antherarum* superiorum loculus sterilis apice pubescens. *Stylus* apice subaequaliter bifidus.

4. **Hemigenia barbata** *Bartl.* foliis oppositis oblongis obtusis villosis, basi ramulisque lanatis; floribus axillaribus solitariis binisve subsessilibus; calycis laciniis lanceolato-subulatis; corolla calyce paulo longiori pubescente.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 2320.

Ramus adest pedalis fere, rectus, crassitie pennae gallinaceae, superne ramulosus, villo cinereo-nigrescente dense obtectus, inferne calvescens. *Ramuli* remotiusculi, patentes, circ. digitales, albide villoso-lanati, a basi foliati. *Folia* internodio duplo triplove longiora, patula vel erecto-patula, summa subimbricata, coriacea, concaviuscula, margine plana, basi in petiolum brevissimum attenuata, uninervia, avenia, utrinque cinerascente-villosa, ad basin eximie villoso-lanata, 5-6 lin. longa, 2 lin. lata. *Flores* parvi, folio florali duplo breviores. *Bracteolae* minutae lineares. *Calyx* cinereo-

sericeus, tubo turbinato-campanulato, laciniis tubo duplo fere longioribus, lanceolato-subulatis, apice subrecurvis, supra pubescentibus, inferioribus paulo longioribus. *Corollae* labium *supertus* bifidum, *infertus* paulo longius trifidum, lobis lateralibus lineari-oblongis, intermedio apice bilobo; tubo intus ad staminum insertionem barbato. *Stamina* generis, at antherarum superiorum loculus sterilis vix apice pubescens (nec evidenter barbatus).

ANISANDRA Bartl.

Calyx turbinato-campanulatus, sub-13-nervis, subaequaliter 5-fidus, fauce nuda. *Corollae* tubus inclusus, intus pilosus: limbus bilabiatus; labio superiore recto, subquadrato, medio convexo, lateribus explanato, bifido, lobis emarginatis; inferiore patente longiore trifido. *Stamina* 4, adscendentia inclusa; superiora fertilia, antherarum loculo utroque descendente, altero sterili difformi apice barbato; inferiora sterilia, antheris bipartitis, lobis dependentibus effoetis. *Stylus* indivisus?

Genus hinc *Westringiae* illinc *Hemigeniae* affine. *Stamina* superiora *Hemigeniae* fere, inferiora *Westringiae*. *Corolla* labii superioris forma insignis. Habitus *Westringiae* fere vel *Microcorydis*.

1. **Anisandra glabra** *Bartl.*

In rupestribus inter frutices collium Konkoberuphills Kent, 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2328.

„*Frutex* 2-3-pedalis", erectus, glaber, vage ramosus ramis erecto-patulis, ramulis plerumque brevibus, solitariis vel ternis, subtrigonis, novellis tenuissime pubescentibus. *Folia* densa, terna, patentia vel erecto-patula, crassiuscula, coriacea, plana, lineari-oblonga, obtusissima, mutica, basi in petiolum ½ lin. longum attenuata, integerrima, utrinque laevia (vel exsiccatione transverse rugosa), obsolete uninervia, 3-5 lin. longa. *Flores* „coerulei" in ramulis axillares solitarii, brevissime pedunculati, vix 3 lin. longi. *Bracteolae* calyci approximatae, ½ lin. longae, lineares, obtusae, ad lentem pubescenti-ciliatae, persistentes. *Calyx* glaberrimus, laciniis tubum aequantibus, lineari-lanceolatis, obtusis, planis, erectis, duabus *infertortibus* ceteris paulo angustioribus longioribusque. *Corolla* extus glabra, limbo vix exserto. *Labium supertus* explanatum, area medio ovata convexa, marginibus planis, apicem versus alaeformibus fere. *Labium infertus* basi villoso-barbatum.

WESTRINGIA Smith. Endl. gen. n. 3633. Meisn. gen. pag. 286. (194.)

1. **Westringia Dampieri** *R.Br.* foliis quaternis linearibus margine revolutis, adultis supra glabriusculis; subtus calycibusque cinereis opacis; dentibus tubo dimidio brevioribus. R.Br. prodr. pag. 501. Benth. Lab. pag. 458.

In rupestribus graniticis montis Baldhead rarissima, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2325.

„Frutex 9-pedalis".

2. **Westringia rigida** *R.Br.* foliis ternis lineari-lanceolatis (linearibusve) divaricatis mucronatis pungentibus (ve'

muticis), adultis supra glabriusculis, subtus calycibusque cinereis; dentibus tubo dimidio brevioribus. R.Br. prodr. pag. 501. Benth. Lab. pag. 459.

In arenosis colliculosis insulae Rotenest, 19. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2309.

„Frutex 5-pedalis. *Flores* albi, pannosi, roseo-punctati". *Folia* in nostris speciminibus linearia, patentia vel patenti-recurva, longitudine valde variabilia, pleraquè mutica, supra scabriuscula, adulta subtus interdum calvescentia.

3. **Westringia serpyllifolia** *Bartl.* foliis ternis ovalibus petiolatis margine recurvis, adultis utrinque glabris; calycibus cinereis, laciniis lineari-lanceolatis tubo duplo longioribus.

In collibus calcareis haud longe a monte Manypeak vel Tjelberup, Kent, 18. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2312.

Ramt demum calvi. *Ramult* plerumque terni, patentes vel adscendentes, hexagoni, pube brevissima cinerascentes, apice albido-sericei. *Folia* coriacea, 2½-4 lin. longa, obtusa, basi rotundata, petiolo ½ lin. longo insidentia, supra obscure viridia opaca, subtus pallide viridia, glanduloso-punctata, novella utrinque pilis minutis, appressis parce adspersa. *Flores* infra apicem ramulorum axillares, solitarii, remotiusculi, brevissime pedicellati. *Folia floralia* ceteris conformia. *Bracteolae* calycis tubo appressae eoque breviores, anguste lineares. *Calyx* 2½ lin. longus, extus pilis appressis cinerascens, tubo brevi subcampanulato, laciniis subaequalibus, acutis, enervibus, margine subrecurvis. *Corolla* cum staminibus ignota. *Carpidia* e tubo calycis emersa, oblonga, rugulosa.

4. **Westringia capitata** *Bartl.* foliis ternis glabris ovatis obtusis planis, floralibus arcte imbricatis ciliatis basi cuneatis; floribus capitatis; calycis glabri dentibus tubo quadruplo brevioribus.

In calcareo-arenosis montis Baldhead, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2334.

Fruticulus erectus; foliis floralibus exceptis, glaberrimus ramis ramulisque patulis vel erectis, sexangularibus, basi interdum subpubescentibus. *Folia* internodium aequantia vel paulo longiora, coriacea, pallide viridia subglaucescentia, ovata raro ovalia, basi rotundata, in petiolum brevissimum angustata, uninervia, avenia, subtus minute glanduloso-punctata, 3-5 lin. longa. *Flores* in apice ramulorum in capitulum *Avellanae* mole arcte conferti, in foliorum florallum axillis solitarii, subsessiles. *Folia floralia* membranacea, subcolorata, demum cum calycibus decidua, externa ovato-subrotunda, apiculata, interiora, cuneato-obovata, cuspidata, apicem versus complicata, flore breviora. *Bracteolae* obsoletae. *Calyx* 3 lin. longus, glaberrimus, tubo pentagono turbinato, limbo 5-dentato, dentibus lanceolato-subulatis. *Corolla* coeruleo-purpurea (ex sicc.), extus glabra, tubo intus ad staminum insertionem fasciculato-barbato, limbo exserto. *Stamina* et *stylus* omnino congenerum.

MICROCORYS R.Br. Endl. gen. n. 3634. Meisn. gen. pag. 286. (194.)

1. **Microcorys virgata** *R.Br.* foliis linearibus obtusis calycibusque glabris; bracteis caducis; caule erecto, ramis filiformibus. R.Br. prodr. pag. 502.

Inter rupium rimas summitatis montis Wuljenup, Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2330.

„Frutex 4-pedalis. *Flores* violaceo-albi". Alium pro *M. virgata* sumsisse videtur Cl. Bentham, quoniam caulem diffusum et folia internodia aequantia et margine subrevoluta descripsit. Nostra, quam veram *Brownianam* habere fas erit, certe *erecta* iterato-ramosa, *ramis* plerumque ternis patentibus gracilibus, *foliis* densis internodio longioribus saepe ad unum latus curvatis, subtus convexis enervibus, supra canaliculatis, margine haud revolutis. *Bracteae* submembranaceae lineari-lanceolatae caducae, vix semilineam longae. *Corollae* galea extus hirsuta.

2. **Microcorys selaginoides** *Bartl.* foliis oblongo-linearibus obtusis scabriusculis; calycibus glabris; bracteis caducis; caule erecto virgato-ramoso, ramulis pubescentibus.

In turfosis humidis umbrosis inter frutices densos montis ad Two peopled Bay, Plantagenet, 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2332.

„Flores albi". Fruticulus circiter pedalis, trunco pennam anatinam crassitie aequante, erecto, mox supra basin ramoso. *Rami* erecto patuli, virgati, subfastigiati, dense foliati. *Ramuli* angulati, tenuiter pubescentes. *Folia* valde approximata, internodio pluries longiora, 3-4 lin. longa, erecto-patula, saepe sursum curvata, obtusissima, basi in petiolum brevissimum attenuata, setulis nonnisi ad lentem conspicuis scabriuscula, dorso convexa, enervia, supra concavo-canaliculata, margine plana. *Flores* in axillis foliorum superiorum solitarii vel saepius bini, paulo majores quam *M. virgatae*, ceterum, sicut bracteae, simillimi.

GENTIANEAE Juss. Endl. gen. p. 599.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Gentianeae verae. Subordo I. CHIRONIEAE Endl. pag. 600.

ERYTHRAEA Renealm. Endl. gen. n. 3343. Meisn. gen. pag. 261. (170.)

1. **Erythraea australis** *R.Br.* floribus sessilibus subsecundis, bracteis superioribus calyce brevioribus, foliis ovali-oblongis obtusis trinervibus. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 451. Opp. ed N. ab E. 3. 1. pag. 307. Griseb. gen. et Sp. Gent. pag. 148. G. Benth. in Endl. Enumerat. pl. Hügel. pag. 81. n. 295.

In vadis exsiccatis ad flumen Cygnorum prope oppidulum Freemantle, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1959.

„Flores pallide rosei" (Preiss.) ⊙.

Subordo II. MENYANTHEAE Endl. gen. pag. 605.

VILLARSIA Vent. Griseb. Gent. pag. 336. Meisn. gen. pag. 259. (168.) Endl. gen. n. 3565. ex parte.

1. **Villarsia parnassifolia** *R.Br.* foliis radicalibus ovato-cordatis repando-dentatis (subdentatisve), caule elongato nudiusculo monophyllo, floribus paniculatis (dimidiato-cymosis), corollae laciniarum marginibus integris, capsula calycem superante, valvis bifidis, seminibus scabriusculis. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 457. ed. N. ab E. pag. 313. Benth. in Endl. Enumerat. pl. Hügel. pag. 82.

   Swertia parnassifolia Labill. Nov. Holl. 1. pag. 72. t. 97.

   In solo turfoso humido planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1957.

   „Flores aurei". (Preiss.)

   Forma minor, circiter pedalis.

   Foliis minoribus ovatis basi cordatis sinu brevi angusto a reliquis facile distinguitur.

2. **Villarsia reniformis** *R.Br.* foliis radicalibus suborbiculatis reniformi-cordatis integerrimis aut obtuse crenatis, caule elongato multifloro nudiusculo (monophyllo), floribus paniculatis (dimidiato-cymosis), corollae laciniarum marginibus integris retusis, capsula calycem aequante. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 457. ed. N. ab E. pag. 313. n. 2.

   Villarsia parnassifolia Griseb. Gent. pag. 339. n. 4.

   Menyanthes exaltata Sims. t. 1029?

   In aquis stagnantibus prope oppidulum Perth, Octobri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1958.

   A praecedente satis differre videtur statura majore, foliis suborbiculatis sinu baseos latiore, caule multifloro. ⊙?

   „Flores albi". (Preiss.)

3. **Villarsia latifolia** *Benth.* foliis late orbiculatis acute repando-dentatis, caule erecto foliato, floribus paniculatis (dimidiato-cymosis), corollae laciniarum marginibus integris. Benth. in Endl. Enumerat. pl. Hügel. pag. 81. n. 297.

   In uliginosis ad portum Lechenault, Decembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1955.

   Caule magis folioso, foliis evidentius acutiusque dentatis, corolla sepalis breviore (flava), calyce ovario adhaerente, placentis vix medium parietem attingentibus a reliquis differt. — Radix fibrosa, fasciculata. ⊙?

   Cl. Bentham merito secutus, *Villarsiam latifoliam* distinctam speciem adferre non dubitavi. Quod postquam feci, et *Villarsiam cordifoliam* disjungere debui. Nescio an recte fecerim; id solum certo scio, tres species hic enumeratas aut in unam eandemque speciem esse colligendas, aut cunctas ut species esse distinguendas.

4. **Villarsia capitata** *N. ab E.* foliis reniformi-orbiculatis repando-subcrenatis subtus porosis cauleque erecto foliato glabris, floribus capitatis, capitulis involucratis pedunculisque villosis.

In paludosis ad flumen Canning, Perth, Novembri a. 1841. Herb. Preiss. No. 1956.

Radix fibrosa. *Caules* 2-3 ex una radice, 6 poll. longi, erecti. teretes, laeves et glabri, simplices aut dissite ramosi et tunc foliosi. *Folia* radicalia plura longius petiolata, petiolis teretibus basi dilatatis; lamina 6 lin. lata, 4 lin. alta, basi haud profunde cordata, caetero ambitu rotundata, crenatolobata aut repando-crenata, crassiuscula, viridia, subtus punctis intrusis sparsis porosa. *Folia* caulina 2-3, brevius petiolata, ramulum aut pedunculum ex angulo proferentia; petiolus basi vaginans. *Pedunculi* ½-1 poll. longi, laxe villosi, nudi. *Capitula* in pedunculi caulisve apice solitaria, subglobosa, Piso duplo majora, multiflora, suffulta *bracteis* duabus suboppositis latis amplectentibus, quarum altera capitulo saepe paulo altior foliolo subrotundo, altera (superior) mucronulo terminatur. *Bracteola* ovalis, obtusa, villosa sub singulo flore, membranacea, calycem aequans. *Flores* sessiles. *Calyx* 1½ lin. longus, dense villosus, praesertim ad basin, 5-partitus, laciniis lanceolatis subulato-acuminatis, acumine minus villoso. *Corolla* calyce brevior, rotata, lutea, 5-partita, laciniis ovalibus obtusis, apice incurvis, basin versus subcuneatis. *Antherae* in apice tubi brevissimi subsessiles, lineari-oblongae, basi sagittatae, locellis parallelis. *Stylus* longitudine ovarii; *stigma* bilamellatum. *Capsula* calyce brevior, ovalis, compressa, stylo coronata, membranacea, probabiliter non dehiscens, unilocularis, receptaculis seminum parietalibus oppositis, vix ad medium parietis protensis. *Semina* 10-12, discoidea, immarginata, ad hilum oblique subsinuata ut in reliquis. ⊙.

Alieni aliquid habet haec species, sed plerisque iisque gravioribus characteribus cum charactere generis congruit.

Tribus VII. Mitrasacmeae Meisn.

MITRASACME Labill. Nov. Holl. 1. pag. 36. t. 49. Endl. gen. n. 3566. Meisn. gen. pag. 261. (170.)

1. **Mitrasacme paradoxa** *R.Br.* caule erecto (diffuse ramosissimo) glabro, foliis lineari-lanceolatis pilosis basi connatis, floribus umbellatis, (involucro diphyllo) calyce *bifido*, capsula inclusa. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 454. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 310. G. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 81. n. 296.

In glareosis inter frutices prope oppidulum Albany, Plantagenet, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 2377.

Planta tenera, laxa, ramosissima. *Umbella* in ramis ramulisque 2-5-fida, simplex, pari foliorum involucrata. *Pedicelli* longi, gracillimi, subinde et pedunculi uniflori subnudi. *Corolla* lutea, calyce brevior.

APOCYNEAE R.Br.

ALYXIA Banks. Endl. gen. n. 3393. Meisn. gen. pag. 263. (172.)

1. **Alyxia capitellata** *Benth.* foliis oppositis ovali-oblongis obtusis cum mucrone calloso basi angustatis utrinque laevibus supra obscure venosis, florum capitulis in dichotomiis sessilibus terminalibus plurifloris, stigmate barbato. Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 81.

„Frutex 2-4-pedalis. Flores albi".

Crescit in clivulis arenosis insularum Gardenisland et Carnac, 8. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1299.

Observ. I. Num haec et paucae aliae species quibus *stigma barbatum* et *embryo curvatus* a genere removendae et genus *Gynopogon Forst.* restituendum?

Observ. II. Haec species a Cl. *Alph. DC. Prodr. VIII.* omissa in addendis pag. 676. cum *Alyxia buxifolia* confusa, quae teste cl. *Bentham* l. c. probe diversa habenda est.

LOGANIACEAE Endl. gen. pag. 574. Loganeae R.Br. in Flind. voy. 2. pag. 564.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Subordo II. LOGANIEAE Endl. l. c. pag. 576. Tribus V. Euloganieae Endl. l. c.

LOGANIA R.Br. Endl. gen. n. 3364. Meisn. gen. pag. 258. (167.)

§. 1. Loganiae verae R.Br. Endl. l. c.

* Stipulis vaginalibus, calycibus obtusis brevibus.

1. **Logania latifolia** *R.Br.* foliis obovatis utrinque acutiusculis, floribus corymbosis (confertis), ramulis laevibus, caule erecto. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 455. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 311. n. 2. R. et Sch. S. V. 4. pag. 199. n. 2.

Exacum vaginale Labill. Nov. Holl. 1. pag. 37. t. 51.

In calcareis inter frutices montis Baldhead ad sinum regis Georgii III., Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1244.

„Frutex bipedalis. Flores albi, odorati".

? *β.* **laxior.** foliis ex oblongo ellipticis, corymbo laxiori.

In glareosis umbrosis montium Melville et Clarence, Plantagenet, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1248.

„Frutex quadripedalis. Flores albi".

2. **Logania longifolia** *R.Br.* foliis lanceolatis acutis planis (1-2½ uncias longis), vagina intrapetiolari truncata corymbis trichotomis, pedicellis glabris. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. l. c. pag. 456. (312.) n. 5.

In solo calcareo clivuli ad fluvium Cygnoram haud procul ab urbicula Freemantle, Perth, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1246.

„Frutex orygalis".

β. **angustior.** ramis laxioribus, foliis superioribus angustioribus lineari-lanceolatis.

In arenosis umbrosis vallis haud procul ab ora maris Perth, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1245.

Frutex 5-pedalis. Corolla alba".

§. 2. Euosma R.Br. Endl. l. c.

** Stipulis lateralibus, apice acutis, subinde obsoletis, calycibus obtusis brevibus.

3. **Logania (Euosma) bracteolata** *N. ab E.* foliis (parvis) lanceolato-linearibus obtusis basi attenuatis rigidis obtusis convexis glabris; stipulis lateralibus triangulari-subulatis obsoletisve, pedunculis axillaribus uni-trifloris folio brevioribus, pedicellis sub flore bibracteatis glabriusculis, ramulis pubescenti-scabris, caule fruticoso erecto ramosissimo.

In calcareis inter frutices montis Baldhead ad sinum regis Georgii III., Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1249.

Fruticulus *Myrstnes* vel *Empetri* facie. *Rami* teretes, juniores tetragoni pubescentia minutissima vestiti, scabri, fuscescentes. *Folia* conferta, 2-3 lin. longa, in petiolum brevem attenuata, crassa, glabra, supra concava, subtus convexa, et (in siccis) rugulosa, margine integerrimo obtuso subdiscreto. *Pedunculi* breves, glabri, subinde scabriusculi, e cymula triflora saepe uniflora. *Bracteae* duae subulatae ad divisuram et sub singulo calyce, subciliatae. *Calycis* laciniae ovatae, obtusiusculae, ciliolatae, corollae tubum aequantes. *Corolla* parva (vix lin. 1 lata), „alba" (Preiss), subrotata, laciniis ovatis obtusis obliquis, basi faucibusque albo-hirsutis. *Stamina* juxta basin tubi inserta, inclusa, antheris oblongis. *Ovarium* globosum, annulo cinctum; stylus brevis; stigma conicum. *Capsula* calyce persistente multo longior, subglobosa, in superficie subvenosa, pallida, alte bilocularis, apice dentibus 4 dehiscens. *Placenta* in singulo loculo prope a basi dissepimento adfixa, hemisphaerica (!). *Semina* in quoque loculo 8, oblonga, convexa, transversim rugulosa, fusca, umbilico centrali infero lineari.

§. 3. Stomandra R.Br. Prodr. l. c. pag. 456. (N. ab E. 312.) Endl. gen. l. c.

*** Calycis laciniis angustis acuminatis. Stipulis lateralibus nullisve. Staminibus juxta fauces insertis semiexsertis. Capsula teneriori bipartibili. An generis proprii typus?

4. **Logania (Stomandra) hispidula** *N. ab E.* herbacea, hispidula, foliis ovatis subsessilibus distantibus, stipulis interpetiolaribus latiusculis, floribus cymulosis cymulis axillaribus paucifloris.

In confragosis umbrosis silvae prope montem Wuljenup, Plantagenet, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1243.

„Herba pedalis". *Caules* plures ex una radice, erecti, trichotomi, graciles, tetragoni angulis acutis, ad angulos et circa articulos setulis brevibus hispidi. Articuli longi. *Folia* 3 lin. vix longa, ovata, obtusiuscula cum mucronulo, rigidula, articulis caulis multo breviora, circa margines hispidulo-ciliata, superiora decrescentia. *Stipulae* late trigonae, ciliolatae. *Pedunculi* ex alis foliorum superiorum, rari, haud oppositi, hispidi, ipsi folio breviores, sed cum floribus folio florali saepe duplo longiores, cymuloso-trifidi, tri-quinqueflori, altero ramo saepe abortivo. *Bracteolae* setaceae, hispidae. *Calyx* 1½ lin. longus, laciniis subulato-acuminatis subhirsutis. *Corolla* nostro specimini deest. *Capsula* 1¼ lin. longa, ad medium usque bivalvis, valvulis etiam profunde bifidis, chartaceis, dissepimento a basi ad medium fere carpellorum marginibus inflexis persistente, at facile partibili. *Placenta* cujusque loculi a basi ad medium dissepimento adnatae. ♃.

„Corolla alba". (Preiss.)

A *Logania serpyllifolia* R.Br. imprimis differt floribus axillaribus nec terminalibus.

5. **Logania (Stomandra) hyssopoides** *N. ab E.* herbacea, glabra, foliis lineari-lanceolatis, stipulis interpetiolaribus truncatis, floribus terminalibus subcapitatis, pedicellis brevissimis calycibusque hispidulis.

Ad sinum regis Georgii III., Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1242.

Similis esse videtur *Loganiae campanulatae* R.Br., sed diversa sane ab hac est stipulis sat evidentibus. Summopere affinis est speciei praecedenti quod ad habitum, internodia longa et calycis fructusque attinet, sed *folia* 9-4 lin. longa, 1¼-¾ lin. lata, *lanceolata*, obtusa cum mucronulo, marginibus nonnihil recurvis, (brevissime etiam petiolata,) glabra. Florum *cymula* saepe triflora, vel pedunculis lateralibus etiam divisis 5-7-flora, propter pedunculos brevissimos capitulum refert. *Bracteae* communes ad basin capituli foliis similes sunt. *Calyx* 2 lin. longus, setulis brevissimis hispidulis, quemadmodum etiam pedicelli vix lin. longi. *Corolla* calyce paulo longior, subrotata, tubo scilicet longiusculo cylindrico, limbi laciniis patentibus, obovatis. *Stamina* limbum subaequantia. *Capsula* ut in praecedente. — *Radix* repens? ♃.

RUBIACEAE Juss.

(Auctore F. T. Bartling.)

Tribus 1. Opercularieae Juss. A. Rich.

OPERCULARIA A. Rich. Endl. gen. n. 3097. Meisn. gen. pag. 173. (120.)

1. **Opercularia vaginata** *Labill.* glabra: caule erecto basi sublignoso subangulato; foliis linearibus; stipulis in vaginam longam concretis apice utrinque breve bidentatis; capitulis globosis nudis terminalibus. — Labill. Nov. Holl. I. pag. 34. tab. 46.

In calcareis umbrosis ad fluvium Cygnorum prope oppidulum Freemantle, 15. Aug. 1839 (specim. florent.) Herb. Preiss. No. 2429, in collibus calcareis prope Limekiln, Perth, 15. Dec. 1838 (spp. fructifera). No. 2433.

2. **Opercularia multicaulis** *Bartl.* glabra suffrutescens: caulibus erectis subangulatis; foliis linearibus; stipulis in vaginam brevissimam utrinque bidentatam concretis; capitulis globosis terminalibus nudis.

Ad Princess Royal Harbour. Herb. Preiss. No. 2432.

Simillima *O. vaginatae*, sed paullo robustior et vaginis brevissimis appendiculbusque vaginarum longioribus diversa, nec non *O. spermacoceae* Labill., quae foliis subtriquetris brevioribus et ramulis infra vaginas pilosis recedere videtur. Vereor tamen, ne omnes tres revera nonnisi unius speciei formae sint.

3. **Opercularia hispidula** *Endl.* caule tetragono foliisque petiolatis ovato-lanceolatis acutis integerrimis setoso-hispidulis; stipulis subulatis edentatis; capitulis axillaribus terminalibusque nutantibus pedunculo longioribus. Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 58.

In depressis umbrosis sylvae prope Monger'slake, Perth, aborig. Battă, 4. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2431.

„Herba perennis, tripedalis".

4. **Opercularia purpurea** *Bartl.* setulis patentissimis hispida; caule erecto ramisque quadrangulis; foliis ovatis oblongisque acutis integerrimis subpetiolatis; stipulis brevissimis lanceolatis basi concretis; capitulis axillaribus terminalibusque nutantibus pedunculo longioribus; stylis elongatis.

In asperis umbrosis montium continuorum Darling's range, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2430.

Affinis *O. hispidulae* Endl. et *pauciflorae* Endl. sed ab utraque luculenter diversa. *Caulis* spithamaeus, ramulosus, superne simpliciusculus, crassitie pennae columbinae, a basi setulis albidis patentissimis, ipsius diametrum subaequantibus superne et ad nodos densioribus hispidus. *Folia* 5-8 lin. longa,

caulina ovata vel ovato-lanceolata, basi in petiolum vix manifestum cuneato-angustata, ramea oblonga vel lineari-oblonga, subsessilia, omnia margine subrecurva, ciliata, supra setulis sparsis hispidula, subtus pallida, praecipue in nervo hispida. *Vagina* stipularis brevissima, utrinque dentes 2 lanceolatos semilin. longos apice recurvos exserens. *Capitula* Pisi minoris mole cum pedunculo brevissimo hispida. *Styli* eximie elongati, purpurei.

STYLIDEAE R.Br.

(Auctore O. G. Sonder.)

STYLIDIUM Swartz. R.Br. Endl. gen. n. 3093. Meisn. gen. 238. (146. 364.)

Sect. I. Tolypangium Endl. gen. l. c. DC. Prodr. VII. pag. 332.

A. Herbae scaposae. *Squamae* scariosae ad collum. *Folia* radicalia basi attenuata. *Flores* racemosi. *Calycis* labium exterius 2-, interius 3-partitum.

1. **Stylidium carnosum** *Benth.* scapo elato glabro vel apice glanduloso-pubescente, foliis radicalibus petiolatis suborbiculatis carnosis glabris squamis scariosis interstinctis, racemo subsimplici, calycis glanduloso-pubescentis labiis partitis. Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. n. 238.! DC. prodr. 7. pag. 332.

In glareosis sterilibus ad radices montis Barrow, Plantagenet, d. 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2234. (Drummond n. 530!)

2. **Stylidium leptostachyum** *Lindl.* scapo simplici glaberrimo discolore, foliis obovatis acutis longe petiolatis, racemo simplici elongato, rachi ovariis pedicellisque glandulosis. Lindl. Swan-River Bot. pag. XXVIII.

In arenosis silvae prope lacum Monger'slake, Perth, d. 2. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2233. (Drummond!)

Truncus crassus. *Scapus* fistulosus, in planta exsiccata angulosus, glaberrimus, purpurascens, hinc inde praesertim versus apicem squamis lanceolatis fuscis munitus. *Folia* radicalia crassiuscula, obovata, acuta, in petiolum angustata, submarginata. *Squamae* interstinctae fuscae, semipollicares, saepius pollicares. *Racemus* elongatus, simplex, apice densiflorus, rachi, pedicellis, calycibusque glandulosis. *Pedicelli* breves, supremi subnulli. *Calycis* bilabiati lobi subglabri. *Corollae* albae laciniae oblongae, subaequales. *Labellum* violaceum, ovatum, vel subacuminatum, inappendiculatum. *Columna* basi latior. *Faux* glandulis stipitatis, coronata. *Capsula* ovoidea, 2 lin. longa, pauciglandulosa, obsolete-costata.

Differt a *Styl. carnoso*, cui simile: foliis longioribus acutis, marginatis, minus crassis, et squamis scapi numerosioribus purpureis, non foliaceis.

3. **Stylidium pilosum** *Labill.* scapo glanduloso-pubescente subramoso, foliis planis elongatis lanceolato-ensiformibus. Labill. Nov. Holl. 2. pag. 63. t. 213. R.Br. prodr. pag. 567.

In calculosis prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum, d. 15. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 2292.

4. **Stylidium affine** *Sond.* scapo villis longis brevibusque glandulosis hirsuto, foliis linearibus glabris margine revolutis, panicula racemosa, fauce dentibus 2 maximis alaeformibus, 2 minoribus filiformibus coronata, labello appendiculato.

In confragosis montium continuorum Darling's-range, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2291. (Drummond n. 525! Vasse-river Mrs. Molloy!)

Radix fibrosa, fibris elongatis simplicibus tenuibus, pallidis. *Scapus* teres, fistulosus, pedalis et ultra, dense pilosus, pilis inaequalibus, omnibus glanduliferis. *Folia* radicalia scapo subbreviora, linearia, rarissime lanceolato-linearia, 1-2 lin. lata, in petiolum angustata, glaberrima, margine revoluta, rigida. *Squamae* interstinctae pallidae, foliis latiores, scapi paucae lanceolatae 2-4 lin. longae, basi latiore sessiles. *Pedunculi* inferiores reliquis longiores, pollicares et ultra, apice 2-3-flori; superiores multo breviores plerumque biflori, bracteis lanceolato-linearibus suffulti. *Calyx* exsiccatione nigrescens, circ. 3 lin. longus, tubo ovato, limbi lobis linearibus, ut tota panicula pilis brevibus glandulosis vestitus. *Bracteolae* lineares. *Corollae* albidae laciniae obovatae obtusae basi angustatae, inaequales, superiores minores sed conformes, omnes pilis sparsis glandulosis (in sicco atris), obsitae. *Labellum* appendiculatum, appendiculis 2 filiformibus labello brevioribus. *Faux* dentibus 2 oblongis alaeformibus et 2 filiformibus coronata. *Capsula* ovoidea, irregulariter costata, glanduloso-pubescens.

β. **minus.** vix spithamaeum, racemo simpliciore, capsulis subsphaericis. Flores non vidi. An spec. diversa?

In glareosis sterilibus districtus Hay, Nov. 1840.

Dignoscitur a praecedente proximo: scapo pilis longioribus glandulosis hirsutiore, corollae laciniis obovatis et dentibus faucis duobus alaeformibus.

5. **Stylidium plantagineum** *Sond.* scapo villis brevibus glandulosis pubescente, foliis lanceolatis glabris margine revolutis, racemo elongato basi subramoso, fauce coronata, labello appendiculato.

In glareoso-lapidosis umbrosis silvae ad clivulum inter Kaudiup et Twopeopled Bay, Plantagenet, d. 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2298.

Planta 2-3-pedalis, stricta. *Rhizoma* crassum horizontale, fibris longis extus nigris intus albis vestitum. *Folia* panca, omnia radicalia, ultra pedalia, elongato-lanceolata in petiolum semiteretem angustata, glaberrima, coriacea, 6 lin. lata, plana, marginibus revolutis, nervo crasso simpliciter ramoso perducta. *Squamae* interstinctae scariosae lanceolatae, 4-5-pollicares, scapo petiolisque latiores. *Scapus* ut racemus pilis brevibus glandulosis dense obsitus, teres, fistulosus, nudus. *Racemus* 1-1½ pedalis, basi subramosus, ramis 2-4, longis apice 2-4-floris vel subracemosis. Pars superior simplex, multiflora. *Pedicelli* breves 1-2-lineares, supremi brevissimi. *Bracteolae* lanceolatae acuminatae. *Calycis* dense glandulosi limbus fere aequaliter 5-partitus. *Corollae* roseae laciniae subglandulosae, inaequales, 2 oblongae, 2 parum minores obovato-oblongae. *Labellum* breve appendiculatum; appendiculis linearibus labellum subaequantibus, apice glandu-

losis. *Faux* coronata. *Columna* 4 lineas longa, glabra. *Capsula* ovoidea, costata, glabriuscula, demum fere ad basin usque partita.

Foliis latioribus coriaceis et racemo elongato subsimplici a duobus praecedentibus facile distinguitur.

6. **Stylidium hirsutum** *R.Br.* scapo villis acutis (eglandulosis) hirsuto, racemo subsimplici, foliis linearibus margine parum recurvis, squamis distinguentibus interioribus acuminatis. R.Br. l. c. DC. l. c. Graham in Hook. bot. mag. t. 3194.

In collibus calcareo-arenosis ad portum Princess Royal Harbour, d. 1. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2294 (ex parte).

Folia in specim. Preissianis quam in icone angustiora et racemus brevior, vix ultra pollicaris. *Labellum* ovatum appendiculatum, appendicibus filiformibus. Dentes 2 alaeformes ad faucem sitae. *Columna* supra basin latior.

7. **Stylidium caricifolium** *Lindl.* scapo stricto glanduloso-piloso foliis lineari-ensiformibus reduplicatis pubescenti-scabris longiore, racemo subramoso, rachi ovariis pedunculisque glandulosis. Lindl. l. c.!

In solo limoso-glareoso silvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, York, d. 12. April 1840. Herb. Preiss. No. 2290. (Drummond n. 526!)

Scapus erectus ½-1-pedalis hirto-pilosus, pilis glandulosis. *Folia* rigidiuscula pubescentia asperula, in petiolum angustata, scapo breviora. *Squamae* interstinctae scariosae, circ. 2-pollicares folio sublatiores. *Racemus* subramosus, 2-3-pollicaris. *Bracteae* lineari-lanceolatae. *Rachis*, pedicelli calycesque pilis glandulosis brevissimis hirti. *Calycis* subglandulosi tubus ovatus, limbi 5-partiti laciniae tubum subaequantes. *Corolla* ex sicco pallide-rosea, parce glandulosa. *Labellum* appendiculatum. *Faux* nuda. *Capsula* ovoidea obsolete costata, glabriuscula.

8. **Stylidium scabridum** *Lindl.* scapo decumbente vel erecto pilis patulis longis acutis brevibusque apice glandulosis hirsuto, foliis linearibus margine revolutis rigidis, pubescenti-scabris, squamis folio latioribus, racemo simplici subcorymboso glanduloso-hirsuto, fauce nuda, labello inappendiculato. Lindl. l. c.!

Styl. laxiflorum DC. l. c. (app.)

In arenosis silvae ad Princess Royal Harbour d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2289. (Drummond n. 533!)

Rhizoma crassiusculum. *Scapi* 2-3, semipedales vel pedales, teretes, plerumque purpurei, pilis longioribus eglandulosis et brevioribus glanduliferis hirsuti. *Folia* scapo subbreviora, strictiuscula, linearia, acuta, basi subangustata, marginibus arcte revolutis, pube brevissima asperula. *Squamae* scariosae lanceolatae acuminatae folio duplo latiores. *Racemus* 1-2-pollicaris. *Pedicelli* inferiores elongati. *Bracteae* lineares. *Calycis* tubus ovatus, limbi laciniis glabriusculis, lanceolatis. *Corolla* pallide-rosea.

9. **Stylidium schoenoides** *DC.* scapo erecto foliis fere duplo longiore pilis patulis eglandulosis longis basi hispido, superne et in pedicellis calycibusque pilis glandulosis brevissimis velutino, foliis linearibus glabris, squamis scariosis utrinque folii basi stipulae more adnatis paucis liberis, racemo 3-5-floro subumbellato. DC. l. c.!

In arenosis silvae prope oppidulum Perth et in solo limoso-arenoso prope Mahagonycreek, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2293. (Drummond!)

Scapus circ. pedalis, squama unica vel duabus lanceolatis munitus. *Pedicelli* in umbella 3-flora circ. 6 lineares, in racemo 5-6-floro inaequales, inferiores saepe bipollicares, superiores breviores. *Calycis* lobi subaequales obtusiusculi. *Corolla* rosea, majuscula. *Capsula* ovata *).

C. Herbae scaposae, foliis scapi nullis vel minoribus sparsis (nec verticillatis), radicalibus confertis esquamatis; calycis labium exterius 2-, interius 3-partitum.

10. **Stylidium spinulosum** *R.Br.* foliis linearibus mucronatis basi attenuatis margine spinulosis, scapo glanduloso-pubescente, racemo simplici raro subcorymboso, fauce coronata, labello inappendiculato. R.Br. l. c.

In solo turfoso inter frutices prope lacum haud longe ab oppidulo Albany, Plantagenet, d. 4. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2279 et in glareosis sterilibus districtus Hay, d. 8. Nov. 1840. No. 2255.

Radix e fibris 4-6 constans. *Scapi* plures, erecti, spithamaei, teretes, glanduloso-pilosi. *Folia* scapi nulla, radicalia linearia, basin versus angustiora, mucronata, glabra, uninervia, margine spinulosa, spinulis patentibus, inferiora breviora, superiora pollicaria. *Racemi* simplicis pedunculi inferiores saepe elongati. *Rachis pedicelli calyces*que obtusiusculi, ut scapus glanduloso-pilosi. *Corolla* rosea, laciniis crenulatis. *Labellum* lanceolatum reflexum, inappendiculatum. *Faux* coronata. *Capsula* ovata glandulosa **).

11. **Stylidium caespitosum** *R.Br.* foliis linearibus glabris setaceo-mucronatis margine integerrimis, racemo saepe diviso, rachi scapoque glabris, fauce nuda, labello appendiculato. R.Br. l. c.

---

*) **Stylidium leptocalyx** Sond. scapo vix folio longiore pilis longis brevibusque glandulosis hirsuto, foliis linearibus margine arcte revolutis rigidis velutino-puberulis scabridis, squamis folio sublatioribus, corymbo laxo hirsuto, calycis lobis lineari-subulatis elongatis, fauce coronata, labello appendiculato. Swan-River Drummond n. 532. Herba semipedalis radicibus elongatis purpureis. *Squamae* scariosae paucae 1-1½-pollicares foliis latiores. *Folia* scapum subaequantia, rigida, acuta, pilis brevissimis rigidulis scabriuscula, teretiuscula, basi parum angustata. *Scapus* ad spicam usque hirsutus, teres. *Corymbus* laxiflorus 1-1½ pollicaris, pilosissimus, pilis apice glanduliferis. *Pedicelli* omnes simplices, uniflori plerumque tribracteati, bracteis inferior lineari-subulata, pedicellum dimidium aequans, superiores breviores subopppositae, subulatae. *Calycis* tubus ovatus, 2-3 lin. longus, limbi laciniis patulis subulatis 4 lin. longis. *Corolla* majuscula glanduloso-pilosa, in sicco pallide rosea, laciniis oblongis basi angustatis, 5 lin. longis. *Faux* coronata. *Labellum* lanceolatum ciliolatum, basi appendiculatum.

) **Stylidium aciculare Sond. foliis setaceis mucronatis, scapo glabro, racemo subspicato, rachi floribusque glandulosis, fauce coronata, labello appendiculato. In Nov. Hollandia legt. cl. D'Urville (Herb. Kunth.) *Scapus* tenuis glaberrimus, 4-pollicaris. *Folia* radicalia subpollicaria, subulato-setacea, glabra, margine integerrima, mucrone subpungenti terminata. *Racemus* pollicaris, simplex, subspicatus, glandulis (in sicco nigris) obsitus. *Calycis* tubus basi angustatus, 2-labiatus, labio exteriore 2-, interiore 3-partito. *Corollae* laciniae extus glandulosae. *Faux* dentibus subulatis coronata. *Labellum* breve appendiculatum.

A proximo **St. setaceo** Labill. nonnisi calycis labiis partitis labelloque appendiculato diversum.

In solo turfoso-arenoso ad portum Princess Royal Harbour, d. 2. Dec. 1840. Herb. Preiss. n. 2275.

Herba glabra, 3-5-pollicaris. *Scapi* plerumque plures, teretes. *Folia* pollicaria, linearia, basi angustiora, integerrima, mucrone setaceo terminata, uninervia, glabra. *Racemus* compositus, pedunculi glabri, inferiores saepe ramosissimi, supremi indivisi. *Bracteae* lanceolato-lineares mucronatae. *Calycis* tubus glandulosus, limbi laciniis acutis. *Corolla* pallide rosea, intus prope basin punctis rubellis notata. *Labellum* appendiculatum, appendicibus subulatis. *Faux* omnino nuda. *Capsula* ovata, sparse glandulosa.

12. **Stylidium ciliatum** *Lindl.* foliis linearibus ciliatis apice piliferis, scapo floribusque pilis luteis glandulosis vestitis, rachi villosissima, panicula pyramidata. Lindl. l. c.! Hook. bot. mag. t. 3883. opt!

Stylid. setigerum DC. l. c.

In calculosis summitatis montis Matilda, York, d. 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2267. (Drummond n. 544!)

β. **minor.** scapo humiliore, foliis rigidioribus, ciliis brevioribus, panicula subramosa.

In lapidosis montis Barker vel Bokkenbop, Plantagenet, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2266.

Scapus vix spithamaeus, nudus vel paucifolius. *Folia* radicalia linearia glabra, rigidiora quam in *α*, ciliis abbreviatis vel potius serrato-ciliata. *Racemus* e floribus 10-12 constans, subramosus, pollicaris. *Rachis* scapo villosior, pilis omnibus glandulosis aureo-nitentibus. *Bracteae* lanceolatae. *Calycis* bilabiato-5-partiti laciniae acutiusculae. *Corolla* pallide-rosea. *Faux* nuda. *Labellum* appendiculatum.

13. **Stylidium saxifragoides** *Lindl.* foliis lineari-spathulatis apice incurvis glabris piliferis margine cartilagineo-denticulato scabriusculis, racemo paniculato, scapo glabro, rachi floribusque glanduloso pilosis, labello inappendiculato. Lindl. l. c.!

Stylid. assimile Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 72. (non R.Br.)

In arenosis sylvae prope oppidulum Guildford, d. 22. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2277. (Drummond n. 545! Hügel!)

Foliorum forma accedit ad *S. ciliatum*, habitu ad *S. bicolor*. A priori differt: scapo elatiore glabro, foliis non ciliatis, racemi pilis brevioribus, labelloque inappendiculato; a *St. bicolore*, foliis lineari-spathulatis, racemo diviso, florumque hirsutie.

Pedale et ultra, gracile. *Scapus* teres, siccatus saepe angulatus, plerumque glaber, rarius infra racemum glanduloso-pilosus. *Folia* in scapo nulla, radicalia dense rosulata, pollicaria, lineari-spathulata apice latiore incurvo, vix lineam lata, rigidiuscula, uninervia, pilo terminata, margine cartilagineo scabrida. *Racemus* 3-5-pollicaris, pedicelli ramosi subtriflori, supremi simplices, omnes erecto-patuli, pilis brevibus lutescentibus glanduliferis vestiti. *Bracteae* lato-lanceolatae mucronatae. *Calycis* limbi laciniae tubo glabriores. *Corolla* in sicco albida. *Faux* nuda.

14. **Stylidium bicolor** *Lindl.* foliis linearibus glabris piliferis margine serrulato-scabris, racemo elongato subsimplici, scapo glabro paucifolio, rachi floribusque subglandulosis, labello inappendiculato. Lindl. l. c.!

In arenosis inter frutices silvae ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2276.

Scapus 1-1½-pedalis teres, fistulosus, glaber, supra medium folia 1-3 lanceolato-linearia gerens. *Folia* radicalia dense rosulata, pollicaria, linearia, basi subattenuata, semilineam lata, apice incurvo pilifera, uninervia, margine scabra. *Racemus* 3-5-pollicaris, laxiflorus, simplex, rarius basi subramosus. Pili glandulosi in rachide pedicellisque paucis, in tubo calycis crebriores. *Bracteae* lanceolatae mucronatae. *Pedicelli* circ. 4 lineas longi, erecto-patuli. *Calycis* bilabiato-5-partiti laciniae subglandulosae. *Corollae* luteae laciniae oblongae. *Labellum* inappendiculatum, basi saepe dentibus 2 brevibus instructum. *Faux* nuda. *Capsula* ovata, striata, subglandulosa.

15. **Stylidium hispidum** *Lindl.* foliis linearibus hispidis incurvis apice piliferis, scapo glaberrimo, racemo subramoso corymboso, rachi floribusque glanduloso-tomentosis, sepalis ovatis obtusis. Lindl. l. c.

In sublimosis exsiccatis ad radices montium continuorum Darling's-range, Perth, d. 3. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2269.

Scapus spithamaeus vel pedalis, glaber, aphyllus. *Folia* radicalia linearia incurva, pilis rigidis hispida, apice longe pilifera, vix pollicaria. *Pedicelli* inferiores ramosi, supremi simplices. *Bracteae* lanceolatae piliferae. *Rachis pedicelli calycis*que tubus pilis flavidis glandulosis dense obsiti. *Calycis* limbus tubo glabrior. *Corolla* alba majuscula. *Labellum* appendiculatum, appendiculis filiformibus labello brevioribus. *Faux* nuda.

β. **parviflorum.** floribus subduplo minoribus.

In asperis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2270.

Scapus quam in *α*, humilior subbifolius. *Folia* linearia pilifera hispida subincurva. *Racemus* 4-8 florus. *Rachis* cum floribus glanduloso-pubescens. *Calycis* laciniae purpurascentes. *Corolla* alba.

16. **Stylidium rupestre** *Sond.* caulescens, caule brevi radicante, foliis caulinis sparsis, superioribus congestis lanceolato-spathulatis acutis glanduloso-pubescentibus, pedunculo scapiformi subglanduloso apice paniculato pauciflоro, rachi floribusque sparsim glandulosis, fauce nuda, labello inappendiculato.

In rupestribus promontorii, Cape Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2262.

Planta 2-3-pollicaris. *Caulis* repens, e nodis radiculas longas purpurascentes emittens, brevis, semipollicaris, foliosus, glandulosus. *Folia* in apice caulis rosulata, lanceolato-spathulata, acuta, 6-8 lin. longa, infra apicem lineam lata, margine integerrimo, subtus uninervia, utrinque glanduloso pubescentia. *Pedunculi* scapiformes solitarii rarius 2, tenues, teretes 1-2-pollicares, aphylli, vix glandulosi, apice paniculam 3-4-floram ferentes. *Pedicelli* 3-4 lin. longi. *Bracteae* minutae lanceolatae. *Rachis* floresque glandulis paucis obsiti. *Calycis* limbus fere aequaliter 5-partitus, laciniis acutis. *Corollae* albidae tubus calyce brevior, limbi laciniis oblongis. *Labellum* lanceolatum acuminatum, inappendiculatum. *Faux* nuda. *Capsula* clavato-oblonga.

17. **Stylidium Lehmannianum** *Sond.* foliis spathulatis utrinque glanduloso-pubescentibus, scapo glabro aphyllo, racemo simplici, rachi floribusque glabris, pedicellis subglandulosis, fauce coronata, labello inappendiculato.

In solo limoso inter frutices ad latus meridionali-occidentale montis Clarence, Plantagenet, d. 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2261.

Caespites densos efformat. *Scapus* 3-4-pollicaris, teres, basi subpilosus. *Folia* pollicaria spathulata apice 2 lin. lata, in basin attenuata, tenuia, pallide viridia, subtus uninervia. *Racemus* 8-16-florus. *Bracteae* minutae sublanceolatae. *Bracteolae* oppositae. *Pedicelli* inferiores 4-5, superiores 3 lin. longi, erecto-patuli, rigidiusculi, glandulis paucis obsessi. *Calycis* 5-partiti limbus acutiusculus, corollae tubo longior. *Corolla* alba, maculis purpureis notata, laciniis spathulato-oblongis. *Labellum* lanceolatum. *Columna* exserta. *Faux* dentibus coronata. *Capsula* ovata, 2 lineis subbrevior, glaberrima, purpurascens, obsolete-5-costata.

β. **gracile.** scapo semipiloso graciliore racemo longiore, pedunculis longioribus remotiusculis.

In rupestribus ad Princess Royal Harbour, d. 11. Oct. 1840 et in limoso-glareosis sterilibus districtus Hay, d. 8. Nov. 1840. Herb. No. 2260.

Stylid. spathulatum Less. et Rich. Voyage de l'Astrolabe differt: labello appendiculato.

18. **Stylidium bellidifolium** *Sond.* foliis petiolatis obovato spathulatis acutiusculis scapoque basi glanduloso pubescentibus, racemo simplici, rachi floribusque glabris, fauce coronata, labello inappendiculato.

In arenosis ad litus Point Possession, d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2259.

Scapus pedalis, gracilis, teres, fistulosus, aphyllus vel unifolius basi tantum glanduloso pubescens. *Folia* circ. 1½-pollicaria. *Petioli* glandulosi, fere pollicares, lamina 4-5-linearis, obtusa acumine brevi, nunc obovata nunc suborbiculata, obsolete flabellatim-venosa, integerrima, utrinque glanduloso pubescens. *Racemus* elongatus simplex, 12-16-florus. *Pedicelli* erecti subpatentes, glabri vel pauci glandulosi. *Bracteae* bracteolaeque minutae. *Calycis* laciniae obtusiusculae tubo breviores. *Corolla* sulphurea, limbi laciniis obovato-oblongis. *Labellum* lanceolatum acuminatum, inappendiculatum. *Faux* glandulis stipitatis coronata. *Capsula* clavato-oblonga, obsolete costata, glabra.

Foliis latis subito in petiolum longum attenuatis facile a priori distinguitur.

19. **Stylidium lineatum** *Sond.* foliis obovato spathulatis suborbiculatisve petiolatis supra pilis glandulosis hispidis subtus glabris lineatis, scapo glabro basi glanduloso, racemo elongato subramoso, fauce coronata, labello inappendiculato.

In Australasia occidentali legt. cl. Preiss. (Drummond!)

Rhizoma crassum horizontale fibris longis tenuibus. *Scapus* pedalis et ultra, teres, glaber, ima basi glandulosus. *Folia* circ. pollicaria, petiolata. *Petiolus* glaber. *Lamina* suborbicularis, vel ovata, 4 lin. lata, supra pilis rigidis glanduliferis hispida, subtus multilineata. *Racemus* circ. spithamaeus, basi ramosus, floribus ultra 30. *Rachis* glabra. *Bracteae* obtusiusculae pedicellis erecto-patentibus glandulosis multo breviores. *Calycis* glabri limbus obtusus tubum aequans. *Corolla* flava, limbi laciniis oblongis obtusis, basi angustatis. *Labellum* sublanceolatum. *Columna* exserta, apice violacea. *Capsula* ovata, glabra.

A *Styl. bellidifolio* differt: rhizomate crassiore, repente, scapo robustiore, foliis obtusis supra pilis longioribus hispidis, subtus glabris lineatis, racemo duplo longiore subramoso et capsula ovata.

20. **Stylidium assimile** *R.Br.* foliis angusto-spathulatis glabris crassiusculis margine integerrimis, racemo parum diviso rachi scapoque pubescentibus, fauce nuda, labello appendiculato. R.Br. l. c. non Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel.

In depressis subturfosis hieme inundatis prope montem Elphinstone, Plantagenet, d. 1. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2272. (King George's Sound. Herb. Caes. Vind.!)

Spithamaeum, coloratum. *Scapi* plerumque plures, purpurei, glanduloso-pubescentes, aphylli. *Folia* radicalia crassiuscula glabra, 1-1½-pollicaria apice latiore 1½ lin. lata. *Racemus* elongatus multiflorus, divisus, quandoque subpaniculatus. *Rachis* floresque glanduloso-pilosi. *Pedicelli* erecto-patuli biflori. *Bracteae* lineares. *Corollae* purpureae laciniae oblongae. *Labellum* appendiculatum. *Faux* nuda. *Capsula* ovalis obsolete costata, glanduloso-tomentosa.

21. **Stylidium squamellosum** *DC.* scapo erecto foliis multo longiore sparse piloso pilis plerisque apice glandulosis, foliis linearibus pilis glandulosis raris ciliatis, squamis brevibus subfoliaceis extra et intra folia sitis, racemo simplici, bracteis linearibus pedicello quadruplo brevioribus, calycis tubo seu capsula lineari-obovata sparse piloso-glandulosa fere glabra. DC. l. c.

In Australasia occidentali legt. cl. Preiss. (Drummond!)

Calycis limbus obtusus. *Corollae* laciniae oblongo-obovatae. *Faux* dentibus coronata. *Labellum* lanceolatum, inappendiculatum.

22. **Stylidium violaceum** *R.Br.* foliis radicalibus angusto-linearibus scapi glaberrimi parvis appressis bracteisque sessilibus, calycis laciniis basi gibbis, fauce coronata, labello inappendiculato. R.Br. l. c. Bauer. Illustrat. t. 5.

β. **flore variegato.**

In Australasia merid.-occident. legt. cl. Preiss.

Scapi plures ex radice fibrosa, subpedales, glabri. *Folia* radicalia linearia vel sublanceolata, 1-2 poll. longa, lineam lata, glaberrima, integerrima, scapi 4-6 parva 1-1½ lin. longa, obtusiuscula. *Racemus* simplex, sed pedunculus infimus saepe biflorus. *Rachis* glabra. *Pedicelli* erecto-patuli teretes, glabri, violacei. *Bracteae* lineares pedicello triplo quadruplove breviores. *Bracteolae* minutae. *Calyx* subbilinearis, tubo ovato glanduloso, limbo glabro tubum aequante, laciniis obtusiusculis, basi extus gibbosis. *Corollae* laciniae obovatae obtusae, nunc omnes margine luteae et medio violaceae, nunc 1-2 omnino luteae vel violaceae et reliquae bicolores, lobis calycinis longiores. *Labellum* lanceolatum acuminatum, violaceum. *Faux* glandulis stipitatis coronata. *Columna* antheraeque apice violaceae. *Capsulam* maturam non vidi.

23. **Stylidium junceum** *R.Br.* foliis radicalibus linearibus, scapi stricti glabri minutis distantibus bracteisque medio adnatis, calycis laciniis subulatis basi simplici, fauce glandulis stipitatis coronata, labello inappendiculato. R.Br. l. c.

Stylid. junceum et *scariosum* DC. l. c.

In arenosis ad fluvium Canning, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2271. In arenosis circa oppidulum Perth, d. 23. Sept. 1841. No. 2264 et in turfoso-uliginosis planitiei prope Strawberryhill, Plantagenet, d. 24. Nov. 1840. No. 2265. (Drummond n. 539! Hügel!)

Planta perennis. *Rhizoma* horizontale squamis brevibus fuscis tectum. *Scapi* plures 1-2-pedales, stricti, glaberrimi, tenuiter striati, solidi, nudi vel foliis squamaeformibus medio adnatis, muniti. *Folia* radicalia plerumque subaggregata, 8-12 lin. longa, uninervia, saepius margine scabriuscula. *Spica* aetate juniori conica densa, demum elongata racemosa, 1-1½ pollicaris. *Rachis* calycisque tubus glandulosi. *Bracteae* basi solutae subfuscae vel virides, margine scarioso albidae, lanceolatae, mucronatae vel subacuminatae. *Calycis* laciniae anguste lineares. *Corolla* rosea, glandulosa, limbi laciniis ovato-oblongis obtusis. *Labellum* lanceolatum inappendiculatum. *Faux* glandulis stipitatis nigris coronata. *Capsula* ovata, 2½ lin. longa, glabra, obsolete striata.

D. *Foliis* scapi vel caulis verticillatis, calycis labio exterius bi-, interius 3-partito.

24. **Stylidium amoenum** *R.Br.* scapo inarticulato glabro extra medium verticillo unico foliolis superioribus nullis, foliis radicalibus spathulatis acuminatis, fauce coronata, labello inappendiculato. R.Br. l. c. DC. l. c.!

Stylid. nudum Lindl. l. c.!

In solo turfoso-arenoso prope Strawberryhill, Plantagenet, d. 26. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2237 et in confragosis inter Kaudiup et Twopeopledbay, d. 24. Nov. 1840. (Drummond!)

Scapus glaberrimus, interdum bipedalis. *Folia* radicalia glabra 1-1½ poll. longa, acuminata, 3-4 lin. lata, supra viridia, subtus pallida, uninervia, *Verticillus* 1 infra medium caulis, e foliolis brevibus linearibus constans. *Racemus* simplex, 4-5-pollicaris, glandulosus. *Pedicelli* circ. 4 lin. longi, erecto-patentes. *Bracteae* lineares. *Calycis* bilabiato-5-partiti tubus dense glandulosus, limbo eglanduloso. *Corolla* violacea. *Labellum* lanceolatum acuminatum. *Faux* coronata. *Capsula* immatura subglobosa, glandulosa.

25. **Stylidium caulescens** *DC.* caule in parte foliifera elongato glabro, foliis inferioribus alternis, superioribus congesto-subverticillatis oblongo-spathulatis mucrone calloso brevissimo subapiculatis glaberrimis integris, pedunculo (seu scapo) elongato folia linearia 4-5 verticillata gerente glabro, rachi pedicellis calycibusque pilos brevissimos apice glandulosos gerente, racemo simplici. DC. l. c. Lindl. l. c.

In sublimoso-confragosis distr. Hay, Nov. 1840. Herb. Preiss. sine No. (Drummond n. 528!)

Caulis pars foliifera purpurascens 3-4 poll. longa, pars scapiformis 1-1½-pedalis. *Folia* supra purpurascentia, subtus pallida. *Flores* rosei, siccati saepe albidi.

26. **Stylidium robustum** *Sond.* scapo articulis 3 verticillato-foliatis, foliis radicalibus oblongo-spathulatis coriaceis, racemo simplici elongato multifloro glanduloso, fauce coronata, labello inappendiculato.

In arenosis districtus Sussex, d. 22. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2235.

Rhizoma crassum breve. *Folia* radicalia 2-2½ poll. longa in petiolum attenuata, lamina plerumque ultra pollicaria, 4-6 lin. lata, acumine brevi obtusiusculo, glabra, saepe colorata, subtus albida et multistriata. *Scapus* circ. 3-pedalis glaberrimus, angulatus, fistulosus, ad verticillum primum diametro 3-linearl. *Folia* verticill. lanceolato-linearia 8-10 lin. longa, suprema solitaria conformia. *Racemus* pedalis et ultra. *Rachis* glandulosa. *Pe-*

dicelli 2-2½ lin. longi, erecto-patuli, glandulosi. *Bracteae* subulatae reflexae. *Calycis* tubus glandulosus, limbo obtusiusculo glabro. *Corolla* ex sicco pallide-rosea, limbi laciniis obovato-oblongis. *Labellum* discolor. *Faux* glandulis stipitatis coronata. *Capsula* ovata, 2 lin. longa, 5-costata, glandulosa.

An idem ac *Styl. articulatum* R.Br.?

27. **Stylidium marginatum** *Sond.* scapo articulis 2 verticillato-foliatis, foliis superioribus sparsis, radicalibus obovato-spathulatis cartilagineo-marginatis, racemo subspicato, fauce coronata, labello appendiculato.

In arenosis colliculosis sylvae prope oppidulum Guildford, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2232. (Drummond n. 529!)

Scapus 2-3-pedalis glaberrimus. *Rhizoma* crassum bulbiforme. *Folia* radicalia bipollicaria, lamina circ. pollicari obovata in petiolum angustata, glabra, subcoriacea, discolore, supra viridi, subtus albida et nervosa, margine cartilagineo diaphano cincta. *Folia* vertic. et suprema sparsa, anguste linearia. *Racemus* subspicatus, 5-6-pollicaris, glandulosus. *Pedicelli* inferiores circ. 2-lineares, superiores duplo breviores. *Bracteae* lineari-acuminatae, glabrae, demum reflexae, pedicellis longiores. *Calycis* tubus dense glandulosus, limbo glabro. „*Corolla* nivea fragrans"; limbi laciniis oblongis obtusis. *Labellum* purpureum lanceolatum, appendiculatum, appendiculis labello ipso subtriplo brevioribus. *Faux* glandulis violaceis, stipitatis, coronata. *Capsula* immatura, ovata, glandulosa.

28. **Stylidium pruinosum** *Sond.* scapo pruinoso articulis 3 verticillato-foliatis, foliis radicalibus ovato-spathulatis obtusis subcoriaceis, racemo longissimo simplici glanduloso, fauce coronata, labello inappendiculato.

In subturfosis hieme inundatis haud longe a Kaudiup, Plantagenet, d. 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2236.

Rhizoma breve crassiusculum, fibris longis simplicibus. *Scapus* bipedalis, basi subangulosus, glaber, pruina levi obductus. *Folia* radicalia petiolo pollicari basi sublatiori insidentia, lamina ovata, obtusa, semipollicaris, glabra, subcoriacea, supra viridis vel subcolorata, subtus albida, flabellatim venosa, margine integerrimo scabriuscula. *Folia* verticill. linearia semipollicaria; suprema 6-8 sparsa. *Racemus* elongatus, semipedalis pedalisve. *Rachis* basi pauciglandulosa, apicem versus glandulis numerosioribus obsita. *Pedicelli* 2 lin. longi, ut tubus calycinus dense glandulosi. *Bracteae* lineares demum reflexae, pedicellos aequantes, glabrae. *Bracteolae* minutae. *Calycis* limbus obtusiusculus glaber. „*Corolla* pallide-rosea", limbi laciniis oblongis obtusis. *Labellum* lanceolatum. *Faux* glandulis violaceis, stipitatis, coronata. *Capsula* immatura ovata, glandulosa.

Proxime accedit ad *S. marginatum*, sed satis differt praeter characteres datos: foliis duplo minoribus non marginatis.

29. **Stylidium striatum** *Lindl.* scapo glaberrimo glauco 1-rarius 2-articulato, foliis verticillatis superioribusque sparsis, radicalibus obovato-lanceolatis acutis flabellatim venosis glabris, racemo simplici elongato, fauce coronata, labello inappendiculato. Lindl. l. c.

In arenosis inter frutices silvae prope lacum Keiermulu, Perth, d. 2. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2238. (Drummond!)

Scapus 1½-2-pedalis, gracilis, verticillum unum rarius duo gerens. *Folia* radicalia 1-1½-pollicaria, striis divergentibus notata, superiora angustiora et breviora. *Racemus* 3-5-pollicaris. *Rachis* cum pedicellis erecto-patulis, pauciglandulosa. *Bracteae* lineares pedicello duplo breviores. *Calyx*

profunde 5-partitus, limbo obtusiusculo tuboque glabro. *Corolla* ex sicco albida, glabra. *Faux* glandulis stipitatis coronata. *Labellum* lanceolatum.

30. **Stylidium Brunonianum** *Benth.* scapo articulis 2-4 verticillato-foliatis, foliis radicalibus lineari-lanceolatis minute tuberculatis glaucescentibus glabris, racemo simplici cylindraceo glauco, corollae fauce coronata, labello appendiculato. Benth. l. c.! Lindl. bot. Reg. Vol. 28. t. 15.

In solo glareoso sublimoso planitiei supra oppidulum Guildford et in arenosis silvae ad fluvium Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2268. (Drummond n. 527!) Hügel!

β. **depauperatum.** foliis angustioribus, racemo abbreviato.

In arenosis silvae prope oppidulum Perth, d. 4. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 2280 et in asperis montium continuorum Darling's-range, Perth, d. 5. Dec. 1839. (Drummond!)

Scapus ½-1-pedalis, glaberrimus, strictus. *Folia* glaucescentia, radicalia semipollicaria vel pollicaria, linearia vel sublanceolata, lente visa tuberculata, subtus uninervia, intermixta minoribus anguste linearibus. *Folia* verticillorum et suprema sparsa radicalibus minora. *Racemus* simplex 1-1½-pollicaris, cylindraceus, glaucus, e floribus 10-16 constans. *Rachis* pauciglandulosa. *Pedicelli* 2-3 lin. longi, subaequales, bracteis linearibus longiores. *Flores* pulchre rosei. *Calycis* glauci tubus ovatus, limbum fere aequans. *Corollae* faux glandulis stipitatis coronata. *Labellum* lanceolatum. *Capsula* matura ovata glabra, lineam longa.

Scapus in plerisque speciminibus teres, in paucis compressus vel subcompressus. Ad varietatem scapo compresso pertinere videtur *Stylidium compressum* Lindl. l. c.

31. **Stylidium tenue** *Sond.* scapo articulis 2 verticillato-foliatis, foliis brevissimis linearibus glaucescentibus, radicalibus non longioribus, racemo simplici paucifloro, fauce coronata, labello inappendiculato, capsula sphaerica.

In glareosis sterilibus districtus Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2263.

Radiculae paucae subsimplices. *Folia* radicalia dense caespitosa, imbricata, 1-1½ lin. longa, mutica, glauca. *Scapus* 4-6-pollicaris, tenuissimus, teres, glaberrimus. Verticillorum folia radicalibus conformia, solitaria nulla. *Racemus* 4-8-florus, rachi pedicellisque pauciglandulosis. *Pedicelli* erecto-subpatuli bracteis longiores. *Calycis* tubus limbo subbrevior. *Corolla* ex sicco rosea. *Labellum* lanceolatum. *Faux* glandulis paucis coronata. *Capsula* immatura sphaerica glabra.

Stylidio Brunoniana, cui affine, multo minus et tenuius.

32. **Stylidium diuroides** *Lindl.* scapo 1-articulato glabro, foliis verticillatis superioribusque sparsis radicalibus filiformibus obtusis, racemo simplici pyramidato subglanduloso, calycis foliolis basi planis. Lindl. l. c.!

In limoso-glareosis districtus Hay, Oct. 1840. Herb. Preiss. sine No. (Drummond n. 536 et 537!)

Spithamaeum. *Folia* radicalia filiformia obtusa, glabra, pollicaria. *Scapus* glaber verticillo 1 et foliis nonnullis sparsis, linearibus, obtusiusculis, munitus. *Racemus* simplex circ. bipollicaris. *Rachis* et *pedicelli* sparse glandulosi. *Calycis* tubus glandulis numerosissimis obsitus. *Bracteae* lineares. *Columnae* exsertae pars superior colorata. *Labellum* lanceolatum inappendiculatum, coloratum. *Faux* coronata.

33. **Stylidium scandens** *R.Br.* caule scandenti, foliis linearibus apice spirali cirrhoso, fauce coronata, labello appendiculato, columna superne pubescenti. R.Br. l. c. Graham in Hook. bot. mag. t. 3136.

In solo subarenoso prope Sevenmilesbridge, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2295.

Labellum in specim. spontaneis semper acutum. *Scapus* 4-6-pedalis.

β. **humile.** scapo subpedali erecto non scandente.

In subarenosis hieme inundatis districtus Hay, d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2296.

E. *Pedunculi* uniflori ex alis foliorum in summitate scapi confertorum. *Capsula* ovata.

34. **Stylidium radicans** *Sond.* caule repente e nodis radicante, foliis apice confertis subulatis mucronatis, caulinis nullis, pedunculis unifloris glandulosis, fauce nuda, labello inappendiculato.

In arenosis subumbrosis prope oppidulum Perth, d. 16. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2299 et 2300. (King George's Sound. Hügel! Swan-River. Capt. Mangles!)

Radiculae longae purpurascentes subramosae. *Caules* plures prostrati adscendentes vel suberecti semipedales, nunc longiores, nunc breviores, glabri teretes, in apice fasciculum foliorum gerentes. *Folia* imbricata, lineari-subulata, 2-3 lin. longa, mucronata, glabra. *Pedunculi* 2-6, uniflori, glanduloso-pilosi, 4-6 lin. longi. *Calycis* tubus ovatus, lineam longus, glandulosus, limbo glabriusculo margine subscarioso ciliolato. *Corolla* extus phoenicea, intus pallide incarnata et fauce puncto purpureo notata, limbi laciniis oblongis, aequalibus, subglandulosis. *Labellum* lanceolatum. *Capsula* matura ovata.

Sect. II. Nitrangium Endl. pag. 520. DC. Prodr. VII. pag. 335.

A. *Scapigera*, foliis radicalibus rosulatis. *Flores* spicati vel corymbosi, raro subsolitarii.

35. **Stylidium uniflorum** *Sond.* scapo capillari unifloro villis acutis hirsuto, foliis radicalibus linearibus puberulis piliferis, scapi paucis, fauce nuda labello appendiculato.

In glareosis sterilibus districtus Hay, d. 6. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2253.

Rhizoma crassum, fibras longas, pallidas, emittens, interdum radicans. *Scapi* 1-4 teretes, 2-4-pollicares, saepe purpurei, villis longis brevibusque eglandulosis pilosi, apicem versus foliis 1-2-linearibus mucronatis donati. *Folia* radicalia anguste linearia 1½-2-pollicaria, semilinea angustiora, minute puberula, nunc glabriuscula, margine brevissime ciliolata, pilo terminata. *Calycis* tubus pilis eglandulosis pubescens, limbo 5-partito obtuso, subglabro. *Corolla* incarnata, laciniis inaequalibus prope basin macula punicea notatis, 2 longioribus lineari-oblongis, 2 brevioribus oblongo-ovatis. *Labellum* abbreviatum basi appendiculatum. *Capsula* pubescens.

36. **Stylidium pulchellum** *Sond.* scapo basi bulboso, foliis radicalibus lineari-spathulatis obtusis crassiusculis

scapo filiformi glabro tereti apice corymboso multo brevioribus, pedicellis subramosis pauciglandulosis, fauce nuda, labello inappendiculato.

Stylid. corymbosum Benth.! in Endl. Enumerat. plant. Hügel n. 246. non R.Br.

In planitie arenosa hieme inundata haud longe a Bull's-creek, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 2242. (Drummond n. 520!)

Scapus erectus 2-3-pollicaris purpureus, glaberrimus, apice plerumque folia 2 parva lineari-oblonga, obtusa, ferens. *Folia* radicalia 3-4 lin. longa, apice vix semilineam lata, obtusa in petiolum laminam aequantem attenuata. *Corymbus* 4-10-florus. *Rachis* calycesque glabri. *Bracteae* lineares obtusae. *Pedicelli* filiformes bracteolati glandulis paucis muniti. *Calycis* 5-partiti limbus crassiusculus, obtusus. *Corollae* roseae laciniae oblongae, obtusae. *Capsula* 3-4 lin. longa, linearis, basi angustior, subcompressa, loculis aequalibus.

37. **Stylidium petiolare** *Sond.* caule basi bulboso, foliis radicalibus lineari-spathulatis obtusis petiolo duplo brevioribus scapo filiformi glabro apice racemoso multo brevioribus, pedicellis unifloris subglandulosis, calycis limbo acutiusculo, fauce nuda, labello inappendiculato.

In locis hieme inundatis ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, d. 10. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2244. (Drummond n. 524!)

Scapus 3-4-pollicaris, glaber, teres, foliis nonnullis parvis, ovatis, acutis obsitus, basi incrassata bulbum referens. *Petiolus* foliorum radicalium plerumque semipollicaris, pallidus, subulatus, lamina 1½-2 lin. longa, ½ lin. lata, glaberrima. *Racemus* fere pollicaris pauciglandulosus. *Bracteae* ad basin pedunculorum parvae, ovatae. *Pedunculi* erecto-patentes 5-6 lin. longi. *Calycis* lobi acuti. *Corolla* in sicco pallide rosea, limbi laciniis obovato-oblongis. *Labellum* breve appendiculatum. *Capsula* immatura lanceolata.

A praecedente cui affine, diversum: floribus duplo majoribus, pallidioribus, non corymbosis, calycibusque acutiusculis.

β. **pauciflorum.** 1-3-florum, foliis sublatioribus petiolo brevioribus insidentibus.

Swan-River Drummond n. 522. An species distincta?

Folia scapi superiora saepe opposita vel terna.

38. **Stylidium obtusatum** *Sond.* caule basi bulboso, foliis radicalibus obovato-spathulatis petiolo brevioribus, scapo filiformi paucifloro, calycis limbo obtusissimo basi subangustato, fauce coronata, labello inappendiculato.

Herb. Preiss. sine No. (Swan-River Drummond n. 523.)

Radiculae tenuissimae. *Scapus* 2-pollicaris glaberrimus aphyllus, seu apice foliis nonnullis minutis, ovatis, obtusiusculis, obsitus. *Folia* radicalia 6-8. *Petiolus* linearis pallidus 4-5 lin. longus, lamina lineam longa et lata, vel parum longior et angustior, in petiolum angustata, glabra. *Flores* in apice scapi 2-3, pedunculis 2-3 lin. longis bracteatis pauciglandulosis. *Calycis* tubus linearis, glaber, limbo obtuso subcuneato ½ lin. longo. *Corolla* in sicco rosea, limbi laciniae oblongae, duae subangustiores. *Labellum* lineare appendiculatum.

Foliis latis, calycisque lobis abbreviatis obtusissimis facile a *S. pulchello* et *petiolari* distinguitur.

39. **Stylidium emarginatum** *Sond.* caule basi bulboso, foliis radicalibus lineari-oblongis acutiusculis petiolatis, scapo filiformi glabro, pedunculo terminali 1-2-floro subglanduloso e verticillo foliorum 3-4 minutorum orto, calycis limbo obtuso, corollae lobis apice emarginatis, fauce fasciculato-coronata, labello inappendiculato.

Herb. Preiss. sine No. (Swan-River Drummond n. 521.)

Planta 2-3-pollicaris, simplex. *Folia* radicalia petiolo semipollicari vel subbreviori insidentia, *lamina* lanceolata, acutiuscula, basi angustata, crassiuscula, glaberrima, 2 lin. longa, ½ lin. lata. *Scapus* teres 1-1½-pollicaris, verticillo e foliis parvis, ovatis, crassiusculis, formato, terminatus. Ex hoc verticillo oritur pedunculus circ. pollicaris, teres, pauciglandulosus, rarius duo subpatentes, foliis 1-3 parvis muniti. *Calyx* glaber, tubus 2-3 lin. longus, limbi laciniae obtusiusculae lineam longae. *Corollae* in sicco albidae laciniae 3 lin. longae, lineari-cuneatae, apice latiore profunde et acute emarginatae. *Faux* coronata, corona e fasciculis pilorum glandulosorum constans. *Labellum* lineare, elongatum. *Capsula* immatura linearis, glabra, apice parum latior.

40. **Stylidium mucronifolium** *Sond.* scapo tereti glanduloso-piloso, foliis radicalibus linearibus setaceo mucronatis, racemo subramoso glanduloso, fauce nuda, labello inappendiculato.

In distr. Plantagenet. Herb. Preiss. No. 2256.

Rhizoma crassiusculum, collo squamoso. *Folia* radicalia pollicaria anguste linearia mucrone setaceo terminata, glabra. *Scapus* aphyllus 3-pollicaris, pilis apice glandulosis hirsutus. *Racemus* brevis circ. pollicaris, pedunculis inferioribus bifloris. *Rachis* calycesque dense glanduloso-pilosi. *Bracteae* lineares. *Calycis* bilabiato 5-partiti laciniis obtusis. *Corollae* flavae laciniae obovato-oblongae. *Labellum* parvum. *Capsula* matura 3¼ lin. longa glabriuscula.

41. **Stylidium pubigerum** *Sond.* scapo tereti basi glabro vel sparse piloso, pilis brevissimis acutis, racemo laxo thyrsiformi eglanduloso-pubescenti, foliis radicalibus linearibus piliferis basi attenuatis, fauce nuda, labello inappendiculato.

In solo limoso arenoso inter frutices prope Woodbridge, Perth, d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2278. (Drummond n. 543 et 546!)

Folia radicalia pollicaria, linearia, apice latiore pilifera, margine ciliolata, uninervia, glabra. *Scapus* fere spithamaeus, teres, aphyllus, basi plerumque glaber, sed nonnunquam omnino pilis sparsis eglandulosis obsitus. *Rachis* circ. 2-pollicaris, cum pedicellis calycibusque dense pubescens, pilis brevissimis, omnibus eglandulosis. *Pedunculi* laterales 2-3-flori. *Bracteae* lanceolatae piliferae. *Calycis* tubus 4 lin. longus, limbi bilabiati lobis dentatis. *Corolla* lutea, laciniis ovato oblongis.

Habitu et foliorum forma *St. ciliati* var. *β* ita simile, ut sine accuratiore investigatione facile pro eo haberi possit. *Capsulis* linearibus tamen facile distinguitur.

42. **Stylidium thesioides** *DC.* foliis radicalibus erectis linearibus glabris, scapis 2-4 erectis folia triplo quadruplove superantibus glabris, racemo composito laxo, pedicellis calycibusque hinc inde parce piloso-glandulosis, calycis lobis subaequalibus acutis, corollae tubo brevissimo, capsula lineari pedicello suo paullo longiore. DC. l. c.

Stylid. canaliculatum Lindl. l. c. non Poir.

In solo limoso-arenoso inter frutices prope Woodbridge, Perth, d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2258 et in limosis exsiccatis planitiei haud longe a Maddington ad fluvium Cygnorum, d. 2. Nov. 1839. No. 2257. (Drummond n. 538! Capt. Mangles!)

Habitu *Thesii linophylli*. *Collum* bulbiforme squamis multis linearibus cinctum. *Folia* radicalia linearia subcanaliculata, 2-4 poll. longa, glabra. *Scapus* teres, glaber, foliosus, foliis linearibus glabris adnatis. *Bracteae* lineares. *Pedicelli* in panicula fructifera quam in florenti magis patentes. *Flores* sulphurei. *Faux* glandulis stipitatis coronata. *Labellum* lanceolatum, acuminatum, inappendiculatum. *Capsula* matura lineari-subspathulata, glabra, 2-2½ lin. longa.

43. **Stylidium leptobotrys** *DC.* foliis radicalibus anguste lineari-lanceolatis utrinque attenuatis glabris, scapo foliis quadruplo longiore nudo tereti glabro, rachi sparse pedicellis calycibusque conferte piloso-glandulosis, racemo elongato dissitifloro composito, calycis lobis subaequalibus apice setaceis. DC. l. c.

In subarenosis districtus Sussex, d. 23. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2297.

Rhizoma crassiusculum. *Scapus* bipedalis. *Folia* 3-6 poll. longa, 2-4 lin. lata. *Rachis* anguloso-compressa. *Pedunculi* laterales 2-4-flori. *Corolla* rosea glandulosa, laciniis oblongis. *Labellum* e basi lata sublanceolatum appendiculatum. *Capsula* matura 7-8 lin. longa, puberula.

44. **Stylidium leptophyllum** *DC.* foliis radicalibus confertis erectis anguste linearibus glabris, scapo tereti foliis duplo triplove longiore hispido, pilis inferne eglandulosis et in parte superiore racemi bracteis et calyce glandulosis, racemo laxo thyrsiformi, bracteis bracteolisque acutissimis, calycis lobis subaequalibus vix acutis aut subobtusis. DC. l. c.

In limosis humidis inter frutices planitiei haud longe a praedio rustico Maddington, Perth, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2254. (Drummond n. 534!)

Collum squamis numerosis cinctum. *Folia* tripollicaria, interdum margine scabriuscula. *Scapus* in specim. nostris spithamaeus, pilis glandulosis hirsutus. *Calycis* tubus seu capsula immatura 4 lin. longa. *Corolla* ex sicco violacea subglandulosa. *Faux* nuda. *Labellum* ovatum basi bidentatum.

45. **Stylidium crassifolium** *R.Br.* scapo tereti, spica racemosa elongata, foliis radicalibus elongato-lanceolatis. R.Br. l. c.

In Australasia merid.-occid. Herb. Preiss. No. 1523.

Spec. Preissiana 1-1½-pedalia. *Scapus* erectus glaber vel apicem versus subpuberulus. *Folia* radicalia 3-4 poll. longa, 2-3 lin. lata, crassiuscula, glabra, siccitate nigricantia, in petiolum angustata. *Spica* 2-3-pollicaris glandulis minutis dense obsita. *Calycis* laciniae lanceolatae ut corolla extus glandulosae. *Corollae* lobi subinaequales. *Labellum* basi utrinque dente subulato appendiculatum.

46. **Stylidium thyrsiforme** *DC.* foliis petiolatis obovato-spathulatis basi longe cuneatis callose et obtuse mucronatis supra puberulis margine revolutis subtus glabris, scapo adscendenti-erecto foliis duplo fere longiore pilis aliis glandulosis aliis eglandulosis conferte hirsuto, racemo composito

conferto glanduloso-hirsuto, bracteis linearibus, pedunculis lateralibus 2-3-floris, corolla subhirsuta. DC. l. c.

Stylid. pycnostachyum Lindl. l. c.

In Australasia occidentali. Herb. Preiss. No. 2301. (Drummond n. 531!)

Folia radicalia spathulata, nunc 2-pollicaria, nunc longiora 4-6-pollicaria, 3-4 lin. lata, margine subciliata. Collum squamis pallidis hirsutum. *Scapus* plerumque foliis nonnullis linearibus munitus. *Pedunculi* laterales 2-3-flori, in planta multiflora 3-6-flori. *Calycis* limbus 5-partitus, obtusus. *Corolla* albida, glandulosa. *Columna* exserta. *Faux* nuda. *Labellum* inappendiculatum.

Statura humiliore, scapo adscendente hirsuto, foliisque latioribus a *Stylid. crassifolio* diversum.

47. **Stylidium streptocarpum** *Sond.* scapis pluribus glabris dichotomis cymoso corymbosis, foliis radicalibus linearibus mucronatis, corollae fauce nuda, labello inappendiculato, capsulis demum tortis.

In subarenosis hieme inundatis ad fluvium Canning, Perth, d. 13. Maj. 1841. Herb. Preiss. No. 2273.

Planta flavescens. *Rhizoma* crassum. *Scapi* 3-6 semipedales glaberrimi, valde ramosi, ramis dichotomis. *Folia* radicalia 1-1½ unc. longa, anguste linearia, mucrone setaceo terminata, uninervia, glabra, marginibus subrecurvis. Ad ramificationes folia solitaria linearia occurrunt. *Ramuli* apice cymosi. *Cymae* bibracteatae circ. 20-florae, glabrae. *Flores* sessiles aut brevissime pedicellati. *Calycis* tubus circ. 6 lin. longus, glaber, apice summo glandulis paucis donatus, limbi 5-partiti laciniis brevissimis acutis. *Corollae* minimae, flavae, laciniae obovato-oblongae. *Labellum* minutum. *Faux* nuda. *Capsula* linearis, glabra, matura torta, collo subcoarctato; post dehiscentiam apice cohaerens, et limbo calycino persistente coronata, loculis aequalibus, utroque seminifero.

48. **Stylidium divaricatum** *Sond.* scapo dichotomo cymoso-corymboso, ramis divaricatis, foliis radicalibus anguste linearibus acutis, corollae fauce nuda, labello appendiculato.

In solo limoso ad fluvium Vasse-River, Sussex, d. 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2274.

Folia radicalia 1-2-pollicaria, glabra, uninervia, margine integerrimo subrecurva. *Scapus* teres, glaber, 3-5-pollicaris, nonnunquam a basi ramosus. *Folia* in scapi parte inferiore nulla, ad ramificationes solitaria, linearia. *Cymae* in apice ramulorum 7-11-florae, basi bracteolis 2 fultae, glabrae. *Flos* medius sessilis. *Calycis* tubus 4-6 lin. longus, apice pauciglandulosus, limbo 5-partito, obtuso. *Corollae* flavae laciniae oblongae, obtusae, basi attenuatae. *Labellum* minutum appendiculatum, appendiculis filiformibus labellum subtriplo superantibus. *Capsula* immatura collo parum coarctata; maturam non vidi.

Praecedente minus, viride. Praeterea ramulis magis divaricatis, floribus duplo majoribus, labelloque appendiculato satis diversum.

B. Caulescentia, floribus alternis vel solitariis. *Capsula* teretiusculo-linearis, apice conformi.

49. **Stylidium inundatum** *R.Br.* caule ramoso (sesquiunciali) infra divisuram foliato, foliis linearibus, limbi laciniis majoribus obovatis minoribus linearibus, fauce nuda, labello inappendiculato basi tubo adnata. R.Br. l. c.

In locis hieme inundatis prope Bassandeen ad fluvium Cygnorum, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2246 (ex parte).

Caulis 1½-2-pollicaris, erectus, glaber, apice 2-3-florus. *Folia* radicalia nulla: caulina minuta, linearia. *Bracteolae* lineares. *Calycis* tubus pauciglandulosus. *Corollae* pallide roseae laciniae 2 obovatae basi attenuatae, 2 minores lineares. *Faux* nuda. *Labellum* basi tubo adnatum, inappendiculatum. *Capsula* matura 2 lin. longa. *Semina* obovata vel oblonga, epidermide laevissima.

50. **Stylidium utricularioides** *Benth.* caule erecto filiformi simplici 2-paucifloro, foliis alternis, inferioribus ovatis oblongisve, superioribus oblongis linearibusve, calycis laciniis subconnatis, corollae laciniis subinaequalibus, fauce coronata, labello inappendiculato, seminibus epidermide reticulata. Benth. l. c.!

In locis hieme inundatis prope Bassandeen ad fluvium Cygnorum, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2246. (Hügel! Drummond!)

Caulis filiformis 3-4-pollicaris, glaber, basi plerumque membranaceo-alatus. *Folia* radicalia nulla, caulina inferiora ovato-oblonga, oblonga vel lanceolata 1-2 lin. longa, superiora linearia. *Flores* in apice caulis 2-6 racemosim vel subcorymbosim dispositi. *Spectmina* humillima saepe uniflora. *Bracteae* minutae, lineares. *Calycis* tubus basi glandulis sparsis munitus, 3-4 lin. longus, limbi lobis linearibus obtusiusculis. *Corollae* laciniae obovato-oblongae, 2 ex sicco albidae, 2 violaceae et parum minores. *Labellum* lanceolatum, in speciminibus Preissianis et in authenticis Hügelianis semper inappendiculatum. *Capsula* matura glabra. *Semina* ovoidea, epidermide cellulis subquadratis reticulata.

51. **Stylidium longitubum** *Benth.* caule erecto filiformi apice laxe paniculato, foliis alternis linearibus planis, calycis laciniis in labia duo subconnexis, corollae laciniis integris duabus obovatis duabus oblongis subaequilongis, fauce coronata, labello inappendiculato, seminibus epidermide laevissima. Benth. l. c.!

In arenosis districtus Sussex, d. 27. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2251. (Hügel! Drummond n. 517 et 518!)

Folia subradicalia conferta, subrosulata, superiora sparsa. *Calycis* tubus glaber vel subglandulosus. *Semina* ovato-oblonga, epidermide laevissima, non reticulata.

Antecedenti valde affine, et nonnisi caule paniculatim diviso seminibusque diversum.

52. **Stylidium brachyphyllum** *Sond.* caule brevi erecto subsimplici 1-paucifloro, foliis radicalibus oblongo-linearibus, caulinis nullis, calycis labiis partitis, fauce nuda, labello inappendiculato, seminibus epidermide verruculosa.

In solo turfoso ad Princess Royal Harbour, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2239 et in depressis uliginosis silvae prope oppidulum Perth, d. 26. Sept. 1839. No. 2248. ex parte.

Radiculae numerosae, minimae. *Caulis* ½-2-pollicaris, basi vagina brevissima, pallida, inclusus. Ad apicem vaginae oriuntur *folia* 4-6 linearioblonga, obtusa, glabra ¾ lin. longa, in orbem disposita. *Scapus* teres, glaber, plerumque nudus, rarius folium 1 oblongum minutum, ferens, apice 1-4-florus. *Bracteae* minimae, ovatae. *Calycis* tubus linearis, glaber, limbo 2 labiato magis minusve profunde 5-partito. *Corollae* laciniae ovato-oblongae.

Labellum acutum inappendiculatum. *Columna* exserta, glabra. *Capsula* matura, linearis. *Semina* minima, ovoidea, epidermide verruculosa.

53. **Stylidium pygmaeum** *R.Br.* caule simplici erecto 2-3-floro, foliis linearibus, calycis labiis partitis, limbi laciniis integris, fauce nuda, labello inappendiculato. R.Br. l. c. Bauer illustr. t. 15.

In depressis uliginosis silvae prope oppidulum Perth, d. 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2248 (ex parte).

Caulis pollicaris, simplex, 1-3-florus, basi glaber, apice subglandulosus. *Folia* radicalia nulla, caulina sparsa linearia, obtusiuscula, glabra. *Calycis* tubus linearis, limbo 2-labiato 5-partito, laciniis linearibus, obtusiusculis, subglandulosis. *Corollae* laciniae subaequales, obovato-oblongae, pallide roseae. *Labellum* lanceolatum, inappendiculatum. *Faux* nuda. *Capsula* linearis, glabriuscula. *Semina* non vidi; ex icone Baueriana oblonga, laevia.

C. *Pedunculi* uniflori, ex alis foliorum in summitate scapi vel rami confertorum. *Capsula* teretiuscula, apice conformi.

54. **Stylidium guttatum** *R.Br.* scapo simplici, floribus fasciculatis subsessilibus bracteis foliaceis, fauce coronata, labello appendiculato, foliis radicalibus linearibus. R.Br. l. c.

Stylid. androsaceum DC. l. c.?

In solo sublimoso ad fluvium Vasse-River, Sussex, d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2243. (Swan-River Drummond n. 540!)

Scapus 3-6-pollicaris, teres, glaber, saepe purpureus, apicem versus foliis paucis linearibus circ. 3 lin. longis, basi solutis, donatus. *Folia* radicalia conferta, anguste linearia, acuta, 8-10 lin. longa, plana vel subcarinata, glaberrima, interdum colorata. *Flores* in apice scapi fasciculati, in axillis bractearum sessiles. *Bracteae* imbricatae, subulatae, argenteae, inferiores basi subsolutae. *Calycis* tubus ex sicco roseus, circ. 3 lin. longus, glandulosus, bracteas superans. Limbus 2-labiato 5-partitus colore bractearum, laciniis linearibus acutis, margine cartilagineo, basi latiore. *Labium* superius inferiore parum majus. *Corollae* laciniae oblongae, obtusae. *Labellum* minutum, appendiculatum, appendiculis filiformibus, labellum aequantibus. *Faux* dentibus acutis coronata.

D. *Racemi* caulem foliosum terminantes. *Capsula* compressa, lanceolata vel linearis, collo coarctato.

55. **Stylidium dichotomum** *DC.* caule erecto dichotomo glabro ad ramificationes folia fasciculata gerente et radicem validam agente, foliis subulatis mucronatis basi ad margines anguste membranaceis glabris, pedunculis scapiformibus hispidis, pilis in parte inferiore eglandulosis in superiore et in racemo apice glandulosis, racemo composito, bracteis bracteolisque acutissimis, calycis lobis subobtusis. DC. l. c.

Stylid. breviscapum Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg.! an R.Br.?

In arenosis inter frutices silvae prope Bassandeen ad fluvium Cygnorum, d. 25. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2285 et in districtu Sussex, d. 19. Dec. 1840. No. 2284. (Drummond n. 535! Hügel! Vasse-River Mrs. Molloy!)

Folia erecta, glabra, mucronata, superiora sublongiora, basin versus brevissime ciliata. *Pili* omnes glandulosi, sed glandulae pilorum inferiorum mi-

nutae. *Racemus* 1-2-pollicaris. *Flores* rosei. *Faux* nuda. *Labellum* inappendiculatum. *Capsulam* maturam non vidi.

56. **Stylidium bulbiferum** *Benth.* caulibus basi bulbiferis, foliis ad apicem caulis fasciculatis linearibus, pedunculo apice 1-3-floro umbellato, involucri foliis linearibus, corollae fauce nuda, labello inappendiculato. Benth. l. c.!

Stylid. recurvum Graham in Hook. bot. mag. 3913. *Stylid. proliferum* DC. l. c.?

In arenosis inter frutices Colonial Church Grant., d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2281 et in lapidosis umbrosis ad latera jugi montium Darling's-range, d. 2. Nov. 1839. No. 2283. (Hügel! Capt. Mangles!)

Pedunculi glanduloso-pubescentes, 3-5-flori, subcymosi. *Flores* sec. observationes cl. Preiss. incarnati in No. 2281, et flammei basi flavi in No. 2283. *Labellum* non appendiculatum sed basi utrinque subdenticulatum. *Capsula* 7 lin. longa, glanduloso-pubescens, subaequivalvis, loculo utroque seminifero. *Folia* plerumque margine ciliato-denticulata.

β. **ciliatum**, foliis ciliatis, pedunculis solitariis.

Swan-River Drummond n. 541.

57. **Stylidium eriopodum** *DC.* caule abbreviato herbaceo di-trichotome ramoso glabro e nodis radicante, foliis secus ramos sparsis ad apicem congesto-fasciculatis linearibus teretiusculis acutis glabris, pedunculis e fasciculis ortis vix folia superantibus pilis lanatis patulis eglandulosis hirsutissimis, racemo spiciformi conferto brevi multifloro, bracteis bracteolisque folia referentibus, calycis tubo apice parce piloso-glanduloso, lobis brevibus obtusissimis adpressis. DC. l. c.

In solo limoso-arenoso inter frutices planitiei haud longe a praedio rustico Maddington, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2282. (Drummond n. 547! Capt. Mangles!)

Caulis 2-4-pollicaris. *Folia* superiora subpollicaria, inferiora breviora, patentia vel subrecurva. *Pedunculi* plerumque solitarii, rarius gemini, uncia breviores, pilis eglandulosis dense lanati. *Flores* subcapitato-aggregati, bracteis foliaceis. *Corolla* sulphurea. *Faux* nuda. *Labellum* appendiculatum, appendiculis labello subduplo brevioribus. *Capsula* lanceolata circ. 4 lin. longa, glabra vel subglandulosa, loculo superiore angustiore.

58. **Stylidium fasciculatum** *R.Br.* caule subramoso glabro, foliis linearibus, spicis pedunculatis subracemosis rachi glabra, capsula lanceolata utroque loculo seminifero superiore (postico) demum aperto. R.Br. l. c. DC. l. c. Lindl. bot. reg. t. 1459. Hook. bot. mag. t 3816.

In rupestribus promontorii Cape-Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2286.

Planta perennis. *Folia* minutissime asperula. *Rachis* glabra. *Calyces* cum corollis subglandulosi. *Faux* nuda. *Labellum* inappendiculatum.

Huic affine est: *Stylid. laricifolium* Lindl. a cl. Mittchel in interior. Nov. Hollandiae lectum.

59. **Stylidium Lessoni** *DC.* caule fruticuloso subsimplici erecto dense et breviter rachique hirtello, foliis linearibus

acutis in petiolum fere attenuatis glabris, racemo terminali simplici, calycis tubo elongato ad apicem corollisque parce piloso-glandulosis, labello elongato inappendiculato. DC. l. c.

In rupestribus montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2287.

Planta siccata obscure viridis. *Caulis* basi glabriusculus, a medio ad apicem usque brevissime hirtellus. *Folia* infra fasciculos breviora omnia apicem versus sublatiora, acuta. *Racemus* spicatus. *Rachis* hirtella. *Flores* albi. *Faux* nuda. *Labellum* acutum, inappendiculatum. *Capsula* lanceolata, 4 lin. longa, glabra, loculo inferiore majore seminifero, superiore vacuo. *Semina* badia, oblonga, tuberculata.

An *St. falcati* Brown varietas?

60. **Stylidium rhynchocarpum** *Sond.* caule simplici glabro, foliis lineari-sublanceolatis glabris marginibus recurvis, spica sessili abbreviato rachi glabra, capsulis lanceolatis tubo longissimo terminatis, loculo superiore vacuo angustiore.

In sublimoso-glareosis ad latera montis Clarence, Plantagenet, Dec. 1840. Herb. Preiss. sine No. (Drummond n. 542 ex parte!)

Caulis spithamaeus, basi teres, apice subangulatus, glaberrimus. *Folia* inferiora sparsa, circ. pollicaria, suprema conferta 14 lin. longa, linea sublatiora, in petiolum angustata. *Racemus* pollicaris folia suprema aequans. *Rachis* fere floribus obtecta, glabra. *Bracteae* 2 oppositae lineari-elongatae, semipollicares et ultra, glabrae. *Calycis* tubus elongatus, dense glandulosus, limbi 2-labiato-5-partiti laciniis subulatis, tubo glabrioribus, margine denticulatis, labii inferioris 3-partiti lacinia intermedia reliquis longior. *Corollae* tubus laciniis calycinis brevior; limbi laciniis obovato-spathulatis, glandulosis, in sicco albidis. *Faux* nuda. *Labellum* appendiculatum subglandulosum. *Capsula* basi late lanceolata, compressa, glabra, apice tubo elongato glanduloso rostrata, collo calyce breviore. *Locult* inaequales, altero angustiore vacuo, altero ventricoso seminifero. *Semina* oblonga, laevia. *Capsula* cum rostro 10 lineas longa.

61. **Stylidium rigidulum** *Sond.* foliis lineari-teretiusculis setaceo-mucronatis glabris, pedunculo glabro cymoso, capsulis pedicellatis lineari-lanceolatis apice subangustioribus aequivalvibus glabris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. legt. cl. Preiss.

Caulis pollicaris, radice longissima simplici. *Folia* fasciculata circ. uncialia, pedunculis 1-2 scapiformibus, teretibus, nudis 2-plo brevioria. *Flores* pauci terminales, cymosi, laterales breve pedicellati, medius sessilis. *Bracteae* minutae lineares. *Calyx* 2-labiato-5-partitus tubo subglanduloso, laciniis obtusis, intermedio labii inferioris latiore. *Corollae* tubus calycis limbo brevior, limbi laciniis aequalibus, spathulatis, subglandulosis. *Labellum* appendiculatum. *Faux* nuda. *Capsulae* glabrae, subcompressae, 8 lin. longae, loculis aequalibus, utroque seminifero. *Semina* oblonga, brunnea, tuberculis dense obsita.

62. **Stylidium adnatum** *R.Br.* collo multiplici partialibus indivisis, foliis linearibus, spica subsessili divisa partialibus paucifloris, capsulis basi adnatis linearibus collo calyce breviore, loculo superiore vacuo angustissimo. R.Br. l. c.

DC. l. c. Lindl. bot. reg. t. 914. Bot. mag. t. 2598. Lodd. bot. cab. t. 1132.

In Australasia merid.-occidentali legt. cl. Preiss.

Semina ovata, laevia, brunnea.

63. **Stylidium cicatricosum** *Sond.* caule subsimplici glabro cicatricoso, foliis linearibus obtusiusculis, summis confertissimis, racemo subsessili abbreviato, rachi hirtella, capsula lanceolata glabriuscula subaequivalvi.

In arenosis prope oppidulum Perth, d. 22. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2288. (Drummond n. 542 ex parte!)

Caules plures erecti, subspithamaei, teretes, glabri, foliorum delapsorum basibus cicatricosi, apice subdivisi. *Folia* sparsa 3-6 lin. suprema fasciculata 7-9 lin. longa, omnia linearia obtusiuscula, saepe infra apicem sublatiora, glabra, marginibus integerrimis. *Racemus* terminalis subspicatus, pedunculo brevi insidens, folia vix superans, rachi glanduloso-hirtella. *Flores* brevissime pedicellati. *Bracteae* lineares. *Calycis* tubus linearis valde glandulosus, collo subcoarctato. *Limbi* 2-labiato-5-partiti laciniae subulatae, inaequales. *Corollae* laciniae oblongae, obtusae, basi angustatae, glandulosae. *Labellum* parvum inappendiculatum. *Faux* nuda. *Columna* exserta. *Capsula* matura 6-7 lin. longa, lanceolata, glabriuscula, loculis subaequalibus, superiore parum minore. *Semina* ovata laevia.

S. adnatum γ. propinquum (Brown in Hook. bot. mag. 2598 in textu). *S. propinquum* Brown prodr. pag. 572 a *S. cicatricoso* non multum differre videtur.

III. (Centridium Lindl. l. c.)

64. **Stylidium Lindleyanum** *Sond.* scapo foliis pedunculisque subglandulosis, foliis radicalibus ovato-subrotundis petiolatis, cyma simplici brachiata basi diphylla, ovario sphaerico glanduloso-scabro, corollae calcaratae laciniis posticis bidentatis anticis majoribus inaequaliter bilobis labello acuto parum minore, fauce semicoronata.

Styl. androsaceum Lindl. l. c. non DC.

In arenosis umbrosis inter frutices silvae prope oppidulum Perth, d. 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2245.

Scapus 3-8-pollicaris, nudus, subglandulosus. *Folia* radicalia rosulata, pauciglandulosa, lamina suborbiculari petiolo aequilonga, 3 lin. longa. *Flores* terminales subumbellati, in varietate subpaniculati, rosei vel albi. *Pedunculi* basi bracteis 2 ovatis oppositis, in planta ramosiore solitariis, suffulti. *Calycis* tubus subsphaericus, multiglandulosus, limbi 2-labiato-5-partiti laciniis tubo longioribus, obtusiusculis, inaequalibus, superioribus 2 subspathulatis majoribus. *Corollae* tubus brevissimus. *Limbi* laciniae inaequales, 2 majores bilobae, lobo altero majore, altero minore, 2 minores bidentatae vel subbifidae, basi ad faucem dentibus 2 instructae. *Labellum* porrectum violaceum, concavum, oblongum, acutum, apice ciliolatum vel denticulatum, laciniis corollae majoribus, plus duplo brevius. *Calcar* filiforme corollae lacinias minores subaequans. *Columna* glabra, infra medium dente lanceolato instructa. *Stylus* lateralis, infra antheras sessilis, patens vel reflexus, in apice latiore stigma glandulosum ferens. *Capsula* sphaerica glanduloso-scabriuscula, septo incompleto. *Semina* ovata, laevia.

β. **subramosum**, scapis plerumque 2 subdichotomis, pedunculis rigidioribus, bracteisque solitariis. — Folia radicalia et flores antecedentis.

A *Styl. calcarato* (Brown prodr. 570. Bauer illustr. t. 15. Drummond n. 511.) cui simillimum, differt: caule elatiore, foliis radicalibus petiolatis suborbicularibus, corollae laciniis magis inaequalibus, labello apice non fisso, fauce semicoronata, columna appendiculata styloque longiore laterali.

COLEOSTYLIS Sond.

Calyx tubo sphaerico, limbo bilabiato, labio inferiore bifido, superiore trifido. *Corolla* summo calycis tubo inserta, gamopetala irregularis, tubo brevissimo v. elongato, fauce nuda, limbi quinquefidi laciniis 4 conformibus erecto-patentibus stipitatis, quinta (labello) dissimili cum tubo articulata, stipitata, lamina stipitem aequante cymbiformi apice emarginata vel in labium producta, basi utrinque lacinula appendiculata vel inappendiculata. *Columna* labello brevior, erecta, supra basin corona monophylla quasi vagina inclusa, inferne tubi lateri (ubi labellum) adnata. *Antherae* 2 bilobae, longitudinaliter dehiscentes, lobis demum divaricatis. *Stigma* 1 filiforme. *Ovarium* septo brevissimo, uniloculare. *Capsula* 1 locularis bivalvis. *Semina* ovata vel oblonga.

Herbae annuae caulescentes glanduloso-pilosae. *Folia* radicalia nulla, caulina alterna petiolata. *Flores* racemosi.

α. tubus corollae brevissimus.

1. Coleostylis umbellulata *Sond.*

Stylid. stipitatum Benth. l. c.!

In Novae Hollandiae ora occidentali legt. cl. Preiss. (Drummond n. 514! Hügel!)

Herba 4-pollicaris. *Caulis* purpureus a basi ramosus, ramis erectis subramulosis, inferioribus longioribus. *Folia* 3-4 lin. longa petiolata, lamina spathulata saepe acuta. *Flores* ad apices ramorum numerosi, pedicellis uniflоris, inferioribus 4-6 racemosis, superioribus umbellato-aggregatis, 5-6 lineas longis. *Bracteae* lineares, pedicellis subduplo breviores. *Calycis* tubus globosus, limbi laciniis linearibus. *Corolla* rosea tubo brevissimo, limbi lacinilis obovatis, stipitem subaequantibus. *Labelli* lamina punicea, basi apiceque subemarginato non appendiculata. *Columna* fere ad medium usque vagina apice unilabiata, inclusa. *Capsula* globosa glandulosa.

β. tubus corollae elongatus.

2. Coleostylis Preissii *Sond.*

In arenosis districtus Sussex, d. 20. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2249 et in arenosis cis oppidulum Guildford, d. 12. Jan. 1840. No. 2250. (Drummond n. 515.)

Purpurascens. Simplex aut subramosa, 3-6-pollicaris, pilis rigidiusculis glandulosis dense obsita, ramis alternis. *Folia* oblongo-spathulata, 3-5 lin.

longa, inferiora minora, obtusiora. *Racemus* nunc semiuncia brevior, nunc bipollicaris, pedicellis 2-3 lin. longis, saepe ad apicem racemi confertioribus. *Bracteae* lineari-spathulatae, pedicellos subaequantes, vel longiores. *Calyx* 2 lin. longus, tubo globoso, limbi lacinilis lanceolatis subaequalibus. *Corollae* roseae tubus cylindricus, calycis limbo longior, laciniis obovatis stipitatis. *Labelli* lamina punicea, basi utrinque lacinula elongata sulphurea, apiceque appendiculata, processu spathulato decolore. *Columna* basi vaginula inclusa. *Capsula* globosa pilis rigidiusculis glandulosis obsita.

LEEUWENHOOKIA R.Brown prodr. 572 (sub Levenhookia) DeCand. prodr. VII. pag. 338. Endl. gen. n. 3094, (non E. Meyer). Meisn. gen. (364.)

1. **Leeuwenhookia pusilla** *R.Br.* erecta glabra apice glandulosa, corymbo multifloro, corollae tubo abbreviato, labello basi appendiculato. R.Br. l. c.! DC. l. c. Bauer. illustr. t. 15. opt.!

In arenosis umbrosis inter frutices planitiei haud longe a praedio rustico Maddington, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2241 et in rupestribus humidis montis Elphinstone, Plantagenet, d. 11. Oct. 1840. No. 2247.

Annua 1-3-pollicaris, purpurea. *Caulis* simplex, teres, glaberrimus. *Folia* radicalia nulla, caulina erecta petiolata, cum petiolo 2-3 lin. longa, crassiuscula, glaberrima, lamina obovata vel suborbiculari, margine integerrima. *Flores* terminales corymbosi, pedunculi ex axillis foliorum. *Corymbus* multiflorus. *Pedicelli* lineam longi, superiores calycesque glandulosi, nunquam glabri. *Calycis* tubus ovatus, basi gibbosus, limbi 2-labiato-5-partiti laciniis linearibus, obtusiusculis, glabris. *Corolla* rosea calyce sublongior, glabra, tubo brevi, limbi laciniis obovato-oblongis inaequalibus, 2 anticis majoribus. *Labellum* fornicatum, fornice (lamina) basi utrinque lacinula lanceolata appendiculatum. *Columna* recta. *Stigmata* 2 divaricata. *Capsula* ovata glandulosa. *Semina* ovata rugosa.

2. **Leeuwenhookia dubia** *Sond.* caule erecto subsimplici folioso glanduloso, foliis petiolulatis obovatis oblongisve radicalibus nullis, floribus in axillis foliorum superiorum solitariis pedicellatis, corollae lobis 2 longioribus oblongo-spathulatis, capsula sphaerica.

In sublimosis humidis prope Bassandeen ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2252. (Drummond n. 516!)

Annua, *radice* tenui subramosa. *Caulis* 2-3-pollicaris simplex vel subramosus, a basi ad apicem pilis rigidiusculis glanduliferis obsitus. *Folia* radicalia nulla, caulina 6-10, alterna, superiora 2 lin. circ. longa, lineam lata, obtusa vel acutiuscula, in petiolum angustata, glandulosa, inferiora plerumque minora. *Pedicelli* axillares folio breviores, uniflori, glandulosi. *Calycis* tubus globosus, glandulosus, limbi 5-partiti laciniis linearibus. *Corolla* lutea vel albida et fauce lutea. Tubus limbo calycino longior. *Lacinlae* 2 majores obovatae in basin angustatae. *Capsula* sphaerica dense glandulosa, septo abbreviato.

An nov. genus?

FORSTEROPSIS Sond.

Calyx 4-partitus 2-labiatus potius 4-phyllus, sepalis 3 conformibus, quarto latiore bifido. *Corolla* gamopetala irregularis, tubo cylindrico, fauce nuda, limbi quinquefidi laciniis 4 conformibus patentibus, quinta (labello) dissimili, minore, deflexa. *Columna* genitalium linearis, labello longior, duplici flexura. *Antherae* 2 bilobae, longitudinaliter dehiscentes, lobis demum divaricatis. *Stigma* inter antheras indivisum. *Ovarium* inferum lineare uniloculare. *Ovula* spermophoro centrali libero affixa.

1. **Forsteropsis Preissii** *Sond.*

In clivulo arenoso promontorii Cape-Riche, d. 22. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 438.

Fruticulus tenellus facie *Forsterae muscifoliae*; radicans, 2-4-pollicaris. *Radiculae* tenuissimae, simplices, purpurascentes. *Caules* plures filares, sublignosi, purpurei, foliis imbricatis densissimis omnino tecti, nunc simplices, nunc a basi ramosi, ramis conformibus apice plerumque dichotomis. *Folia* sessilia, imbricata, arcte adpressa, acuta vel sublanceolata, dorso convexo viridia, margine apiceque diaphana, ciliata, ciliis inferioribus longioribus, vix lineam longa, suprema ovarium calycisque basin tegentia, reliquis conformia, sed omnino diaphana. *Flores* 1-2 inter folia suprema sessiles. *Calyx* apice purpurascens. *Sepala* 3 superiora aequalia, ovato-lanceolata, quartum latius ad medium usque bifidum, omnia glabra, 1½ lin. longa, margine fimbriato-ciliata. *Corolla* 2½ lin. longa, pallide rosea, fauce violacea, limbi laciniis oblongis, obtusis, basi angustatis, tubo sublongioribus. *Labellum* ovatum acutum vel sublanceolatum inappendiculatum, margine pilis glandulosis ciliatum. *Faux* nuda. *Columna* glabra limbum aequans. *Ovarium* lineare, calyce 3-plo brevius, glabrum. *Ovula* oblonga stipellata. *Capsula* matura ignota.

LOBELIACEAE Juss.

(Auctore W. H. de Vriese.)

LOBELIA L. Endl. gen. n. 3058.

1. **Lobelia heterophylla** *Labill.* caule angulato, glabro, simplici vel ramoso; foliis supremis longe linearibus, inferioribus dentato-pinnatifidis; racemo secundo; pedunculis longissimis; tubo calycis ovato, lobis lanceolato-linearibus acutis, tubum aequantibus; corollae magnae, cyaneae tubo apice fisso, limbo quinquefido, lobo medio labii inferioris maximo obcordato, subemarginato, lateralibus obovatis, labii superioris lobis augustis, incurvis; staminibus lacinias calycinas longe superantibus; antheris omnibus barbatis; capsula biloculari, seminibus triquetris.

L. heterophylla Labill. Nov. Holl. I. pag. 52. t. 74. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 564 et quae reliqua synonyma citavit Cand.

In collibus calcareo-arenosis ad portum Princess Royal Harbour, d. 1 m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1427.

Ex descriptionibus auctorum uti etiam ex icone Billardierii l. c. cum speciminibus herbarii Preissiani collatis, jure potest cognosci botanicos incidisse in specimina caule simplici instructa. In herbario vero Preissiano aliud specimen caule simplicissimo aliud vero, idque robustius vidi caule valde ramoso.

Tota planta fere 14 poll. longa est; *caulis* crassior est, et jam ex ejus basi plures oriuntur *rami* caulem ipsum fere aequantes; *folia radicalia* infima obovata, qualia delineavit *Billardiertus* l. c. in nostris speciminibus non (amplius?) adsunt. An seminalia folia dicenda? *Folia inferiora* caulis longissima et saepius etiam trifida sunt; quandoque vero etiam multifida, longitudinis perquam diversae, longissima autem sunt quae 2½ poll. aequant; *caulina folia* media longe linearia vel etiam lanceolato-linearia, acuta, basi saepe 2 lin. lata, 2½ poll. longa (in robustiori specimine), in ramis tenuioribus (et in specimine minus robusto) sunt linearia et vix ultra pollicem longa; *bracteae* sunt brevissimae; *pedunculi* longissimi, saepius 1½ poll. longi, incurvi, subflexuosi; *flores* erecti, cernui, nutantes; *calyces* prismatico-obconici; *corollae* coeruleae lobi basi flavescentes; *fructus* oligospermus.

2. **Lobelia Lehmanni** *de Vriese.* caule erecto, simplici, sulcato; foliis linearibus, cauli adpressis, pedicellis fere aequalibus; racemo secundo, multifloro; pedicellis bracteatis ad calycem incurvis, crassioribusque; tubo calycis elongato ad basin acuto, laciniis angustis, elongatis vix duplo longiore; corollae magnae tubo integro, longissimo, fauce clausa, labio superiore majore, bipartito, lobis, subcordatis, inferiore vero trifido lobis ovatis; antheris apice et lateribus tenuissime subpilosis, harumque binis setis coronatis; capsula obconica.

In arenosis sylvae prope Lime-Kiln, Perth, d. 5 m. Novembris 1839. Herb. Preiss. No. 1426.

Herba ⊙ pedalis.

Caulis parumper flexuosus, infra violaceus; *folia* 7-9 lineas longa, vix lineam lata; superiora breviora tenuioraque; *pedicelli* sex circiter lineas longi, bracteis brevioribus. *Tubus corollae* saepe 7 lineas longus. *Corolla* lilacina. Species pulcherrima affinis *Lobeliae heterophyllae.*

3. **Lobelia longepedunculata** *de Vriese.* caule elongato ramoso, ramis tenuibus, fere aphyllis; foliis radicalibus elongato-denticulatis, superioribus linearibus brevissimis; pedunculis longissimis, minutissime bracteolatis; calycibus tubulosis, laciniis linearibus longissimis valde acutis; corollae „coeruleae", quinquelobae lobo inferiori majori e basi angusta sursum dilatato et apice emarginato, eroso, lobis mediis ovatis, supremis sive lateralibus lineari-incurvatis. Antheris omnibus apice barbatis; capsulis elongatis, membranaceis, bilocularibus, oligospermis.

In arenosis ad marginem lacus Kelermulu, Perth, d. 9 m. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1452.

Habitus est *L. gibbosae* Labill. Nov. Holl. tab. 71. t. I. pag. 50. a qua differt pedunculis longissimis atque media et superiore plantae parte fere aphylla, tum etiam capsula non gibbosa. In nostro specimine totius plantae longitudo 1½ ped. pedicelli filiformes 1½ poll. longi; tota planta gracillima.

Var. **gracilior**, caule simpliciore tenui; foliis radicalibus elongatis, denticulatis vel subtrifidis, caulinis minutissimis; calycibus angustioribus longioribusque quam in specie indicata. Caetera qualia in specie descripta.

Herba ⊙ gracilis. In depressis arenosis inter frutices ad flumen Cygnorum prope urbiculam Freemantle, d. 15 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1445 et 1452.

„Flores coerulei". Stirps fere pedalis.

4. **Lobelia adscendens** *de Vriese*. caule adscendente ramosissimo, foliis radicalibus et mediis caulinis pinnatifido-dentatis vel incisis, summis linearibus; pedunculis bracteatis longissimis; calycibus longe-tubulosis, laciniis filiformibus, corollae „coeruleae" oblongae lobo medio (inferiore) valde elongato, fere obcordato mediis fere duplo longiore, lateralibus (summis) linearibus apice incurvis; antheris omnibus apice barbatis.

In arenosis sylvae prope urbiculam Perth, d. 19 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1425 b.

„Herba ⊙" 1-2-pedalis, radice fibrosa, fibrillis longissimis horizontalibus, caule primum decumbente, diffuso, demum adscendente. Habitus *L. heterophyllae* Labill.

5. **Lobelia alata** *R.Br.* glabra, erecta, caule trigono: angulis subalatis; foliis decurrentibus lineari-lanceolatis, acutis cuneatisve, omnibus denticulatis; pedunculis plerisque unifloris axillaribus folia fere aequantibus; calycibus parvis; antheris omnibus apice barbatis („ovariis glabris, capsulis cylindraceis" Br. l. c.) Labill. Nov. Holl. I. pag. 51. t. 72. *α* angustifolia Br.

In arenosis humidis umbrosisque inter gramina secundum flumen Cygnorum prope urbiculam Perth, d. 13 m. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1431.

„Herba ⊙ pedalis", radice fibrosa, *caule* „debili", erecto, ramoso; *foliis* denticulatis, dentibus saepius deorsum directis, radicalibus cuneatis, petiolatis, 8 lin. longis, mediis lanceolatis, nonnunquam subfalcatis 1-1½-2 poll. longis, summis vix pollicaribus et angustioribus; *pedunculis* filiformibus.

6. **Lobelia erecta** *de Vriese*. caule ramoso, excelso, 6-8-pedali, herbaceo, triangulari, trialato, foliis lanceolatis vel lineari-lanceolatis, repando-dentatis, dentium apicibus extrorsum vel deorsum directis; racemis laxis, elongatis, paucifloris, floribus remotis, pedunculis bracteatis, bracteis plerumque calycibus tubuloso-subincurvis minoribus tenuissime filiformibus; corollae parvae labio inferiore trifido lacinia media triloba, labii superioris laciniis angustioribus; antheris superioribus apice barbatis.

In depressis paludosis inter frutices densos prope urbiculam Guildford, Perth, d. 12 m. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1447.

„Herba 6-8 ped.“ Si ex summitate plantae nobis oblatae vix duos pedes longae judicare licet qualis sit integrae plantae habitus, eam maxime affinem habere licebit *L. alatae*. *Folia* quae in parte a nobis visa infimum occupant locum, tripollicaria et ultra, 5 lineas lata, reliqua multo minoris diametri. *Calyces* sub anthesi 5-fidi, laciniis linearibus, post lapsum corollam mutici.

7. **Lobelia uncinata** *de Vriese.* caule trialato, foliis oblongo-vel obovato-lanceolatis, decurrentibus, subrepandis, uncinato-denticulatis; racemis terminalibus paucifloris; pedicellis brevibus, calycibus elongatis, laciniis linearibus brevibus; corollae lobis tribus inferioribus oblongis obovatisque lateralibus linearibus, brevibus; columna antherifera apice barbata.

In vadis exsiccatis ad flumen Cygnorum prope urbiculam Freemantle, d. 15 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1443.

„Herba ⊙ gracilis“ vix pedalis; „flores coerulei“; *Lob. alatae* affinis.

8. **Lobelia stricta** *de Vriese.* caule simplici, triangulari, trialato, stricto, fere 1½ pedali; foliis distantibus, linearilanceolatis, remote-denticulatis; racemo paucifloro pedicellis bracteis brevioribus; calycibus tubulosis, laciniis quinque capillaribus, columna staminea brevioribus; corollae tenuissimae elongatae lobis tribus inferioribus majoribus, oblongis, obovatis, lateralibus filiformibus, (ex desiccatione) revolutis; antheris apice barbatis.

In Australia meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 1496.

L. alatae omnino affinis; *folia* rarissime inciso-pinnatifida, plerumque 1½ poll. longa.

9. **Lobelia elegans** *de Vriese.* caule flexuoso, late alato; foliis ovatis, vel lanceolato-obovatis, juxta caulis et ramorum alas decurrentibus, subrepando-dentatis; pedunculis longissimis; calycibus tubulosis, obconicis quinque-laciniatis; corollae tubo elongato, integro, labii superioris laciniis linearibus, inferioris ovatis obovatisve; antheris duabus inferioribus apice setosis.

In solo limoso Peninsulae Perth, d. 22 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1434. Forma minor in arenosis ad fluvium Canning, Perth, d. 1 m. Nov. 1839. No. 1436.

Planta perpusilla, vix 3-4-pollicaris, *Clintontae pusillae* Don habitum prae se ferens. *Caulis* flexurae trans alam basi rectam (nec flexuras illas sequentem) pellucent. *Pedunculi* 1½-pollicares, et, licet capillares, tamen tenuissime alati; *flores* coerulei, 5 lin. longi. *L. alatae* affinis.

10. **Lobelia macrocarpa** *de Vriese.* caule flaccido; decumbente, alato; foliis lineari-lanceolatis, subdenticulatis; bracteis brevibus, filiformibus; floribus axillaribus et terminalibus; calycis laciniis brevibus, acutis; corollae lobis tribus inferioribus majoribus medio longiore, lateralibus (superioribus) angustis acutisque; antheris apice barbatis; capsula elongata, pollicari et ultra, subcontorta et incurva,

pellucida, dissepimento membranaceo, tenuissimo, polysperma, seminibus fusco-brunneis, subpellucidis.

Herba flaccida in coenosis exsiccatis inter *Juncos* ad marginem lacus Kelermulu, d. 9 m. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1453.

„Flores pallide coerulei". Herba bipedalis, aemulans omnino habitum generis Americani *Clintoniae* Dougl., a quo tamen pluribus characteribus distat. Referenda ad Sect. II. §. 3. DeCand. prodr. VII. 358.

Var. **genistoides**, caule adscendente, erecto, vix semipedali, caeteris *L. macrocarpae* aequalibus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. In itinere ab Albany ad Eboracum, m. Febr. 1841 legit Preiss. Herb. No. 1437.

11. **Lobelia ciliata** *de Vriese.* caule subtrigono, apice subramoso, ramis pedunculiformibus; foliis radicalibus trifidis, lacinia media pinnatifida, lateralibus incisis; foliis caulinis linearibus subtrifidis; pedunculis 1-2 floris, longe-bracteatis; calycis tubo oblongo; corollae labio inferiore trilobo, lobo medio subrotundo lateralibus obovatis, labii superioris laciniis obovatis angustis, incurvis, lanato-ciliatis; antheris omnibus apice dense argenteo-ciliatis.

In umbrosis inter frutices altos prope villam Andrews ad flumen Cygnorum, d. 4 m. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1433.

„Stirps vix pedalis", calyce pilosiusculo, „floribus coeruleis".

12. **Lobelia rhombifolia** *de Vriese.* caule subquadrangulari, foliis rhomboideo-incisis; ramis floriferis pedunculisque longissimis, tenuibus, calycibus gibbosis, laciniis lineari-lanceolatis, corollae lobis tribus inferioribus oblongo-rotundatis, lateralibus linearibus, apice incurvis; antheris barbatis.

In rupestribus montis Elphinstone, Plantagenet, d. 15 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1439. In asperis jugis montium Darling's-range, Perth, m. Sept. 1841. No. 1439.

Planta 9 poll., folia ¾ poll. longa, „flores violacei".

13. **Lobelia amplexicaulis** *de Vriese.* caule simplici, stricto, quadrangulari; foliis inferioribus amplexicaulibus, oblongo-lanceolatis integerrimis, superioribus obsolete-denticulatis, acutis, sessilibus (nec amplexicaulibus); floribus parvis, corollae labio inferiore trilobo, lobis subaequalibus, inferioris labii laciniis linearibus; antherarum apicibus barbatis.

In solo limoso sylvae prope urbiculam Busseton, Sussex, m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1443 b.

Planta 1½-pedalis (in speciminibus adultis), *Eptlobiorum* fere habitum referens; *foliis* radicalibus fere 1½-2 poll. longis, ½ poll. fere latis, plane amplexicaulibus, reliquis brevioribus angustioribusque. Ad Sect. II. §. 3. Cand. VII. prodr. 358.

14. **Lobelia ophiocephala** *de Vriese.* „planta digitalis"; foliis radicalibus spathulatis, subdenticulatis, longissime-pe-

tiolatis, decurrentibus; caule simplici, capillari; pedunculo minutissime bracteato, apice serpentino vel sigmoideo; flores quandoque cernui; calycis tubo brevi; corollae lobis ...?; antheris apice barbatis.

In turfosis exsiccatis ad marginem lacus Keiermulu, d. 4 m. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1446.

„Herba ⊙ fere 3-poll." *Radix* simplex capillaris, *folia* pollicaria; *floris* longitudo vix 2 lin. superat.

15. **Lobelia monanthus** *de Vriese.* caule tereti, simplicissimo, filiformi, stricto, aphyllo, unifloro; foliis radicalibus, obovatis dentatis, binis, suboppositis, carnosulis; flore cernuo, calycis tubo obconico, laciniis lanceolatis acutis; corollae labio inferiore trilobo, superiore subtruncato; antheris apice setis duabus instructis.

In arenosis sylvae prope Bulcscreek, Perth, m. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1432.

Plantula 3-pollicaris.

16. **Lobelia longiscapa** *de Vriese.* caule repente, demum erecto, una cum foliis angustis subpinnatifidis hirsuto; pedunculo terminali longissimo, unifloro; flore ante anthesin nutante, demum erecto, minutissime bracteato; calycis tubo brevissimo, laciniis lineari-lanceolatis; corollae elongatae lobis tribus majoribus obovatis; antheris apice sericeo barbatis; stylo apice contorto, stigmate bifido; capsula coriacea oblongo-ovata sursum dehiscente, valvis longe acuminatis, polysperma; seminibus badiis subsemilunaribus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, d. 1 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1435.

Planta 7 poll. longa, caule brevi, 1-2-scapo, scapis aphyllis; *folia* vix pollicaria. Habitus *L. tomentosae* L. Cand. VII. 363.

17. **Lobelia saxicola** *de Vriese.* caule decumbente quadrangulari, alato, foliis obovatis, spathulatis, grosse et remote-dentatis, subrepandis, decurrentibus; floribus axillaribus pendulis; calyce tubuloso-elongato, laciniis trigonis, acutis, revolutis; corollae lobis tribus inferioribus oblongis, obovatis, medio latiore rotundato, lateralibus linearibus; antheris apice glabris.

In rupestribus insulae Mistaken-island, Plantagenet, d. 12 m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1498.

„Herba fragilis ½ ped." *Folia* 1½ poll. longa, ½ poll. lata, probabiliter carnosa; *caulis* saepe etiam medullosus; „*flores* pallide cyanei".

VLAMINGIA de Vriese.

Calycis tubo subnullo, limbo 5-partito. *Corolla* hypogyna, irregularis, 5-loba lobis inaequalibus quatuor ovatis subaequalibus connatis, quinto rotundato, maximo, longissime unguiculato,

calcarato saccatoque. *Stamina* quinque, antheris connatis, sessilibus, villosis, bilocularibus, introrsum dehiscentibus, apice connectivo bi-alato aurantio coronatis; *ovario* supero, biloculari........, subobliquo; *stylo* subcontorto, clavato, *stigmate* rotundato, submarginato. *Fructu*.......?

Obs. Genus ad Lobeliaceas, ut videtur, referendum et *Isotomati* forsan postponendum, ob habitum, calycem pentamerum, inaequalem, ob corollam irregularem, stamina antheris connata, hisque ipsis apice appendiculatis, aliosque characteres in diagnosi expositos et porro exponendos.

Planta herbacea est instructa *caule* subterraneo perenni, lignoso, sursum herbaceo, tenui, lineato. *Folia* caulina alterna, linearia, integerrima, nonnunquam multipartita. *Flores* longepedunculati, solitarii, 2-3-ni vel et subpaniculati, subtilissime bibracteolati. *Pedunculi communes* 4-pollicares; *partiales* 3 lin. longi, saepe basi torti; *bracteae* alternae e basi latiori angustatae, lineares, membranaceae, acutae, albae, medio virentes, vix $1\frac{1}{2}$ lin. longae. *Calycis* tubus subnullus, limbo 5-partito; lobis irregularibus ovatis, inaequalibus, obliquis, membranaceis, pellucidis, margine albis, medio viridi-lineatis, longe virideque acuminatis, nonnunquam vero muticis, 2 lin. longis, $1\frac{1}{2}$ latis, magnitudine cum valvis subciliatis villosisque. *Connectivum* pulcherrimum, obscure aurantium, antheras coronans, acutum, ovatum, medio sutura junctum fissumve. *Ovarium* minimum (non nisi in rudimentario statu nobis visum), *stylus* brevis, in stigma sensim transiens. *Fructum* desideravi.

Genus dicavi celeberrimo nostrati, nauarcho Batavo *Vlamingio (Willem de Vlaming)* qui anno 1697 detexit terram Novae Hollandiae hodie Colonia Fluminis Cygnorum (Swan-River Colony) dictam.

1. **Vlamingia australasiaca** *de Vriese.* (characteres speciei iidem qui generis.)

In arenosis inter frutices sylvae circa urbiculam Perth, d. 20 m. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1449.

Numerus ejusdem collectionis 1448 sistens herbam quadripedalem variis, lobo superiore plicato, inferioribus duabus propter calcar deorsum protuberans parum distantibus. *Corolla* „cyanea“, irregularis; *petalum* inferius liberum, vexilliforme, reliquis corollae laciniis triplo majus, calcaratum, calcare obtuso vel et basi subrotundato, brevi, ne lineam quidem longo; unguis tenuior, margine subintegro; a facie anteriore visum petalum et explanatum, saccum refert pilosum, pilis albis, densis, nitentibus instructum; lamina ipsa rotundata, medio viridi-lineata, integra, glabra; totius petali longitudo 5 lin., latitudo in maxima diametro 4 lin. Reliquae corollae laciniae fundo calycis insertae, vix tertiam dicti petali longitudinem aequantes, subaequales, membranaceae, tenuissimae, marginibus suberosis, viridi-striatae. *Filamenta* subnulla. *Antherae* connatae, elongatae, loculis lateraliter dehiscentibus. — In solo limoso-arenoso sylvae „Colonial-church Grant“ „Perth“ lectam d. 29 m. Junii 1839, forsan varietatem ejusdem speciei sistit, quippe humiliorem, sed probabiliter tamen formam efficit juniorem.

Ob defectum fructus genus a nobis propositum ulterioribus indagationibus peregrinatorum commendandum, ne continuo experiatur fortunam, quam tot genera hujus familiae *Lobeliacearum* in primis ab auctoribus proposita, sunt sortita.

1449 ... 1. pag. 8

GOODENIACEAE Endl. Endl. gen. plant. pag. 505.

(Auctore W. H. de Vriese.)

Tribus I. Scaevolaeae R. Brown prodr. 582. DeCand. prodr. 502.

DAMPIERA R. Brown l. c. 587. Endl. gen. n. 3040.

1. **Dampiera repanda** *de Vriese.* herbacea, multicaulis, adscendens, infra glabra, teretiuscula, lineata, supra levissime pubescens; foliis sessilibus obovato-cuneatis, sinuato-repandis, coriaceis, glabris; spicis axillaribus terminalibusque longe pedunculatis, pedunculis tenuibus, lana fusca, simplici, densissime obtectis, tenuissime bracteolatis, bracteis suboppositis, lanatis; flore erecto elongato, tenui, lanato; corollis intus etiam ad unguem tenuiter barbatis, flavescentibus, a stigmate impressis.

In arenosis ad rivulum inter urbiculas Perth et Guildford, d. 29 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1518.

Stirps decumbens, demum erecta, pedalis, habitu *Scaevolae tomentosae* (sed vera Dampiera), Sec. III. DC. prodr. VII. 503 adnumeranda videtur. *Radix* repens? *caulis* basi teretiusculus, tum lineatus, subangulatus; nodi caulini laterales valde incrassati, lignosi; *folia* articulatione inserta, caduca, dorso ad insertionem et nervo medio rufo-tomentosa, ceterum laete viridia, 1½ poll. longa, ½-¾ in maxima diametro lata. *Folia juniorum* ramorum vix pollicaria; omnia obtusa et ad apicis latera subsinuata, reliquam partem utrinque repanda aut integra, deorsum valde attenuata; ob colores cyaneos et fere aureos *corollarum* plantae adspectus valde formosus.

2. **Dampiera azurea** *de Vriese.* herbacea suberecta; foliis sessilibus subdenticulatis, obovato-vel lineari-lanceolatis cuneatisve; floribus secundis, longe pedunculatis; bracteis ellipticis, suboppositis; corollis extus griseo-lanatis, villis simplicibus patulis.

In arenosis umbrosis ad flumen Cygnorum, d. 25 m. Junii 1839. Herb. Preiss. No. 1475.

Planta sesquipedalis, inde a basi ramosa.

3. **Dampiera eriophora** *de Vriese.* multiramosa, caule striato, axillis lanato; foliis coriaceis, obovatis lanceolatisve, denticulatis, pedunculis elongatis, subtrifloris, erectis; gemmis floralibus lanatis; corollae coeruleae tubo loborumque media parte griseo-lanato, lana simplici; ungium colore interno flavo, lobis truncatis; stylo apice incurvo stigmate declinato.

In solo turfoso arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, m. Sept. 1842. Herb. Preiss. No. 1500.

Praecedenti affinis, sed diversa *statura* minori, (¼-1 pedali), foliis plerisque vix pollicaribus, *pedunculis* haud secundis sed plerumque erectis lanuginosis. „Flores coerulei".

4. **Dampiera trigona** *de Vriese.* herbacea, caule trigono subtortuoso, a basi inde ramoso; foliis lanceolato- et obovato-oblongis, bracteis tenuissimis; pedunculis filiformibus unifloris; corollis coeruleis, extus medioque parce pilosis, stigmate incurvo, capsulis bilocularibus, elongatis, calyce coronatis.

In depressis humosis hieme aqua inundatis, haud longe a praedio rustico Maddington, d. 2 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1471.

„Herba 2, bipedalis". *Radix* fibrosa, planta tota gracilis, *ramis* superioribus complanatis, subalatis, oligophylla; *foliis* nonnullis valde elongatis 1-1½-pollicaribus, infra scabriusculis, nonnunquam fere subdimidiatis; *pedunculis* axillaribus, *bracteis* filiformibus, minutissimis, 2 lin. longis; *corolla* intus flavescens, ¾ poll. longa. Ad sect. *Trigonarum* DC. VII. 504. ob caulem trigonum.

5. **Dampiera stricta** *Br.* herbacea erecta, caule compresso trigono, ramulis parallelo-approximatis, foliis sessilibus cuneatis grosse paucidentatis, adultis supra scabris, pedunculis paucifloris axillaribus terminalibusque corollis extus pilis adpressis. Brown. prodr. pag. 558.

Goodenia stricta Smith in Trans. Linn. Soc. 2. pag. 349. *D. ferruginea* Sieb.! fl. Nov. Holl. exs. n. 224. DeCand. VII. 504.

In solo turfoso humido inter frutices densos planitiei prope urbiculam Albany, d. 11 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1484.

6. **Dampiera erecta** *de Vriese.* herbacea, erecta, caule trigono, stricto; foliis sessilibus, lanceolatis, subrepando-obsolete-dentatis, scabris; pedunculis axillaribus terminalibusque; corollis obscure-coeruleis, griseo-tomentosis; stylo apice incurvo; stigmate nutante.

In solo arenoso sylvae prope urbiculam Albany, d. 22 m. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1487.

„Planta 2-pedalis"; *folia* 1¾ poll. longa, coriacea, rigida; *pedicelli* ½ poll.; *flores* cum *calyce* fere ½ poll.; a specie praecedenti sola forma foliorum diversa, ad *Trigonas* referenda.

7. **Dampiera trialata** *de Vriese.* caule inde a basi ramoso, stricto, trialato, compresso, internodiis elongatis; foliis vel oblongo-ovatis integerrimis, vel obovato-cuneatis, grosse et remote-dentatis; bracteis linearibus, minimis; floribus terminalibus, in dorso loborum adpresse pilosis; corolla flavescente, lobis rotundatis; stylo basi antheris conniventibus cincto, incrassato, levissime piloso, stigmate nigricante, apiculo albicante.

In arenosis umbrosis inter frutices densos sylvae prope urbiculam Perth, d. 6 m. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1444.

Herba erecta, 14 poll. longa; internodiis saepe 5 poll.; *folia radicalia* majora, 1 poll. longa, *reliqua* minora, paucidentata, *omnia* scabriuscula; *flores* in superficie interna maculis duabus nigris, a stigmatis impressione, instructi. E *Trigonarum* sectione Candollei, l. l. *Dampierae caulopterae* proxima.

8. **Dampiera cauloptera** *DC.* herbacea erecta glabra, paniculato-ramosa, caule basi tereti, superne ramisque compresso-subtrigonis hinc in alam angustam longe productis, foliis inferioribus cuneato-lanceolatis grosse et rariter dentatis, summis lanceolatis subintegerrimis, floribus laxe paniculatis, corolla extus adpresse pubescente.

In solo humoso prope Woodbridge, Perth, d. 2 m. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 1476.

Herba pedalis. Flores coerulei extus subnigricantes, nec ut in *stricta* rufi. DC. prodr. l. l.

9. **Dampiera Lindleyi** *de Vriese.* herbacea erecta, caule simplici, constricto, alato; foliis.....?; pedunculis axillaribus filiformibus, 2-3-gonis, glabris apice paucifloris; corollis extus griseo-lanatis; villis simplicibus; stylo incurvo; stigmate nigricante, declinato.

In limoso-calculosis sylvarum. York, d. 18 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1574.

Species affinis, ut videtur *D. alatae* Lindl. (Swan-River Colony app. XXVII ad calcem), sed folia in nostro specimine absunt, quare de forma *obovata, integerrima, basi angustata* non licet judicare. In nostra planta corollae non sunt nigro-barbatae, neque villi sunt plumosi.

E communi basi ad radicem crassam lignosamque oritur *herba* multicaulis, pedalis, ramis strictis, alatis, ad internodia fere 2-pollicaria constrictis, medio longitudinaliter fasciculo vasorum prominente instructis; *pedunculi* filiformes, pollicares, obsolete bracteolati, ramosi, tenuissime tomentosi, laxi, varie curvati; flores ½ poll. „coerulei". *D. caulopterae* proxima e sect. *Trigonarum.*

10. **Dampiera epiphylloidea** *de Vriese.* multicaulis, glabra, caulibus lato-alatis, utroque latere linea exstante, crassiore carinatis; foliis obovato-grosse 2-4-dentatis; pedunculis axillaribus et terminalibus, solitariis, 1-2-floris, cum calyce et corolla exteriore longissime et dense griseo-lanatis (lana in summis pedunculis caduca), stylo recurvo, exserto; stigmate bilabiato.

In Australia occidentali legit Preiss. Herb. No. 1494.

Speciei priori et habitu et forma maxime affinis. Tota planta 9-pollicaris. E radice lignosa plurimi exsurgunt *caules* basi teretiusculi, dein dilatati, alatique. Singulorum internodiorum forma elongato-obovata, medio longitudinaliter striato; inferiora subcurvata in folia producta. *Folia* crassa, coriacea, scabra, inferiora 2-pollicaria, ½ poll. lata, obovato-oblonga, subspathulata, remote quadridentata, dentibus fere oppositis, subincurvis *binis inferioribus* vix conspicuis, versus basin valde attenuata; *folia caulina media* vix pollicaria, raro in dorso medio obsolete lanata, nonnunquam submucronulata, 2-4 acute dentata; *foliis supremis* minimis ovato-acutis; *pedunculis* ad insertionem in axillis tenuissime bibracteolatis, bracteolis calyci vicinis, longissime griseo-lanatis.

11. **Dampiera subverticillata** *de Vriese.* suffruticosa, multicaulis caulibus ima basi subteretibus, tomentosis, inde trigonis, glabris, sursum compresso-alatis, ramosis; foliis coriaceis, ad basin lateralibus, sursum verticillatis, ovatis, vel subrotundis, remote et repando-subdenticulatis; floribus sessilibus ad apices ramorum congestis, foliorum verticillo obtectis; bracteis ovatis, acutis; calyce et corolla „coerulea" extus griseo-lanatis; villis lanarum simplicibus, longissimis.

In rupestribus collium Konkoberuphills, Kent, d. 19 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1510.

Suffrutex pedalis. *Radix* lignosa, ad caulium ortum dense tomentosa. *Caules* articulati, ad articulos valde incrassati, rigidi, hic illic subalati, ramis terminalibus, umbellam ferme mentientibus; *folia* longitudinis diversae, pleraque tamen ½ poll. longa et fere 4 lin. lata, cauli articulata, caduca, dorso medio sulcata, remote denticulata, margine incrassato subrevoluto; *folia juniora axillaria*, ovata, obovata, vel subrotunda; *verticilli florales* fere terminales, multiflori, floribus angustis, elongatis, intus basi glabris, flavescentibus *stylis* exsertis. *D. fasciculatae* R.Br. affinis.

12. **Dampiera Preissii** *de Vriese.* caule herbaceo, multiramoso, angulato, sulcato, tomentoso; foliis congestis, lateralibus, in apice subverticillatis, ovatis, denticulatis, supra glabris, scabriusculis, infra cinereo-tomentosis margine revolutis; glomerulis sessilibus, alternis remotis, axillaribus terminalibusque, extus longissime lanatis; floribus pedunculatis, pedunculis 1-3-floris, lana densa, longa, alba, simplici obtectis; corollis „cyaneis", angustis, valde lanatis, apicibus glabris; stylo incurvo; stigmate dilatato, nigrescente.

In solo limoso-calculoso sylvae districtus York, d. 12 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1481.

Planta fere pedalis, habitus speciei praecedentis, cui affinis propter dispositionem foliorum et notas corollae: *caules* tamen sunt multangulares, nonnunquam parumper contorti, *folia tma* cum floribus ad latera caulium et ramorum congesta; *juniora* praesertim cum gemmis floralibus valde sordideque lanata; *adulta* in dorso cinereo-vel niveo-densissime tomentosa, nervo medio exstante, supra demum glabra, pleraque obsolete dentata.

13. **Dampiera diversifolia** *de Vriese.* herbacea, prostrata, glabra, caule multangulari; foliis coriaceis, aut majoribus, solitariis, oblongis, integerrimis vel subdenticulatis, aut minoribus fasciculatis, uno folio reliquis majore; floribus axillaribus; corolla coerulea, glabra; stigmate obscure-coeruleo.

In regionibus interioribus Australiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 1469.

„Herba prostrata", nana, propter habitum et foliorum situm praesertim ad priores referenda, attamen propter caulem non trigonum et absentiam lanuginis ad sect. *Trigonarum* vix ducenda. *Folia inferiora* 5-6 lin. longa, cuneata apice 4-5 obtuse dentata; *reliqua* caulina (majora) 7-8 lineas longa, edentata, convoluta; *flores* solitarii, sessiles, tenues.

14. **Dampiera prostrata** *de Vriese.* herbacea, prostrata; caulibus teretibus iisque et axillis lanatis; foliis fasciculatis,

lineari-lanceolatis, integerrimis, utroque pagina pilosis, praesertim ad axillas sericeo- et longe fasciculatim lanatis; calycibus, corollis (flavescentibus?) intus et extus longe pilosis; stylo et stigmate bilabiato levissime tomentosis.

In solo arenoso prope Avondale, d. 10 m. Aprilis 1840. Herb. Preiss. No. 1504.

„Herba prostrata" exacte referens habitum praecedentis speciei, a qua non est diversa nisi pubescentia et forma foliorum.

15. **Dampiera (?) inundata** *de Vriese.* caule crasso, aphyllo, tereti; foliis radicalibus submersis, elongato-linearibus; spica ramosa, elongata, una cum floribus pedunculatis ferrugineo-vel nigro-lanata, pilis glanduliferis; bracteis squamaeformibus; „corollis violaceis", stylo filiformi, elongato, spirali; stigmate profunde bilobo; antheris .....?

In subturfosis hieme aqua inundatis planitiei prope urbiculam Albany, Plantagenet, d. 29 m. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1523.

Radix fibrosa, fibris multis elongatis, tenuibus. *Folia* radicalia, numerosa, 4-pollicaria, 2 lin. lata, basi et apice attenuata, caeterum satis aequalia, in specimine nostro (a desiccatione?) nigro-brunnea, *omnia* ad basin caulis inserta, qui reliqua parte est plane nudus, levissime griseo-splendens, perfecte teres, sed ubi in spicas abit, compressus, ramis complanatis glabris, tandem vero pilosiusculus. De floribus perparvis, nec satis completis, paucissima tantum licuit adnotare. Habitus manifestus plantae aquaticae, ab omnibus cognitis hujus generis (si certe *Dampiera*) speciebus toto coelo distat; quare locus eidem vix assignandus, nisi speciem propter villos simplices elongatosque ad *Podostachyarum* sectionem velis referre.

SCAEVOLA L. R. Brown prodr. 582. Endl. gen. pl. n. 3038. (excepto charactere *stigmatis*, quod *imberbe* viro celeb. dicitur.)

1. **Scaevola geniculata** *de Vriese.* herbacea, procumbens, stolonifera, densissime et longe lanata; foliis radicalibus spathulatis, obsolete crenulatis et denticulatis; pedunculis longissimis ad mediam longitudinem subito sub angulo recto geniculatis; calycis limbo obsoleto, corolla magna, sublignosa, flava, bracteis longis, lanceolatis inclusa, densa et longa lanugine obtecta; stigmate ciliato; capsula elongata, biloculari quadrivalvi, calyce coronata, valvis apice dehiscentibus, polysperma, seminibus planis, marginatis, flavis pellucidis.

In rupestribus promontorii Cape-Riche, (raro.) d. 20 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1503.

Species habitu et inflorescentia admodum distincta. *Radix* lignosa, fusiformis; *folia* radicalia 4 poll. longa; stolonum folia subopposita, obovato-lanceolata, integra, rarissime unidentata; axillis dense lanatis; *pedunculi* foliis longiores 6-pollicares, ad flexuras minutissime bracteolati, inde sursum aut glabri aut parum pilosi; flores flavi; fructus capsulares, 1-pollicares; semina in maxima diametro lineam aequantia.

Propter indusium ciliatum, axillas barbatas, pedunculos axillares, uniflоros, fructumque bilocularem ad *Sarcocarpaeam* Don liceat referre, quamvis tamen nec drupaceus, neque baccatus dici mereatur fructus. In ordinandis Scaevolis Preissianis secuti sumus ordinem inprimis Candolleanum juxta sectiones in *Sarcocarpaeas*, *Gymnosteglas*, *Xerocarpaeas*, cet. attamen licet observare has sectiones hodie vix posse retineri, numero specierum ad has sectiones non tuto referendarum tam insigni ratione aucto. Quare totum genus refundendum si licebit cum Preissianis etiam comparare ipsa specimina R. Brownii, Hügelii, Sieberi, aliorum.

2. **Scaevola rufa** *de Vriese*. fruticulosa, erecta, tota planta pilis longis, rufis, vulpinis lanata, foliis lineari-lanceolatis, inciso-dentatis; spica simplici, pauciflora; bracteis bracteolisque brevibus lanceolatis; calycis margine obsoleto; corolla azurea, intus flava, lanata; stylo longo, inflexo, lanato; stigmate dense et longe ciliato, hinc albido; fructu obconico, angulato, costato, biloculari.

In calculosis inter frutices sylvae ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 23 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1513.

Folia sessilia, *inferiora* raro dentata, basi dilatata, subamplexicaulia; *superiora* etiam apice inciso-pinnatifida; *flores* praesertim in apice spicae congesti. An ad *Sarcocorpaeam*? sed flores non dichotomi.

3. **Scaevola lyratifolia** *de Vriese*. caule simplici, suffruticoso, dense ferrugineo-hispido; foliis lyrato-pinnatifidis, deorsum attenuatis, basi valde angustatis, semiamplexicaulibus; acutis, sinuato-dentatis, dentibus elongatis, spica terminali, pauciflora, bracteis linearibus; calycis tubo obsolete-quinquedentato; corollis intus lanatis, stigmate longe denseque ciliato. Fructu.....?

In saxosis prope catarractam capitis fluvii Cygnorum, d. 25 m. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 1485.

„Flores violaceo-coerulei. Suffrutex 1½ pedalis". Planta tota pilis longis, ferrugineis obtecta; *folia* 2½-pollicaria; superiora lineari-lanceolata, trifida dentataque. Ad *Sarcocarpaeam* referri potest: *Sc. tomentosae* Gaud. in Freyc. voy. bot. 460. t. 81. affinis, a qua differt cum aliis notis, tum foliis non obtusis, nec rhomboideo-ovatis.

4. **Scaevola Candollei** *de Vriese*. frutiosa (?), pilosa; foliis sessilibus, ovalibus, subtrinerviis, subdenticulatis, ciliatis, mucronulatis, utraque pagina subhirtis; bracteis oppositis, petiolatis, oblongis, hirtis; calycibus brevissimis, quinquedentatis; corolla magna elongata, tubo extus sericeo, intus lana longissima, sericea, compacta fere clauso, lobis elongatis, medio sericeo-nervosis, apicibus barbatis; antheris liberis; stylo elongato, complanato, ejusdem apice et stigmate longissime et dense lanuginoso-setoso, setis strictis, aequalibus.

In confragosis jugi montium Darling's-range, Perth, m. Sept. 1841 Herb. Preiss. No. 1497.

Ad sect. *Sarcocarpaeam*? certe propter indusium ciliatum axillasque barbatas, pedunculos axillares calycem 5-dentatum; fructum tamen non vidi. Species spectabilis, summo jure dicanda *Alphonso Candolleo*, tanti patris

virtutum et doctrinae dignissimo heredi. Facile dignoscitur planta *stigmate* argenteo- et setoso-lanato. *Folia* integerrima sunt, rarissime subdenticulata, basi subsemiamplexicaulia, fere 2-pollicaria, ½ poll. fere lata; *bracteae* integerrimae, pollicares, 4 lin. latae; *calycis* tubus brevissimus, levissime pubescens, vix 2 lin. longus, 2½ lin. latus; dentibus obtusis, 1½ lin. longis, corollae adpressis; tota *corolla* tubo 1-1¼ poll. longo, intus pulcherrime lanata; filamenta et antherae subtilissime pilosiusculae. An frutex? probabile videtur.

5. **Scaevola prostrata** *de Vriese.* herbacea; prostrata, pilosa, caule.....? foliis cuneato-dentatis, subamplexicaulibus, subrevolutis; bracteis obovato-lanceolatis; floribus terminalibus; calycis laciniis linearibus, hirtis; corollis magnis, lanatis; stigmate longe et dense ciliato, lanato.

In solo subarenoso sylvae prope Middletonbay, d. 23 m. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1490.

Planta pusilla, *foliis* ¾-pollicaribus, sursum et apice grosse dentatis, deorsum integerrimis, viscosis (?), subdecurrentibus. *Corolla* flava (?). Ad *Sarcocarpaeam*?

6. **Scaevola repens** *de Vriese.* herbacea, prostrata, caule repente, foliis adscendentibus, obovato-oblongis, coriaceis, glabris, marginibus incrassatis, subhirsutis, acutis; floribus sessilibus, axillaribus; bracteis lanceolatis, membranaceis; calycis margine subnullo, corolla extus flava, villosa, intus tubo lanata, lobis glabris; stigmatis indusio ciliato.

In arenosis sylvae prope urbiculam Perth, d. 20 m. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1519.

„Herba perennis"; *caulis* subramosus; *folia* floralia vix pollicaria angustioraque, reliqua 1½-2 poll. longa, ½ poll. lata, fere rosulata. An ad *Sarcocarpaeam*?

var. **angustifolia.** foliis angustioribus.

Herba procumbens, in arenosis umbrosis ad fl. Cygnorum, Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1493.

7. **Scaevola crassifolia** *Labill.* suffruticosa, adscendens, glabra; foliis subcarnosis, obovatis, dentatis, in petiolum angustatis, infimis oppositis; floribus spicatis, bracteatis, bracteis oblongis, integris. Br. prodr. 584. Labill. Nov. Holl. I. pag. 56. t. 78.

Folia subrotunda, obovata, aut passim lanceolata; *drupa* obovata, 2-locularis. DC. prodr. VII. 508.

In arenosis prope urbiculam Freemantle, d. 15 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1486.

Ad *Gymnostegiam.*

8. **Scaevola fastigiata** *de Vriese.* fruticosa, ramulis fastigiatis; foliis coriaceis, ellipticis, mucronulatis, dentatis; floribus in apicibus ramorum brevi-spicatis; bracteis linearibus; calycibus subnullis; corollis „laete-cyaneis"; stylis pilosiusculis, stigmate ciliato.

In littore arenoso ad Baldhead (in Royal Georg III.) d. 16 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No 1491.

„Frutex tripedalis"; *folia* pollicaria, fere ad basin usque denticulata. Habitu proxime accedit ad *S. crassifoliam*, diversa vero foliorum forma et floribus congestis.

9. **Scaevola multiflora** *Lindl.* glaberrima, caule paniculato, foliis ovalibus, argute serratis, utrinque acutis, spicis elongatis, multifloris; bracteis lineari-lanceolatis, integerrimis; stylo villoso, fructu costato, laevi. Lindl. Swan-River Colony App. XXVI. ad calcem.

In calcareis ad latus orientale montis Eliza, Perth, d. 25 m. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1517.

„Frutex 10-12-pedalis, pulcherrimus". *Caulis* angulatus, glaber; *folia* 2½ poll. longa, 1½ poll. lata, acute et fere ad basin usque serrata, vel basi remote serrata; *bracteae* etiam ovato-lanceolatae; *flores* coerulei. No. 1489 collectionis Preissianae (in arenosis sylvae ad Melvilles-water, d. 8 m. Oct. 1839 lect.) eandem speciem, at juniorem formam constituit. Numerus 1495 herb. Preissiani (in arenosis prope urbiculam Freemantle, floribus laete coeruleis teste auctore, lect. d. 7 m. Dec. 1838), poly- et macrostachyum specimen verosimiliter sistit speciem eandem sed fructiferam plantam, fructibus albis, obtusis, cicatricosis, bilocularibus, dispermis.

var. **microstachya.** spica brevissima.

In littore arenoso prope Byster-Harbour, Plantagenet, d. 23 m. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1488.

„Frutex 8-10-pedalis".

10. **Scaevola trinervis** *de Vriese.* radice lignosa, caule ramoso, herbaceo; foliis petiolatis, subamplexicaulibus, trinerviis, oblongo-ovatis, una cum ramis dense pilosis, obsolete et remote denticulatis; floribus spicatis, spicis interrupte-verticillatis; bracteis bracteolisque folio conformibus, at minoribus, calycis laciniis obsoletis; corollis hispidis; stylo glabro; stigmatis indusio ciliato.

In arenosis umbrosis sylvae prope lacum Keiermulu, Perth, d. 16 m. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 1479.

Folia inferiora breviora, 1½ poll., summa 3 poll., uno latere subexcisa, altero convexiora, spicas florales longe superantia. An ad *Gymnostegiam*?

11. **Scaevola flaccida** *de Vriese.* suffruticosa, ramosa, longe-paniculata, foliis linearibus; lanceolatisque, elongatis, subtilissime denticulatis, spicis terminalibus; calycis laciniis linearibus, in fructu persistentibus; corolla parva, coerulea (?); stylo villoso, stigmate subciliato; fructu capsulari (drupaceove?) biloculari, dispermo.

In arenosis prope urbem Freemantle, d. 13 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1521.

„Suffrutex 2-ped. ramis elongatis, flaccidis". Spicae fertiles, apicibus floriferis; ad sect. *Gymnostegiae* referenda species.

12. **Scaevola paniculata** *de Vriese.* fruticosa, ramosa, longissime paniculata; foliis lineari-oblongo-lanceolatis, subtilissime denticulatis; spicis terminalibus axillaribusque; fructibus floribusque caeteris congesto-spicatis; ut in *S. flaccida* (1521).

In clivulis calcareis prope Limekiln, Perth, d. 5 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1516.

„Frutex 2-pedalis"; a priori specie florum dispositione et foliorum radicalium, 6-pollicarium, longitudine differt. *Flores* sunt coerulei.

13. **Scaevola holosericea** *de Vriese.* suffruticosa, stricta, holosericea, macrostachya; foliis radicalibus obovato-lanceolatis, integris, revolutis; floribus axillaribus pedicellatis, longe bracteatis; bracteis obovato-linearibus; calycis limbo subnullo, corolla „coerulea" ungue elongato, intus lanato et glandulis stipitatis instructo, lobis ciliatis, medio lineatis, apicibusque plumosis, stigmate ciliato.

In arenosis sylvae ad montem Eliza mountain, Perth, d. 23 m. Sept. Herb. Preiss. No. 1478.

Suffrutex 2-pedalis. *Folia* inferiora obsolete-denticulata; *flores* inferiores remoti, omnes alterni. Ad *Xerocarpaeam*?

14. **Scaevola stricta** *de Vriese.* suffruticosa, stricta, caule lineato; foliis oblongo-lanceolatis, denticulatis; pedunculis 1-3-floris; floribusque rachi communi adpressis; calycis laciniis longissimis; corolla sordide alba; stigmate ciliato; capsula biloculari, polysperma, seminibus ovatis, complanatis, parvis, badiis.

In rupestribus ad latera collium Kohkoberuphills, Kent, d. 19 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1511.

„Suffrutex 1-2½-ped.; flores sordide albi". *Folia* 2-pollicaria, 4 lin. lata, basi attenuata, subamplexicaulia; *spica* simplici elongata, (6 poll.); *pedicelli* elongati, 2-3-fidi, tenuissimi; tubus *calycis* obconicus, laciniae 3-4 lin. longae. Ad *Xerocarpaeam*?

15. **Scaevola pterosperma** *de Vriese.* herbacea, albo-tomentosa lanataque; foliis lanceolatis, semiamplexicaulibus; floribus terminalibus, spicatis; bracteis linearibus, valde lanatis; calyce subgloboso; laciniis linearibus, persistentibus; corolla magna violacea, intus flava, extus et intus styloque lanatis; stigmate ciliato, ciliis conniventibus; fructu capsulari, biloculari, polyspermo; seminibus planis, membrana lata, membranacea circumdatis.

Ad promontorium Cape-Riche, d. 24 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1501. In asperis inter frutices ad Seven-miles Bridge, Plantagenet, d. 20 m. Dec. 1840. No. 1499.

Ultimum specimen a priori vix diversum nisi foliis inferioribus subincanis, et habitu humiliore; species haec caeterum ab omnibus reliquis facile dignoscitur pubescentia, fructu et semine. Ad *Xerocarpaeam* referenda.

16. **Scaevola revoluta** *Br.* suffruticosa, hirsuta, pubescens, subcinerea; foliis oblongo-lanceolatis, sessilibus, margine revolutis; spica compacta, bracteis subtendentibus, lanceolatis, interiores vix superantibus; calycis limbo obsolete crenato; ovario biloculari. Brown prodr. pag. 586. DC. prodr. VII. 510.

In arenosis inter frutices humiles ad sinum Two-peopled-bay, Plantagenet, d. 23 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1509.

„Suffrutex 1-ped. flor. cyaneis". Specimen Preissianum levissime pubescit hirsutumque est. Ad *Xerocarpaeam*.

var. **strigosa.** pilis longis, rigidis, incumbentibus obtecta.

In littore arenoso inter frutices ad Point-possession, d. 16 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1506.

„Frutex 2-ped. fl. cyanei".

17. **Scaevola Reinwardti** *de Vriese.* suffruticosa, ramosa, foliosa, densissime niveo-pilosa (adspectu cretacea); foliis sessilibus, obovatis, integerrimis, obtusis; spica elongata, ramosa; calyce longe et dense lanato; corolla alba, flava, tubo et dorso loborum striis latis, brunneis induta, lobis subrotundis, subemarginatis; stylo praesertim, apice villoso; indusio stigmatis brunneo, albo-ciliato.

In planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20 m. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1454. In solo limoso planitiei, inter praedia rustica Morrell et Heals, York, d. 14 m. Mart. 1840. No. 1455, specimen probabiliter depauperatum.

„Suffrutex 2-pedalis fl. sulphureis". Planta tota ad tactum velutina, tomento crasso, densissimo albissimoque obtegitur. *Folia* 1¾ poll. longa, et in maxima diametro fere ¾ poll. lata; caulis teres; *spicae* ramus medius, maximusque 6½ poll. longus, floribus paucis remotis; *spicae* laterales 2-3 poll. floribus vix evolutis. Ad *Xerocarpaeam*.

18. **Scaevola tenera** *de Vriese.* caulibus pilosis, angulatis, subflexuosis, subaphyllis; parce ramosis; foliis radicalibus linearibus, rigidis, elongatis, caulinis subnullis; bracteolis solitariis, minutis, pedunculis incurvis; calyce piloso, tubo dilatato, laciniis linearibus, reflexis; corolla magna, intus pilosa; stylo barbato; stigmate ciliato.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 1442.

Planta pedalis; *folia* caulina caduca (?), ½ poll. longa, linearia, rigida, acuta. Fl. lilacini (?) intus flavi. Ad *Xerocarpaeam*.

var. β **pauciflora.** toto habitu tenerior, humiliorque.

In arenosis districtus Sussex, d. 20 m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1441. In solo limoso ejusdem districtus, m. Dec. 1839. No. 1482.

„Planta ½-ped."; corollae coeruleae et flavae.

19. **Scaevola sphaerocarpa** *de Vriese.* suffruticosa, erecta, densissime pilosa; foliis oblongo-spathulatis lanceolatisve, remote denticulatis, revolutis, uninerviis; superioribus bracteisque lanceolato-linearibus; spica elongata; floribus distichis, alternis; bracteis sursum decrescentibus; calycis limbo subnullo; stigmatis indusio ciliato; drupa globosa, (ex desiccatione?) lacunosa, 4-loculari.

In arenosis prope urbiculam Freemantle, d. 14 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1512.

„Suffrutex 2-3-pedalis". Ab *Sc. anchusaefolia* Benth. diversa videtur: foliis subdenticulatis, petiolis dilatatis et subamplexicaulibus, tum maxime caule erecto. Ad *Xerocarpaeam*.

20. **Scaevola longifolia** *de Vriese.* radice multicipite, herbacea, carnosa; adpresse pilosa; foliis radicalibus longissimis, decurrentibus; spicis dense lanatis aequantibus; foliis caulinis brevioribus, lineari-lanceolatis, omnibus subdenticulatis; bracteis hirsutis; bracteolis minimis, gemmis floralibus valde lanatis; calyce 5-dentato, dentibus longioribus; corolla intus et extus pilosa; stylo glabro; indusio ciliato.

In solo limoso planitiei ad fluvium Vasse-River, Sussex, d. 7 m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1472.

Radix simplex; tota planta fere pedalis; *folia* radicalia 7 pollices longa, basi angusta, linearia, decurrentia, revoluta, sursum dilatata. Ad *Xerocarpaeam?*

21. **Scaevola glaucescens** *de Vriese.* caulescens, decumbens, glauco pilosa, caule nodoso, ob superstites bases petiolorum vaginante; foliis obovato-oblongis, subrevolutis incrassatis, subamplexicaulibus, ad apices rami congestis; floribus axillaribus, aggregatis; bracteis subopppositis, crassis, bracteolisque brevibus obtectis; calyce fere obsoleto; corolla minima, pilosa sordide-alba; stylo tenuissimo; stigmate minimo, vix ciliolato.

In arenosis prope urbiculam Perth, d. 15 m. Aprilis 1839. Herb. Preiss. No. 1477.

Caulis teres, *folia* 1-2-2½-poll., nervo medio albo, crassiore, basi inprimis carinata. Ad *Xerocarpaeam?*

22. **Scaevola humifusa** *de Vriese.* caule herbaceo, humifuso, ramoso; foliis rosulato-fasciculatis, obovato-oblongis, acutis, scabriusculis (ex desiccatione?), axillis longe lanatis; floribus axillaribus, anguste bracteatis, calycibus longe laciniatis, hispidis; corollis extus et intus villosis; stylo glabro, stigmate ciliato; fructibus perexiguis, subbilocularibus.

In solo sublimoso-arenoso planitiei ad fluvium Avon-River, decem milliaria ab oppido York, d. 10 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1480.

„*Flores* sunt lilacini". *Folia* ½-poll. An ad sect. III. *Xerocarpaeam?*

23. **Scaevola depressa** *de Vriese.* prostrata, foliis radicalibus e basi lineari-obovatis, valde elongatis, convolutis, pilosissimis, omnibus adpressis et inter se confusis; spicis brevibus, bracteatis; bracteis linearibus; calycis laciniis linearibus; corolla parva, villosa; stigmate intus villoso; fructus drupaceus, costatus, pilosus, 4-locularis, loculis 2 seminiferis, 2 sterilibus.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1502.

Folia 1-3-poll. basi et medio linearia, apice latiora, acuta, quandoque induplicata.

var. **tenuior.**

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1505.

24. **Scaevola Benthamea** *de Vriese.* caule herbaceo, ramoso, levissime flexuoso, hirsuto; foliis radicalibus longe petiolatis, decurrentibus, obovatis, grandidentatis, dentibus obtusis; caulinis elongato-obovatis, ad medium usque dentatis, dentibus acutis; floribus solitariis, axillaribus et terminalibus, bibracteatis; bracteis oppositis, superioribus minutis, ovatis, summis lanceolatis, integerrimis; flore magno, calycis tubo brevi; laciniis lineari-lanceolatis; corolla magna, pulcherrime azurea, tubo striato, intus flavo, lobis rotundatis, in medio venoso-obscure-azureis, apice plumoso-barbatis; filamentis brevibus, stylo levissime piloso, stigmate densissime lanato.

In limoso-arenosis, umbrosis prope praedium rusticum cel. Mairu ad fl. Canning, Perth, d. 2 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1520.

Planta herbacea, 1½-ped.; *foliis* (e desiccatione?) rugosis radicalibus una cum petiolo 2¼ poll. longa, ¾ poll. lata; reliqua versus apicem plantae decrescentia; *corollae* cum tubo 1 poll. longae et latae. Vix tubo referenda ad *Xerocarpaeam*. Culta hortorum foret splendor et ornamentum.

25. **Scaevola macrodonta** *DC.* herbacea, adscendens, pilosa, foliis obovato-cuneatis, versus apicem grosse dentatis, inferioribus basi semiamplexicaulibus; pedicellis folio longioribus, 1-floris, sub flore bracteas duas, lineari-lanceolatas, integras, flori aequales gerentibus; calycis lobis linearibus; corollae laciniarum alis aveniis; indusium ample ciliatum; antherae apice breviter barbatae. DC. prodr. VII. 511.

In rupestribus collium Konkoberuphilis, Kent, d. 19 m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1508.

Herba adscendens. „Flores coerulei". *Capsula* bilocularis, disperma, calycis laciniis persistentibus. Candolleana diagnosis cum nostro specimine egregie convenit. Ad *Pogonantheram* relata.

26. **Scaevola umbellata** *de Vriese.* caule filiformi; foliis radicalibus rosulatis, caulinis filiformibus, linearibus, lineari-lanceolatisve; floribus terminalibus umbellatis, vel paucis axillaribus; pedunculis filiformibus, elongatis; calycibus quinquedentatis, pilosis, pilis adpressis; corollis flavis, pilosiusculis; stylo barbato; stigmate ciliato; capsula biloculari.

In humidis umbrosisque prope urbiculam Perth, d. 25 m. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1435 a. In arenosis inter frutices districtus York, d. 21 m. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1450 b.

Planta herbacea 1½-ped.; *caule* hic illic pilosiusculo; *folia radicalia*, auctore „rosulata" dicta desunt; *caulina folia* alia lanceolata, alia capillaria, elongata, ½-1 poll.; *pedunculi* varie directi, tenuissimi, e communi apice caulis nodoso-incrassati profecti, 10-20-ni; fructiferi saepe declinati. Certo ad nullam sectionem hujus generis cognitam pertinet ob inflorescentiam in aliis *Scaevolis* non observatam.

Scaevolae nostrae *umbellatae* sequentes in collectione Preissiana liceat distinguere varietates.

α **procumbens.** caule humiliore, procumbente, tota planta villosa, calycibus valde hispidis.

In arenosis aridis prope villam cel. Andrews ad flum. Cygnorum, d. 4 m. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1451.

Herba 4-pedalis procumbens.

β **denticulata.** caule magis stricto, foliis caulinis denticulatis.

In arenosis prope urbiculam Freemantle, d. 26 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1428.

Herba erecta, spithamea.

γ **spathulata.** foliis radicalibus oblongo-linearibus, spathulatis.

In solo sublimoso-arenoso Peninsulae Perth, d. 15 m Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1430.

27. **Scaevola pusilla** *de Vriese.* herba vix pollicaris; foliis radicalibus spathulatis, pilosis; scapo radicali filiformi, unifloro; calyce adpresse piloso; corolla flava; stigmate magno longe ciliato.

In solo humoso humido, umbroso ad Eight-miles Bridge, Plantagenet, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 1470.

Folia vix ½-pollicaria. Sectio?

GOODENIA Smith. Labill. Nov. Holl. I. 52. Brown prodr. 575. Endl. gen. pl. n. 3043—3042.

1. **Goodenia armeriaefolia** *DC.* glabra, caule erecto subaphyllo simplici; foliis radicalibus linearibus integerrimis subcoriaceis; racemi pauciflori pedunculis erectis apice trifloris; floribus bracteatis villosissimis ad apicem pedunculi subsessilibus. DC. prodr. VII. 513. Sieb. Fl. Nov. Holl. exsicc. No. 229.

Herba pedalis rigida. *Corollae* flavae; medio dorso villosae, margine glabrae. *Bracteae* lineari subulatae.

In solo turfoso inter frutices prope urbiculam Albany, Plantagenet, d. 4 m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2032.

Descriptio Candollei ad specimen Sieberianum facta optime Preissianae plantae accommodatur, quae tamen a priori diversa (utramque enim licuit comparare): corolla non quidem villosissima, non adeo profunde flava, sed magis albo-flavescente, dorso magis striata et subvillosa. Planta Sieberiana praeterea habet corollae lobos mucrone instructos, Preissiana muticos vel submucronulatos.

2. **Goodenia elongata** *Labill.* sparse pilosa, caule erecto filiformi simplici (?) foliis radicalibus oblongo-spathulatis

subdentatis, caulinis lanceolatis subintegris basi attenuatis; pedicellis axillaribus solitariis subterminalibusque elongatis, fructiferis reflexis. Labill. Nov. Holl. I. pag. 52. t. 75. Br. prodr. 577. DC. prodr. VII. 515.

In arenosis sylvae prope urbiculam Perth, d. 12 m. Junii 1839. Herb. Preiss. No. 1029.

„Herba ⊙ decumbens". Caulis in nostris speciminibus haud simplex.

3. **Goodenia squarrosa** *de Vriese.* fruticosa, ramosa, pilosa, foliis fasciculatis linearibus, incurvis, obtusis, varieque tortis; spicis terminalibus; floribus fere sessilibus congestis, axillaribus; calycis laciniis linearibus valde pilosis; corolla per longitudinem fissa unilabiata, lobis induplicatis; antheris liberis; stylo elongato, pilis nigris instructo; stigmate profunde bilobo; corollae labio contrario.

In limoso-arenosis planitiei haud longe a praedio rustico Maddington, Perth, d. 2 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1467.

„Frutex bipedalis". *Caulis* lignosus; *basea* fasciculorum foliorum densissime albo-lanatae; *folia* ½ poll. longa; *rami* florigeri fere foliis denudati, hic illic stupei. *Flores* unilabiati, glaberrimi, albo-rosei, stigmate nudo, pulcherrime brunneo. Si corollae lobi forent alati referenda foret ad sect. *Monochtla* Don.

4. **Goodenia junciformis** *de Vriese.* caule elongato-ramoso, subaphyllo, glabro; foliis radicalibus elongatis, teretiusculis, linearibus, „carnosis"; floribus capitatis; capitulis terminalibus et lateralibus; calyce elongato, laciniis filiformibus acutis; corollae bilabiatae lobis induplicatis; antheris connatis; stigmate clavato, crasso, glabro.

In planitie arenosa, hieme aqua salsa inundata ad flum. Cygnorum, prope urbiculam Perth, d. 12 m. Febr. 1840. Herb. Preiss. No. 1522.

Planta 2-pedalis, valde ramosa, habitum *juncorum (J. fusco-atri)* prae se ferens. *Flores* violaceo-liliacini. Folia caulina vix pollicaria, radicalia 3-5 poll. longa. Vix ad ullam hujus generis sectionem referenda.

5. **Goodenia geniculata** *de Vriese.* herba prostrata, multicaulis, caulibus, ramisque aphyllis, geniculatis, glabris; foliis linearibus, teretibus, carnosulis (?); floribus terminalibus, capitatis, 3-6-nis, rarius lateralibus 2-3-nis, brevissime bracteatis, cernuis; calycis tubo longo, angusto, laciniis lanceolatis acutis; corolla azurea, bilabiata; antheris cohaerentibus; stigmate crasso, clavato.

In planitie sublimosa, hieme inundata prope Toby's-Insel, Sussex, d. 27 m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1456.

„Herba prostrata perennis".

6. **Goodenia pygmaea** *de Vriese.* 2½-3-pollicaris, nudicaulis; foliis radicalibus linearibus, scapos fere aequantibus; floribus capitatis longe bracteatis, minimis; calycis tubo angusto, lineari; laciniis elongatis, linearibus, acutis; corollae bilabiatae lobis induplicatis, glabris; antheris con-

natis, tubo intus subbiglanduloso (?); stylo apice incurvo; stigmate glabro.

In depressis arenosis prope urbiculam Perth. Herb. Preiss. No. 1492.

Planta pusilla, junciformis. *Scapi* subtortuosi. *Flores* exigui; habitu et notis corollae haec species cum priori eximie convenit; utraque loci incerti inter reliquas Goodenias.

EUTHALE R. Brown. Endl. gen. pl. n. 3046. non Dietr. Cand. VII. 517.

1. **Euthale trinervis** *R.Br.* foliis oblongis in petiolum attenuatis, integerrimis aut hinc inde subdentatis. Cand. l. c. 517. ut *Velleia trinervis* Labill. Nov. Holl. I. 54. t. 77. Bot. Mag. t. 1137.

In uliginosis planitiei ad flumen Cygnorum, circa urbiculam Perth, d. 27 m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1515.

„Herba perennis". *Folia* vix trinervia dicenda, nam nervuli laterales vix (saltem in sicco) perspicui. Cand. l. c.

2. **Euthale pilosella** *de Vriese.* foliis radicalibus oblongo-spathulatis, deorsum attenuatis, dorso pilosis, subdenticulatis; scapis nudis dichotomis, ad dichotomias bracteolatis; floribus longe pedunculatis, pedicellis tenuibus unifloris; corollis aurantiis; stigmate bilabiato.

In solo subturfoso ad portum Princess Royal, Harbour, m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1438.

Planta 7-poll. Habitus omnino *E. trinervis* Br., sed humilior, *foliis* 1½ poll. longis, non strictis, sed incurvis; *calyce* partim adnato, 5-fido, inaequali; *antheris* non cohaerentibus. *Folia* haud absimilia illis *Hieracii pilosellae.*

3. **Euthale (?) filiformis** *de Vriese.* dichotoma, filiformis; foliis radicalibus squamaeformibus, caulibus ramisque aphyllis; calycibus 5-fidis, subaequalibus.

(Caetera non vidi).

In solo sublimoso fertili prope praedium rusticum Dom. Marell, York, d. 30 m. Martii 1840. Herb. Preiss. No. 1889.

Habitus *Junci bufonii*, sed genus dubium.

LECHENAULTIA (LECHENAULIA) R.Br. Endl. gen. n. 3048. DC. prodr. VII. 518.

1. **Lechenaultia formosa** *R.Br.* floribus axillaribus solitariis ebracteatis nutantibus, corollis bilabiatis filamentisque glabris.

L. formosa Sweet. Fl. Austr. t. 26. non Lindl nec Hook.

Folia linearia teretí-patula non mucronata. DC. prodr. VII. 519.

In glareosis sylvae distr. Hay, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1457.

„Fruticulus decumbens floribus coccineis".

2. **Lechenaultia tubiflora** *RBr.* floribus subterminalibus solitariis subsessilibus, corollis tubulosis curvatis, limbo conniventi, foliis subulatis mucronulo pellucido. DC. prodr. VII. 519.

Corollae glabrae 6-7 lin. longae, lobis aristato-mucronatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1458.

„Planta fruticulosa, corolla ignea". An huc quoque No. 1459. Lech. in solo arenoso prope Avondale et in solo fertili planitiel prope Salt-river York?

3. **Lechenaultia grandiflora** *DC.* floribus ad apices ramorum solitariis geminisve basi bibracteatis, corollae limbo bilabiato, lobis mucronatis ciliatis late alatis serratis. DC. Prodr. VII. 519.

Folia tenuia fere subulata mucronata. *Corolla* coerulea ampla ovario excluso fere pollicem longa, lobis late dorso trinervilis apice mucronatis, alis amplis serratis. *Indusium* sparse puberum. *Calycis* tubus gracilis 6-7 lin. longus, lobi subulati DC. l. c.

In solo limoso-arenoso inter frutices vallis Cataractae ad flumen Cygnorum, d. 25 m. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 1463.

„Suffrutex pedalis floribus laete coeruleis".

4. **Lechenaultia biloba** *Lindl.* foliis linearibus; floribus in corymbo paucifloro laxe aggregatis, pedicellis ebracteolatis; sepalis tubo corollae vix aequalibus, corolla extus glabra, intus stuposa, laciniis alte bilobis, serrulatis mucrone interjecto, filamentis glabris. Lindl. Swan-River-Colony-App. XXVII.

In solo sublimoso prope Kelm-'o-Scott, Perth, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1466.

„Suffrutex 2 ped.;" *foliis* minus quam in reliquis speciebus approximatis, ½ poll. longis, *calycis* laciniis filiformibus, *corolla* pulchre coerulea, ungue flavescente, mucrone albo.

5. **Lechenaultia pallescens** *de Vriese.* foliis linearibus, incurvis, glaucescenti-pallidis, subtilissime apiculatis; floribus axillaribus terminalibusque corymbosis; pedunculis ebracteatis; calycis laciniis fere filiformibus, acutis; staminibus exsertis, filamentis tenuissimis; antheris pendulis; stylo elongato, clavato; stigmate bilabiato; corollae lobis mucronatis, ciliatis, ungue stuposo.

In depressis arenosis et umbrosis sylvae prope urbiculam Perth, d. 22 m. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1460 et in arenosis sylvae prope Bull's-creek, Perth, m. Nov. 1841. No. 1464.

„Frutex 1-2 pedalis".

var. **congesta.** floribus congestis, foliis paullo tenuioribus.

In solo limoso, arenoso, inter frutices ad flumen Canning, distr. Sussex, d. 2 m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1468.

6. **Lechenaultia tenuifolia** *de Vriese.* foliis linearibus incurvis, glaucis vel obscure-viridibus; floribus terminali-

bus; calycis laciniis filiformibus; corollae lobis ciliatis, mucronulatis, apice coeruleis, unguibus flavescentibus, intus stuposis; stylo et stigmate levissime tomentosis.

In Australia occidentali et meridionali. Herb. Preiss. No. 1460 ex parte et in solo glareoso sterili inter frutices prope montem Barrow, Plantagenet, d. 9 m. Nov. 1840. No. 1461.

„Suffrutex vix pedalis" ad sect. I. Cand. referenda.

7. **Lechenaultia parviflora** *de Vriese*. caule ramoso, stricto, tenui; foliis lineari-lanceolatis, cauli adpressis; floribus terminalibus, parvis; calycis laciniis filiformibus, corollam non aequantibus; lobi corollae parvi, extus glabri, intus ad ungues stuposi.

In arenosis sylvae ad portum, Princess Royal, Harbour, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1462.

„Suffrutex vix pedalis". Ad sect. I. Cand. ? Color florum non constat.

8. **Lechenaultia arcuata** *de Vriese*. suffruticosa, multiramosa, ramis divaricatis, arcuatis, retortis; foliolis vix conspicuis, brevissimis, capilliformibus; floribus pedunculatis; majoribus calycis laciniis linearibus; corollae lobis latioribus, subserratis, apice mucronulatis; filamentis liberis; antheris elongatis; stylo longissimo contorto, stigmate obliquo, bilabiato; capsula 4-valvi, biloculari, 1½-pollicari; seminibus oblongo-quadratis.

In arenoso-calcareis prope urbiculam Freemantle, d. 17 m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1465.

„Suffrutex 1-2 ped., divaricatus, *floribus* purpureis vel sulphureis." Species propter ramorum directionem, folia exigua, flores et fructus majores distinctissima; ob florum colorem inter duas sect. Cand. intermedia. *Ramos* tenuiores tantum habet foliatos. *Flores* sunt pollicem longi; *calyces* colorati; *stylus* pollicaris, varie contortus, vel etiam apice sigmoideus. *Stigma* latum, obliquum. *Caulis* ut videtur, prostratus.

COMPOSITAE Vaill.

(Auctore J. Steetz.)

Tribus III. Asteroideae Less.

Subtribus I. Astebineae Nees ab Esenb.

Divisio II. Astereae DC.

Subdivisio I. Euastereae DC.

EURYBIA Cassini. Endl. gen. pl. n. 2317. Meisn. gen. pag. 184. (126.) DC. prodr. T. 5. pag. 265. n. 124.

Sectio I. Brachyglossa. DC. Ligulae stylos suos non excedentes.

1. **Eurybia axillaris** *DC.* fruticosa, ramis tomentosis, foliis alternis oblongo-cuneatis obtusis integerrimis, junioribus supra araneosis demum glabris subtus tomentosis, capitulis in axillis foliorum solitariis subsessilibus paucifloris, ligulis 3-4 stylum non superantibus. DC. prodr. l. c. pag. 266. n. 2.

In colliculis arenosis ad litora maris in Nova Hollandia australi-occidentali. Herb. Preiss. No. 92.

Frutex demissus, superne valde ramosus. *Rami* patentes, angulosi, foliosi, juniores canescentes, tomentosi, adulti demum glabrati. *Folia* alterna, sessilia, integerrima, margine revoluta, subcoriacea, oblongo-obovata, obtusa, basi attenuata, juniora supra araneosa, dein glabra, levissime punctulata, uninervia, nervo impresso, subtus dense albo-tomentosa, nervo prominulo, inferiora 6-9 lin. longa, apice 1-2 lin. lata, superiora sensim breviora, sed vix angustiora. *Capitula* axillaria, subsessilia, secus ramulos foliosos racemos densos constituentia, 6-flora, parva, 1½ lin. longa. *Involucrum* imbricatum, 2-3 seriale, foliolo uno alterove minimo bracteaeformi albo-tomentoso stipitatum. *Squamae* involucri *exteriores* 4-6 interioribus duplo breviores, ovatae, obtusae, tomentosae; *interiores* subinaequales, obovatae vel oblongae, glabrae, margine scariosae, inferne virides, superne purpurascentes, apice summo tomentosae et leviter ciliatae, lineam longae, floribus paullo breviores, demum patentes. *Receptaculum* angustissimum, planum, alveolatum, floribus 6, tribus centralibus hermaphroditis totidemque foemineis in ambitu onustum. *Flores hermaphroditi* tubulosi. *Corollae* apice ampliatae glabrae, inferne puberulae, 5 dentatae, dentibus acutiusculis, patentibus, vel subreflexis, pappum aequantes. *Antherae* cum stylo exsertae. *Styli rami* divaricati, versus apicem dilatati et iterum attenuati, papillosi. *Flores foeminei* ligulati, minutissime puberuli. *Ligulae* minimae, 3-4 nerves, apice revolutae, *styli ramis* elongatis glabriusculis, planis, divergentibus, pappique setis superatae. *Achaenia* conformia, cylindracea,

subangulata, parce sericea semilineam longa. *Pappi* uniserialis *setae* ima basi concretae, denticulato-scabrae, sordide albae.

Hujus speciei occurrit varietas:

β. **exaltata** nobis. altior, ramis minus patentibus, foliis paullo longioribus angustioribusque.

In solo calcareo lateris montis Eliza, d. 19. Majl 1839. Herb. Preiss. No. 93.

„Frutex 6-9 pedalis". Forma memorabilis; ramis arrectis foliisque pollice interdum longioribus, lineam vix latis, habitum quidem alienum prae se fert, attamen nil est nisi mera varietas. Transitus enim numerosos observavi, nullamque praeterea differentiam detegere mihi contigit.

2. **Eurybia candidissima** *Steetz.* fruticosa, tota lanugine cinerea adpressa vestita, ramosa, ramis angulosis, foliis alternis sessilibus obtusis obovato-oblongis basi attenuatis utrinque cinereo-lanuginosis, capitulis axillaribus subsessilibus paucifloris, achaeniis cylindraceis subangulatis sericeis, pappi uniserialis setis denticulato-scabris.

In colliculis arenosis ad litora maris prope oppidulum Freemantle, d. 9. Junii 1840. Herb. Preiss. No. 90. (Specimina deflorata). Ibidem Roë! Herbar. aulic. Vindobonn.! (Specimen nondum florens.)

„Frutex 6 pedalis". *Foliis* utrinque cinereo-lanuginosis prima fronte a caeteris hujus sectionis speciebus dignoscitur. Forma et magnitudo foliorum eadem ac in *Eurybia axillari*, cui proxima. Rudimenta capitulorum et achaenia hinc inde adhaerentia, a specie antecedente recedere non videntur. An vero capitula solitaria sint, ut in illa, valde dubito, quum involucra deflorata plerumque foliis 3-4 suffulta sint, et quum ex specimine Roëano patere videatur, gemmas nondum evolutas aggregatas esse in axillis.

Sect. II. Argophyllaea DC. Ligulae stylos suos longe superantes. Achaenium subcylindricum.

3. **Eurybia rudis** *Benth.* fruticosa, ramis hispidis foliis semiamplexicaulibus oblongo-cuneatis superioribus sublanceolatis versus apicem argute paucidentatis utrinque viridibus aspero-hispidis, capitulis terminalibus solitariis multifloris, involucri squamis lanceolato-linearibus margine membranaceis nervo hispido, achaeniis cylindricis striatis glabris. Bentham in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 58. N. 195. DC. prodr. T. 7. Sect. 1. pag. 273. n. 21.*

In clivulis arenosis inter frutices haud procul ab oppidulo Freemantle, d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 63. (Comparavi specimina Hügeliana authentica in herbar. aulico Vindobonn.!)

Pedunculi monocephali terminales et axillares in exemplaribus Preissianis corymbum laxum constituunt, nihilominus tamen haec cum planta Hügeliana, capitulis terminalibus *solitariis* instructa omnino congruunt. — Ligulae pulcherrime lilacinae.

Obs. Aster exul Lindl. Swan-River Bot. pag. XXIV. No. 99, mihi non nisi e brevissima diagnosi notus, a planta nostra minus videtur abhorrere.

4. **Eurybia ciliata** *Benth.* fruticosa, foliis semiamplexicaulibus linearibus sublanceolatisvè acutis margine subrecurvo ciliato-hispidis rigidis recurvo-patentibus, pedunculis

elongatis monocephalis, involucri squamis margine membranaceis tenuissime ciliatis, achaeniis puberulis. Bentham in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 58. n. 196. DC. prodr. T. 7. Sect. 1. pag. 273. n. 21. ****

In arenosis summitatis clivuli ad ostium portus Princess Royal Harbour, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 76. In interiori districtus Plantagenet mense Oct. 1840. No. 77. („raro") et ibidem mense Nov. 1840. No. 78. (Comparavi specimina Hügeliana et Baueriana in herb. aulico Vindobonn. !)

Planta a pluribus congeneribus hujus sectionis habitu recedens, vix tamen separanda. Medium tenet inter *Argophyllaeae* et *Spongotrichi* sectiones. — *Caulis* foliosus, purpurascens, ciliis albis pulverulentus, apice *pedunculos* paucos, 2-5 pollicares, monocephalos, teretes, levissime striatos, scabriusculos, sub capitulo tomentosos, nudos, vel folio uno alterove praeditos, agens. *Folia* subimbricatim undique congesta, acerosa, sessilia, basi lata semiamplexicaulia, rigida, lineari-lanceolata, pungentia, integerrima, vel raro dente uno alterove apice instructa, minutissime punctulata, uninervia, nervo supra vix impresso, subtus valde prominulo, margine subrecurvo ciliis albis, articulatis, basi latioribus ciliato-hispida, caeterum glabra, glaucescentia, recurvato-patentia, ½-1 pollicaria. *Capitula* solitaria, terminalia multiflora, *Asteris Amelli* circiter magnitudine. *Involucri* 2-3 serialis *squamae* rigidae, lineari-lanceolatae, acutae, adpressae, margine scariosae, tenuissime ciliatae, virides, 3-4 lin. longae, exteriores duplo fere breviores. *Receptaculum* alveolatum, planum. *Flores hermaphroditi* pappum aequantes, centrales, tubulosi, glabri, breviter quinquedentati, dentibus erectis, obtusiusculis; *antherae* ecaudatae, vix exsertae; *stylt* corollam vix superantis *ramt* breviter bifidi, apice subincrassato-planiusculi, papillosi. *Flores foeminei* marginales, ligulati, radiantes, uniseriales, numerosi; *ligulae* lineares, elongatae, integerrimae, teste cl. Preissio violaceae; *stylt ramt* brevissimi, tubum vix excedentes, glabriusculi. *Achaenia* adulta teretia, cylindrica, hispidula. *Pappi* uniserialis *setae* paullisper inaequales, ima basi concretae, denticulato-scabrae, rufescentes (in speciminibus Preissianis), rufae (in planta Hügeliana et Baueriana).

Obs. Praeter pappi colorem rufum planta Hügeliana a nostra nulla linea recedit.

Sectio III. Spongotrichum Nees ab Esenb. Ligulae stylos suos superantes. Achaenium tetragono-conoideum scabrum. Capitulum campanulatum. Involucri squamae glanduloso-ciliatae. Suffrutices foliis linearibus.

5. **Eurybia strigosa** *Steetz.* suffruticosa, strigoso-hispida, foliis alternis linearibus rigidis basi latiore semiamplexicaulibus acutiusculis margine revoluto rigide ciliatis, utrinque strigoso-hispidis, capitulis in apice ramulorum corymbosim dispositorum subsolitariis, involucri 2-3 serialis squamis linearibus obtusiusculis subsquarrosis, achaeniis nitentibus argenteo-sericeis, pappo sordide albo scabro.

In arenosis sylvae prope fluvium Vasse-River, d. 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 83.

Suffrutex 2-3 pedalis. *Caulis* erectus, teres saepe purpurascens, strigosus, basi simplex, apice corymbosus. *Ramuli* toti fere foliati, 1-4 cephali. *Folia* alterna, sessilia, linearia vel lineari-lanceolata, basi latiore semi-

amplexicaulia, integerrima, rigida, crassa, subdistantia, sed internodiis multo longiora, uninervia, nervo supra impresso, mucrone calloso et cucullato apiculata, ciliis rigidis sparsis articulatis undique, praesertim in margine revoluto et in nervo paginae inferioris prominulo strigosa, recurvato-patentia, inferiora ½-1 pollicaria, 1½ lin. lata, superiora multo breviora. *Capitula* multiflora, terminalia, solitaria, vel in pedunculis laxe corymbosim dispositis solitaria, terna sive quaterna, 2-3 lateralia, magnitudine fere *Asteris saligni*. *Involucri* 2-3 serialis *squamae* lineares, obtusiusculae, subsquarrosae, margine vix ac ne vix scariosae, introrsum glabrae, extrorsum arachnoideae, dorso scabriusculae, apice purpurascentes et glanduloso-ciliatae, interiores 2-3 lin. longae, exteriores multo breviores. *Receptaculum* planum, demum subconvexum, profunde alveolatum. *Flores hermaphroditi* centrales tubulosi, glabri, in sicco lutei, 5 dentati, dentibus erectis brevibus; *antherae* cum *stylo* breviter bifido, apice planiusculo, papilloso, vix exsertae. *Flores foemineі* marginales, uniseriales, ligulati, radiantes, 16-20; *ligulae* lineares, discum longe superantes, levissime 3-4 nerves; *styli rami* glabriusculi, tubum paullisper excedentes, vel saepissime toti inclusi. *Achaenia* obconica, subangulata, villis argenteis, nitentibus, longiusculis, pappum exteriorem brevem simulantibus, pulcherrime sericea. *Pappi setae* inaequales, numerosissimae, denticulato-scabrae, sordide albae, corollam florum centralium, 2 lin. longam, aequantes.

6. **Eurybia aspera** *Steetz.* suffruticosa, ramis junioribus laxe lanatis, foliis alternis oblongo-linearibus integerrimis obtusiusculis basi attenuatis margine revoluto rigide ciliatis utrinque praesertim in pagina superiore strigoso-hispidis, junioribus subtus arachnoideis, capitulis in apice ramorum subsolitariis, involucri 3-4 serialis squamis lineari-lanceolatis arachnoideis acutiusculis subadpressis, achaeniis hirsutis subsericeis, pappo albo scabro.

Specimen unicum inveni in herbario Preissiano sine numero et schedula.

Proxima quidem *Eurybiae strigosae*, attamen notis indicatis bene distinguenda. Recedit enim ab hac: *ramis* laxe lanatis, nec strigosis, *foliis* basi attenuatis, nec semiamplexicaulibus, *achaeniis* multo minus pulchre sericeis, et pappi setis candide albis. Praeterea *pedunculus* unici capituli non foliatus, sed squamis minimis tectus est; *involucri squamae* 3-4 seriales magis adpressae, et *styli rami* e tubo ligularum longe exserti conspiciuntur. An vero haec signa constantia sint, ex plurium speciminum examinatione demum patebit. — Folia aequilonga, sed paullo latiora sunt quam in *Eurybia strigosa*.

7. **Eurybia paucidentata** *Steetz.* suffruticosa, strigoso-hispida vel scabra, foliis alternis oblongo-linearibus basi attenuatis apice acutis margine revolutis integerrimis sive supra medium dente uno alterove profundo instructis, capitulis 3-6 in apice ramorum breviter pedunculatis corymbosis vel racemoso-corymbosis, involucri 2-3 serialis squamis linearibus acutis, achaeniis hirsutis, pappo albo scabro.

Speciei hujus ludibundae tres occurrunt varietates memorabiles in herbario Preissiano:

α. **hispida** nobis. tota strigoso-hispida, foliis margine et subtus in nervo medio rigide ciliatis, apice calloso-mucronatis subpungentibus, capitulis corymbosis.

In glareosis sylvae planitiei montis Greenmount., d. 26. Aprilis 1840. Herb. Preiss. No. 84.

„Suffrutex 3 pedalis. Flores cyanei". Unicum tantum specimen exstat, et hoc insuper mancum.

β. **subracemosa** nobis. caule hispido, foliis utrinque strigosis et hinc inde rigide ciliatis apice colloso-mucronatis, capitulis parvis racemoso-corymbosis.

In planitie arenosa supra oppidulum Guildford, d. 21. Martii 1839. Herb. Preiss. No. 80 (ex parte).

„Suffrutex 2-3 pedalis, ramis divaricatis. Flores coerulei". Capitula 2 lin. longa et lata, duplo fere minora quam in varietate antecedente et sequente.

γ. **glabrata** nobis. caule scabriusculo vel imo glabrato, foliis inferioribus strigosis, superioribus asperulis apice callosis, capitulis majoribus corymbosis.

In solo humoso supra oppidulum Guildford ubique d. 1. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 74.

Capitula 3-3½ lin. longa et lata.

Omnes hae varietates, etiamsi habitum peculiarem conservant, separandae tamen non sunt; omnes enim in hoc conveniunt: *Folia inferiora* pleraque strigoso-hispida, apice callosa, pollicaria et ultra, supra medium sive hinc sive utrinque dente unico profundo patente instructa sunt, et foliorum fasciculum axillarem saepissime sustentant; *folia superiora* plerumque minora et integerrima, omnia basi attenuata. *Capitula* multiflora, solitaria, pedicellos abbreviatos, laxe lanatos, foliis parvis vestitos, terminantia, vel simpliciter corymbosim vel racemoso-corymbosim disposita. *Involucri* 3-4 serialis *squamae* lineares, acutae, dorso puberulae, apice glanduloso-ciliatae, purpurascentes, *interiores* infra medium glabrae, margine scariosae. *Receptaculum* planum, demum convexum, alveolatum. *Flores hermaphroditi* tubulosi, 5-dentati, glabri, lutei; *antherae* cum *stylo* breviter exsertae; *styli rami* tubum ligularum longe excedunt. *Achaenia* subcylindrica, vix angulata, hirsuta. *Pappi* uniserialis *setae* albae, denticulato-scabrae, flores disci aequantes. — Caetera omnia ut in *Eurybia strigosa* et *aspera*, quibus haec quidem species proxima, quamquam certissime ab iis differt.

8. **Eurybia affinis** *Steetz.* suffruticosa, glabra vel superne laxe arachnoidea, ramis striato-subangulatis, foliis alternis linearibus basi attenuatis, apice obtusiusculis callosis, margine revolutis utrinque glabris, axillis subnudis, capitulis in apice ramulorum solitariis corymbosis, involucri 2-3 serialis squamis linearibus acutis subsquarrosis, achaeniis, subsericeis, pappo albo scabro.

In planitie arenosa supra oppidulum Guildford, d. 21. Martii 1839. Herb. Preiss. No. 80 (ex parte).

Proxime accedit ad varietatem *γ. Eurybiae paucidentatae*, differt vero: *foliis* omnibus integerrimis, glabris, obtusioribus, eorumque axillis plerumque nudis, *pedicellis* longioribus, *involucri squamis* minus acutis, et praesertim *achaeniis*, pilis longiusculis, pappum exteriorem brevissimum simulantibus, subsericeis. *Folia inferiora* 6-8 lin. longa, lineam lata, *superiora* 1-2 lin. longa, ½ lin. lata, crassiuscula, minutissime punctulata. *Ligulae* circiter 12-16 lilacinae. *Styli rami* in ligulis breviter exserti.

Obs. Planta variat: *ramis* totis glabris et laxe arachnoideis, *foliis* omnino glaberrimis et hinc inde, praesertim margine, levissime asperulis. An fortasse

mera *Eurybiae paucidentatae* varietas? In speciminibus suppetentibus transitus nullos observavi. An nostra planta eadem ac *Eurybia elaeophila* DC. prodr. T. 5. pag. 269. No. 25? Hanc non vidi.

9. **Eurybia Lehmanniana** *Steetz.* suffruticosa, ramis junioribus elongatis laxe albo-lanatis, foliis alternis linearibus basi attenuatis apice calloso-mucronatis, mucronulo recurvato, margine revolutis glabriusculis integerrimis vel rarissime dente uno alterove versus apicem instructis, capitulis in apice pedunculorum solitariis, paniculato-corymbosis, involucri turbinati 4-5 serialis squamis numerosis subsquarrosis lineari-lanceolatis acutis, achaeniis sericeis, pappo albo scabro, setis paucis brevibus exterioribus aucto.

In arenosis inter frutices supra oppidulum Perth, d. 14. Aprilis 1839. Herb. Preiss. No. 79.

Capitulis late turbinatis, et *involucri* 4-5 serialis *squamis* numerosis prima fronte species haec a caeteris, modo commemoratis, dignoscitur. — „Suffrutex 2 pedalis squarrosus. Flores albi". *Caulis* lignosus, a basi ramosus, teres, cortice glabro, striato, griseo vel brunneo tectus. *Rami* virgati, superne subangulati, juniores laxe albo-lanati. *Folia* alterna, linearia, basi attenuata, sessilia, mucronulo cucullato, calloso, recurvato, saepissime sphacelato, apiculata, crassiuscula, margine revoluta, supra glabra, vel rarissime hinc inde muricata ideoque scabriuscula, subtus saepe arachnoidea, uninervia, nervo supra vix impresso, subtus valido, prominulo, integerrima, vel rarissime dente uno alterove versus finem donata, *inferiora* ½-1pollicaria, lineam lata, *superiora* breviora; plurima in inferiore pagina ima basi sphacelata. *Capitula* in pedunculis, foliis minimis creberrimis undique vestitis, paniculato-corymbosim dispositis, terminalia, solitaria. *Involucri* late turbinati, 4-5 serialis *squamae* numerosae, dense imbricatae, subsquarrosae, acutae, dorso arachnoideae, interiores longiores, infra medium glabrae, margine scariosae et inaequaliter serrulatae, apice purpureo-marginatae, vel totae virides, glanduloso-ciliatae. *Receptaculum* planum non nisi levissime alveolatum. *Flores hermaphroditi* numerosi, tubulosi, 5-dentati, dentibus acutiusculis, mediotenus papillosi, supra medium glabri, in sicco lutei. *Stylus* e ligularum tubo longissime exsertus, glaber, ejusque rami divaricati, subpapillosi. *Achaenia* subangulato-cylindracea, sericeo-hirsuta. *Pappus* subduplex. *Setae* denticulato-scabrae, albae, interiores elongatae, numerosae, exteriores paucae, abbreviatae, vix semilineam longae. Caetera omnia ut in speciebus antecedentibus sectionis hujus.

10. **Eurybia paniculata** *Steetz.* suffruticosa, caule ramoso paniculato, paniculae ramis axillaribus elongatis foliatis subangulatis simplicibus apice 3-8 cephalis, foliis alternis sessilibus subcarnosis linearibus obtusiusculis basi aequali semiamplexicaulibus supra glabris et leviter scrobiculatis subtus arachnoideis, involucri 3-4 serialis squamis lineari-lanceolatis acutis subadpressis, achaeniis dense sericeis, pappo sordide albo scabro.

In solo sublimoso vallis montis Warriup, districtus Hay, mense Februario 1841. Herb. Preiss. No. 81.

Inflorescentia ampla, paniculata, species a caeteris collectionis Preissianae facillime dignoscitur. „Suffrutex 3 pedalis". *Caulis* jam a basi ramosus, subangulatus, striatus, inferne glaber, superne cum ramis arachnoideus. *Folia* crassiuscula, supra scrobiculata vel foveolis impressis rugulosa, margine

revoluta, uninervia, nervo in foliis junioribus supra obsoleto, inferiora ½-1 pollicaria, superiora 2-4 lin. longa. *Capitula* parva, *Eurybiae microphyllae* DC. magnitudine, sub finem ramorum breviter pedicellata. *Pedicelli* axillares, nudi, vel apice folia pauca squamaeformia gerentes. *Involucri squamae* apice purpurascentes, glanduloso-ciliatae, interiores basi angustissime membranaceae. *Receptaculum* planum, alveolatum. *Flores hermaphroditi* tubulosi, 5 dentati, basi puberuli, caeterum glabri, in sicco lutei. *Ligulae* numerosae, laete lilacinae; *styli rami* breviter exserti. *Achaenia* dense sericea, callo basilari, glabro instructa. Alias ut supra, vel ut in congeneribus.

Obs. Callus basilaris, glaber etiam in achaeniis congenerum antecedentium adest quidem, sed multo minus conspicuus.

11. **Eurybia muricata** *Steetz.* fruticulosa, ramosa, tota rigida, ramis asperis tri-vel dichotomis dense foliatis apice capitulo solitario subsessili terminatis, foliis congestis adproximatis subimbricatis sessilibus basi latiori semiamplexicaulibus sursum curvatis arrectis abbreviatis linearibus obtusis margine revolutis supra muricato-scaberrimis subtus arachnoideis, axillis nudis, involucri 3 serialis squamis lineari-lanceolatis acutiusculis squarrosis, achaeniis nitentibus argenteo-sericeis, pappo sordide albo scabro valde inaequali.

In promontorio Cape-Riche, mense Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 82.

Caulis inferne cicatricibus, foliorum delapsorum rudimentis tectus, tri-vel dichotome ramosus; ramus medius enim in trichotomia plerumque abortit, quamobrem plantam plerumque dichotomam conspicimus. *Folia* crassa, margine revoluta, in paginae inferioris apice obtuse cucullata, juniora utrinque arachnoidea, omnia cricoidea, subaequilonga, internodiis majora, 2 lin. longa, lineam vix lata. *Capitula* solitaria, terminalia, subsessilia, parva, magnitudine speciei antecedentis. *Involucri squamae* dorso araneosae, interiores longiores, subcarinatae, uninerves, margine scariosae. *Receptaculum* planum, profunde alveolatum. *Flores hermaphroditi* glabri, et, ut in sicco videtur, infra medium pallidae, supra medium lilacinae, caeterum ut in congeneribus. *Ligulae* circiter 12; *styli rami* breviter exserti. *Achaenia* cylindracea, villis argenteis, nitentibus, longiusculis, pappum exteriorem, brevissimum simulantibus densissime onusta, pulcherrime sericea. *Pappi* uniserialis *setae* denticulato-scabrae, valde inaequales *).

*) Huic proxima est: **Eurybia cricoides** Steetz. suffruticosa, glutinosa, caule a basi ramoso, ramulis axillaribus dense foliatis apice capitulo solitario subsessili terminatis paniculatis, foliis alternis sessilibus basi aequali semiamplexicaulibus abbreviatis linearibus obtusis margine revolutis supra levissime muriculatis dein glabratis subtus arachnoideis, axillis foliiferis, involucri 3 serialis squamis lineari-lanceolatis obtusiusculis subadpressis, achaeniis hirsutis, pappo albo scabro subinaequali, setis apice paullo incrassatis. — In insula van Diemen prope Hobart-Town leg. amicus carissimus Theodor Siemssen 1837, mecumque benevole communicavit. — Suffrutex humilis, a basi ramosus, glutinosus. *Caulis* cum *ramis*, teres, striatus, laxe arachnoideus. *Rami* inferiores longiores, superiores plerumque abbreviati. *Folia* carnosa, minima, 1-1½ lin. longa, integerrima vel rarissime dente uno alterove obtuso apice instructa, in axillis plerumque foliorum fasciculum fulcrantia, obtuse cucullata. *Capitula* subsessilia, terminalia in pedunculo foliato. *Involucri squamae* glutinoso-arachnoideae, exteriores ovatae, breviores, interiores lineari-lanceolatae, obtusiusculae, apice purpureo-marginatae, ciliatae, margine late scariosae. *Receptaculum*, *flores hermaphroditi* et *ligulae* ut in *Eurybia muricata*, sed color florum in speciminibus siccis non satis distinguitur. *Achaenia* cy-

Subdivisio V. Bellideae DC.

CALOTIS R.Br. Endl. gen. n. 2345. Meisn. gen. pag.186. (126.)

1. **Calotis erinacea** *Steetz.* glaberrima, ramosa, foliis lineari-lanceolatis sessilibus integerrimis acutis basi semiamplexicaulibus, capitulis fructiferis globosis, aristis 4 subaequalibus achaenium laevissimum aequantibus obverse aculeatis.

In solo sublimoso districtus Hay, mense Novembri 1840. Herb. Preiss. No. 2427. (Drummond!)

Fruticulus, *radice* dura, crassa, lignosa, multicauli. *Caules* erecti, parce ramosi, subangulati, obsolete sulcati, tenues, 1½-2 pedales, et ut tota planta, glaberrimi. *Rami* axillares, elongati, apice monocephali. *Folia* alterna, sessilia, basi semiamplexicaulia, lineari-lanceolata vel linearia, acuta, uninervia, nervo subtus prominulo, integerrima, vel rarissime dente unico profundo, versus apicem instructa, inferiora 1-1½ pollicaria, linea vix latiora, superiora sensim sensimque breviora, angustiora et rariora. *Capitula* terminalia, in ramis summo apice nudis solitaria, florentia hemisphaerica diametro 2-2½ linearum, fructifera globosa, diametro 4 lineari, undique aristis validis divaricatis achaeniorum munita. *Involucri squamae* subbiseriales, aequales, lineares, acutae, uninerves, levissime ciliolatae, 1½-2 lin. longae. *Receptaculum* convexum, scrobiculatum, breviter fimbrilliferum. *Flores centrales* masculi, tubulosi, ampliati et profunde 5 dentati, nervosi, glabri, lineam longi; *antherae* basi muticae; *stylus* simplicissimus, apice attenuatus, dense hirsutus; achaenia, ut videtur, abortiva. *Flores marginales* foeminei, ligulati diu persistentes, ligula angustissima, involucrum paullo superante; stylus longissime exsertus, ligula paullo brevior, glaber, apice breviter bifidus, *ramis* planiusculis, obtusiusculis. *Achaenia* verticaliter compressa, obovata, vel cuneata, glaberrima nitidula, obsolete striata, pallida, lineam longa, apice in aristas 4 validas, subaequilongas, achaenium aequantes, basi dilatato-connatas, sensim attenuatas, aculeis paucis obversis instructas, abeuntia. *Achaenia* matura plerumque floribus foemineis persistentibus aucta sunt.

Obs. Proxime quidem accedit ad *Cal. lappulaceam* Benth., cujus specimen authenticum comparavi in herbario aulico Vindobonnensi, sed multo robustior est, capitulisque majoribus utitur. Praeterea achaenia differentiam specificam satis superque demonstrant. In *Cal. lappulacea* Benth. achaenia breviora, utrinque tuberculata, aristis 3-5 brevissimis, 2-3 achaenio subduplo longioribus, aculeis obversis dense obsitis coronata sunt. In *Cal. erinacea* achaenia duplo fere majora, glaberrima, obsolete striata, in aristas 4 subaequilongas, achaeniorum circiter longitudinem aequantes, aculeis obversis raris conspersas, exeunt.

---

lindracea vel obcouica, villis longis sordide albis pappum exteriorem brevissimum simulantibus, dense hirsuta. *Pappi setae* albae, denticulato scabrae, subinaequales, versus apicem paullo incrassatae et iterum attenuatae.

Subdivisio VI. Bellideae DC.

BRACHYCOME Cassini. Endl. gen. pl. n. 2349. Meisn. gen. pl. pag. 186. (126.) DC. prodr. T. 5. pag. 305. n. 156.

Sectio I. Achaenia non compressa.

1. **Brachycome iberidifolia** *Benth.* glaberrima, caule erecto ramoso, foliis pinnatisectis, segmentis lineari-subulatis distantibus integerrimis, pedunculis nudis monocephalis, involucri squamis oblongis acutiusculis apice membranaceis, achaeniis subtetragonis clavatis vel vix tuberculosis pilis paucis apice plicatis hispidulis sive glaberrimis, pappo subnullo. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 59. n. 198. DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 276. n. 2. Lindl. Bot. Reg. (1841.) tab. 9. Hook. Bot. Mag. tab. 3876. (optime!)

Brachycome capillacea Walpers! Walp. Repert. Bot. Syst. T. 2. pag. 584. n. 5. (Vidi specimina authentica in herbario Regio Berolin.!)

Planta pulcherrima in hortos nostros introducta et inde satis nota, valde ludibunda est. Variat enim capitulis majoribus et minoribus, ligulis coeruleis et albis, foliorum laciniis acutiusculis et obtusiusculis, elongatis et abbreviatis etc. In collectione Preissiana occurrunt hae varietates distinguendae.

α. **Hügeliana** nobis. gracilis, foliorum segmentis obtusiusculis, ligulis coeruleis vel lilacinis, achaeniis calvis, pilis apice plicatis paucis vestitis.

In turfosis ad fluvium Cygnorum haud procul ab oppidulo Freemantle, d. 16. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 94.

„Flores coerulei". *Capitula* minora quam in varietate sequente. Haec omnino est planta Hügeliana, quam vidi in Herbario aulico Vindobonnensi.

β. **major** nobis. rigidior, caule flexuoso, capitulis majoribus, foliorum segmentis acutiusculis, ligulis coeruleis, achaeniis calvis, pilis apice plicatis densius vestitis.

In solo limoso sylvae prope Limekilns, Perth, d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 95.

„Herba annua pedalis, (et ultra,) flores coerulei". *Caulis* inferne rubescit. *Capitula* magnitudinem *Anthemidis arvensis* aequant.

γ. **alba** nobis. rigida, foliorum segmentis obtusis abbreviatis, ligulis albis, achaeniis calvis, pilis apice plicatis dense, praesertim in superiore parte, obsitis.

In arenosis subhumidis umbrosisque inter gramina alta ad fluvii Cygnorum ripam prope Pointwater, d. 18. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 97.

„Herba annua pedalis“ (et ultra). *Caulis* minus flexuosus, totus viridis. *Capitula* magnitudine varietatis *v*. Quodammodo *Marutam Cotulam* refert.

δ. **divergens** nobis. foliorum segmentis acutiusculis, ligulis coeruleis, receptaculo elongato-conico, achaeniis pappo minimo coroniformi dentato auctis, omnino glaberrimis.

In solo limoso districtus Vasse, mense Dec. 1839. Herb. Preiss No. 96.

Haec est varietas valde constans, et igitur forsan species propria. Specimina nostra multo ramosiora; *receptaculum* semper multo magis elevatum quam in caeteris varietatibus, *achaenta* semper glaberrima, et pappo minimo quidem, sub lente tamen bene conspicuo, coronata. In caeteris formis pappus, etiam ab oculo armato desideratus, omnino abest. *Capitula* magnitudinem varietatis *α* aequant, ligulis pulcherrime coeruleis.

Obs. 1. *Brachycome capillacea* Walpers. certissime non differt. Sunt formae debiles varietatis *α* et *δ*, quas vidi in herbario Regio Berolinensi sub hoc nomine. In specimine majori achaenia glaberrima pappo minimo coroniformi aucta sunt, in caeteris minoribus, calva et pilis apice plicatis vestita. Ligulas in ipsis speciminibus siccis lilacinas nec luteas observavi. Color luteus ligulis specierum *Brachycomes* generis omnino adversatur.

Obs. 2. In omnibus formis *achaenia* florum centralium interdum abortiunt, sed non raro omnia matura observavi. *Styli rami* in ligulis brevissimi, exappendiculati ideoque vix conspicui, attamen semper adsunt. *Stetroglossa chamomillaefolia*, et *rigidula* DC. in prodr. T. 6. pag. 39, quas non vidi, ex descriptione proxime ad plantam nostram accedere videntur. Sed cl. auctor iis tribuit „ligulas neutras et ovaria radii abortiva“.

2. **Brachycome bellidioides** *Steetz.* herbacea, glabra, caule erecto simplici basi parce foliato apice nudo monocephalo, foliis radicalibus rosulatis, caulinis alternis, omnibus linearibus integerrimis, involucri squamis ovatis acutiusculis margine apiceque membranaceis, ligulis albis, achaeniis subtetragonis clavatis laevibus glabris cinereis pappo brevissimo coroniformi subintegro superatis.

In arenosis illustribus sylvae supra oppidulum Perth, d. 1. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 99.

Quoad achaenia proxime accedit ad varietatem *δ* speciei antecedentis, caeterum habitu diversissima. Herba annua, gracilis, tota glabra, 3-6 pollicaris. *Radix* filiformis, simplex, perpendicularis. *Caulis* plerumque solitarius, simplicissimus, vel 2-4 ex eadem radice, non nisi rarissime ramum unum alterumve paullo supra basin agens, erectus, filiformis, teres, apice longiuscule nudus, monocephalus, sub capitulo vix ac ne vix incrassatus. *Folia radicalia* crassiuscula, linearia, integerrima, obtusiuscula, basi vix angustata, semiamplexicaulia, 4-6 lin. longa, lineam vix lata, *caulina* pauca, 3-6, alterna, remota, breviora et angustiora, caeterum conformia. *Capitulum Bellidis annuae* magnitudinem vix aequat. *Involucri* subbiserialis *squamae* conformes, ovatae, acutiusculae, dorso carinatae, margine et apice membranaceae. *Receptaculum* exsuccum, conicum, levissime scrobiculatum. *Flores hermaphroditi* centrales, numerosi, tubulosi, tubo brevissimo, semilineam vix longo, apice ampliati, 5 dentati, glabri, lutei; *styli rami* exserti, planiusculi, summo apice attenuati, papillosi. *Flores foeminei* ligulati, in ambitu uniseriales; „*ligulae* albae“, discum longe superantes, basi brevissime tubulosae, puberulae; *styli rami* vix exserti, obtusiusculi, glabri. *Achaenia* clavata, subtetragona, non marginata, nec alata, glaberrima, cinerea, *pappo* minimo coroniformi, subintegro superata, minima, $^1/_3$ lin. circiter longa. Superficies achaeniorum, sub microscopio visa, pulcherrime et regulariter tesselata conspicitur, in *Brachycome iberidifolia*, alutacea.

Sectio II. Achaenia compressa.

3. **Brachycome pusilla** *Steetz.* herbacea, glabra, caule suberecto simplici basi parce foliato apice nudo monocephalo, foliis radicalibus rosulatis, caulinis alternis, omnibus linearibus integerrimis vel dente uno alterove instructis, involucri squamis ovatis obtusiusculis margine apiceque membranaceis, ligulis coeruleis, achaeniis compressis obovatis margine crasso calloso integris pilis raris apice plicatis conspersis calvis stramineis.

In arenosis sylvae ad fluvium Helena, d. 31. Augusti 1839. Herb. Preiss. No. 86 et in clivulo calcareo haud procul ab oppidulo Freemantle, d. 15. Aug. 1839. No. 98. (? specimina non fructifera.)

Obiter inspecta planta *Brachycomen bellidioiden* refert, sed achaenia utriusque speciei diversissima sunt. *Caules* plerumque 3-4 ex eadem radice, quorum medius suberectus, caeteri adscendentes, teretes, filiformes, glabri ut tota planta, basi foliati, apice nudi, monocephali, 2-4 pollicares; rarius *caulis* omnino solitarius, simplex. „*Folia* subcarnosa, integerrima vel unidentata, subtus purpurea“ (No. 98). „*Ligulae* coeruleae“ (No. 86). *Achaenia* ut supra, minima, sed paullo majora quam in specie antecedente, semilineam longa, pilis plicatis utrinque et margine hinc inde conspersa, apiceque densius ciliata. Omnia reliqua ut in *Brachycome bellidioide.*

Obs. 1. Specimina sub No. 98 omnia non fructifera ideoque dubia, ex habitu huc retuli, et vix in dubio sum, quin revera huc pertineant.

Obs. 2. Ob affinitatem hujus plantae cum illa, quam modo definivi, locum ei in *Brachycomes* genere servavi, bene conscius, eam proxime accedere hinc ad *Paquertnam* illinc ad *Bellidem.* Sed *Paquerina* Cassini genus valde dubium mihi videtur, et egomet quidem speciem unicam ad *Brachycomen* referre malim. *Absentia pappi* in hisce plantis est character levissimi momenti, quum in una eademque specie achaenia vel omnino calva, vel pappo minimo coronata observentur, exempli gratia: in *Brachycome iberidifolia* Benth., ut supra vidimus. Itemque, sunt *Bellidis* species, quae achaeniis pappo minimo auctis gaudent, scilicet *Bellis pappulosa* Boiss. et *Bellis brachycomoides* nob. mss. (a cll. Torrey et Asa Gray in Flora of North-America T. 2. pag. 190 haud feliciter ad *Brachycomen* relata,) cujus specimina spontanea examinavi, et quae a *Bellide integrifolia* Mich., cui proxima, non differt, nisi magnitudine omnium partium duplo minori et achaeniis pappo minimo coronatis. Praeter achaenia calva vero nulla existit differentia vera inter *Brachycomen* et *Paquerinam.* Receptaculum, involucrum et omnes florum partes reliquae in utraque genere concordant. Non idem valet de *Bellide.* Adest enim revera differentia generica, nullibi, quantum scio, adhuc commemorata, qua facillime a *Brachycome* distingultur. Haec vero in receptaculi fabrica et dispositione achaeniorum quaerenda est. *Bellis* Linn. gaudet receptaculo spongioso, *Brachycome* Cassini receptaculo exsucco. Receptaculum in *Bellide* sub anthesi convexum, post anthesin in conum pyramidatum tumidum augetur. In *Brachycome* contra receptaculum convexum nunquam mutatur nec intumescit. Sic etiam dispositio achaeniorum in receptaculo, aliter se habet in utroque genere. In *Bellide* receptaculum sensim excrescens, demum achaeniis undique subimbricatim onustum, involucrum et achaenia ima longe excedit. In *Brachycome* totum receptaculum achaeniis omnibus verticaliter insidentibus omnino tectum, involucri squamis superatur.

4. **Brachycome lanuginosa** *Steetz.* suffruticosa, caule inferne albo-lanato superne viridi asperulo, foliis alternis sessilibus basi semiamplexicaulibus pinnatifidis, laciniis

ovatis sive linearibus acutis subpungentibus inferioribus lana alba laxa vestitis superioribus viridibus subasperulis, pedunculis terminalibus axillaribusque apice nudis monocephalis, involucri squamis ovatis acutis asperulis margine apiceque membranaceis ciliolatis, achaeniis compressis obovatis pappo minimo coroniformi subdentato auctis, disci margine alatis crenatis ciliatis, radii angustioribus margine callosis integris leviter curvatis utrinque tuberculatis.

In promontorio Cape-Riche, mense Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 85.

Fruticulus $^1/_2$-1 pedalis. *Radix* lignosa, palaris, multicaulis. *Caules* erecti, teretes, apice parce ramosi, virides et glanduloso-pilosi, inferne saepe purpurascentes et lana alba laxa vestiti. *Folia* pinnatifida, valde variabilia, rhachi integra: *lacinine* interdum ovatae, adproximatae, abbreviatae, interdum lineares, elongatae, remotae, semper callo rigidulo, subpungente terminatae; *infertora* albo-lanata, *supertora* viridia, laxius arachnoidea, vel glanduloso-pilosa, summa integra vel dentibus 1-2 profundis basi utrinque instructa. *Pedunculi* axillares et terminales, monocephali, omnino fere nudi, vel folio minimo squamaeformi hinc inde vestiti, glanduloso-puberuli, asperuli, $^1/_2$-1 pollicares. *Capitula* parva, vix 2 lin. longa et lata. *Involucri squamae* subbiseriales, aequales, ovatae, acutae, margine apiceque angustissime membranaceae, ciliolatae, dorso subglandulosae, asperulae, $1^1/_4$ lin. longae. *Receptaculum* nudum, convexum, scrobiculatum. *Flores hermaphroditi* centrales, tubulosi, tubo brevissimo, 5 dentati, glabri, vel inferne puberuli, lineam vix longi. *Flores foeminei* in ambitu numerosissimi, ligulati; *ligulae* elongatae, angusto-lineares, et, (ut in sicco videatur,) coeruleae. *Styli rami* in floribus centralibus brevissime, in ligulis multo longius exserti, papillosi. *Achaenia* compressa, obovata, difformia, *florum centralium:* opaca, pilis apice plicatis utrinque conspersa, margine pallido membranaceo, crenato, ciliato, alata, ciliis apice plicatis quavis crenula insidentibus, apice subemarginata et pappo minimo coroniformi, subdentato, sub lente vix conspicuo, coronata, lineam vix longa, semilineam fere lata. *Achaenia florum foemineorum* aequilonga, sed duplo fere angustiora, basi attenuata, leviter curvata, tota opaca, margine calloso integra, non ciliata, nec pilis, nisi summo apice hinc inde conspersa, utrinque tuberculata, pappo subnullo.

Obs. Proxime accedere videtur ad *Brachycomen ciliarem* Lessing, (cujus iconem comparavi in cl. Labillardiere Novae Holl. spec. pl.) praesertim quoad formam foliorum et achaenia difformia. Differt vero primo vultu: lanugine, et achaeniorum ala crenata, nec integra.

5. **Brachycome Drummondii** *Walpers.* glabriuscula, rhizomate lignoso multicauli, foliis alternis sessilibus basi semiamplexicaulibus pinnatifidis sive summis integerrimis, laciniis paucis linearibus acutis inaequalibus remotis, pedunculis terminalibus axillaribusque apice nudis monocephalis, involucri squamis ovatis obtusiusculis margine apiceque membranaceis et inaequaliter serrato-ciliatis asperulis, achaeniis compressis obovatis pappo minimo coroniformi subdentato auctis, disci margine alatis crenatis ciliatis, radii angustioribus margine callosis integris leviter curvatis utrinque praesertim apice tuberculatis. — Walpers Rep. Bot. syst. T. 2. pag. 384. n. 3 *).

*) **Brachycome pumila** Walpers l. c. est: **Lagenophora Billardieri** Cassini! Bellis stipitata Labill. Vidi specimina authentica in herb. Reg. Berolin.!

In solo limoso hyeme aqua inundata ad fluvium Avon, d. 5. Martii 1839. Herb. Preiss. No. 87. Swan-River, Drummond! (Comparavi specimen authenticum in herb. Reg. Berolinensi).

Fruticulus perennis, *rhizomate* lignoso, duro, multicauli. *Caules* plurimi, erecti, teretes, sulcati, graciles, simplices, vel parce ramosi, apice longiuscule nudi, in speciminibus herbarii Regii Berolinensis fere pedales, in Preissianis 2-5 pollicares. *Folia*, ut tota planta, glabriuscula vel tenuissime puberula, *infertora* pinnatifida, laciniis cum rhachi linearibus, elongatis, remotis, integerrimis, *supertora* integra, et apice argute paucidentata, *summa* tota integerrima. *Involucri squamae* paullo obtusiores quam in praecedente. „Ligulae violaceae". *Achaenia*, *flores*, *receptaculum* et omnia reliqua plane eadem ac in *Brachycome lanuginosa*.

Obs. 1. In unico specimine vidi achaenia plurima hinc margine calloso, integro, illinc margine alato, crenato, ciliato instructa, achaeniis normalibus tum disci tum radii alternantia. — Estne forsan ala membranacea in achaeniis fugax?

Obs. 2. Specimina herbarii Regii Berolin. authentica, quamquam omnibus partibus, capitulis exceptis, duplo fere majora, a nostra planta non differunt. E caulibus sterilibus anni praeteriti, in speciminibus Preissianis adhuc residuis satis superque patet, plantam adultam multo rigidiorem et altiorem evasuram fuisse. *Achaenia* plane eadem ac in nostra planta, et in disco evidenter ciliata, sed immatura.

6. **Brachycome radicans** *Steetz.* glaberrima, radice multicauli stolonifera, caulibus scapiformibus basi foliatis apice nudis monocephalis, foliis elongatis linearibus integerrimis vel hinc inde lacinia una alterave lineari praeditis, involucri squamis ovatis obtusiusculis, achaeniis subcompressis obovatis margine integro concolori alatis faciebus longitudinaliter sulcatis pappo setoso brevi coronatis glabriusculis.

In region. interior. Australiae meridional. occid. Herb. Preiss. sine No. In insula van Diemen leg. cl. Gunn. Herb. Gunnian. No. 513. Vidi siccatam in herbario amicissimi cl. Zuccarinii.

Planta in locis aqua inundatis nata videtur. — Tota glaberrima imo subcapitulo. *Radix* stolones radicantes, semipedales, in caulem adscendentem terminantes agit. *Caulis* teres, striatus, infra foliatus, supra medium longe nudus, 6-9 pollicaris et ultra. *Folia* flaccida, et, ut videtur, ima aqua submersa, *radicalia* conferta, sessilia, semiamplexicaulia, anguste linearia, uninervia, nervo valido albido, apice utplurimum divisa, i. e. lacinia lineari hinc sive utrinque praedita, 1-4 pollicaria, *caulina* 2-3 alterna, remota, breviora, $\frac{1}{2}$-1 pollicaria, integerrima. *Capitulum* terminale, solitarium, *Bellidis perennis* paullo majus. *Involucri squamae* subbiseriales, ovatae, obtusiusculae, apice pulchre purpureo-marginatae, caeterum virides, vix ciliatae, $2\frac{1}{2}$ lin. longae, lineam circiter latae. *Ligulae* numerosae, ex sicco violaceae vel albidae videntur. *Achaenia* matura obovata, brunnea, margine angusto, subcompresso, concolori alata, disco elevato longitudinaliter 3 sulcato, non compressa, pappo brevi, setoso albo, coronata, glabra vel levissime rugulosa, $\frac{3}{4}$ lin. longa, semilineam vix lata. Reliqua omnia ut in genere.

LAGENOPHORA Cassini. Endl. gen. pl. n. 2351. Meisn. gen. pl. pag. 186. (126.) DC. prodr. T. 5. pag. 307. n. 158.

1. **Lagenophora Hügelii** *Benth.* caule scapiformi adscendente parce foliato monocephalo, foliis radicalibus obovatis obtusissimis sinuato-dentatis in petiolum pollicarem attenuatis, caulinis paucis 4-6 remotis lineari-lanceolatis, involucri pluriserialis squamis linearibus acutis, exterioribus brevioribus, achaeniis radii obovatis compressis utrinque puberulis rostro glutinoso terminatis. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 59. n. 197. DC. prodr. T. 7. sect. I. pag. 278. n. 5.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth, d. 15. Junii 1839. Herb. Preiss. No. 118. Ad sinum regis Georgii III. Hügel.! *) (Comparavi specimen authenticum in Herb. aulico Vindobonn.) Colitur in horto Hamburgensi!

Planta variat: Caule glabro, basi apiceque leviter pubescente, foliisque glabriusculis (specimen Hügelianum), et tota pilis articulatis hirsutissima, (specimina Preissiana). In planta viva et speciminibus siccis haec observavi: *Caulis* solitarius, vel utplurimum 2, 3, e radice fasciculata, per pollicis spatium recte assurgunt, tunc, quum supra terram evadant, angulo subrecto declinantur, et demum iterum adscendunt. Sic etiam in planta culta. Caeterum *caulis* scapiformis, i. e. nudiusculus, vel foliis paucis, remotis, parvis vestitus, hirsutus, sub capitulo dense villosus, 8 pollicaris vel pedalis et ultra. *Folia radicalia* obovata, obtusissima, in petiolum pollicarem attenuata, inciso-dentata vel fere lyrata, incisuris nunc profundis nunc levissimis, dentibus semper vero mucrone calloso terminatis, penninervia, utrinque pilis albidis, articulatis, quales in caule reperiuntur, dense hirsuta, cum petiolo 2-4 pollicaria. *Folia caulina* rara, 4-6, remota, lineari-lanceolata, integerrima vel paucidentata, internodiis multoties breviora, 4-6 lin. longa, *summa* capitulo approximata, anguste linearia, acuta, squamaeformia. *Capitula* 3-5 lin. longa, et (in statu siccato, compresso,) paullo latiora. *Involucri squamae* margine vix membranaceae, lineares, acutae, ciliolatae, puberulae, dorso pilis longioribus, articulatis vestitae, 3 lin. longae, exteriores breviores. *Receptaculum* planum, nudum. *Flores hermaphroditi* centrales, tubulosi, quinquedentati, apice purpurascentes, medio ciliis longiusculis, articulatis conspersi, 2 lin. longi. *Antherae* ecaudatae, *stylus* plerumque bifidus, rarissime stylum simplicissimum, masculum observavi. *Flores foeminei* in ambitu uniseriales, numerosi, ligulati, tubo brevissimo hirsuto; *ligulae* albae, 1-2 lin. longae, revolutae. *Styli rami* in floribus centralibus et in ligulis breviter exserti, summo apice attenuati, papillosi. *Achaenia disci* abortiva, linearia, lineam longa. *Achaenia radii* rufescentia, planocompressa, oblique obovata, margine utrinque calloso integra, faciebus pilis

*) Alterum specimen a cl. Hügelio ad flumen Cygnorum lectum, sub hoc nomine in Herb. aulico Vindobonnensi conservatum, certissime est species diversa. Differt enim: caule omnino erecto, usque apicem vix puberulo, foliis radicalibus glaberrimis, caulinis 8-10 minimis squamaeformibus subulatis, habitu multo graciliore, capitulo triplo minore, squamisque involucri exterioribus subulatis. Capitulum minus fere quam in *Lagenophora Billardierii*, sed caulis et folia radicalia, magnitudine plantam nostram aequant. Achaenia matura desiderantur, quare novam speciem creare non licebat.

sparsis puberula, basi attenuata, callosa, apice in rostrum laterale, teres, glutinosum, ⅛ lin. longum, callo scutelliformi terminatum, demum pronatum, abrupte desinentia, matura 1½ lin. longa, ¾ lin. lata.

Obs. Planta viva e seminibus Preissianis nata multo minus hirsuta est, quam specimina sicca.

2. **Lagenophora Gunniana** *Steetz.* hirsuta, caule scapiformi adscendente parce foliato monocephalo, foliis radicalibus obovatis obtusis grosse dentatis basi attenuatis sessilibus, caulinis paucis 3-4 remotis lineari-lanceolatis, involucri biserialis squamis ovatis obtusiusculis exterioribus brevioribus, achaeniis radii obovatis compressis utrinque glabris rostro glutinoso terminatis.

In insula van Diemen leg. cl. Gunn. Herb. Gunnian. No. 510. Herb. Preiss. sine No.

Proxima *Lagenophorae Hügelii,* et ut haec tota pilis articulatis hirsuta, sed in omnibus partibus duplo fere minor; praeterea differt: *caulibus* immediate e radice adscendentibus, *foliis* sessilibus, *involucri squamis* ovatis, obtusiusculis *achaeniisque* totis glabris. *Caulis* vix semipedalis, *folia* grosse dentata, dentibus calloso-mucronatis, *caulina* integerrima. *Capitula* paullo minora quam in *Lagenophora Hügelii.*

3. **Lagenophora gracilis** *Steetz.* scapo adscendente toto fere nudo glaberrimo gracillimo monocephalo, foliis radicalibus oblongo-obovatis irregulariter dentatis vel subintegerrimis in petiolum brevem attenuatis utrinque hirsutis, capitulo minimo, involucri squamis ovatis interioribus obtusis exterioribus brevioribus acutis, achaeniis radii ovatis compressis glaberrimis rostro glutinoso terminatis.

Herb. Preiss. sine No. Ad sinum regis Georgii III. leg. cl. Roë, fide specim. in Herbario aulico Vindobonnensi.

Species distinctissima. *Scapus* ex radice fasciculata immediate adscendens; filiformis, gracillimus, glaberrimus, nitidus, totus fere nudus, sive squamis 3-4 minimis, setaceis, lineam vix longis, hinc inde, praesertim sub capitulo conspersus, monocephalus, ½-1 pedalis. *Folia* cum petiolo brevi ½-1 pollicaria, omnia radicalia, crassa, asperula, utrinque, praesertim margine et in nervis dense hirsuta, apice 4-6 lin. lata. *Capitulum* solitarium, minimum, florens 1½ lin., fructiferum 2-3 lin. longum et latum. *Achaenia* radii matura ovata, striata, margine callosa, glaberrima, in rostrum laterale demum pronatum, apiceque callo scutelliformi terminatum, glutinosum desinentia, achaeniis *Lagenophorae Hügelii* aequilonga sed duplo angustiora. — Caetera omnia ut in genere.

Tribus IV. Senecionideae Less.

Subtribus I. Melampodineae DC.

Divisio VI. Iveae DC.

GYMNOGYNE Steetz.

Capitula monoica, *floribus foemineis* in ambitu pluriserialibus apetalis demum imbricatis, *centralibus masculis* tubulosis

4 dentatis. *Involucrum* 1-2 seriale apdressum, *squamis* ovatis margine membranaceis. *Receptaculum* epaleaceum conicum levissime scrobiculatum, post anthesin valde auctum spongiosum. *Flores masculi*: *Corollae* tubus brevissimus apice ampliatus; *antherae* distinctae, basi attenuatae, *stylum* abortivum simplicem, vel brevissime bifidum apice ampliatum et lacerum cingentes; *achaenia* abortientia, plerumque nulla. *Flores foeminei*: *Stylus* persistens apice bifidus, *ramis* abbreviatis planiusculis ovatis obtusis; *achaenia* obcompressa imbricatim disposita subrotundo-arcuata margine membranaceo alata glabra auricula minima coronata.

Herba annua glabra simplex vel ramosa, ramis capitulo solitario globoso terminatis, foliis linearibus. Obiter inspecta planta Cotulam refert. — Nomen composui e vocibus γυμνος, nudus, et γυνη, foemina, propter florum foemineorum stylos apetalos.

Genus distinctissimum *Iveis* adnumerandum. Proxime accedit ad *Euphrosynen* DC., (prodr. T. 5. pag. 530), plantam Mexicanam, cujus iconem cum accuratissima analysi in cl. Delessert. icon. T. 4. tab. 28. comparavi. Cum hac nostra planta his notis congruit: capitulis monoicis, floribus foemineis apetalis, et antheris distinctis in floribus masculis. Recedit vero ab *Euphrosyne:* receptaculo epaleaceo, conico, post anthesin valde aucto, floribus foemineis pluriserialibus, floribus masculis 4-dentatis, achaeniis imbricatim dispositis, arcuatis, et habitu.

1. Gymnogyne cotuloides *Steetz.*

In limoso-uliginosis planitiei sylvae supra oppidulum Perth, d. 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 101.

Specimina, quae suppetunt, statura valde inter se differunt. Quaedam exilia, simplicissima, capitulo unico, solitario terminata, cum radice 1½ pollicem vix excedunt; quaedam pedalia, ramosissima, ramificatione subdichotoma, a forma priori tamen nulla nota essentiali distingui possunt, et ne varietatem quidem sistunt. *Radix* fibrosa, annua. *Caulis* erectus, teres, sulcatus, fistulosus, glaber. *Rami* axillares, inferne foliati, apice in pedunculos monocephalos, sub capitulo demum incrassatos, omnino nudos, 1-2 pollicares abeuntes. *Folia* filiformia, integerrima, teretiuscula, glabra, basi amplexicaulia, vel, si mavis, breviter vaginantia, vaginis 1-2 lin. longis, paullisper inflatis, in folium sensim attenuatis, margine pilis longiusculis, albis dense ciliatis, demum marcescentibus, — 1-2 pollicaria. *Capitula* globosa, initio parva, pisi magnitudine, dein valde aucta, diametro 4 linearum. *Receptaculum* epaleaceum, conicum, levissime scrobiculatum, post anthesin tumefactum, globosum, spongiosum. *Involucrum* subbiseriale, adpressum, *squamis* alternantibus subaequilongis, sessilibus, ovatis, obtusis, foliaceis, margine anguste membranaceis, glabris, lineam fere longis et latis. *Flores masculi* centrales, tubulosi, breves, ¾ lin. longi, apice ampliati, 4 dentati, dentibus plerumque conniventibus, glabri; *antherae* distinctae, basi attenuatae, *stylum* abortivum, simplicem vel brevissime bifidum, apice ampliatum et lacerum cingentes. *Achaenia* plerumque nulla, si adsunt, (unicum tantum detexi), parva, corollae longitudine, compressa, ovata, glabra. *Flores foeminei* in ambitu numerosissimi, 8-10 seriales, demum imbricati, apetali. *Stylus* brevis, semilineam longus, persistens, apice breviter bifidus, *ramis* planiusculis, ovatis, obtusis, divergentibus, subpapillosis. *Achaenia* matura adpressa, imbricatim disposita, obiter inspecta involucri squamas simulantia, obcompressa, subrotundo-ovata, arcuata, margine membranaceo alata, nervo medio utrinque prominulo, subrugulosa, glabra, apice auricula minima, acuta et stylo persistente superata, caeterum calva, lineam fere longa, ¾ lin. lata.

Obs. Specimina simplicia *Cotulam filifoliam* Thunb. simulant.

Subtribus V. Helenieae Cass.

Divisio 3.? Madieae.

SILPHIOSPERMA Steetz.

Capitula heterogama pauciflora, *floribus foemineis* in ambitu uniserialibus ligulatis, ligulis brevissimis, *disci hermaphroditis* tubulosis 4-vel 5-dentatis. *Involucrum* 1-2-seriale, *squamis* externis complicatis flores foemineos semiamplectentibus, interioribus paleaeformibus. *Receptaculum* angustum, epaleaceum, alveolatum. *Antherae* ecaudatae non exsertae. *Stylus* florum disci apice bifidus, *ramis* attenuatis dense papillosis, rarissime abortu simplicissimus. *Achaenia* plano-compressa obovata calva.

Herbae annuae, exiles, parce ramosae. *Folia* varia. *Pedunculi* axillares et terminales apice nudi monocephali. *Flores* involucrum vix excedentes. *Achaenia* pro capitulo parvo magna. — Nomen dedi propter similitudinem achaeniorum generis *Silphii* Linn.

Hoc genus ad tribum Senecionidearum pertinere, non est dubium, quem vero locum ei adsignem, adhuc haereo. Collocarem inter *Melampodineas*, prope *Millerieas*, sed flores disci plerumque hermaphroditi sunt, et non nisi casu et raro stylus abortit, et simplicissimus observatur. Felicius forsan *Madieis* adnumerandum erit, propter involucri squamas complicatas, achaenia radii calva compressa involventes, etiamsi receptaculum paleis destitutum est. Potius enim *Madiearum* characterem paullulum emendarem, quam novam *Helentearum* divisionem, unico genere constantem, crearem.

1. **Silphiosperma glandulosum** *Steetz.* glanduloso-pilosum, foliis alternis pinnatifidis, capitulis 10-20-floris, floribus centralibus 5-dentatis, achaeniis apice emarginatis caeterum integris.

In Australasia occidentali. Herb. Preiss. No. 103.

Tota planta glanduloso-pilosa, subglutinosa, a basi ramosa vel simplex. *Radix* perpendicularis, filiformis. *Caulis* tenuis, teres, levissime striatus, 3-4-pollicaris. *Rami* axillares in pedunculum 6-12 lin. longum, omnino nudum abeuntes. *Folia radicalia* in speciminibus suppetentibus desiderantur, *caulina* alterna, sessilia, basi semiamplexicaulia, crassiuscula, pinnatifida, 3-6 lin. longa, rhachi ½-1 lin. lata; *lacinlae* remotae, basi latiores, setigerae, ½-1½ lin. longae. *Capitula* in pedunculo solitaria, terminalia, florentia minima, fructifera lineam longa, 2 lin. lata. *Involucri* biserialis *squamae exteriores* 8-12, plicatae, acutiusculae, ovatae, apice conniventes, margine membranaceae, dorso ciliis rigidulis, glanduliferis dense obsitae, demum achaenia radii semiamplectentes; *interiores* paucae, ovatae, planae, totae membranaceae, acutae, paleas referentes. *Receptaculum* angustum, planum profunde et evidenter alveolatum, epaleaceum. *Flores* omnes involucrum vix ac ne vix quidem excedentes; *hermaphroditi* centrales, circiter 8-10, tubulosi, breviter 5 dentati, basi dense, versus apicem minus hirsuti, semilineam longi. *Antherae* inclusae, basi ecaudatae. *Stylus* bifidus, rarissime abortu simplicissimus, *ramis* attenuatis, dense papillosis. *Flores foemineі* in ambitu uniseriales, circiter 10, ligulati; *ligulae* minimae, ¾ lin. longae, angustae, *stylum* bifidum, subpapillosum, obtusum duplo superantes, demum revolutae, tubo hirsuto, caeterum glabriusculae. *Achaenia* plano-compressa,

obovata, anguste marginato-alata, (ala apice profunde emarginata vel excisa,) calva, glaberrima, flavescentia, 1 1/3 lin. longa, 3/4 lin. lata.

2. **Silphiosperma perpusillum** *Steetz.* glaberrimum, foliis inferioribus oppositis ovatis basi attenuatis, superioribus plerumque alternis linearibus integerrimis vel apice tripartitis, capitulis 6-12-floris, floribus centralibus 4-dentatis, achaeniis ala angusta grosse dentata utrinque marginatis.

In Australasia occidentali. Herb. Preiss. No. 2416.

Tota planta cum *radice* annua capillari, 6-10 lin. alta, vel pollicem vix aequans, glaberrima. *Caulis* erectus, filiformis, teres, levissime striatus, plerumque simplicissimus, vel raro ramum unum alterumve, capitulo solitario terminatum, agens. *Folia* omnia crassiuscula, sessilia, vaginantia; *inferiora* 4 opposita, quorum ima ovata, basi longe attenuata, 2 lin. longa, connata et vagina inflata, bina sequentia linearia, basi connata, vagina paullo breviori, caeterum elongata, plerumque 3-5 lin. longa; *superiora* alterna lineari-filiformia, integerrima, vel apice tripartita, laciniis mucronatis, filiformibus. *Capitulum* plerumque solitarium, in pedunculo capillari, subangulato, nudo, 2-3 lin. longo, apice paullisper incrassato, terminale, 6-12 florum. *Involucri* uniserialis *squamae* plerumque sex, plicatae, carinatae, ovatae, acutiusculae, margine scariosae, flores foemineos involventes, et apice conniventes. *Receptaculum* angustissimum, planum, nudum, alveolatum. *Flores* involucrum aequantes; *hermaphroditi* centrales 3-6, tubulosi, brevissimi, 1/3 lin. longi, 4 dentati, dentibus conniventibus, basi parce hirsutiusculi, caeterum glabri; *antherae* inclusae basi ecaudatae; *stylus* breviter bifidus, vel raro abortu simplicissimus, *rami* apice attenuati, dense papillosi. *Flores foeminei* totidem, subligulati; *ligulae* auriculaeformes, brevissimae, *stylo* bifido obtuso, subpapilloso duplo fere breviores, basi subtilissime ciliatae, apice glabrae, flavescentes, cum stylo 1/3 lineam non excedentes. *Achaenia* matura involucrum longe superantia, obovata, plano-compressa, glabra, ala angusta, grosse dentata sed apice non excisa, ciliisque superne plicatis marginata, pro planta pusilla maxima, 1 1/4 lin. longa, 3/4 lin. lata.

Subtribus VI. Anthemidbae Cass.

Divisio 3. Cotuleae Less.

COTULA Gaertner, Linn. Endl. gen. n. 2683. Meisn. gen. pag. 212. (135.) DC. prodr. T. 6. pag. 77. n. 488.

1. **Cotula coronopifolia** *Linn.* glabra, caule adscendente, foliis basi vaginanti-amplexicaulibus lanceolato-linearibus dentatis aut subpinnatifidis, ramis apice aphyllis monocephalis. DC. prodr. l. c. pag. 78. n. 3. Flor. dan. tab. 341.

In solo turfoso anfracto prope oppidulum Freemantle, d. 14. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 128.

Specimina non nisi duo legit cl. peregrinator, quae ab illis, quae in agro Hamburgensi et in Capite Bonae Spei lecta sunt, nullo modo differunt.

Divisio 5. Artemisieae Less.

MYRIOGYNE Lessing. Endl. gen. n. 2702. Meisn. gen. pag. 212. (135.) DC. prodr. T. 6. pag. 139. n. 507.

1. **Myriogyne minuta** *Lessing.* decumbens aut adscendens, glabriuscula aut apice subvelutina, foliis oblongis basi cuneatis apice serratis obtusiusculis aut subacutis. DC. prodr. l. c. pag. 139. n. 2.

In arenosis ad caput fluvii Cygnorum, d. 14. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 122. King George's Sound et Swan-River Hügel.!

„Folia trita sternutamentum excitant". — Specimina nostra, cum Hügelianis omnino congruentia, glaberrima sunt. *Stylum* etiam tum cl. Lessingio, tum cl. Candolleo ignotum, observavi brevissimum, medium corollae aequantem, apice brevissime bifidum, *ramis* in *floribus hermaphroditis* incrassatis, fere truncatis, in *corollis foemineis* filiformibus.

Subtribus VII. Gnaphalieae Less.

Divisio 1. Angiantheae DC.

STYLONCERUS Spreng. Siloxerus Labill. Endl. gen. n. 2711. Meisn. gen. pag. 216. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 149. n. 516.

1. **Styloncerus humifusus** *Spreng.* radice multicauli, caulibus prostratis glabris vel apice pubescentibus, foliis linearibus glabris vel superioribus hinc inde laxe pilosis, inferioribus oppositis, superioribus alternis, summis confertis, capitulis in glomerulum ovato-globosum terminalem foliis summis involucratum dense aggregatis, involucri partialis squamis ovatis totis fere hyalinis apice appendicula minima petaloidea crispa concolore auctis, pappi paleis corollam subaequantibus. — DC. prodr. l. c.

Siloxerus humifusus Labill. Nov. Holl. pag. 57. tab. 209.!

In depressis arenosis prope oppidulum Perth, d. 25. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 40, et in solo humoso humido planitiei secundae cis fluvium Gordon, Hay, d. 6. Nov. 1840. No. 1361.

„Herba pusilla". In omnibus speciminibus nostris superior caulis pars et folia summa pilis longiusculis raris conspersa sunt, caeterum nulla linea a descriptione et icone Billarderiana divergunt. Variat involucri partialis squamis et pappi paleis pulchre rufescentibus. (No. 1361.)

2. **Styloncerus cylindraceus** *Steetz.* radice multicauli, caulibus adscendentibus pubescentibus vel apice lanugino-

sis, foliis linearibus glabris vel hinc inde laxe pilosis omnibus confertis subverticillatim approximatis, capitulis in glomerulum oblongo-ovatum cylindraceum foliis summis suffultum dense aggregatis, involucri partialis squamis ovatis hyalinis apice appendicula parva crispa flavescente auctis, pappi paleis corollam subaequantibus.

In sinu regis Georgii III. mense Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 41.

Proximus quidem *Styloncero humifuso*, sed certe diversus ab eo. Folia enim confertiora, subverticillatim approximata, et capitulorum glomerulus duplo fere longior, cylindraceus, flavescens, foliis summis non involucratus, sed tantummodo suffultus, primo intuitu speciei diversitatem probant. Appendicula petaloidea in involucri partialis squamis praeterea paullo longior apiceque magis crispa est. *Folia*, ut in omnibus speciebus, basi semiamplexicaulia, carnosula, linearia, 6-8 lin. longa, et, quod in hac specie magis quam in caeteris congeneribus conspicuum, apice mucrone calloso terminata sunt. Callus hic terminalis in exemplaribus siccis albus, et foliorum substantia durior, infundibulo obverso, vel calyptrae muscorum non dissimilis, jam oculis non armatis observatur. *Flores* et *achaenia* ut in specie antecedente.

3. **Styloncerus suberectus** *Steetz.* caule simplici subsolitario suberecto glabro vel apice pilosiusculo, foliis linearibus glabris vel superioribus hinc inde pilosis omnibus alternis superioribus confertis, capitulis in glomerulum subglobosum foliis summis suffultum dense aggregatis, involucri partialis squamis ovatis niveo-hyalinis, apice appendicula petaloidea parva crispa lactea auctis, pappi paleis corolla dimidio brevioribus.

In arenosis terrae inferioris, mense Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 42.

Caulibus suberectis simplicibus, nec aggregatis, multo glabrioribus, et glomerulo terminali subgloboso, pulchre lacteo, planta jam prima fronte a congeneribus facillime dignoscitur. Praeterea hanc differentiam essentialem observavi: *Involucri squamae* multo longiores et appendicula petaloidea majori auctae sunt, cum hac longitudinem $2^1/_2$ linearum plerumque excedunt. *Corollae* quoque majores paleas longe superant, denique *achaenia* paullo longiora et graciliora, apiceque paullisper attenuata sunt, pappoque caduco superata; in speciebus praecedentibus pappus persistens mihi videtur. — Specimina non nisi 4 in promtu habeo, quae omnia caule simplicissimo, solitario, suberecto e radice assurgunt, an vero character hic constans sit, posterioribus observationibus relinquendum erit.

PHYLLOCALYMMA Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg. pag. 61 *). Endl. gen. n. 2713. Meisn. gen. pag. 216. (136.) DC. prodr. T. 6. pag. 150. n. 518.

1. **Phyllocalymma micropodioides** *Benth.* caule erecto simplici vel ramoso, ramis brevibus rigidiusculis,

*) Cum cl. Benthamio *Phyllocalymma* scripsi, contra cll. Candolleum et Endlicherum, qui *Phyllocalymmam* genus vocant. Nomen enim cum καλυμμα, involucrum, compositum mihi videtur.

glomerulis terminalibus axillaribusque approximatis, setis pappi paleas terminantibus corollam aequantibus. — Benth. l. c. pag. 62. n. 203. DC. prodr. l. c.

In locis porrectis hyeme aqua inundatis haud procul a Bassandeen ad fluvium Cygnorum, mense Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 36. (Comparavi specimina Hügeliana in herb. aulico Vindobonnensi!)

Descriptioni accuratissimae cl. Benthamii l. c. pauca haec addere liceat. *Caulis* non semper ramosissimus est, pleraque specimina Preissiana caule simplicissimo gaudent. *Folia* in inferiore caulis parte glabrata, alterna, sparsa, in superiore albo-tomentosa, aggregata, apice calloso-mucronata, subpungentia. *Involucrum* generale duplex observavi; *externum:* folia summa, glomerulum involventia; *internum:* squamae paucae, planae, hyalinae, involucro partiali breviores; hae quidem in hac specie non nisi involucro externo remoto conspicuae, in specie sequente multo evidentius observantur. *Involucrum partiale* semper e squamis scariosis 4 decussatim positis constat, quarum binae interiores obovatae, planae, exteriores binae plicatae, valvatim oppositae, florem singulum utrinque involvunt; omnes hyalinae, nervo medio viridi instructae sunt. *Stylus* basi bulbosus, apice bifidus, ramis incrassato-truncatis, subrectis.

2. **Phyllocalymma filaginoides** *Steetz.* caule erecto ramosissimo, ramis elongatis flaccidis, glomerulis terminalibus axillaribusque remotiusculis, setis pappi paleas terminantibus corolla dimidio brevioribus.

In solo arenoso-turfoso inter frutices ad fluvii Cygnorum ripam prope oppidum Perth, mense Januario 1839. Herb. Preiss. No. 37.

Planta obiter adspecta, *Filaginem gallicam* Linn. referens, affinis quidem *Phyllocalymmae micropodioidi*, sed characteribus indicatis satis superque diversa. Praeterea multo altior, ½-1-pedalis, sed capitula et flores minora. *Glomeruli* remotiusculi, inferiores pedicellati, superiores sessiles, axillares, folio fulcrante longe superati, racemosim dispositi. Ultimus terminalis utplurimum multo minor quam in specie antecedente. *Folia* ½-1-pollicaria, filiformia, calloso-mucronata, subpungentia, basi semiamplexicaulia, inferiora glabrata, superiora cinereo-tomentosa. *Corolla* basi incrassata, dein constricta, et versus medium denuo ampliata, pallida, apice rufescens. *Filamenta* brevia, corollae fundo inserta, *antherae* basi breviter caudatae, corolla nonnisi triplo breviores, apice rotundato-truncatae, et in acumen angustum, parvum abrupte productae. *Stylus* basi bulbosus, apice breviter bifidus, *ramis* subrectis, incrassato-truncatis, vix papillosis, cum antheris non exsertus. *Achaenia* obpyramidata, basi attenuata, hirsuta. *Pappi paleae* multo breviores quam in specie antecedente, setae intra palearum emarginaturam ortae, basi paullo validiores, sensim attenuatae, dimidiam corollam vix attingunt. Setae (valde auctae) remote denticulatae sunt. — Reliqua ut in *Phyllocalymma micropodioide* Benth.

ANGIANTHUS Wendl. in Coll. pl. (1810) 2. pag. 31. tab. 48. Cylindrosurus Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. (1837) pag. 62. Endl. gen. n. 2714 et 2719. Meisn. gen. pag. 216. (136, 137.) DC. prodr. T. 6. pag. 150. n. 519, et pag. 151. n. 524.

1. **Angianthus flavescens** *Steetz.*

Cylindrosurus flavescens Benth. l. c. n. 204. DC. prodr. l. c.

In interiori sinu regis Georgii III., d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 62. (Comparavi specimina Hügeliana et Baueriana in herb. aulico Vindobonnensi!)

Glomerulus unici speciminis, quod cl. Preissius legit, nondum floret, neque stirpem definire potuissem, nisi specimina authentica Hügeliana, habitu cum nostro omnino congruentia, comparassem, quare eandem esse plantam non est dubium.

Obs. Inter Angianthum Wendl. et *Cylindrosurum Benth. differentia generica nulla adest.* Praeter iconem, cum analysi diligentissima florum partium, et descriptionem exactissimam cl. Wendlandii l. c., sententiam nostram approbat specimen *Angianthi tomentosi* authenticum, in horto Herrenhusano cultum, e seminibus ad Botany Bay lectis natum, e herbario cl. auctoris a filio ipso mecum benevole communicatum. — Veri tamen simile est, *Angianthum tomentosum* Wendl. et *Cylindrosurum flavescentem* Benth. species diversas ejusdem generis esse. Planta Wendlandiana enim multo humilior est, et glomerulis dimidio brevioribus gaudet, quales in specimine Baueriano observavi, et quod cl. Bentham l. c. in annotatione, varietatem, sive speciem propriam esse duxit. Posteri rem plane absolvent, dummodo e specimine culto, unico, sicco fieri non potest.

SKIRRHOPHORUS DC. Endl. gen. n. 2715. Meisn. gen. pag. 217. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 150. n. 520.

1. **Skirrhophorus Cunninghami** *DC.* suffruticulosus, totus dense albo-tomentosus, caule ramosissimo, foliis alternis vel raro oppositis lineari-oblongis obtusis basi semiamplexicaulibus crassiusculis, glomerulis ramulos terminantibus breviter corymbosis, involucro generali glomerulo dimidio breviore, corollis quinquedentatis, achaeniis omnino calvis. — DC. l. c. Delessert. icon. sel. Tom. 4. tab. 51. (optime!)

In colliculis arenosis ad maris litora haud procul ab oppidulo Freemantle exeunte Januario, 1839. Herb. Preiss. No. 30.

Suffruticulus 1-2-pedalis, totus lanugine densa, appressa, alba vestitus. *Caulis* pyramidatus, teres, ramosus, subtortuosus, validus. *Rami* adscendentes, rigidi, dense foliati. *Folia* lineari-oblonga, obtusa, sessilia, basi

semiamplexicaulia, semipollicaria, internodiis plerumque longiora, *inferiora* fere obovata, breviora, opposita vel alterna, squarrosa, *superiora* alterna, patentia. *Glomeruli* in apice ramorum solitarii vel in corymbum brevem dispositi, ovati vel subglobosi, 2-3 lin. longi et lati. *Pedunculi* axillares vel terminales, foliati, abbreviati, raro semipollicem excedentes, glomerulo solitario, vel binis, ternis sessilibus terminati. *Involucrum generale* hemisphaericum, inter folia summa, minima, fulcrantia sessile, biseriale. *Squamae exteriores* ovato-lineares obtusae, *interiores* paullo longiores latioresque obtusissimae, omnes lana intricata sic inter se conjunctae, ut totum involucrum apice truncatum appareat. *Axis (receptaculum generale)* conica, stipitibus truncatis *(receptaculis capitulorum)* dense onusta. *Capitula* biflora, numerosa. *Involucri partialis squamae* 4, hyalinae, ovatae vel obovatae, obtusae, uninerves, apice appendicula brevi, enervi, citrina auctae, decussatim positae, quarum binae interiores planae, binae exteriores longitudinaliter plicatae vel naviculares, florem singulum utrinque includunt, 1½ lin. longae. *Corollae* graciles, 5-dentatae, dentibus reflexis, tubo basi in tuberculum skirrhosum, ovario latius demum dilatato, ante anthesin involucro paullo breviores, dein aequilongae, ima basi subglandulosae. *Antherae* brevissime caudatae. *Styli rami* breves, erectiusculi, apice capitellato-truncati, papillosi. *Achaenia* teretia, glabra, basi attenuata, omnino calva. „Flores, (teste cl. Preissio) Matricariae Chamomillae odorem spargunt, saporeque acri gaudent".

Obs. 1. Ante anthesin tubus corollae basi aequalis, postea vero cum stylo, basi bulboso, in tuberculum skirrhosum basilare intumescit.

Obs. 2. *Eriocladium pyramidatum* Lindl. Swan-River Bot. pag. XXIV. No. 100 est planta mihi ignota, eamque in collectione Preissiana desiderarem, nisi suspicatus essem, cl. Lindleyum *Skirrhophorum* hunc nostrum ante oculos habuisse. Plurima enim signa characteris tum generici, tum specifici, in nostram plantam quadrant. Nihilominus tamen vix persuasum habeo, cl. auctorem dignitatem florum partium et locum naturalem ita prave et sinistre intellexisse, ut involucri partialis squamas pro paleis habuerit, et plantam, *Angianthetis* quam maxime propriam, ad *Athanasieas* transtulerit.

2. **Skirrhophorus Preissianus** *Steetz.* herbaceus, glaberrimus, caule simplicissimo vel basi ramum unum alterumve agente, foliis alternis vel raro oppositis anguste linearibus acutis basi latiori semiamplexicaulibus, glomerulo solitario terminali, involucro generali elongato glomerulum superante, corollis quadridentatis, achaeniis pappo coroniformi minimo superatis.

In umbrosis madidis inter frutices prope lacum ad Woodman's-point, mense Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 38.

Herba pusilla, cum *radice* filiformi 1½-2½-pollicaris, *Phyllocalymmae* generis habitum prae se ferens. *Caulis* erectus, simplicissimus, vel raro ramum unum alterumve basi emittens, glomerulo solitario terminatus, gracilis, teres, purpurascens, et ut tota planta glaberrimus. *Folia* alterna, vel rarissime opposita, filiformia, crassiuscula et subteretia, basi latiori semiamplexicaulia, apice callosa, mucronata, subpungentia, 4-8 lin. longa, *radicalia* conferta, *caulina* remotiuscula. *Involucrum generale* duplex. *Squamae exteriores* 4-6 inaequales, foliaceae, striatae, e basi late ovata, margine submembranacea, sensim attenuatae, acuminatae et mucronulo calloso, subpungente terminatae, *interiores* totidem, *exterioribus* alternantes, abbreviatae, calloso-mucronatae, late ovatae. *Axis* convexiuscula, stipitibus truncatis *(receptaculis partialibus)* dense onusta. *Capitula* biflora, numerosa. *Involucri partialis* squamae 4 hyalinae, apice appendicula brevi, enervi, concolori auctae, caeterum eadem forma, et eodem ordine disposita quam in *Skirrhophoro Cunninghamii*, sed duplo fere minores. *Corollae*

minutae, semilineam longae, involucro breviores, apice brevissime 4-dentatae, dentibus conniventibus, tubo basi in tuberculum scirrhosum, ovario aequilatum dilatato. *Antherae*, ut in *Sklrrhophoro Cunninghami* basi breviter caudatae, apice sensim attenuatae, nec ut in *Phyllocalymmae* speciebus, apice rotundato-truncatae et in acumen angustum abrupte productae. *Stylus* ut in specie antecedente. *Achaenia* teretia obovata, basi albicantia et attenuata, caeterum nigra, glabra, apice pappo albido, coroniformi, crenato, minutissimo, sub lente vix conspicuo, superata, $\frac{1}{3}$ lin. vix longa.

Obs. Species haec a praecedente habitu quidem valde abhorret, sed dispositio capitulorum, involucra partialia, axis, corolla, et ipsae antherae stylusque omnia eadem sunt ac in illa. *Corolla* vero 4-dentata et pappus vix conspicuus, sunt differentiae levioris momenti, quam ut ex iis genus novum fundarem.

POGONOLEPIS Steetz.

Capitula uniflora, in glomerulum obovatum dense aggregata. *Involucrum generale* duplex, squamis foliaceis apice pungentibus glomerulum subsuperantibus. *Axis* (receptaculum generale) plana, stipitibus truncatis (receptaculis partialibus) dense onusta. *Involucris partialis squamae* 3, lineares obtusae subplicatae apice ciliato-barbatae corollam solitariam involventes. *Flos* hermaphroditus. *Corolla* tubulosa 5-dentata, tubo basi in tuberculum skirrhosum dilatato. *Antherae* basi breviter caudatae versus apicem abrupte angustatae. *Stylus* basi bulbosus apice bifidus, ramis rectis capitellato-truncatis. *Achaenium* obconicum glabrum calvum.

Herba annua erecta, stricta, inferne glabra, apice ramosa, laxe lanata, pedalis, glomerulis terminalibus 1-5 subsessilibus, foliis linearibus, semiteretibus, calloso-mucronatis, subpungentibus. — Nomen composui e vocabulis πωγων, barba, et λεπίς, squama, alludens ad squamas involucri partialis apice ciliato-barbatos.

Genus valde affine *Sklrrhophoro*, attamen capitulis unifloris, involucri partialis squamis tribus, omnibus subplicatis, et axi plana satis superque distinctum.

1. Pogonolepis stricta *Steetz.*

In locis hyeme aqua marina inundatis prope Vasse-Inlet, mense Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 39.

Radix exilis, fibrosa. *Caulis* simplex, erectus, teres, inferne glaberrimus, superne ramosus et lana laxa vestitus. *Rami* axillares, rigidi, plerumque abbreviati, glomerulis 1-5 terminati. *Folia* alterna, vel inferiora pauca opposita, linearia, crassiuscula vel semiteretia, glabra, basi latiori semiamplexicaulia, mucronulo calloso, acuto subpungentia, *infertora* pollicem longa, *superiora* breviora. *Glomeruli* terminales, aggregati vel raro solitarii, subsessiles, foliis summis, apice recurvatis, inaequalibus, ipsis plerumque paullo longioribus involucrati. *Involucri generalis* biserialis *squamae* subaequales, vel interiores paullisper breviores, planae, lanceolatae, lana densissima, intricata cohaerentes, apice appendicula foliacea, brevi, tereti, recurvata, pungente, glabra auctae. *Axis* plana, stipitibus brevibus truncatis dense onusta. *Involucri partialis squamae* tres lineares, longitudinaliter subplicatae, vel obtuse naviculares, uninerves, hyalinae, apice appendicula brevi, enervi, obtusa, ciliato-barbata auctae, corollam solitariam paullo longiorem involventes. *Corolla* tubulosa, glabra, apice ampliata 5-dentata,

dentibus reflexis, tubo basi in tuberculum skirrhosum ovario sublatius dilatato, lineam paullulum superans. *Achaentum* teres, angustum, basi attenuatum, apice truncatum, calvum, glabrum, flavescens, semilineam longum, achaenio *Skirrhophori Cunninghamii* simillimum. *Antherae* et *stylus* ut supra in charactere generico.

Obs. Etiam in hac planta corolla inaperta basi aequalis est, et solummodo anthesi peracta in tuberculum basilare intumescit.

CHRYSOCORYNE Endl. in Bot. Zeitung, 1843. n. 27. Endl. gen. 2726. Crossolepis? Benth. Hook. DC. prodr. T. 6. pag. 158. n. 534.

1. **Chrysocoryne pusilla** *Endl.* l. c. pag. 457.

Crossolepis? pusilla Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 61. n. 200. Hook. icon. plant. T. 5. tab. 413. DC. l. c. n. 2.

In arenosis sylvae ad fluvium Cygnorum mense Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 45. (Comparavi specimen Hügelianum in herb. aulico Vindobonn.!)

Planta pusilla, vix bipollicaris. *Folia* ovata, sessilia, 1-2½ lin. longa, ½-1 lin. lata. *Spicae* in apice ramulorum 3-4 breviter pedicellatae.

Obs. Cl. Endlicher plantae locum in *Cassinearum* divisione designat, sed, ut mihi quidem videtur, minime feliciter. — Revera in *Angianthearum* divisione collocanda erit, quum genere *Angiantho* Wendl. maxime affinis sit. Quas scilicet cl. auctor in charactere generico *paleas* 2 *naviculares, oppositas, flosculos singulos includentes* vocat, non sunt paleae, sed *involucri interioris squamae exteriores,* cujus *squamae interiores* 4 planae, minimae quidem, observationem ipsius fugerant. Planta enim habet *involucrum duplex: extertus* monophyllum scariosum, *intertus* squamis 6 hyalinis constans, quarum 4 interiores planae, exteriores 2 naviculares, et quae eodem ordine dispositae sunt, quam squamae 4 in *Angiantho, Phyllo calymma* et *Skirrhophoro.* In his enim ambo flores utrinque a squama solitaria, plana teguntur, in *Chrysocoryne* singuli flores. Praeter hoc signum constans *Chrysocoryne* ab *Angiantho,* ad quem insuper habitu proxime accedit, nulla linea differt, nisi achaeniis pappo destitutis.

PACHYSURUS Steetz.

Capitula 6-9-flora homogama breviter stipitata in glomerulum obovatum basi attenuatum dense congesta. *Axis* cylindracea. *Involucrum partiale* duplex. *Squamae exterioris* obovatae margine scariosae lanatae persistentes, *interioris* totae scariosae glabrae apice lamina reflexa petaloidea colorata auctae caducae. *Receptaculum partiale* angustum nudum convexum. *Flores* hermaphroditi. *Corollae* tubulosae, *tubo* brevissimo versus apicem valde ampliato 5-dentato. *Antherae* basi breviter caudatae apice abrupte attenuatae exsertae. *Stylus* basi bulbosus apice bifidus, *ramis* brevibus capitellato-truncatis papillosis inclusis. *Achaenia* obovata minima, *pappo* coronata caducissimo corollae demum adhaerentis longitudinem aequante

coroniformi, nempe paleis constante 4-5 brevissimis basi concretis apice laceris, et in fila totidem flaccida summo apice longiuscule ramificantia et ibi lanam intricatam referentia desinentibus.

Herba annua multicaulis, tota ramentaceo-lepidota, semipedalis, caulibus ramosis, ramis in glomerulum crassum, obovatum, basi attenuatum, flavescentem terminantibus, foliis obovato-linearibus, alternis, parvis. — Nomen e vocibus: *παχὺς*, crassus, et *οὐρὰ*, cauda, composui.

Genus propter involucrum partiale duplex, squamis interioribus caducis et appendiculatis, et propter pappum caducissimum ad *Gnephosin* Cassini, (genus mihi plane ignotum), proxime accedere, sed capitulis 6-9-floris stipitatis, corollis brevibus amplis (nec gracilibus), et pappi structura satis diversum videtur.

1. **Pachysurus angianthoides** *Steetz.*

In arenosis subumbrosis ad radicem montis Eliza, d. 25. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 44.

„Herba annua". *Radix* simplex, tenuis, perpendicularis, basi *caules* plurimos, teretes, filiformes, graciles, simplices vel ramosos, et cum foliorum utraque pagina ramentaceo-lepidotos, emittens. *Rami* glomerulo solitario terminati. *Folia* alterna, integerrima, obovato-linearia, basi attenuata, *inferiora* 3-4 lin. longa, ½-1 lin. lata, *superiora* minora, magis approximata, basi minus attenuata, semiamplexicaulia, laxe lanata, glomerulum attingentia et fulcrantia, sed non involucrantia. *Capitula* stipitata, 6-9-flora, imbricata, in glomerulum vel spicam terminalem, obovato-globosam, basi attenuatam, 3-6 lin. longam, 3-4 lin. latam dense congesta. *Axis* angusta, cylindracea, 1¼-2 lin. longa. *Involucri partialis squamae exteriores* persistentes 5-7, quarum una alterave accessoria bracteaeformis, obovatae, nervo medio valido, obovato-cuneato, viridi ornatae, margine late hyalinae, extrorsum lana densissima cohaerentes, lineam fere longae; *interiores* totidem caducae, aequilongae, hyalinae, lineares, glabrae, basi attenuata truncatae, enerves, apice lamina petaloidea, radiante, parva, late ovata, obtusissima, reflexa, citrina auctae. *Corollae* semilineam vix longae, glabrae, luteae, 5 dentatae, dentibus subreflexis. *Achaenia* minima corollis plus duplo breviora. Reliqua omnia ut in charactere generico.

LEUCOPHYTA R.Br. Endl. gen. n. 2720. Meisn. gen. pag. 216. (136.) DC. Prodr. T. 6. pag. 152. n. 525.

1. **Leucophyta Brownii** *Lessing.* fruticulosa, ramosa, foliosa, foliis alternis linearibus sessilibus, capitulis 3 floris in glomerulum solitarium terminalem globosum dense congestis, involucri partialis squamis scariosis obtusis apice dense lanato-barbatis, achaeniis glandulosis, pappi paleis corollam subsuperantibus a basi ad apicem plumosis. — DC. prodr. l. c.

Utraque varietas a cl. Candolleo commemorata in collectione Preissiana occurrit:

α. **candidissima** *nob.* tota tomento densissimo appresso candidissimo induta, foliis omnibus obtusis, inferioribus patentibus, superioribus ramo arcte appressis abbreviatis.

In clivulis arenosis ad maris litora, haud procul ab oppidulo Freemantle. Exeunte Januario, 1839. Herb. Preiss. No. 31. (Specimina glomeruligera, sed floribus nondum evolutis.) In Nova Hollandia leg. cl. Ferd. Bauer. (V. s. in herbario aulico Vindobonn.)

Fruticulus 2-pedalis et ultra, tomento candidissimo, pulcherrime nitente totus indutus. *Caulis* ramosus, crassus. *Rami* adscendentes, rigidi, *glomerulo* solitario sessili terminati. *Folia* crassiuscula, obtusa, *inferiora* subimbricata, subsquarrosa, 4-5 lin. longa, *superiora* arcte appressa, 2-3 lin. longa. *Capitula* in glomerulo globosa, numerosa. *Involucri partialis squamae* lineares, obtusae, membranaceae, margine scariosae, apice dense lanato-barbatae. *Florts* partes omnes in specimínibus desiderantur, attamen de identitate plantae dubium nullum superest.

β. **virescens** *nob.* inferne tomento incano appresso induta, superne glabra virescens, foliis obtusiusculis, inferioribus patentibus, superioribus erectis, dense imbricatis.

. In colliculis arenosis insulae Rottennest, mense Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 32. (Specimina florentia). In Nova Hollandia leg. cl. Ferd. Bauer. (V. s. in herb. aulico Vindobonnensi.) In insula van Diemen leg. cl. Gunn. Herb. Gunn. No. 433.

„Suffrutex bipedalis". Tota planta multo gracilior quam varietas antecedens. *Folia* angustiora, paullo longiora, interdum semipollicaria, *superiora* plerumque confertiora et erecta quidem, sed minime ramulis arcte appressa, virescentia, glabra. Inflorescentiam sic observavi: *Capitula* numerosa, triflora, homogama, in glomerulum globosum, terminalem, sessilem dense aggregata. *Involucri* 2-3-serialis *squamae* circiter 10-12, conformes et subaequales, lineares, scariosae, glabrae, nervo medio valido instructae, margine late hyalinae, basi attenuato-truncatae, apice obtusissimae et dense lanato-barbatae, 1½ lin. longae, semilineam latae. *Corollae* tubulosae, glabrae, 5 dentatae, dentibus subreflexis, lineam longae. *Antherae* corolla parum longiores, basi breviter caudatae, apice sensim attenuatae. *Stylus* basi sensim incrassatus, apice bifidus, *ramis* exsertis, recurvato-divaricatis, capitellato-papillosis. *Achaenia* obovoidea, glandulosa, brunnea. *Pappi paleae* 8-10, a basi ad apicem longiuscule plumosae, corollae longitudinem subaequantes.

Obs. Utrum formae hae nil sint nisi varietates unius ejusdemque speciei, an merae species diversae, equidem determinare haud audeo, quoniam specimina florigera vel fructifera varietatis *α* omnino non suppetunt.

CRASPEDIA Forster. Endl. gen. n. 2721. Meisn. gen. pag. 216. (136.) DC. prodr. T. 6. pag. 152. n. 526.

1. **Craspedia Richea** *Cassini.* foliis lanceolato-linearibus vel lanceolatis, radicalibus basi attenuatis pedicellatis, caulinis sessilibus, cauleque glomerulo solitario terminato pilosis glabratisve. Cassini dict. 11. pag. 353. DC. prodr. l. c. n. 1.

Richea glauca Labill. voy. rech. Lapeyr. 1. pag. 187. t. 16. et Nov. Holl. sp. 2. pag. 123.

Craspedia glauca et *pilosa* Spreng. syst. 3. pag. 441.

Craspedia pilosa Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg. pag. 62. n. 205.

Craspedia glauca Lindl. Bot. reg. tab. 1908.

In arenosis sylvae prope Pointwater, d. 17. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 121. Ad sinum reg. Georgii III. Hügel.!

Planta quam maxime variabilis; variat enim glabra et pilosa, humilis et elata, foliis latioribus et angustioribus etc. Comparavi specimen Billarderianum in insula van Diemen lectum authenticum s. n. *Richeae glaucae* in herb. Lehmanniano. Hoc totum glabrum est, excepto caule, summo apice puberulo, et cum radice pedis longitudinem non excedit. — Comparavi porro specimina Hügeliana, Sieberiana et Gunniana in herb. aul. Vindobonnensi. Haec plerumque pilosa et altiora sunt, certissime vero non differunt; itaque cum cll. Cassinio et Candolleo *Craspediam pilosam* et *glaucam* Spreng., in unam speciem conjunxi. — Specimina Preissiana, maxima, quae unquam vidi, ita se habent: *Radix* tuberosa, tuberibus elongatis, aequilatis, diametro lineari, tomento brunneo obtectis. *Caulis* 2½-4-pedalis, erectus, parce foliatus, pilosus, vel apice fere glabratus, fistulosus. *Folia radicalia* lanceolata, basi in petiolum longum, nervosum, saepissime tripollicarem attenuata, semipedalia et ultra, 6-10 lin. lata; *caulina* sessilia, semiamplexicaulia, sensim minora, *summa* 3-6 lin. longa, omnia subacuta, integerrima, utrinque pilosa. *Glomerulus* terminalis, solitarius, bracteis foliaceo-membranaceis suffultus. *Capitula* 5 flora, stipiti lineam longo insidentia. *Involucri squamae* hyalinae, ovatae, floribus dimidio breviores. *Corollae* graciles, apice ampliatae, dilatatae, basi demum in tuberculum incrassatae, apice 5-dentatae, dentibus acutiusculis, papillosis, 2½ lin. longae. *Antherae* basi setiferae, apice sensim attenuatae. *Stylus* basi bulbosus, bulbo brevissime stipitato, apice bifidus, *ramis* divergenti-recurvatis, vel imo revolutis, capitellatis, papillosis. *Achaenia* oblonga, basi attenuata, villis longis, argenteis pulcherrime sericea, 1½ lin. longa. *Pappi setae* circiter 12, corollam subaequantes, longissime et tenuissime plumosae, niveae.

Divisio 2. Cassinieae Less.

CHTHONOCEPHALUS Steetz.

Capitulum multiflorum homogamum. *Receptaculum* angustum conicum paleis numerosis oblongis hyalinis dense onustum. *Involucrum* biseriale; *squamae exteriores* foliaceae, *interiores* scariosae. *Corollae* hermaphroditae longe tubulosae filiformes apice ampliatae 4-dentatae, inter paleas segregatim positae. *Antherae* basi breviter caudatae apice sensim attenuatae. *Stylus* inclusus vel demum vix exsertus bifidus, *ramis* apice capitellato-truncatis papillosis. *Achaenia* compressa ovata vel lenticularia calva, exteriori parte basilari induratae palearum insidentia.

Herba pygmaea, acaulis, exscapa, dense cinereo-tomentosa, *Evacis* habitum prae se ferens. *Capitula* inter folia rosulata, involucrum generale simulantia, sessilia. — Nomen composui e vocibus χθών, solum, et κεφαλή, capitulum, alludens ad capitula solum immediate attingentia.

Aegre quidem plantulam, habitu diversissimo a caeteris hujus divisionis generibus divergentem, *Cassiniis* adnumeravi, attamen nullibi aptius eam collocari posse existimavi. Ab *Evacis* genere, cui habitu proxime accedere videtur, diligentius inspecta, floribus omnibus hermaphroditis valde abhorret.

Praeterea stylo antherisque *Gnaphalieurum* instructa est, et receptaculo paleaceo *Cassineurum*. — Hoc unicum fortasse sententiae meae objici posset, quod squamae, quas *paleas* vocavi, revera non sint paleae, sed potius involucra partialia, monophylla, capituli uniflori, quia achaenia non receptaculo, sed exteriori parte basilari induratae harum squamarum insident. Tunc quidem in *Angianthearum* divisionem, et fortasse juxta *Hyaloleptdem*, (genus mihi ignotum) referenda esset, si squama, cujus dorso flos solummodo accumbit, et quem non involvit, involucrum dici potest, quod equidem negare malim.

1. **Chthonocephalus Pseudevax** *Steetz.*

In solo limoso arenoso ad fluvium Avon haud procul ab oppidulo York, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2414 b.

Herbula tota 2-4 lin. longa et lata, non nisi 1½-3 lin. alta. *Capitula* in *radice* exili, filiformi, inter folia sessilia. Interdum capitulum solitarium, interdum 2-6 aggregata, *foliis*, involucrum generale simulantibus cinguntur. *Folia* igitur omnia radicalia, rosulata, 4-6 exteriora cinereo-tomentosa, sessilia, oblonga, acutiuscula, integerrima, totidemque interiora illis alternantia, non nisi apice foliacea et tomentosa, obtusa, obovata, basin versus attenuata et scariosa, undique lana alba intricata densissime onusta et inter se cohaerentia. *Involucri squamae exteriores* lineares, virides, pariter sed minus dense lana intricata vestita, apice lamina angusta, hyalina, glabra, acuta vel acuminata, lineam vix longa auctae. *Squamae interiores* paleis aequales. *Receptaculum* conicum, *paleis* numerosis hyalinis, oblongis, apice acutiusculis vel obtusis, basi attenuata subtruncatis, induratis et ibi rufescentibus, dorsoque subtilissime excavatis, 1-1½ lin. longis, ½-¾ lin. latis dense onustum. *Corollae* omnes hermaphroditae, paleis paullo breviores, gracillimae, tubulosae, tubo elongato, apice dilatato et breviter 4-dentato, remotiusculae, solitariae, dorso palearum accumbentes, et palea interposita segregatae. *Antherae* et *stylus* ut supra. *Achaenia matura* exteriori parte basilari, indurata, subtilissime excavata palearum insidentia, compressa, lenticularia, basi attenuata, non marginata, glabra, omnino calva, olivacea vel brunnea, minima, ¼ lin. circiter longa et lata.

Divisio 3. Helichryseae Less.

PITHOCARPA Lindl. in Swan-River Bot. pag. XXIII. Endl. gen. n. 2727[1]. Meisn. gen. pag. 363. Walpers Repert. Bot. syst. T. 2. pag. 644.

1. **Pithocarpa corymbulosa** *Lindl.* ramis elongatis apice corymbosis, pedicellis squamatis, involucri sub-8-serialis squamis exterioribus subulatis subsquarrosis, interioribus appendicula petaloidea ovata acutiuscula reflexa auctis. — Lindl. l. c. n. 97.

In arenoso-lapidosis jugi montium Darling's-range, d. 22. Martii 1839. Herb. Preiss. No. 27.

Radix perpendicularis, palaris, lignescens. *Caulis* erectus, a basi ramosus, 1½-3-pedalis, cum *ramis* elongatis gracilibus teres, leviter sulcatus, lanugine subappressa, decidua, tenui vestitus. *Folia* supra arachnoidea, subtus dense lanata, *radicalia* sub anthesi marcescentia, lineari-lanceolata, 1-1½-pollicaria, *caulina* sparsa, remota, alterna, linearia, basi semiam-

plexicaulia et subdecurrentia, acuminata, 3-6 lin. longa, *summa* in pedicellis minima, squamaeformia, et in involucri squamas exteriores abeuntia. *Pedicelli* basi squama suffulti, adscendentes, in apice ramorum corymbosi, ½-1-pollicares, mono-vel 2-3-cephali. *Capitula* turbinata, 2-3 lin. longa, 1-1¼ lin. lata. *Involucri squamae exteriores* circiter 5-6-seriales, scariosae, appressae, sessiles, rufescentes, apice purpureae, acuminatae et subsquarrosae, lana intricata cohaerentes. *Squamae interiores* 3-4-seriales, subaequales, stipitatae, *stipitibus* scariosis planis, basi subattenuato-truncatis, nervo medio viridi instructis, seriei exterioris laxe arachnoideis, interioris glaberrimis, 1-1½ lin. longis, appendicula petaloidea, radiante, ovata, acuta, reflexa, lactea vel extrorsum purpureo-variegata, 1-1½ lin. longa, ½-¾ lin. lata, auctis. *Receptaculum* angustum, conicum, nudum. *Flores* circiter 16-20, in speciminibus nostris nondum aperti, apice conglutinati. *Achaenia* immatura oblongo-linearia, omnino calva, et, ut videtur, papillosa.

2. **Pithocarpa major** *Steetz.* ramis apice monocephalis, pedicellis squamatis, involucri sub-10-serialis squamis exterioribus subulatis subsquarrosis, interioribus appendicula petaloidea lanceolata acutiuscula subreflexa auctis.

In solo glareoso-sublimoso planitiei sylvae supra oppidulum Guildford, d. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. sine No.

„Herba annua pedalis“ (et ultra). Speciei praecedenti simillima, differt vero primo intuitu: ramis monocephalis et capitulis duplo majoribus. Appendicula petaloidea squamarum involucri interioris 3 lin. fere longa, semilineam lata. *Capitula* basi sensim in pedicellum squamatum attenuata. *Receptaculum* amplius. *Flores* omnes hermaphroditos circiter 30-40, bene evolutos sic observavi: *Corollae* tubulosae 5-dentatae, dentibus reflexis, glabrae vel subglutinosae, 1-1¼ lin. longae. *Antherae* erectae, exsertae, basi longiuscule caudatae, non, ut cl. Lindley vidit, lana tenui cohaerentes, sed semper glaberrimas conspexi, apice sensim attenuatae, obtusiusculae. *Styli* bifidi *rami* corollam vix excedentes, divergentes, recurvati, capitellato-truncati, subpapillosi, brunnei. *Achaenia* matura, oblongo-linearia, erostria, calva, dense papillosa *).

ANISOLEPIS Steetz.

Capitulum multiflorum homogamum. *Receptaculum* epaleaceum planum. (?) *Involucrum* pauciseriale, *squamis exterioribus* brevissimis sessilibus subfoliaceis, *interioribus* 2-3-serialibus subaequalibus brevissime stipitatis, lamina elongata scariosa radiantibus. *Flores* omnes hermaphroditi. (?) *Corollae* tubulosae apice ampliatae 5-dentatae. *Antherae* basi caudatae apice vix attenuatae obtusae. *Styli rami* apice capitellati, papillosi.

*) Huic proxima, sed in collectione Preissiana haud obvia est: **Pithocarpa pulchella** Lindl., ramis abbreviatis apice monocephalis, pedicellis subnudis vel squama una alterave vestitis, involucri sub-6-serialis squamis exterioribus appressis obtusiusculis, interioribus appendicula petaloidea ovata obtusiuscula patente auctis. — Lindl. l. c. n. 96. In Australasia leg. cl. Roë. (V. s. in herb. aulico Vindobonnensi.) Antecedentibus humilior, 1-1½-pedalis. *Rami* abbreviati, monocephali, *pedicelli* fere nudi, *capitula* basi multo minus attenuata, *involucri* non nisi 6-serialis *squamae* multo obtusiores, et appendicula *squamarum* intimarum revera obtusa, speciem optime distinguunt. *Flores* et *achaenia* ut in *Pithocarpa majore*, *capitula* vero minora medium tenent inter utramque speciem modo commemoratam.

Achaenia, (immatura,) teretia erostria hirsuta. *Pappus* paleaceus. *Paleae* angustae basi dilatatae apice attenuatae serrato-ciliatae corollam aequantes.

Herba annua, glabra, parce ramosa, ramis monocephalis, foliis linearibus, involucri squamis exterioribus brevibus foliaceis, margine ferrugineo-membranaceis, interioribus stipitatis, in laminam elongatam, radiantem, lacteam productis. — Nomen e vocibus ἀνισος, inaequalis, et λεπις, squama, composui

Genus, habitum *Helichryst* prae se ferens, ab eo squamis involucri exterioribus subfoliaceis, et pappo paleaceo (nec setoso) differt. *Rutidosis* generi quam maxime proximum, set etiam ab hoc recedit: pappi paleis angustis elongatis, nec ovatis abbreviatis.

1. **Anisolepis Pyrethrum** *Steetz.*

In depressis uliginosis sylvae supra oppidulum Perth, d. 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 14.

Tria tantum specimina suppetunt, et haec insuper non plane efflorata, quare non certo constat, utrum receptaculum planum sit, an convexum, utrum alveolatum, scrobiculatum, an tuberculatum. Dein prorsus dubium est, utrum omnes flores hermaphroditi sint, an centrales forsan masculi. — Planta humilis, gracilis, 3-4-pollicaris, annua, erecta, tota glabra. *Radix* fibrosa. *Caulis* striatus, teres, inferne simplex, versus apicem in ramos paucos divisus. *Rami* 3-4 simplices, 1-1½-pollicares, axillares, monocephali, sub capitulo paullisper incrassati. *Folia* alterna, parva, teretiuscula, filiformia, acutiuscula, basi latiore semiamplexicaulia, *inferiora* 3-4 lin. longa, *superiora* vix breviora, interdum plana et subspathulata. *Capitulum* folio minimo, squamaeformi plerumque suffultum, hemisphaericum, multiflorum. *Involucri squamae exteriores* uniseriales, sessiles, paucae, 4-6, foliaceae, et margine late ferrugineo-membranaceae, ovatae, obtusiusculae, non nisi lineam circiter longae; *interiores* 2-3-seriales, subaequales, elongatae, stipitatae, stipite brevissimo, semilineam vix longo, plano, subfoliaceo, margine membranaceo, in laminam lanceolatam, acutiusculam, radiantem, 3 lin. longam, lineam latam, scariosam, nitidam, lacteam, producto. *Receptaculum* epaleaceum, et, ut videtur, planum. *Corollae* pleraeque in speciminibus clausae, flavae, semilinea vix longiores, apice, ut videtur, subpapillosae. Reliqua omnia ut in genere.

RHODANTHE Lindl. Endl. gen. n. 2730. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 159. n. 537.

1. **Rhodanthe Manglesii** *Lindl.* annua, erecta, ramosa, glabra, foliis alternis amplexicaulibus oblongis obtusis integris, capitulis solitariis terminalibus, involucri pluriserialis squamis ovatis acutis hyalinis, intimis roseis. — Lindl. Bot. Reg. T. 20. tab. 1703. (optime!). Hook. Bot. Mag. T. 63. tab. 3483. DC. prodr. l. c.

In solo limoso arenoso clivuli prope Woodbridge frequens, d. 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 49.

„Herba annua pedalis". *Corollae* basi in tuberculum skirrhosum incrassatae, apice profunde quinquedentatae. *Antherae* basi applanatae, omnino non caudatae, apice in appendiculam late ovato-cordatam, acuminatam productae. *Rami styli* basi bulbosi, apice capitellato-truncati, valde papillosi. Caeterum planta elegantissima satis nota, jam diu nostrorum tepidariorum decus est.

LAWRENCELLA Lindl. in Swan-River Bot. pag. XXIII. Endl. gen. n. 2730[1]. Meisn. gen. pag. 363. Walpers Repert. Bot. syst. T. 2. pag. 645.

1. **Lawrencella rosea** *Lindl.* annua, glanduloso-pubescens, foliis oppositis et alternis linearibus indivisis, pedunculis axillaribus terminalibusque monocephalis apice dense lanatis, involucri squamis exterioribus ovatis acutis margine lanatis apice sphacelatis, interioribus appendicula petaloidea oblonga obtusiuscula laete rosea auctis. — Lindl. l. c. n. 94.

In solo limoso arenoso clivuli prope Woodbridge mense Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 48. Drummond! V. s. in herb. reg. Berolin.

„Folia fragrantia". Herba pulcherrima 1-1½-pedalis, a basi ramosa. *Radix* annua, simplex, palaris, plerumque tortuosa. *Caulis* teretiusculus, vel inferne obtusangulus, striatus, glanduloso-puberulus. *Folia* anguste linearia, obtusiuscula, carnosula, glabriuscula vel hinc inde sparse pilosa, *inferiora* opposita, basi semiamplexicaulia et connata, 1-2-pollicaria, *superiora* utplurimum alterna et sensim minora. *Pedunculi* terminales et axillares, 2-3-pollicares, nudi, vel squamula una alterave vestiti, inferne glanduloso-pubescentes, sub capitulo dense lanati, monocephali. *Capitula* majuscula *Anthemidis arvensis* magnitudine, multiflora, terminalia. *Involucri squamae exteriores* 3 seriales, sessiles, imbricatae, appressae, scariosae, ovatae, acutae, viridi-flavescentes, apice sphacelatae, uninerves, lana laxa arachnoidea; *interiores* subbiseriales, stipitatae, *stipite* plano, scarioso, glabro, vel ciliis sparsis hinc inde margine hyalino vestito, uninervi, virescente, basi subattenuato-truncato, 2 lin. longo, appendicula petaloidea, radiante, oblongo-ovata, obtusiuscula vel apice subdentata, 3-3½ lin. longa, 1-1½ lin. lata, pulchre et laete rosea aucto. *Receptaculum* planum, nudum, scrobiculatum. *Corollae* omnes hermaphroditae, tubulosae, versus apicem sensim paullisper ampliatae, 5-dentatae, glabrae vel subglandulosae, luteae, 1½ lin. longae. *Antherae* exsertae, basi rotundato-applanatae, ecaudatae, apice in appendiculam ovatam, subacuminatam productae. *Stylus* bifidus, in nostris speciminibus, modo apertis, inclusus, *ramis* brevibus, capitellatis, papillosis. *Achaenia* immatura compressa, oblonga, erostria, glandulosa, *pappo* pluriseriali, setoso, in achaeniis immaturis dimidiam corollam aequante, in maturis corollae aequilongo coronata. *Pappi setae* subinaequales, serratae, albae.

Obs. Glandulae in achaeniis elongatae, validae, setas quodammodo simulant. Sub microscopio observatae, apice truncatae et emarginatae, subdiaphanae et vasculosae conspiciuntur.

PODOTHECA Cassini. Endl. gen. n. 2731. Meisn. gen. pag. 219. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 159. n. 538.

1. **Podotheca angustifolia** *Lessing.* foliis linearibus, involucri squamis lineari-lanceolatis acuminatis post anthe-

sin apice divergentibus, corollis filiformibus rectis involucrum subaequantibus, pappi paleis 5 plumosis. — Lessing syn. pag. 273. DC. prodr. l. c. Labill. Nov. Holl. T. 2. pag. 35. tab. 177.

Podosperma angustifolia Labill. l. c.

Phaenopoda angustifolia Cassini dict. 42. pag. 85.

In arenoso-conchyliosis vallis prope lacum magnum insulae Rottennest, d. 21. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 106.

„Herba prostrata". *Radix* multicaulis, *caulibus* adscendentibus, ½-1-pedalibus. *Corollae* pollicem longae, filiformes, fere capillares, apice breviter 5-dentatae et paullisper ampliatae. *Antherae* vix, *styli rami* longe exserti, apice vix incrassati et iterum attenuati. *Achaenia* hirsuta. *Pappi paleae* 5 corollam aequantes, plumosae, basi connatae.

Obs. Cl. Billarderius l. c. cum in icone, tum in descriptione, plantae suae caulem simplicem et erectum tribuit. Specimina nostra omnia e radice multicauli adscendunt. Praeterea differentiam invenire inter nostram plantam et iconem Billarderianam, cujus quidem specimen siccum non vidi, mihi non contigit.

2. **Podotheca gnaphalioides** *Hook.* foliis lineari-lanceolatis, involucri squamis exterioribus foliaceis ovatis, interioribus lineari-lanceolatis scariosis, omnibus acuminatis post anthesin apice conniventibus, corollis filiformibus summo apice extrorsum plicatis involucrum superantibus, pappi paleis 5 plumosis. — Hooker Bot. Mag. tab. 3920. (optime!)

In solo arenoso exsiccato ad marginem lacus Mathilda, districtus Hay, d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 107.

Caulis in nostris speciminibus erectus, subsimplex, vel apice in ramos paucos divisus, ramentaceo-puberulus, 1-1½-pedalis. Praeter notas indicatas differt a specie antecedente: *corollarum tubo* apice magis ampliato, ejusque dentibus multo profundioribus. Insuper *antherae* longe exsertae, *styli rami* breviores et apice magis incrassati sunt. *Achaenia* pulcherrime sericea, nitentia. *Pappi* vero *paleae* nec longitudine, nec structura, nec numero a paleis *Podothecae angustifoliae* differunt.

WAITZIA Wendl. in Coll. pl. 2. (1810) pag. 13. tab. 42. VIRAYA Gaudich. in Freyc. voy. bot. (1830) pag. 466. tab. 89. LEPTORYNCHOS Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. (1837) pag. 64. DC. prodr. T. 6. (1837) pag. 160. ex parte, (non Lessing!) MORNA Lindl. Bot. reg. (1837) tab. 1941 et (1838) tab. 9. LEPTORHYNCHI spp. Endlicher, Meisner ex parte, et omnium fere auctorum recentiorum.

Capitulum multiflorum homogamum. *Receptaculum* epaleaceum planum vel demum convexiusculum alveolatum. *Involucri* multiserialis *squamae* imbricatae exsuccae, omnes vel saltem in-

termediae et interiores stipitatae et appendicula petaloidea radiante colorata auctae, discum superantes. *Corollae* hermaphroditae tubulosae filiformes graciles pappum aequantes apice 5-dentatae. *Antherae* basi attenuatae ecaudatae. *Styli rami* apice capitellati. *Achaenia* compressa ovata apice in rostrum productae. *Pappi* uniserialis *setae* 10-12 ima basi concretae et subplumosae, supra medium serrato-scabrae. (*Character genericus emendatus.*)

Herbae Novo-Hollandicae caulibus corymbiferis, rarissime monocephalis, a basi ad apicem foliatis, capitulis hemisphaericis, involucri squamis exsuccis coloratis discum superantibus, *Helichryst* facie *).

α) *Involucri squamis albis vel roseis.*

1. **Waitzia corymbosa** *Wendl.* caule erecto simplici vel basi parce ramoso apice corymboso laxe lanato, foliis lineari-lanceolatis scabriusculis, capitulis campanulato-turbinatis, involucri squamis ovatis acutis, exterioribus hyalinis vel roseis, interioribus niveis, stipitibus omnium dorso glanduliferis, intermediarum teretibus apice lanatis, intimarum planis, achaeniis glabris, summo apice subpapillosis in rostrum ipsis sesqui-vel duplo longius attenuatis, pappo niveo.

---

*) Waitziae genus, a cl. Wendlandio anno 1810 jam conditum, et tunc icone optima et analysi floris partium accuratissima l. c. illustratum, denuo, emendato quidem charactere generico, instaurandum est. Valde miror, neminem jus prioritatis cl. auctori vindicasse, et justitiae satisfecisse, quod eo vehementius postulatum censeo, quo magis omnes fere auctores recentiores, ipso cl. Lessingio excepto, hujus generis species ad *Leptorhynchi* genus, habitu diversissimum, traduxerunt. Verae *Leptorhynchi* species genus naturalissimum formant, a *Waitzia* reapse distinctum, cujus character emendatus hic erit:

LEPTORHYNCHOS Lessing.

Capitulum multiflorum homogamum. *Receptaculum* epaleaceum planum alveolatum. *Involucri* multiserialis *squamae* imbricatae omnes sessiles et exappendiculatae, vel interiores rarissime in appendiculam brevissimam hyalinam productae, disco breviores. *Corollae* hermaphroditae tubulosae, mediotenus filiformes, supra medium valde ampliatae, limbo lato campanulato quinquedentato, pappum superantes. *Antherae* basi attenuatae ecaudatae. *Styli rami* apice capitellati. *Achaenia* compressa oblonga apice attenuata, vel rarissime in rostrum longius producta. *Pappi* uniserialis *setae* 10-12 ima basi concretae per totam longitudinem serrato-scabrae.

Herbae Novo-Hollandicae, caulibus ramisque inferne foliatis, superne longiuscule nudis, vel squamis minimis hyalinis vestitis, monocephalis, capitulis turbinatis, involucri squamis hyalinis vel subfoliaceis disco brevioribus, *Chrysocomae* facie.

Huc pertinent species hae descriptae: *α) achaeniis apice attenuatis:* 1) *L. squamatus* Less. (*Chrysocoma squamata* Labill.) 2) *L. linearis* Less. 3) *L. nitidulus* DC. 4) *L. hemisphaericus* DC. 5) *L. gracilis* Walpers et 6) *L. Lhotskyanus* Walp. *β) achaeniis in rostrum longius productis:* 7) *L. Rhytidanthe* Benth. ined. (Rhytidanthe scabra Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 63. n. 207). 8) *L. medius* A. Cunn. et 9) *L. elongatus* DC., quarum nonnullas, repetita revisione, rejiciendas et non nisi pro varietatibus habendas existimo. — *Rhytidante scabra* Benth., cujus specimen Hügellianum comparavi in herb. aulico Vindobonn., a *Leptorhynchi* genere segregari non potest. Praeter achaenia longius rostrata omnino non differt. — *L. Podolepis* DC. (*Viraya Podolepis* Gaudich. l. c.) planta non nisi ex icone citata mihi nota, ad *Waitziae* genus revocandus erit.

Waitzia Hoffmannsegg, genus e familia *Iridearum*, jam diu repositum est ejusque locum occupat genus *Moatbretia* a cl. DC. prius nuncupatum.

Speciei hujus in collectione Preissiana formae duae obviae sunt:

α. **Wendlandiana** nobis. caule basi ramoso, ramis adscendentibus vel decumbentibus, involucri squamis exterioribus roseis, rostro achaeniorum glaberrimo. — Wendl. collect. pl. l. c.

In arenosis ad fluvium Cygnorum, mense Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 13.

Comparavi specimen siccum authenticum unicum adhuc superstes, ab ipso cl. auctore in horto Herrenhusano cultum, in herbario cl. Wendlandii, filii. Radice et inferiore caulis parte quidem caret, caeterum tamen tum involucri squamis exterioribus roseis, (pallidioribus quidem quam in icone), tum achaeniorum rostro glaberrimo gaudet, in quos characteres quoque descriptio accuratissima et icon exactissima quadrant. — Specimina Preissiana semipedem vix aequant.

β. **Benthamiana** nobis. caule stricto, simplici, squamis exterioribus hyalinis non coloratis, rostro achaeniorum pubescente.

Leptorhynchus suaveolens Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 64. n. 208. DC. prodr. T. 6. pag. 160. n. 8.

Morna nivea Lindl. Bot. Reg. T. 24. (1838) tab. 9.

Helichrysum decumbens Portenschlag. mss. in Herb. aul. Vind.

In virgultis inter saxa calcarea prope oppidulum Freemantle, d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 12. Ibidem Hügel! Ferd. Bauer! (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

Specimina omnia 1-1½-pedalia, plerumque simplicissima, vel raro ramo uno alterove arrecto nec decumbente instructa. *Radix* simplex, perpendicularis. *Caulis* basi laxe lanatus, utplurimum purpurascens, et cum *foliis* undique pilis crassiusculis, diaphanis, articulatis vel torulosis cinereus. — Utraque forma certissime ad unicam speciem referenda est, quum transitus ab una ad alteram non raro observaverim. *Folia* in varietate *Benthamiana* paullo latiora sunt quam in *Wendlandiana*, et capitula vix ac ne vix quidem majora. — Praeterea variat caule plus minusve lanato, corymbo poly- vel oligocephalo etc. Teste cl. Wendlandio planta biennis est.

Obs. Morna nivea Lindl. Bot. Reg. l. c. revera nostra planta est, quod descriptio et icon optime demonstrant, etiamsi cl. auctor l. c. haec moneat: „It approaches near to *Leptorhynchus suaveolens* of Mr. Bentham, but I perceived nothing in this plant, that could be called sweet-scented, et it does not altogether degre ewith his description". Cl. Lindleyus, plantam Benthamianam nondum viderat, quum haec scriberet.

2. **Waitzia brevirostris** *Steetz.* caule erecto subsimplici gracillimo inferne laxe, versus apicem corymbiferum densius lanato, foliis linearibus arachnoideis, capitulis parvis hemisphaericis, involucri squamis exterioribus hyalinis vel rarissime roseis, caeteris niveis ovatis acutiusculis, stipitibus interiorum planis lanatis, achaeniis parce papillosis in rostrum glabrum brevissimum ipsis triplo brevius attenuatis, pappo basi albo apice citrino.

In arenosis sylvae supra oppidulum Perth, d. 7. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 15.

Herba gracillima 3-6-pollicaris. *Radix* tenuis annua. *Caulis* teres, erectus, purpurascens, inferne laxe, apice densius lanatus, pedunculis 2-6 circiter ½-1-pollicaribus, monocephalis, corymbosim dispositis terminatus, vel rarissime omnino simplicissimus, monocephalus. *Folia* alterna, arachnoidea, *inferiora* lineari-lanceolata, basi attenuata, 6-8 lin. longa, *superiora* linearia, basi semiamplexicaulia, acuta, sensim angustiora et breviora. *Pedunculi*

hinc inde follo minimo vestiti, caeterum nudiusculi. *Capitula* diametro circiter 4-5-lineari, terminalia. *Involucri squamae exteriores* subsessiles, ovatae, acutae, hyalinae, vel rarissime roseae, breves, lineam fere longae, caeterae stipitatae; *stipites intermediarum* plani, hyalini, uninerves, nervo medio viridi, valido, dense lanati, 1¼ lin. longi, ¼-⅓ lin. lati, basi sensim attenuato-truncati, apice in laminam lineari-lanceolatam, irregulariter serrulatam, acutiusculam, subreflexam, enervem, niveam, 2 lin. longam, lineam vix latam producti; *stipites intimarum* conformes, aequilongi sed paullo angustiores, toti glaberrimi, sive non nisi summo apice laxe lanati, apice in laminam brevissimam vix ⅓-½ lin. longam, ovatam, subserrulatam niveam abeuntes. *Receptaculum* diametro 1¼-lineari, planum, dense alveolatum. *Corollae* numerosissimae, glabrae, gracillimae, breves, vix lineam excedunt, caeterum cum *antheris* et *stylo* ut in congeneribus. *Achaenia* ovata, compressa, parce papillosa, in rostrum glabrum ipsis triplo brevius producta, et cum hoc non nisi ½-¾ lin. longa. *Pappus* corollae aequilongus, *setis* ima basi longiuscule serratis, imo plumosis, albis, supra medium serrato-scabris, citrinis.

Obs. Involucri squamas exteriores non nisi in unico specimine roseas observavi.

β) *Involucri squamis luteis.*

3. **Waitzia aurea** *Steetz.* caule erecto stricto inferne laxe, versus apicem densius lanato corymboso vel rarissime monocephalo, foliis lineari-lanceolatis, involucri squamis aureis acutis, stipitibus intermediarum teretibus lanatis parce glanduliferis, intimarum planis glabris, achaeniis papillosis in rostrum ipsis triplo quadruplove longius basi pubescens attenuatis, pappo infra medium citrino supra aureo.

Leptorhynchus aureus Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 64. n. 209. DC. prodr. T. 6. pag. 161. n. 9 et pag. 679.

Morna nitida Lindl. Bot. Reg. tab. 1941 et annotat. ad 1944.

In solo sublimoso glareoso sylvae illustris ad fluvium Canning, d. 4. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2. In limoso-lapidosis illustribus montis Brown, altitudine 846 pedum, d. 4. Sept. 1839. No. 4 (ex parte). In sublimosis inter gramina planitiei Lewisplain supra oppidulum Guildford, d. 13. Oct. 1839. No. 5; et in solo sublimoso interioris sinus regis Georgii III. mens. Oct. et Nov. 1840. No. 8. Freemantle et King George's Sound, Hügel! Capt. James Mangles!

„Herba annua". Planta in cl. Lindleyi Bot. Reg. delineata satis nota est. — Species valde ludibunda occurrit: caule elato 2-3-pedali, asperulo, corymbo denso, coarctato, pleiocephalo, foliis scabris, lineari-lanceolatis, acutis, (in No. 2), vel caule 1-1½-pedali, apice molliter lanato, corymbo oligocephalo, (capitulis 4-8), foliis subtus arachnoideis, acutis, (in No. 5), vel foliis apice latioribus, subspathulatis, calloso-mucronatis, (in No. 4), et denique caule digitali vel semipedali, simplicissimo, monocephalo, molliter lanato, foliis inferioribus spathulatis, superioribus linearibus, omnibus callosomucronatis, (in No. 8). Differentiam specificam vero in omnibus modificationibus frustra quaesivi. Sic etiam rostrum achaeniorum longitudine variat, tum in hac, tum in omnibus generis speciebus, pro maturitate achaenii, (in immaturis brevius, in maturis longius observavi). Caveas igitur, ne characterem ex achaeniis, nisi plane maturis, concipias; tunc revera constans est. *Achaenia* sub lente papillosa videntur, quum vero sub microscopio conspiciantur, margine utroque serrata sunt, serraturis in rostrum abeuntibus.

Obs. In icone allata, caeterum optima, *antherae* basi longiuscule caudatae delineantur, sed certissime non caudatae, imo non rotundatae, sed in omnibus

generis speciebus reapse attenuatae sunt. Ex sectionibus plurimis, quas institui, intellexi quidem, telam cellulosam *antherarum* fragilissimam esse, quare facillime accidit, ut sectione distrahatur, ideoque caudas simulet, quae artificialiter factae sunt. Quum vero *antheras integras* e corolla evolvere contigerit, caudarum nullum vestigium conspicies, sed *telam antherarum cellulosam sensim in filamenta attenuatam.*

4. **Waitzia acuminata** *Steetz.* caule erecto stricto laxe lanato apice corymboso, foliis linearibus, involucri squamis lineari-lanceolatis acuminatis aureis, stipitibus intermediarum teretibus dense glanduliferis apice laxe lanatis, intimarum planis glabris, achaeniis papillosis in rostrum ipsis triplo longius glabrum attenuatis, pappo basi flavescente versus apicem niveo.

In Australasia orientali-occidentali leg. cl. Preiss. Herb. Preiss. sine No. Roë! Drummond! (V. s. in herb. aulico Vindobonnensi!)

Specie antecedente multo gracilior. *Caulis* erectus, ½-1-pedalis, apice corymbosus, teres, inferne furfuraceus et laxe lanatus, superne lana densiore vestitus, saepe purpurascens. *Folia* alterna, linearia, basi semiamplexicauli-subdecurrentia, apice callosa, margine revoluta, uninervia, crassiuscula, scabriuscula, utrinque arachnoidea, *inferiora* 1-2-pollicaria, *superiora* breviora. *Capitula* in apice ramulorum solitaria vel aggregata, breviter pedunculata, plerumque 6-8 lin. longa, et apice 4-6 lin. lata. *Involucri squamae* densissime imbricatae, subsquarrosae, *exteriores* in pedunculum paullisper descendentes, subsessiles, *laminae intermediarum* stipitatarum conformes, sed breviores, lineari-lanceolatae, basi attenuatae, et longiuscule ciliato-serratae, uninerves, versus apicem valde acuminatum plerumque brevius serratae vel integrae, laete citrinae, aureae vel imo aurantiacae. *Stipites intermediarum* basi incrassati, teretiusculi, dorso densissime glanduliferi, apice lana tenui, intricata cohaerentes, 2-3 lin. longi. *Stipites intimarum* planae, uninerves, margine scariosae, apice *lamina* minima vel colorata, vel tota hyalina aucti, dorso scabriusculi, 4 lin. longi, ⅓ lin. lati. *Corollae* numerosae, filiformes, gracillimae, profunde quinquedentatae, glabriusculae, luteae, 2½-3 lin. longae. *Antherae* cum *styli ramis* exsertae, basi ecaudatae et omnino ut in congeneribus. *Achaenia* compressa oblonga, versus apicem papillosa, rostro filiformi, glaberrimo triplo breviora, semilineam longa, (rostro scilicet excluso). *Pappi setae* basi connatae, serrato-scabrae, ima basi, serraturis vix ac ne vix quidem longioribus, flavescentes, caeterum niveae.

Obs. Specimina, quae legit cl. Roë, capitulis nondum plane evolutis et involucri squamis aurantiacis gaudent.

5. **Waitzia sulphurea** *Steetz.* caule erecto versus apicem laxe corymbosum parce lanato, foliis linearibus, involucri squamis exterioribus fuscescentibus, caeteris sulphureis ovatis acutis, stipitibus omnibus planis, intermediarum lanatis, intimarum glabriusculis vel apice laxe lanatis, achaeniis dense papillosis in rostrum glaberrimum dimidiam ipsorum longitudinem paullo superans attenuatis, pappo citrino caduco.

In arenosis inter frutices prope oppidulum Guildford, d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 7.

Herba humilis, semipedalis, vel paullo ultra. *Caulis* simplex, erectus, teres, inferne furfuraceus, superne parce lanatus. *Pedunculi* ½-1-pollicares, pauci, 2-6, monocephali, in apice caulis corymbum laxum constituentes. *Folia* alterna, *inferiora* lineari-lanceolata, obtusa, subpollicaria, 1½-2

lin. lata, *superiora* breviora, linearia, acutiuscula, omnia in speciminibus suppetentibus marcida. *Capitula* hemisphaerica, pro planta humili majuscula, 8-10 linearum diametro. *Squamae involucri exteriores* sessiles, ovatae, acutae, 1-1½ lin. longae, integrae vel levissime serrulatae, fuscescentes, caeterae stipitatae. *Stipites* omnium plani, margine scariosi, uninerves, apice lana laxa cohaerentes, vel intimarum glabriusculi, basi incrassati, 1½ lin. longi. *Laminae squamarum intermediarum* lanceolatae, acutae, squamis exterioribus conformes, sed his stipiteque suo duplo longiores, *interiorum* sensim minoribus, *intimarum* minimis, semilineam longis, ovatis, apice plerumque laceris, basi fuscescentibus. *Receptaculum* planum, alveolatum, multiflorum, diametro 1½-2 linearum. *Corollae* tubulosae, filiformes, apice 5-dentatae, glabriusculae, infra medium laxe lanatae, et ima basi lana tenui cum rostro achaenii cohaerentes, 1¼ lin. longae, et, in sicco saltem, fuscescentes. *Antherae* cum *styli ramis* exsertae, caeterum omnino ut in genere. *Achaenia* oblonga, sine rostro semilinearia, vix compressa, papillis numerosis dense hirsuta, in rostrum glaberrimum, dimidiam ipsorum longitudinem paullo superans, apice turbinatum attenuata. *Pappus* caducus. *Setae* ejus ima basi connatae, albidae, et serraturis elongatis breviter plumosae, caeterum serrato-scabrae, apice subincrassatae, laete citrinae.

6. **Waitzia Steetziana** *Lehm.* caule erecto stricto versus apicem laxe corymbosum lanato, foliis lineari-lanceolatis, involucri squamis omnibus abbreviatis discum vix superantibus ovatis acutis aureo-nitentibus, stipitibus interiorum planis laxe lanatis, floribus numerosissimis, achaeniis minimis papillosis in rostrum glabrum elongatum ipsis triplo longius attenuatis, pappo aureo.

In solo limoso sylvae prope praedium rusticum Maddington, d. 31. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 6.

Herba annua, praecedente multo elatior, capitulis vero minoribus gaudet. *Caulis* 1½-2-pedalis, erectus, simplex, teres, striatus, inferne purpurascens, arachnoideus, superne cum pedunculis viridis et densius lanatus. *Pedunculi* 2-6, elongati, 2-4-pollicares, foliati, in apice caulis corymbosim dispositi, plerumque monocephali, rarius capitulo uno alterove laterali, breviter pedicellato, aucti. *Folia* alterna, lineari-lanceolata vel linearia, basi semiamplexicaulia, decurrentia, utrinque arachnoidea, *inferiora* obtusa, 1-2-pollicaria, *superiora* acuta, breviora, angustiora, *summa* in pedunculis minima, in appendiculam scariosam interdum producta. *Capitula* hemisphaerica, diametro circiter semipollicari. *Involucri squamae exteriores, intermediae* et *intimae* eadem forma ac in specie praecedente, sed paullo minores, praeterea omnes pulcherrime aureae, fulgidae, nitentes, et paullisper acutiores. *Receptaculum* planum, latum, diametro 2-3-lineari, minutissime alveolatum, *floribus* numerosissimis dense onustum. *Corollae* filiformes, gracillimae, glabrae, luteae, basi incrassatae, apice breviter 5-dentatae, et saturatius coloratae, 1-1¼ lin. longae. *Antherae* cum *stylo* in floribus modo apertis inclusae, caeterum ut in genere. *Achaenia* minima, oblonga, papillosa, in rostrum glaberrimum gracillimumque ipsis triplo, vel quadruplo longius attenuata. *Pappi setae* ima basi connatae, subplumosae, pallide citrinae, versus medium serrato-scabrae, apice aureae.

7. **Waitzia citrina** *Steetz.* caule erecto humili rigidulo laxe lanato apice corymboso, foliis lineari-lanceolatis, capitulis parvis hemisphaericis, involucri squamis citrinis ovatis acutiusculis, stipitibus interiorum planis laxissime lanatis fere glabris, achaeniis papillosis in rostrum glabrum

brevissimum ipsis triplo brevius attenuatis, pappo citrino infra medium plumoso versus apicem serrato-scabro.

Leptorhynchus citrinus Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 64. n. 210. DC. prodr. T. 6 pag. 161. n. 10.

In arenosis clivuli prope lacum magnum insulae Rottennest, d. 21. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 9; et in arenosis sinus regis Georgii III. d. 23. Sept. 1840. No. 10. Swan-River, Hügel! Drummond! (Comparavi specimen Hügelianum authenticum in herb. aulico Vindobonnensi!)

„Herba annua". Statura humiliori et capitulis multo minoribus statim a praecedentibus speciebus hujus sectionis dignoscitur, sed proxime accedit ad *Waitziam brevirostrem*, a qua praeter involucri colorem hisce notis differt: *Caulis* 3-6-pollicaris, multo rigidior, plerumque ramosus vel ramosissimus, apice corymbo amplo, polycephalo terminatus. *Folia* linearilanceolata, longiora, fere pollicaria, latiora, 1-2 lin. lata, virescentia, et multo minus arachnoidea, plerumque alterna, raro opposita, magis conferta, semiamplexicaulia, *inferiora* spathulata, obtusa, basi attenuata, *superiora* acuta, basi latiora. *Pedunculi* in apice ramorum corymbosi, conferti, dense lanati, breves, non nisi 2-4 lin. longi, axillares, 2-5-cephali, rarissime monocephali. *Capitula* 3-4 lin. longa et lata. *Involucri squamae exteriores* subsessiles, subhyalinae, caeterae citrinae, eadem fere forma ac in *Waitzia sulphurea*, sed non nisi dimidiam magnitudinem aequantes. *Stipites intermediarum* laxissime lanati, (nec, monente cl. Benthamio l. c., glabri), *intimarum* fere glabri. *Corollae* filiformes, gracillimae, glaberrimae, luteae, basi incrassatae, 1½ lin. longae. *Antherae* subinclusae, *styli rami* exserti, caeterum ut in genere. *Achaenia* oblonga, dense papillosa, in rostrum brevissimum, non nisi lente conspicuum, glaberrimum attenuata, et cum illo semilineam longa. *Pappus* basi connatus laete citrinus. *Setae* ejus supra medium longiuscule serratae, infra medium, praesertim ima basi, serraturis valde elongatis, arrectis, revera plumosae.

Obs. 1. In speciminibus Preissianis achaenia nonnisi immatura, rostro plane destituta vidi, in planta Hügeliana vero, achaeniis maturis instructa, rostrum manifestum adest.

Obs. 2. Specimina sub No. 9 sunt ramosissima, corymbo amplo donata, sub No. 10 simplicissima, corymbo oligocephalo terminata, et pedunculis densius lanatis praedita. Caeterum inter se non differunt.

PTEROCHAETA Steetz.

Capitulum multiflorum homogamum. *Receptaculum* epaleaceum planum alveolatum. *Involucri* multiserialis *squamae* imbricatae, exteriores sessiles, intermediae et intimae stipitatae et appendicula petaloidea minima auctae discum superantes. *Corollae* tubulosae filiformes 5-dentatae. *Antherae* apice attenuatae, basi brevissime rotundato-caudatae. *Styli rami* apice capitellati. *Achaenia* teretiuscula ovata basi angustata apice in rostrum breve attenuata. *Pappi setae* uniseriales basi concretae dense plumosae.

Herba humilis, incana, lanata, ramosa, pyramidata, capitulis plurimis, sessilibus vel breviter pedicellatis, citrinis, in apice ramorum paniculatim dispositis, *Helichrysi* facie. — Nomen composui e vocibus: πτερὸν, pluma, et χαίτη, seta.

Genus habitu peculiari jam bene distinctum medium tenet inter *Waitziam* et *Helipterum*, ab illo genere differt: pappo dense plumoso, antherisque

breviter caudatis, ab hoc: achaeniis manifeste rostratis. Achaenia quidem *Helipteri albicantis* et *incani* DC. in rostrum simile productae sunt, sed utraque species tum habitu, tum involucro omnino diverso satis superque distincta est.

1. Pterochaeta paniculata *Steetz.*

In limoso-arenosis planitiei haud procul a praedio rustico Maddington, et in sinu regis Georgii III., mense Nov. 1839 et 1840. Herb. Preiss. No. 35.

„Herba digitalis", vel interdum semipedem aequans. *Caulis* a basi ramosus, cum *ramis* arrectis teres, lanatus, capitulis numerosis, in paniculam pyramidatam dispositis abundat. *Folia* alterna, sessilia, integerrima, linearilanceolata vel subspathulata, basi semiamplexicaulia, apice mucrone calloso, glabro terminata, utrinque lana densa, incana vestita, *inferiora* semipollicaria, 1½-2 lin. lata, *superiora* breviora et angustiora, *summa* brevissima, capitula fulcrantia, et involucrum exterius simulantia. *Capitula* in apice ramorum et caulis subspicatim disposita, terminalia et axillaria, sessilia vel breviter pedicellata, ovata, 3 lin. longa, et 2 lin. circiter lata, 15-20-flora. *Involucri squamae* scariosae, pallide citrinae, *exteriores* sessiles, ovatae, acutae, basi attenuatae, laxe lanatae, margine ciliatae, apice subrufescentes, lineam fere longae, vel paullo excedentes; *intermediae* longiores, in stipitem brevem, planum, glabrum, margine anguste scariosum attenuatae, basi late ovatae, margine longiuscule fimbriatae et dorso laxissime lanatae, et in appendiculam angustatam, linearem, obtusam, glabram eciliatam, patulam productae; *intimae*, intermediis paullo breviores, longius vero stipitatae, stipite planiusculo vel subcarinato, rigidulo, dorso viridi, margine scarioso, glabro, 1¼ lin. longo, apice in laminam brevissimam, semilineam longam, dilatatam, subtruncatam et longiuscule fimbriatam, scariosam, flavescentem productae. *Receptaculum* angustum, planum, epaleaceum, alveolatum. *Corollae* filiformes, glabrae, basi incrassatae, apice breviter 5-dentatae, dentibus obtusiusculis, subpapillosis, pappum aequantes, lineam longae. *Antherae* in speciminibus nostris modo apertis, inclusae, *styli rami* paullisper exserti, caeterum ut supra. *Achaenia* teretiuscula, ovata, basi attenuata, apice in rostrum breve angustata, leviter curvata, dense papillosa, papillis acutis, in rostrum abeuntibus, matura brunnea, parva, cum rostro semilineam vix excedentia. *Pappi setae* circiter 12, ima basi connatae, crassiusculae, dense a basi ad apicem plumosae, albidae, vel summo apice pallide citrinae.

MILLOTIA Cassini. Endl. gen. n. 2733. Meisn. gen. pag. 218. (138.) DC. prodr. T. 6. pag. 161. n. 541.

1. **Millotia tenuifolia** *Cassini.* pusilla, pilis longis appressis laxe lanata, foliis tenuissimis anguste linearibus, pedunculis filiformibus, corollis 4-dentatis, achaeniis linearibus apice longe attenuatis involucrum aequantibus pappum subrufescentem superantibus scabris. — Cassini ann. sc. nat. 1829 pag. 31. dict. 60. pag. 592. Lessing synops. pag. 273. DC. prodr. l. c.

In cavernulis humidis rupium inter muscos lateris orientalis montis Melville, Plantagenet, d. 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 68. In insula van Diemen legg. cl. Gunn! et cl. Lawrence! (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

Herba humilis, a basi ramosissima vel simplex, erecta, tota pilis longis appressis laxe lanata, *radice* simplici. *Caulis* 1-1½, raro 2-pollicaris, te-

res, filiformis, in inferiore parte dense foliatus. *Folia* alterna, conferta, vel inferiora interdum opposita, basi amplexicauli-dilatata, tenuissima, anguste linearia, obtusiuscula, versus apicem vix ac ne vix quidem latiora, 6-10 lin. longa, ¼-½ lin. lata. *Ramt* vel *pedunculi* axillares, filiformes, monocephali, summo apice nudi, sive folio uno alterove minuto vestiti. *Involucri squamae* 8-10, uniseriales, sive, quomodo tum in hac tum in sequentibus speciebus, etiam in speciminibus Gunnianis observavi, subbiseriales, patentes, lineares, margine glabrae, et cum apice ciliato, acuminato late scariosae, dorso laxe lanatae, introrsum glabrae, 2 lin. circiter longae, semilineam vix latae. *Receptaculum* angustum, planum, nudum, scrobiculatum. *Corollae* circiter 20-25 filiformes, tubulosae, glabrae, basi paullisper incrassatae, apice breviter 4-dentatae, pappum subaequantes, 1¼-1½ lin. longae. *Antherae* breves, basi bisetae. *Styli rami* appendice conica, minima, papillosa superati, breviter exserti. *Achaenia* matura nigra, immatura rufescentia, teretia, filiformia, basi truncata, apice longe attenuata, scabra, 2 lin. longa. *Pappi* uniserialis *setae* ima basi vix ac ne vix quidem connatae, subrufescentes, serrato-scabrae.

Obs. Specimina Gunniana a nostra planta nulla linea differunt, nisi fortasse habitu paullo robustiore.

2. **Millotia myosotidifolia** *Steetz.* gracilis, erecta, pilis longis appressis sericeis laxe lanata, foliis inferioribus petiolatis spathulatis, superioribus anguste linearibus, pedunculis filiformibus apice incrassatis, corollis 5-dentatis, achaeniis linearibus apice attenuatis involucro brevioribus pappum sordide album aequantibus papillosis.

Senecio myosotidifolius Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 66. n. 219. DC. prodr. T. 6. pag. 371. n. 166.

In arenosis circa oppidulum Perth, d. 27. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 66; prope Freemantle, Hügel! (Comparavi specimen Hügelianum a cl. Benthamio ipso definitum in herb. aul. Vindobonn!)

Proxima quidem speciei antecedenti, attamen revera distincta. Herba gracilis, pilis longis, appressis, sericeis laxe lanata. *Caulis* erectus, a basi ramosus, multo crassior et altior, 4-8-pollicaris. *Rami* graciles, apice pedunculos 4-8 axillares, filiformes, monocephalos, sub capitulo incrassatos ½-1-pollicares, foliis 1-2 anguste linearibus vestitos gerentes. *Folia* latiora, versus apicem interdum 1-1½ lin. lata, 1-1½-pollicaria, in petiolum angustata et basi amplexicauli-dilatata. *Involucri squamae* paullo obtusiores, caeterum non differunt, nec numero, nec forma. *Corollae* apice magis ampliatae, profundius dentatae, dentibus 5, duplo fere longiores, 2 lin. interdum excedunt. *Antherae* et *styli rami* majora, caeterum ut in antecedente. *Achaenia* submatura, vix 2 lin. longa, basi minus truncata, apice rostrato-attenuata, papillis elongatis conspersa. *Pappi setae* sordide albae, serrato-scabrae, corolla paullo breviores.

Obs. 1. Papillae in achaeniis, microscopii ope examinatae, glandulas planas, diaphanas, apice acute emarginatas referunt, quales etiam in achaeniis *Lawrencellae roseae* observavi.

Obs. 2. Specimen Hügelianum, a cl. Benthamio examinatum et definitum, achaeniis maturis plane caret, et immatura non nisi in rostrum obsoletum attenuata sunt, quare cl. auctor, praesertim si *Millotiam tenuifoliam* tunc non noverat, in errorem summopere excusandum incidit. Propter achaenia rostrata et pappum uniserialem, minime caducum, ad *Senecionis* genus transferri haud potest, nec ad *Erechtitis*, propter capitula homogama, floresque omnes hermaphroditos. Praeterea pappus in utroque genere tenuissimus, glaberrimus, sub microscopio vix remote et levissime denticulatus observatur, in *Millotia*, multo crassior, sub lente etiam manifeste serrato-

scaber conspicitur. *Corolla quinquedentata* denique non est res ejusmodi momenti, ut plantam nostram e *Millotiae* genere, cujus habitum omnino prae se fert, excludamus, quae differentiam solummodo specificam praebere potest.

3. **Millotia glabra** *Steetz.* glabra, caule prostrato radicante ramisque adscendente, foliis inferioribus petiolatis spathulatis, superioribus anguste linearibus, pedunculis filiformibus laxissime arachnoideis apice non incrassatis, corollis 5-dentatis, achaeniis linearibus apice attenuatis involucro brevioribus pappum sordide album aequantibus parce papillosis.

In solo arenoso-conchylioso madido vallis prope lacum magnum insulae Rottennest, d. 22. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 100.

Speciem cum *Millotia myosotidifolia*, varietatem ejus glabram exhibentem, conjungerem, nisi *caulis* prostratus, cum *ramis* adscendens et saepe radicans, diversitatem mihi probaret. *Millotia myosotidifolia* semper caule erecto et radice perpendiculari gaudet. Praeter glabritiem totius plantae, exceptis pedunculis vix araneosis, in *capitulis* majorem *florum* copiam, et *involucri squamas* 12-14 observavi. *Pedunculi* sub capitulo non incrassati sunt. Caeterum differentiam nullam detexi.

4. **Millotia robusta** *Steetz.* rigidiuscula, pilis longis appressis dense incano-lanata, foliis inferioribus petiolatis lineari-spathulatis, superioribus anguste linearibus, pedunculis crassiusculis apice longe nudis, corollis 5-dentatis, achaeniis linearibus elongatis apice attenuatis involucrum aequantibus pappum sordide album superantibus parce papillosis.

In interiori districtus Plantagenet, mense Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 67.

Praecedentibus multo rigidior, densiusque incano-lanata. *Caules* plures, basi parce ramosi, in pedunculum elongatum, totum fere nudum, vel folioło anguste lineari hinc inde vestitum, monocephalum desinentes, suberecti, teretes, 3-4-pollicares. *Folia* minus conferta, minusque sericea quam in *Millotia myosotidifolia*, quibus caeterum simillima. *Capitula* majora, floribus densius onusta, 30-35-flora. *Involucri squamae* plerumque 12-14, paullo latiores et longiores, 3 lin. aequantes, densius lanatae, apice foliaceae, mucronatae, ciliatae, et non nisi margine scariosae. *Corollae* filiformes, apice ampliatae, 5-dentatae, glabrae, 3 lin. longae, caeterum cum *antheris* subinclusis et *styli ramis* apice densius papillosis et longius exsertis, a congeneribus non differunt, nec forma, nec structura. *Achaenia* immatura anguste filiformia, 3 lin. longa, mediotenus parce papillosa, supra medium attenuata, glaberrima, papillae elongatae, eademque structura, ac in praecedentibus. *Pappi setae* sordide albae, serrato-scabrae, 2-2½ lin. longae.

IXIOLAENA Benth., in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 66. Endl. gen. n. 2734. Meisn. gen. pag. 219. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 161. n. 542.

1. **Ixiolaena viscosa** *Benth.* viscosissima, caule erecto apice ramosissimo laxe lanato, foliis inferioribus oblongo-spathulatis in petiolum attenuatis margine undulatis, supe-

rioribus lineari-spathulatis, omnibus semiamplexicaulibus subdecurrentibus utrinque lana tenui canescentibus, involucri squamis linearibus, interioribus apice appendiculatis, corollarum limbo erecto vel vix patente, achaeniis basi glandulae crassiusculae insidentibus, pappi setis albis. — Benth. l. c. n. 218. DC. l. c. pag. 162.

In rupestribus insulae Mistakenisland, d. 12. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 120. (Comparavi specimen Hügelianum in herb. aul. Vindobonn!)

Descriptioni accuratissimae cl. Benthamii l. c. pauca haec addere liceat: *Receptaculum* convexum. *Corollae* tenuissimae, apice vix ampliatae, brevissime 5-dentatae, basi incrassatae, 2 lin. longae. *Antherae* basi breviter caudatae. *Stylus* basi bulbosus, ejusque *rami* breviter exserti, apice capitellato-truncati. *Achaenia* matura teretia, erostria, basi attenuata, nigrescentia, pilis hyalinis hispidula, glandulae basilari, albae, glabrae, eburneae, perforatae insidentia. *Pappi setae* circiter 28, albae, non nisi ima basi connatae, costa media crassiuscula, per totam longitudinem regulariter et distiche serratae, serraturis acutis, basi longioribus, versus apicem setae sensim decrescentibus.

Obs. Exemplaria Preissiana omnia fere deflorata, sed valde instructiva sunt. *Folia* omnia marcent.

2. **Ixiolaena chrysantha** *Steetz.* glanduloso-viscosa, caule erecto apice simpliciter corymboso, foliis sessilibus linearibus basi latiori semiamplexicaulibus et subdecurrentibus, involucri squamis oblongo-ovatis omnibus exappendiculatis, corollarum limbo late campanulato patentissimo, achaeniis basi glandulae attenuatae insidentibus, pappi setis laete citrinis.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth, d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 105.

„Planta *Calendulam* vel *Tagetem* redolet". *Radix* palaris, cylindrica, parce ramosa, sublignescens. *Caulis* erectus, durus, teres, purpurascens, in inferiore parte simplex, furfuraceus, in superiore ramosus et glanduloso-viscosus, 1-1½-pedalis. *Rami* alterni, in corymbum terminalem dispositi. *Pedunculi* in apice ramorum 1-4, axillares, monocephali, sub capitulo incrassati, nudi, vel rarissime folio unico minimo vestiti, ½-1½-pollicares. *Folia* linearia, crassiuscula, semiamplexicaulia et subdecurrentia, glabriuscula, vel margine glanduloso-pilosa, *infertora* longiora, 3-4-pollicaria, subaequilata, 1-1½ lin. non excedentia, obtusiuscula, *superiora* sensim breviora, basi latiora, acutiuscula, tota glanduloso-pilosa. *Capitula* ampla, semipollicaria vel ultra. *Involucrum* campanulatum, triseriale, ejusque *squamae* omnes exappendiculatae, subaequilongae, acutiusculae; *exteriores* foliaceae, margine non scariosae, oblongo-ovatae, utrinque attenuatae, ciliatae, sordide virides, glanduloso-viscosissimae, 5-6 lin. longae, lineam circiter latae; *intermediae* paullo angustiores, semifoliaceae, margine scariosae et longiuscule fimbriatae; *intimae* fere lineares, totae hyalinae, nervo medio virescente, margine et interdum apice ciliatae. *Receptaculum* convexum, tuberculatum, tuberculis brevissime fimbrillatis. *Corollae* numerosissimae, glabrae, filiformes, basi incrassatae, apice limbo late campanulato, plano, 5-dentato, dentibus ovatis, 4½-5 lin. longae, exteriores plerumque ut in *Podotheca gnaphaloide* extrorsum plicatae. *Antherae* basi caudatae, apice attenuatae, exsertae. *Stylus* basi bulbosus, ejusque *rami* exserti, divergentes, in flore clauso capitellato-truncati, demum cono brevi, papilloso superati. *Achaenia* matura obconica, erostria, basi valde attenuata, aureo-ferruginea, glandulae basilari glabrae, obliquae, perforatae, concolori, stipitiformi, minimae, non nisi sub lente

conspicuae, insidentia, villis vel glandulis longiusculis, apice breviter bifidis, pappum exteriorem mentientibus, undique dense onusta, 1-1¼ lin. longa. *Pappi setae* circiter 10-12, pulchre citrinae, corollam subaequantes, crassiusculae, ima basi vix connatae, nudae, integerrimae, paullo supra basin breviter, et versus apicem attenuatum sensim longius serratae, serraturis regularibus, acutis, distichis.

Obs. Plantam ad *Ixtolaenae* genus retuli, quoniam plurimis characteribus genericis et habitu maxime cum *Ixtolaena viscosa* congruit, etiamsi *involucri squamae interiores* exappendiculatae sint. — Nihilominus tamen lubenter confiteor, affinitatem esse haud exiguam plantae nostrae cum *Podothecae* genere, praesertim propter *corollae structuram* et *glandulam basilarem stipitiformem achaeniorum. Involucrum* vero non est cylindricum, nec *squamae* sunt imbricatae, nec *pappus* quinquesetus, nec *setae* plumosae.

CHRYSODISCUS Steetz.

Capitulum multiflorum heterogamum, *floribus* omnibus tubulosis 5-dentatis, paucis foemineis marginalibus, caeteris hermaphroditis. *Receptaculum* convexum epaleaceum, tuberculatum. *Involucrum* pauciseriale, *squamis* omnibus sessilibus, subaequilongis linearibus extrorsum foliaceis, introrsum scariosis. *Antherae* basi caudatae. *Stylus* bifidus, *ramis* apice capitellatis. *Achaenia* oblonga erostria, areola laterali. *Pappus* uniserialis, *setis* paucis, in floribus hermaphroditis semper 5, in foemineis 2-4 basi liberis nudis superne longiuscule plumosis.

Herba perennis, erecta, lana nivea dense vestita, caulibus simplicibus vel parce ramosis, ramis monocephalis, foliis alternis, linearibus, supra arachnoideis, subtus albo-lanatis. — Etymologia nominis satis liquet.

Genus medium tenens inter *Ixtolaenam* et *Panaetiam*, huic proximum mihi videtur. Ab *Ixtolaena* differt: capitulis heterogamis et pappi setis paucis plumosis; a *Panaetia* dignoscitur: florum foemineorum limbo 5-dentato, nec tripartito, et involucri squamis linearibus, omnibus sessilibus, subaequilongis, nec imbricatis et stipitatis.

1. Chrysodiscus niveus *Steetz.*

In solo sublimoso glareoso sterili sylvae illustris districtus Peel., d. 5. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 69.

Radix perennis, lignescens, perpendicularis, simpliciuscula, *caules* agens 2-4, erectos, teretiusculos vel obtusangulos, striatos, lana appressa, niveo-sericea dense vestitos, simplices, vel apice in *ramos* paucos, axillares, 1-2-pollicares, monocephalos abeuntes, 1-1½-pedales. *Folia* sessilia, alterna, *radicalia* spathulata, obtusa, abbreviata, *caulina* linearia, margine revoluta, basi semiamplexicaulia, apice calloso-mucronata, supra viridia, arachnoidea, subtus lana laxa, nivea vestita, *infertora* 1-1½-pollicaria, 1-1½ lin. lata, *superiora* sensim breviora, *summa* minima, 1-2 lin. longa, acuta, distantia. *Capitula* hemisphaerica, diametro 4-6 lineari, multiflora. *Involucri* pauciserialis *squamae* numerosae, omnes subaequilongae, vel *exteriores* paullo breviores, planiusculae, foliaceae, sive *interiores* margine anguste membranaceae, lineares, dorso lana intricata, densissima cohaerentes, introrsum scariosae, glaberrimae, apice acuminatae, purpurascentes, et ciliis longiusculis dense barbatae, demum reflexae, 2-2½ lin. longae. *Receptaculum* convexum, epaleaceum, tuberculatum. *Flores foeminei* in ambitu pauci, *hermaphroditi* in disco numerosissimi, omnes fertiles. *Corollae* omnium conformes, tubulosae, graciles, glabrae, aureae, basi paullulam incrassatae,

apice quinquedentatae, limbo ampliato patente, dentibus ovatis, obtusiusculis, introrsum papillosis, 2 lin. longae. *Antherae* inclusae, basi bisetae. *Stylus* bifidus exsertus, *ramis* divergentibus, apice capitellatis, papillosis. *Achaenia* oblonga, erostria, obtusangula, scabriuscula, (sub microscopio marginibus versus apicem serrulatis), areola laterali, semilineam longa, matura brunnea. *Pappus* floribus subaequilongus, paucisetus; *setae* plerumque 5, gracillimae, ima basi nudae, laeves, versus medium serratae, et inde dense plumosae, niveae. In floribus foemineis interdum pappum bi-tri-vel quadrisetum observavi.

Obs. Plantae capitula homogama videntur, quia floribus omnibus conformibus gaudent. Caveas igitur, ne decipiaris. — Adsunt enim in ambitu revera flores foeminei pauci, in quibus, sectione facta, nullum *antherarum* vestigium reperi. Sed corolla eorum, sub lente, paullulum gracilior conspicitur quam hermaphroditorum.

PANAETIA Cassini. Endl. gen. n. 2735. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 162. n. 543.

1. **Panaetia Lessonii** *Cassini.* caule glabro apice parce ramoso, ramis elongatis nudis monocephalis, foliis alternis sessilibus oblongis acutis integris subtus albido-tomentosis. — Cassini ann. sc. nat. 1829. pag. 19 et 32. DC. l. c.

In regione interiori sinus regis Georgii III., d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 59. Drummond!

Herba annua gracilis. *Radix* palaris, tenuis, subsimplex. *Caulis* teres, erectus, glaberrimus, vel hinc inde laxe lanatus, fusco-rubescens, nitens, jam a basi ramosissimus, vel apice parce ramosus, pedalis. *Rami* axillares, semipedales, omnino nudi, vel rarissime folio solitario parvo versus medium vestiti, simplices, monocephali. *Folia* dissita, alterna, sessilia, acuta, basi semiamplexicauli-adnata, subauriculata, supra scabriuscula, arachnoidea, subtus dense albo-lanata, *radicalia* oblongo-lanceolata, basi attenuata, pollicaria, 2-4 lin. lata, *caulina* ovata, basi latiora, sensim breviora et angustiora. *Capitula* hemisphaerica, 3 lin. circiter longa et lata, multiflora. *Involucri* multiserialis *squamae* densissime imbricatae, hyalinae, fuscescentes, nitidae, acuminatae, arcte appressae; *exteriores* late ovatae, basi subcordatae, sessiles, margine subintegrae, vel levissime ciliatae; *intermediae* conformes sed densius fimbriatae et stipitatae, *stipite* tereti, dorso canaliculato et glandulifero, toto foliaceo, lineam longo; *interiores* sensim minores et longius stipitatae; *intimae* lineares, earumque *lamina* ovata, fimbriata cum *stipite* planiusculo, margine late hyalino confluente. *Receptaculum* planum vel demum convexiusculum, epaleaceum, tuberculatum. — Quoad flores observationes meae paullulum discrepant a descriptione cl. Cassinii. Equidem haec vidi in capitulis, quae examinavi: *Flores foeminei* marginales, uniseriales; *corollae* tubulosae, graciles, glabrae, bilabiatae, labio inferiore integerrimo, superiore bifido, lobis linearibus patentibus, 1½ lin. longae; *styli rami* breviter exserti, apice appendice brevi, conica, papillosa aucti. *Flores disci hermaphroditi*, numerosi; *corollae* tubulosae quinquedentatae, dentibus elongatis, floribus foemineis aequilongae. *Antherae* basi longissime bisetae, apice attenuatae. *Stylus* ut in floribus foemineis. *Achaenia* utriusque floris conformia, linearia, erostria, puberula, areola laterali, minima, ⅓ lin. vix longa, *pappi setis* paucissimis, in floribus foemineis solitaria, in hermaphroditis 2 sive 3 superata. *Setae* basi subflexuosae, nudae,

laevissimae, versus medium brevissime serratae, versus apicem incrassatae et longiuscule barbellatae.

Obs. Nunquam binas pappi setas observavi in florum foemineorum achaenlis, quae semper singulis setis superata erant. Item, setae superne reapse plumosae, in nullis speciminibus obviae mihi erant. Caeterum, etiamsi specimen authenticum a cl. Cassinio definitum non vidi, vix dubito, quin revera sit *Panaetia Lessonii*, reliquis characteribus in descriptionem optime quadrantibus.

PODOLEPIS Labill. Endl. gen. n. 2736. Meisn. gen. pag. 219. (138.) DC. prodr. T. 6. pag. 162. n. 544*).

Sect. 1. Scalia. DC. Sims.

1. **Podolepis rugata** *Labill.* laxe araneoso-lanata, caule erecto simplici vel supra medium ramo uno alterove inferne foliato superne squamato monocephalo instructo, foliis inferioribus lanceolatis in petiolum attenuatis, superioribus linearibus acuminatis basi semiamplexicaulibus sessilibus, involucri squamis hyalinis ovatis obtusis apice transverse rugosis, exterioribus sessilibus interioribus stipitatis, stipitibus dorso scabriusculis, ligulis planis apice profunde bi-quadrifidis cum corollis disci luteis, achaeniis oblongis compressiusculis subpapillosis. — Labill. Nov. Holl. sp. T. 2. pag. 57. tab. 208. DC. prodr. l. c. n. 1.

In clivis calcareo-arenosis ad portum Princess-Royal-Harbour, d. 1. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 50.

Radix palaris, crassa, tumida, lignescens. *Caulis* erectus, teres vel obtusangulus, laxe araneoso-lanatus vel glabratus, purpurascens, simplex vel apice parce ramosus, *capitulo* solitario terminatus, et ultra medium squamis appressis, ovatis, sessilibus, acuminatis, scariosis, ferrugineis, apice transverse rugosis vel laevibus, 1-2 lin. longis, in *involucri squamas exteriores* abeuntibus vestitus, pedalis vel paullo altior. *Folia* crassa, coriacea, uninervia, supra glabra, subtus arachnoidea, *inferiora* 2-4-pollicaria, apice 2-5-lin. lata et calloso, mucronata, *superiora* valde acuta 1-1½-pollicaria, 1-2 lin. lata, margine revoluta. *Involucri squamae exteriores* sessiles, vel brevissime, reliquae longius stipitatae. *Stipites intermediarum* 1-2 lin. longi, ima basi crassiusculi, plani, versus medium dorso longitudinaliter exarati, scabriusculi, in *lamina* late ovatam producti, *interiorum* longiores, non nisi apice exarati, *lamina* breviori aucti, *intimarum* glaberrimi, tenuiores, margine late hyalini, et cum *lamina* confluentes. *Ligulae* profunde 2-4-fidae. Reliqua ut in descriptione et icone citata.

---

*) Errore quodam, ut opinor, typographico, in cl. Candollei prodromo *Podolepidis* generi *receptaculum paleaceum* tribuitur, quod in omnibus speciebus *epaleaceum* observatur, quem errorem etiam cll. Endlicher et Meisner ll. cc. propagant. Novum igitur genus inde ortum: *Scaliopsis* Walpers Linnaea XIV. pag. 318: „*Podolepidi proximum, et receptaculo nudo papilloso nec paleaceo solummodo distinctum*“ ad Podolepidem revocandum erit, id quod affirmavit specimen authenticum, a me nuper examinatum.

Obs. Specimen Billarderianum quidem non vidi, nihilominus tamen non dubito, quin nostra species sit eadem ac illa, etiamsi ligulae apice multo profundius incisae sunt, quam in icone citata. Observavi enim in aliis hujus generis speciebus, v. c. in *Podolepide acuminata* R.Br, ligulas in uno eodemque specimine saepissime variare incisuris profundis et levissimis.

Sect. 2. Stylolepis Lehm.

2. **Podolepis gracilis** *Graham.* glaberrima, caule erecto subsimplici apice laxe corymboso, foliis lanceolatis acutis basi semiamplexicaulibus adnato-decurrentibus, capitulis erectis, involucri squamis ovatis hyalinis obtusiusculis, exterioribus subsessilibus laxis patentibus, interioribus stipitatis, stipitibus dorso dense glanduliferis, intimis brevissime mucronatis, ligulis involucrum longe excedentibus planis angustis subintegris vel apice breviter dentatis cum corollis disci purpureis, achaeniis oblongis subcompressis glabriusculis, pappi setis capillaribus serrato-scabris. — Graham in Edinb. new phil. journ. 1828. Oct. pag. 11. Hooker Bot. mag. tab. 2904. (optime!)

Stylolepis gracilis Lehmann. Cat. h. Hamb. 1828. pag. 17. pl. nov. 15. in Linnaea 1830. pag. 385.

In arenosis inter frutices densos prope Bassandeen, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 51, et in arvis cessatis prope Limekilns haud procul ab oppidulo Perth, exeunte Januario 1839. No. 56. Drummond! (Comparavi specimen cultum in hort. Hamburgensi, in herb. cl. Lehmanni!)

„Flores rosei“ in planta viva, teste cl. Preissio. *Achaenia* matura nigra, glabra, immatura flavescentia, vix subpapillosa. Specimina sub No. 56 humiliora sunt, eorumque ramuli graciliores, caeterum a speciminibus sub No. 51 non differunt.

3. **Podolepis rosea** *Steetz.* caule erecto ab ima basi ramoso arachnoideo vel glabrato, foliis lanceolatis acutis basi semiamplexicaulibus adnato-decurrentibus supra arachnoideis subtus molliter lanatis, capitulis erectis, involucri squamis ovatis hyalinis obtusiusculis omnibus appressis, exterioribus sessilibus, interioribus stipitatis, stipitibus dorso parce glanduliferis, intimis acutis, corollis disci pallidis, ligulis involucrum longe excedentibus planis angustis apice breviter 2-3-dentatis roseis, achaeniis oblongis subcompressis glabriusculis, pappi setis capillaribus serrato-scabris apice incrassato-barbellatis.

In arenosis sylvae prope Limekilns, d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 55.

„Herba annua pedalis“. *Rami* patentes, subsimplices, vel parce ramosi, *pedunculi* monocephali, filiformes, 1-3-pollicares, sub capitulo densius lanati, squamis paucis, distantibus, minutis, ovatis, appressis, hyalinis vestiti. *Folia* alterna, omnia sessilia, *inferiora* lanceolata, acuta, basi vix attenuata, 1-2-pollicaria, 3-4 lin. lata, *superiora* breviora et angustiora, margine revoluta, longe acuminata. *Involucri squamae* ferrugineo-hyalinae, omnes appressae, caeterum squamis in *Podolepide gracili* simillima, vel *interiores* paullo acutiores. *Stipites interiorum* vel parce glanduliferi, vel glandulis plane destituti, sed scabriusculi. *Ligulae* roseae. Color *corol-*

larum disci in speciminibus siccis non certo distinguendus; purpureus non est, sed sive roseus, sive pallide flavescens videtur. *Pappi setae* basi sublaeves, versus apicem manifeste incrassatae et densius barbellatae sunt. Reliqua omnia ut in *Podolepide gracili*, cui planta nostra proxima.

Hujus speciei varietas memorabilis occurrit:

β. **mollissima** nobis. caule humiliore, densius arachnoideo, pedunculis sub capitulo dense albo-lanatis, foliis latioribus, et involucri squamis paullo acutioribus saturatius coloratis, fere fuscis.

In arenosis subumbrosis secundum fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, d. 3. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 53, et in colliculis calcareis haud procul ab oppidulo Freemantle, d. 15. Aug. 1839. No. 61. In terra Leuwin, in collibus aridis. Ferd. Bauer! (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

„Herba annua spithamea, flores albi vel roseo-albi". In speciminibus siccis ligulae luridae conspiciuntur.

4. **Podolepis nutans** *Steetz.* caule erecto ab ima basi ramosissimo, ramis ramulisque divaricatis, foliis lanceolatis acutis basi amplexicaulibus adnato-decurrentibus supra arachnoideis subtus dense albo-lanatis, capitulis demum nutantibus, involucri squamis hyalinis omnibus appressis, exterioribus sessilibus latissimis obtusissimis intermediis mucronatis intimis acuminatis, stipitibus interiorum dorso glanduliferis, ligulis involucrum paullo excedentibus planis angustis apice 2-3-dentatis cum corollis disci pallidis, achaeniis oblongis subcompressis glabriusculis, pappi setis capillaribus serrato-scabris apice incrassato-barbellatis.

In arenosis terrae inferioris. Herb. Preiss. No. 58.

Species distinctissima! *Radix* palaris, subsimplex, lignescens. *Caulis* erectus, teres, ab ima basi in *ramos* iterum ramosos, undique divaricatos, glaberrimos, vel hinc inde levissime arachnoideos, nitidos, brunneos, gracillimos divisus, basi laxe arachnoideo-lanatus. *Folia* alterna, sessilia, coriacea, basi amplexicaulia, longe et inaequilatere adnato-decurrentia, margine revoluta, apice calloso-cucullata, supra arachnoidea, subtus dense albo-lanata, *inferiora* lanceolata, pollicaria, 3-4 lin. lata, *superiora* lineari-lanceolata, sensim acuminata, breviora et angustiora. *Pedunculi* axillares, ½-1½-pollicares, filiformes, patentes, toti fere nudi, vel squama una alterave minima versus apicem vestiti, monocephali. *Capitula* hemisphaerica, multiflora, 3-4 lin. longa et lata, demum nutantia. *Involucri squamae* arcte imbricatae, appressae, ferrugineo-scariosae, nitentes, *exteriores* in pedunculum breviter descendentes, sessiles, brevissimae, sequentes latissime ovatae, obtusae, enerves; *interiores* stipitatae, levissime uninerves, *stipitibus intermediarum* 1-1¼ lin. fere longis, teretibus, dorso subexaratis, glanduliferis, in *laminam* late ovatam, convexam, abrupte mucronatam desinentibus, *intimarum* 1½-1¾ lin. longis, planis, margine hyalinis, eglandulosis, cum *lamina* anguste ovata, acuminata, lineam vix longa confluentibus. *Receptaculum* nudum, planum, tuberculatum. *Flores foeminei* in ambitu uniseriales, ligulati. *Ligulae* glabrae, tubulosae, in *laminam* planam, brevissimam, lineam longam, apice obtuse 2-3-dentatam, pallidam abeuntes. *Styli rami* breviter exserti, apice truncati, papillosi. *Flores disci hermaphroditi* numerosi. *Corollae* tubulosae, graciles, glabrae, concolores, basi paullulum incrassatae, apice sensim ampliatae, profunde quinquefidae, laciniis linearibus, conniventibus, apice subpapillosis, 2 lin. longae. *Antherae* basi manifeste setiferae, apice cum *stylo* exsertae. *Styli rami* apice incrassati, capitellati, papillosi. *Achaenia* in utroque flore conformia, oblonga, subcompressa, areola laterali instructa, utrinque vix attenuata, gla-

briuscula, vel sub microscopio visa, levissime papillosa, semilineam vix aequantia. *Pappi setae* 10, capillares, niveae, basi subliberae, laeves, versus medium serratae, ultra medium incrassatae, profundius serratae vel subbarbellatae, corolla paullo breviores.

5. **Podolepis subulata** *Steetz.* glaberrima, caule elato crasso erecto basi simplici apice corymboso, foliis linearilanceolatis basi semiamplexicaulibus breviter adnato-decurrentibus, capitulis erectis, involucri squamis laxiusculis ovato-lanceolatis subenervibus, exterioribus sessilibus acutis interioribus stipitatis acuminatis, stipitibus dorso dense glanduliferis, ligulis involucrum paullo excedentibus planis apice 2-3-dentatis et cum corollis disci pallidis, achaeniis oblongis subcompressis subpapillosis, pappi setis capillaribus serrato-scabris.

In solo sublimoso districtus Vasse, mense Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 54.

Proxime accedit ad *Podolepidem gracilem* quoad habitum et staturam, facillime vero dignoscitur jam prima fronte, involucri squamis omnibus acutis. Herba annua, tota glaberrima, elata, 3-pedalis et ultra. *Caulis* teres, basi pennae anserinae crassitie, laevis, nitidus, rufescens, cum *ramis* levissime striatus, apice simpliciter paniculato-corymbosus. *Folia* alterna, sessilia, coriacea, elongata, lineari-lanceolata, basi semiamplexicaulia, breviter adnato-decurrentia, uninervia vel obsolete trinervia, margine revoluta, acuminata, *inferiora* 3-4-pollicaria, 3-5 lin. lata, *superiora* sensim decrescentia, *summa* squamaeformia, minima. *Capitula* in apice ramorum axillarium, gracilium, solitaria, bina, terna-quina, turbinata, pedicellata. *Pedicelli* valde inaequales, $\frac{1}{4}$-2-pollicares, et ut *rami* toti fere nudi, sive folio solitario, parvo onusti. *Involucri squamae* dense imbricatae, hyalinae, omnes, exceptis paucis extimis, acuminatae; *exteriores* ovatae, acutae, sessiles, enerves, minimae, arcte appressae et in pedicellum descendentes, *interiores* stipitatae, laxae vel apice subsquarrosae, *stipitibus intermediarum* $\frac{1}{2}$-1 lin. longis, teretibus, dorso dense glanduliferis, in *laminam* ovatam, acuminatam, basi truncatam, obsolete uninervem, $1\frac{1}{2}$-2 lin. longam desinentibus; *intimarum*, 2-$2\frac{1}{2}$ lin. longis, planis, margine hyalinis, dorso parcius glanduliferis, cum *lamina* lineari-lanceolata, subulato-acuminata, enervi, $1\frac{1}{2}$ lin. vix excedente, confluentibus. *Receptaculum* planum, nudum, tuberculatum. *Ligulae florum foemineorum* involucrum paullo excedentes, apice 2-3-dentatae, pallidae. *Styli rami* breviter exserti, papillosi, truncati. *Corollae florum hermaphroditorum* pallidae, et omnino ut in specie antecedente, sed paullo longiores, $2\frac{1}{2}$-$2\frac{3}{4}$ lin. aequantes. Etiam *achaenia* non differunt. *Pappi setae* vero 10-12, jam ab ima basi breviter, versus apicem vix ac ne vix quidem incrassatum longius serratae.

6. **Podolepis filiformis** *Steetz.* caule erecto simplici filiformi subglabro, foliis inferioribus oblongis basi attenuatis superioribus linearibus omnibus semiamplexicaulibus adnato-decurrentibus subtus et in axillis arachnoideo-lanatis, involucri squamis ovato-lanceolatis uninervibus, exterioribus sessilibus acutis, interioribus stipitatis acuminatis, stipitibus dorso glanduliferis, ligulis involucrum paullo excedentibus planis apice 2-3-dentatis cum corollis disci purpureis, achaeniis oblongis subcompressis subpapillosis, pappi setis capillaribus serrato-scabris.

In turfosis humidis inter frutices ad lacum prope Woodman's-point, d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 57.

Speciei antecedenti proxima, sed omnibus partibus multo minor et gracilior. Herba annua, *radice* exili, simplici, *caule* filiformi simplicissimo, vel apice in ramos 1-3 monocephalos, 1½-pollicares, capillares, totos fere nudos diviso, nitido, rufescente, glabro, vel sub capitulo levissime araneoso, vix pedali. *Folia inferiora* pollicaria, 3-5 lin. lata, oblonga, basi attenuata, *superiora* linearia, margine revoluta, acuminata, 4-10 lin. longa, omnia subtus et in axillis arachnoideo-lanata. *Capitula* duplo minora, quam in specie praecedente; *involucri squamae* omnes leviter uninerves, ferrugineo-hyalinae; *ligulae* et *corollae florum hermaphroditorum* saturate purpureae; reliqua omnia ut in *Podolepide subulata.*

Sectio 3. Doratolepis Bentham.

7. **Podolepis aristata** *Benth.* caule erecto gracili glabro vel parce arachnoideo apice laxe corymboso, foliis linearilanceolatis basi semiamplexicaulibus et inaequilatere adnato-decurrentibus supra araneosis subtus dense albo-lanatis, involucri squamis omnibus acutissimis subfusco-hyalinis, exterioribus sessilibus interioribus acuminatis stipitatis, stipitibus dorso glanduliferis, floribus omnibus luteis, ligulis involucrum longe excedentibus bilabiatis, labio exteriore palmatim trifido interiore integro lineari, achaeniis oblongis subcompressis papillosis, pappi setis capillaribus brevissime serrato-scabris. — Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg. pag. 64. n. 212. DC. prodr. T. 6. pag. 163. n. 8.

In interiori sinus regis Georgii III., d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 60. (Comparavi specimen Hügelianum authenticum in herb. aul. Vindobonn!)

Caulis gracilis, pedem vix excedens, *rami* elongati 1-5-pollicares. *Capitula* diametro semipollicari, magnitudine *Podolepidis gracilis.* *Ligulae* revera bilabiatae. *Achaeniorum* areola manifeste lateralis, ut in caeteris congeneribus, neque terminalis, qualem se observasse cl. Benthamius l. c. contendit.

Hujus varietas est:

β. **chrysantha** *Endl.* caule elato stricto, ramis abbreviatis, foliis elongato-lanceolatis subtus non nisi arachnoideo-canescentibus, capitulis duplo fere majoribus.

Podolepis chrysantha Endl. Bot. Zeitung, 1. Jahrgang, 1843. n. 27. pag. 458.

In arenosis inter frutices sylvae ad fluvium Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 52. Colitur in horto Hamburgensi. (v. v.)

Planta 1½-2-pedalis, stricta; *rami* in apice caulis 4-6 corymbosim dispositi, inaequales, ¼-1½-pollicares. *Folia* longiora et latiora, *inferiora* saepe tripollicaria, 4-6 lin. lata. *Capitula* duplo fere majora, magnitudine *Podolepidis acuminatae* R.Br. — Sic etiam omnes floris partes majores, quam in specie primaria, caeterum non differunt. — Comparatis specimini-bus authenticis, iisque saepius examinatis certior factus sum, plantam Endlicherianam sine omni dubio nil esse nisi varietatem *Podolepidis aristatae* Benth. Sic etiam planta culta quam maxime variabilis est, tum magnitudine, tum indumento.

SIEMSSENIA Steetz.

Capitulum multiflorum heterogamum. *Flores* radii *foeminei* uniseriales ligulati, disci *hermaphroditi* tubulosi apice 5-fidi, incisuris 4 aequalibus, quinta caeteris duplo profundiore. *Receptaculum* planum nudum alveolatum. *Involucri* campanulati multiserialis *squamae* imbricatae scariosae sessiles, *exteriores* ovatae exappendiculatae, *interiores* appendicula parva patente radiante auctae. *Antherae* ex incisura profundiore lateraliter exsertae basi bisetae. *Styli rami* apice capitellati. *Achaenia* teretia oblonga utrinque vix attenuata areola laterali instructa, *florum foemineorum* calva, *hermaphroditorum* papposa. *Pappus* uniserialis setosus, *setis* ima basi laevibus caeterum serrato-scabris, dimidiam corollae longitudinem superantibus.

Herba gracillima ramosissima, ramis dichotomis, foliis linearibus teretiusculis obtusis, pedunculis capillaribus monocephalis.

Nomen dedi in honorem amicissimi G. Th. Siemssen, mercatoris Hamburgensis, jam vero in insula Java Bataviae incolae, qui pluries Novam Hollandiam adiit, et insignem plantarum siccatarum ibi collectarum copiam mihi largitus est.

Genus tum habitu tum characteribus *Podolepidis* generi proximum, achaeniis in radio et disco difformibus, et corollae disci incisuris inaequalibus facillime dignoscitur.

1. Siemssenia capillaris *Steetz.*

In limosis porrectis illustribus sylvae haud procul a praedio rustico cl. J. Moore, terrae superioris, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 72.

Herba glaberrima, annua. *Radix* filiformis, tenuissima, simpliciuscula. *Caulis* erectus, subtilis, teres, ima basi nudus, versus medium ramosus, semipedalis. *Rami* axillares, dichotomi. *Pedunculi* capillares, laevissimi, ½-1-pollicares, omnino nudi, vel rarissime folio solitario donati, monocephali. *Folia* alterna vel raro opposita, sparsa, integerrima, linearia, teretiuscula, obtusa, rugulosa, basi tumida et semiamplexicaulia, 3-6 lin. longa, in axillis lana alba laxa conspersa. *Capitula* erecta vel interdum nutantia, 2-2½ lin. longa et lata. *Involucrum* pluriseriale, campanulatum, imbricatum. *Squamae* hyalinae, dorso virides, nitidae, appressae, sessiles; *exteriores* brevissimae, ovatae, obtusiusculae, *intermediae* conformes sed paullo longiores, 1-1¼ lin. longae, *intimae* in appendiculam hyalinam, enervem, vel basi obsolete uninervem, ovatam, obtusam, subpatentem, ½-¾ lin. longam sensim abeuntes. *Receptaculum* planum, nudum, alveolatum. *Flores foemineі* in ambitu uniseriales, circiter 10-12, involucrum vix superantes, lutei, inferne tubulosi, superne ligulati, *ligula* angusta, apice 2-3-dentata, longitudinaliter plicata, demum forsan plana. *Styli rami* exserti, apice truncati, papillosi. *Flores hermaphroditi* centrales, circiter 25, tubulosi, concolores, apice ampliati, glabri, quinquefidi, laciniis erectis, incisuris 4 aequalibus, quinta caeteris duplo profundiore. *Antherae* ut supra. *Stylus* in floribus modo apertis vix exsertus, ejusque *rami* capitellato-truncati, papillosi. *Achaenia* glabra, ⅓ lin. longa, caeterum ut in genere. *Pappi setae* in achaeniis florum centralium circiter 12-14, sub microscopio visae, ima basi latiori connatae, omnino laeves, et versus medium attenuatae, ultra medium iterum paullisper incrassatae, serrato-scabrae, albae, dimidiam corollae longitudinem superantes.

OZOTHAMNUS R.Br. Endl. gen. n. 2738. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 164. n. 546.

Sect. 3. Euozothamnus DC.

1. **Ozothamnus lepidophyllus** *Steetz.* fruticosus, caule ramisque glabratis, ramulis arachnoideis, foliis minimis crassis sessilibus ovato-cordatis reflexis et obverse subimbricatis supra glabris subtus albo-lanatis, corymbis in apice ramulorum confertis, capitulis parvis obovatis, involucri squamis imbricatis obtusis convexis conniventibus, exterioribus brevioribus subrufescentibus, interioribus longioribus lacteis.

In confragosis regionis interioris sinus regis Georgii III. mense Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 28.

Frutex ramosissimus, *caulibus* lignosis, glabratis, cortice fusco, rimoso tectis. *Rami* iterum ramosi, adulti glabrati, *ramuli* corymbiferi, lana alba appressa arachnoidea, 1-1½-pollicares, ab ima basi, spatio circiter 5 linearum densissime foliati, in superiore parte fasciculis foliorum foliisve sparsis, paullulum distantibus obsiti. *Folia* omnia conformia, minima, ¼ lin. longa et lata, sessilia, late ovata, cordata, obtusa, crassa, convexa, reflexa, margine subrevoluta, supra glabra, nitentia, minutissime foveolata, subtus albo-lanata, in inferiore ramulorum parte densissime conferta, et obverse fere imbricata, in superiore parte remotiora, alterna, fasciculos foliorum, (initia ramulorum juniorum), in axillis saepe gerentia. *Corymbi* terminales, subumbellati. *Pedunculi* albo-lanati, axillares, nudiusculi, 2-3 lin. longi, 2-6-cephali. *Capitula* brevissime pedicellata, pedicellis ½-1 lin. longis, obovata, lineae longitudinem vix superantia, pauciflora. *Involucri squamae* sub-4-seriales, imbricatae, sessiles, convexae, *exteriores* breviores, obtusae, scariosae, subrufescentes, basi arachnoideae, *interiores* sensim longiores, obtusissimae, conniventes, basi attenuata mediotenus virides, arachnoideae, margine hyalinae, supra medium lacteae, glabrae. *Receptaculum* angustissimum, planum, nudum, alveolatum. *Corollae* paucae, 6-8, luteae, ½ lin. longae, in speciminibus nostris non apertae, plerumque conglutinatae. *Achaenia* immatura oblonga, subpapillosa, minima, ¼ lin. vix aequantia. *Pappi setae* 10-12, ima basi capillares, laeves, versus medium serrato-scabrae, apice incrassatae clavatae, serraturis rotundatis.

Obs. Ramuli foliati, capitulis remotis, quodammodo ramulos *Eurybiae lepidophyllae* DC. referunt, sed graciliores sunt.

HELICHRYSUM DC.*) Endl. gen. n. 2741. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 169. n. 549.

Sect. 1. Euhelichrysum DC.

Ser. I. Argyraba DC.

§. 9. Hebelaena DC.

1. **Helichrysum cordatum** *DC.* caule suffruticuloso erecto tereti ramoso apice subnudo, foliis petiolatis supra junioribus araneosis, adultis glabris, subtus cum caule et petiolo cano-tomentosis, inferioribus cordatis, summis ovatis, omnibus acuminatis mucronatis, corymbo composito paniculato, involucri campanulati squamis oblongo-linearibus dorso tomentosis, apice scarioso-albis glabris reflexis. DC. l. c. pag. 180. n. 61.

In elevatis arenosissimis inter frutices prope oppidulum Freemantle, d. 14. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 29. Ibidem et in sinu reg. Georgii III. leg. cl. Roë. (V. s. in herb. aul. Vindobonn!)

Specimen authenticum, a cl. Candolleo definitum, non vidi, quare liceat descriptionem nostrae plantae accuratiorem hic inserere.

„Suffrutex 4-7-pedalis, ramis gracillimis. (?)“ Tota planta, praesertim caules ramique densissime et appresse albo-lanata. *Caulis* teres, apice ramosus et flexuosus. *Rami* axillares, alterni, patentes vel etiam divaricati, corymbo abbreviato, conferto terminati, pennae corvinae crassitie, nec „gracillimi“, inferiores remotiores, longiores, superiores sensim minores et approximati, paniculam pyramidatam ½-1-pedalem exhibentes. *Folia* alterna, petiolata, ovata, integerrima, acuminato-mucronata, mucrone calloso, glabro, sphacelato, supra arachnoidea, subtus albo-velutina, *inferiora* cordata, 1-1½-pollicaria, versus basin 8-10 lin. lata, petiolo 4-6 lin. longo, *superiora* basi rotundata, minora et brevius petiolata, *summa* sessilia, linearia, minima, lineam longa, squamaeformia. *Capitula* in apice ramulorum 3-6,

*) Genus hoc vastissimum a cl. Candolleo l. c. diligentius elaboratum, et in sectiones exactissime definitas distributum, contra cl. auctorem, in aliquot genera dividendum esse, magnopere censeo, quoniam plantae, tum habitu toto diversissimae, tum, singulis capitulorum organis perpensis, omnino alienae in hoc unico genere congregatae sunt. Amplectitur enim species, capitulis homogamis et heterogamis instructas; alias, in quibus achaenia pappo serrato-scabro, alias, in quibus barbellato vel clavato coronata sunt. Eandem diversitatem observamus in receptaculi fabrica, in involucri squamarum structura, etc. specierum hujus generis polymorphi. Eodem jure, *Helipterum* et multa alia genera, nuperrime separata, *Heliehryst* generi subordinarem. — Jam vero species plurium sectionum habitu peculiari quam maxime affines, genera formant naturalissima; cur igitur conglutinamus, ubi natura ipsa distinxit? — Pauca haecce sufficiant, ad sententiam meam significandam. Ad rem conficiendam locus hic non datur, quam ob causam, et quoniam pleraeque collectionis Preissianae species jam notae sunt, in hisce paginis ordinem a cl. Candolleo propositum, ad tempus secutus sum, exceptis solummodo illis speciebus, quae ad *Chrysocephali* genus, a cl. Walpers in Linnaea XIV. pag. 503, jam separatum et bene distinctum, pertinent.

rarius solitaria, breviter pedicellata, turbinata, 1-1½ lin. longa, pauciflora. *Involucri* 2-3-serialis squamae subconformes, lineares, imbricatae, squarrosae, *exteriores* breviores, omnes dorso lana alba densissima vestitae, introrsum glabrae, scariosae, nervo medio viridi latiusculo, superne evanescente instructae, apice appendicula brevi, radiante, acuta, glabra, lactea, enervi, reflexa auctae. *Receptaculum* planum, nudum, angustum, alveolatum. *Flores* in speciminibus nostris non aperti, circiter 20, tubulosi, glabri, lutei, lineam paullulum excedentes. *Achaenia* cylindrica, immatura ¼ lin. vix longa, hispidula. *Pappi setae* numerosae, capillares, serrato-scabrae, sordide albae, sub apice vix ac ne vix quidem incrassatae, corollam (non apertam) aequantes.

§. 10. Antennariformia DC.

2. **Helichrysum ramosum** *DC.?* caule erecto paniculatim ramoso-divaricato juniore araneoso demum glabro, foliis caulinis sessilibus lineari-lanceolatis remotis, panicula laxa, capitulis obovatis, involucri squamis exterioribus basi araneosis apice oblongis obtusis patenti-subreflexis, achaeniis glabris, pappi setis apice clavatis. DC. l. c. pag. 181. n. 63.

In rupestribus summitatis montis Clarence, d. 9. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 26. In sinu regis Georgii III. leg. cl. Roë. (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

Quaenam utriusque speciei hujus paragraphi 10, (cui certissime appertinet) nostra planta sit, utrum *H. ramosum* an *H. gracile* DC. e diagnosi nimis brevi omnino non certo apparet; quare, quum specimen Cunninghamianum non viderim, hic sequatur descriptio accuratior plantae Preissianae:

Radix subsimplex, palaris, biennis sive perennis, caules plures 2-3-pedales agens. *Caulis annotinus* a basi usque apicem innovationibus tectus, glaber, teres, leviter striatus. *Folia innovationum* axillarium (foliis radicalibus fortasse aequalia) alterna, approximata, oblongo-lanceolata, basi longe angustata semiamplexicaulia, apice calloso-mucronata, uninervia, integerrima, vel margine levissime repanda, supra muricato-scabriuscula, subtus albo-lanata, nervo medio prominente, circiter pollicaria, in medio 2-3 lin. lata. *Caulis hornotinus floriger* basi simplex, versus medium paniculatim ramosus, teres, leviter striatus, et, praesertim versus finem laxe arachnoideus, ab ima basi *foliis* alternis, remotis, sparsis, linearibus, basi subattenuatis, apice acutis, supra et margine revoluto scabriusculis, subtus arachnoideis, vel junioribus utrinque arachnoideis, ½-1-pollicaribus, obsitus. *Rami* axillares, remoti, (internodiis, foliis plane destitutis, circiter pollicaribus), patentes, graciles, foliis paucis parvis onusti, albo-lanati, praesertim versus apicem. *Capitula* in apice ramorum 3-8, brevissime pedicellata, in corymbum parvum congesta, campanulata, obovata, 1½-2 lin. longa et lata. *Involucri* 3-4-serialis *squamae* imbricatae, *exteriores* subappressae, lana laxa arachnoideae, exappendiculatae, *interiores* extrorsum lana laxa cohaerentes, introrsum glabrae, virides, margine scariosae et apice in laminam glabram, ovatam, obtusam, patenti-subreflexam, lineam fere longam, lacteam vel laete roseam desinentes. *Receptaculum* angustum, planum, nudum, alveolatum. *Flores* 20-25 in speciminibus Preissianis nondum aperti sunt. — In planta Roëana sic observavi: *Flores* omnes hermaphroditi, tubulosi. *Corollae* breviter quinquedentatae, dentibus reflexis, glabrae, pallidae, lineam longae, pappum vix superantes. *Antherae* basi manifeste caudatae, exsertae. *Styli rami* exserti, recurvati, apice capitellato-truncati et papillosi, nigricantes. *Achaenia* cylindrica, utrinque non attenuata, glabra, ¼ lin. longa. *Pappi setae* uniseriales, basi liberae, caducae, niveae, apice incrassato-clavatae, per totam longitudinem acute, summo apice obtuse serratae, setas achaeniorum in floribus masculis *Antennariae* generis quasi referentes.

Obs. 1. Specimina Roëana involucri squamis roseis non gaudent, sed non nisi lacteis ornata sunt. *Caules* annotini desiderantur. Caeterum a Preissianis nulla nota differunt.

Obs. 2. *Capitula* cum omnibus florum partibus, affinitatem quam maximam demonstrant ad sectionem *Petaloleptidem* Cassini, *Ozothamni* generis.

Ser. 2. Chrysolepidea DC.

§. 2. Xerochlaena DC.

* *Involucris flavis.*

3. **Helichrysum bracteatum** *Willd.* herbaceum erectum ramosum pube minima scabriusculum, foliis lanceolatis linearibusve repandis acuminatis, capitulis ramos terminantibus bracteis foliaceis 1-3 saepius stipatis aut nudis, involucri squamis glaberrimis radiantibus, extimis subrufescentibus ovatis obtusissimis brevibus, mediis lanceolatis longissimis, intimis brevibus acuminatis. DC. l. c. pag. 188. n. 105.

In limoso-lapidosis illustribus montis Brown, altitudine 846 pedum, d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 4. (ex parte.)

„Herba annua". Specimina paucissima leg. cl. peregrinator, quae insuper valde manca ad manus nostras venerunt. Pertinent ad varietatem α) *chrysanthum* DC. l. c. involucro pappoque aureis, foliis lanceolatis.

** *Involucris albis.*

4. **Helichrysum macranthum** *Benth.* caule herbaceo adscendente vel erecto subsimplici scabro apice monocephalo, foliis oblongo-lanceolatis vel infimis spathulatis obtusis integerrimis basi in petiolum angustatis et amplexicauli-dilatatis utrinque viridibus scabris, capitulo magno niveo extus subroseo, squamis involucri interioribus radiantibus late ovatis obtusis mucronulatis, receptaculo nudo, pappo scabro. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 65. n. 214. DC. l. c. pag. 189. n. 107. Lindley Bot. Reg. Vol. XXIV. (1838) tab. 58. (optime!)

In montibus Darling's-range, mense Aug. et Sept. 1841. Herb. Preiss. sine No. Prope oppidulum Freemantle, Hügel! et in sinu regis Georgii III. Roë! (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

Duo tantum exemplaria sine No. exstant in herbario Preissiano, quorum alterum cl. peregrinator mecum benevole communicavit. Mancum quidem est, et radice, foliis radicalibus floribusque apertis caret. Caeterum capitula bene evoluta sunt, ex quibus planta facillime agnoscitur. Convenit omnino cum icone citata et cum speciminibus Roëanis, quae ab Hügelianis, certissime specifice non diversis, recedunt: caule apice parce ramoso, nec simplici, monocephalo, et involucri squamis exterioribus magis roseis, minusque obtusis. Teste cl. Lindleyo l. c. color roseus squamarum post anthesin pallescit.

5. **Helichrysum niveum** *Graham.* (non Lessing.) perenne, caule erecto subsimplici scabro, capitulis maximis

solitariis terminalibus, squamis utrinque niveis conniventibus ovatis mucronulatis, foliis oblongo-spathulatis utrinque pubescentibus, (?) basi in petiolum angustatis semiamplexicaulibus. Hooker Bot. Magaz. Tom. 67. tab. 3857. (optime!)

In solo sublimoso ad portum Lechenault, d. 12. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1.

Planta alta, 3-4-pedalis et ultra, caule crassissimo, radice lignosa. Specimina sicca in descriptionem et iconem l. c. omnino quadrant. — In diagnosi quidem cl. auctor plantae „*folia pubescentia*" tribuit, quae revera glabra, sed cum caule scabriuscula sunt; in descriptione accuratiore autem rectius monet: „Leaves scattered, as well as the stem rough, *without pubescence*". — Cum *Helichryso macrantho* Benth. nostra planta mutari non potest. Differt enim ab hoc: radice perenni, (nec annua) caule et foliis scabriusculis, (nec pubescentibus), et capitulis multo majoribus, (expansis fere bipollicaribus), involucri squamis numerosioribus, 6-8-serialibus, exterioribus minimis omnibusque niveis.

CHRYSOCEPHALUM Walpers, in Linnaea XIV. pag. 503. Helichrysi spp. DC. prodr. Gnaphalii spp. Labill. Endl. gen. n. 2738[1].

1. **Chrysocephalum squarrulosum** *Steetz.* herbaceum erectum glabrum, foliis linearibus acutis decurrentibus, corymbo terminali conferto, involucri ovati squamis scariosis flavis ciliatis, apice summo patenti-squarrosis, pappi setis flavidis basi nudis apice barbatis.

Helichrysum squarrulosum DC.? l. c. pag. 195. n. 139.

In sinu regis Georgii III. leg. cl. Preiss. Herb. Preiss. No. 23.

Plantam a cl. Cunninghamio ad Port-Jackson lectam, a cl. Candolleo l. c. definitam non vidi, quare nostrorum speciminum descriptionem diligentiorem addere magnopere censeo. *Radix* multicaulis. *Caules* erecti, stricti, simplices, 1-1½-pedales, inferne teretes, purpurascentes, glabri, superne acutanguli, virides, scabriusculi, summo apice laxe flavo-lanati. *Folia* alterna, linearia, vel *inferiora* lineari-lanceolata, acuta, *summa* mucrone acuminato terminata, omnia basi decurrentia et semiamplexicaulia, approximata et interstitiis multo longiora, uninervia, utrinque glabra, margine scabra, pollicaria, versus apicem sensim decrescentia, et corymbum attingentia. *Capitula* 1-6, caulem terminantia, in corymbum confertum, abbreviatum congesta, brevissime pedicellata, turbinata, diametro circiter 2½-3-lineari. *Pedicelli* lineam longi, flavo-lanati. *Involucri squamae* multiseriales, dense imbricatae, scariosae, ovatae, acutae, flavae, apice summo patenti-squarrosae, *exteriores* breviores, sessiles, margine et apice longiuscule flavo-ciliatae, *intermediae* et *interiores* stipitatae, *stipitibus* viridibus, lineam longis, introrsum glabris, extrorsum parce glanduliferis, infra medium teretibus, versus apicem applanatis, margine anguste scariosis, laxe lanatis, et sensim in *laminam* brevem, ovatam, acutam, flavam, mediotenus longiuscule ciliatam, apice eciliatam abeuntibus. *Receptaculum* planum, tuberculatum, diametro lineari. *Flores* numerosi in speciminibus nostris nondum aperti, *Chrysocephali semipapposi* floribus simillimi; *flores foeminei*, statura, ut videtur, graciliore distincti, in ambitu pauci. *Achaenia* (immatura) cylindrica, glabriuscula, vel versus apicem parcissime papillosa, ¼ lin. vix longa. *Pappi setae* 6-8, caducae, basi liberae, capillares, laevissimae, albidae, versus apicem incrassatum longiuscule barbellatae vel subplumosae, flavae.

2. **Chrysocephalum flavissimum** *Steetz.* caule herbaceo erecto simplici cano-tomentoso, foliis oblongis infimis subspathulatis, summis linearibus, omnibus obtusis mucronatis cano-tomentosis tenuissime triplinerviis, capitulis ad apicem caulis 4-5 aggregatis sessilibus, involucri glaberrimi squamis lanceolato-linearibus acuminatis, mediis et intimis stipitatis ad apicem stipitis villoso-lanatis caeterum aureo-ciliatis.

Helichrysum flavissimum DC. l. c. pag. 195. n. 140.

In solo sublimoso glareoso interioris sinus regis Georgii III., d. 4. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 25.

Specimina duo, quae in promtu habeo, a Sieberianis nullo modo differunt, nisi lana paullulum laxiore, praesertim in superiore foliorum pagina. *Folia* fere omnia linearia sunt, sed talia exemplaria etiam cl. Sieber legit *).

HELIPTERUM DC. Endl. gen. n. 2742. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 211. n. 550.

Sect. VII. Pachypterum Steetz.

Capitula homogama, floribus omnibus hermaphroditis. *Involucri squamae* scariosae, interiores radiantes stipitatae, stipite glabro vel laxissime lanato. *Receptaculum* nudum planum demum convexiusculum. *Achaenia* erostria leviter tuberculata vel papillosa. *Pappi setae* plumosae, ramificationibus summis incrassato-clavatis.

---

*) Hujus generis nova species nondum descripta est: **Chrysocephalum asperum** Steetz. caule erecto folioso, et cum foliis sessilibus lineari-lanceolatis margine revolutis acutis dense papilloso-piloso, corymbo terminali conferto composito polycephalo foliato, involucri turbinati squamis scariosis aureis ovatis acutis ciliatis, exterioribus brevioribus sessilibus basi pubescentibus, interioribus stipitatis, pappi setis basi nudis apice dense barbellato-subplumosis aureis, achaeniis glabriusculis. — In Nova Hollandia prope Port Jackson (?) lectum, attulit mecumque communicavit amicus G. Th. Siemssen. — Planta indumento denso papilloso-piloso ab omnibus hujus generis speciebus prima fronte distincta. *Papillae* cauli, ramis, pedunculis foliisque insidentes, albidae, planiusculae, basi latiores, articulo uno alterove instructae, saepissime apice glanduliferae. *Caulis* teres, erectus, simplex, apice corymbo composito, conferto, polycephalo, foliato terminatus. *Folia*, (*radicalia* desiderantur,) anguste lineari-lanceolata, basi sublatiore semiamplexicaulia, breviter decurrentia, margine revoluta, apice acuminata, subpungentia, $1\frac{1}{2}$-pollicaria, 1-2 lin. lata, per totum caulem dense congesta. *Capitula* turbinata, in apice ramorum axillarium 4-10, dense aggregata, plerumque folio minimo suffulta, brevissime pedicellata, eadem magnitudine ut in *Chrysocephalo semipapposo*. *Pedicelli* laxe lanati. *Involucri squamae* omnino fere, ut in *Chrysocephalo squarruloso* descripsi, tum magnitudine, tum structura, tum forma et colore, sed *interiores* non solum margine, sed etiam apice ciliatae, earumque *stipites* margine paullo latius scariosi. *Flores* nondum aperti a floribus congenerum differre non videntur. *Achaenia* et *pappus* ut supra in *Chrysocephalo squarruloso*. — Varietatem glabriusculam, caule cum foliis papillis ra-

1. **Helipterum Cotula** *Benth.* herbaceum humile erectum, ramulis laxe et longe albido-lanatis apice monocephalis, foliis filiformibus glabriusculis, involucri squamis exterioribus sessilibus brevissimis rufescentibus, interioribus stipitatis radiantibus, lamina intermediarum elongata nivea, intimarum brevissima citrina, omnium acutiuscula, achaeniis glabris levissime tuberculatis, pappi setis plumosis basi niveis apice incrassatis citrinis. — Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 65. n. 215. DC. l. c. pag. 215. n. 19.*)

Occurrunt hujus speciei formae duae:

α. **ramosissimum** nobis. caule paullo supra basin ramosissimo, involucri squamis exterioribus pallide rufescentibus.

In arenosis sylvae ad fluvium Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 16. Prope oppidulum Freemantle. Hügel! (v. s. in herb. aul. Vindobonn!)

β. **simplex** nobis. caule simplici monocephalo vel versus medium parce ramoso, involucri squamis exterioribus dilute rufescentibus.

In solo sublimoso glareoso interioris sinus regis Georgii III., d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 17.

Folia filiformia, subteretia, obtusiuscula, *inferiora* opposita vel alterna, conferta, fere pollicaria, *superiora* sparsa, rariora, breviora. *Pedunculi* apice nudi. *Stipites involucri squamarum interiorum* plani, margine late hyalini, basi attenuati, parce lanati; *lamina intimarum* brevissima, late ovata, acutiuscula, integra vel apice erosa, utplurimum citrina, raro nivea. Nunquam, neque in specimine ipso Hügeliano, laminam apice extus roseam vidi. *Receptaculum* nudum, planum, demum convexiusculum, levissime tuberculatum. *Corollae* omnes hermaphroditae, tubulosae, apice ampliatae, 5-dentatae, basi demum incrassatae. *Antherae* basi caudatae, apice attenuatae, obtusiusculae. *Stylus* basi bulbosus, ejusque *rami* apice capitellati, papillosi. *Pappus* caducus, ipsius *setae* basi connatae, dilatatae, albidae, per totam longitudinem plumosae, apice citrinae, ramificationibus ultimis abbreviatis, dilatatis vel rotundato-clavatis. — Reliqua ut in descriptione cl. Benthamii l. c.

Var. β praeter notas indicatas a varietate α) *capitulis paullo majoribus* differt. Certissime vero non est species propria.

Obs. Planta obiter adspecta *Waitziam brevirostrem* refert, sed charactere generico: achaeniis erostribus pappique setis plumosis ab ea magnopere abhorret.

2. **Helipterum citrinum** *Steetz.* herbaceum humile erectum, ramulis laxe et longe flavo-lanatis apice mono-

---

rioribus brevioribusque vestito, in insula van Diemen leg. cl. Gunn. Herb. Gunn. No. 504. (V. s. in herb. aulico Vindobonnensi!)

Huc praeterea transferendae sunt species hae jam alibi descriptae: 1) *Chrysocephalum semipapposum* nob. = *Gnaphalium semipapposum* Labill. = *Helichrysum semipapposum* DC. prodr. 2) *Chrysocephalum apiculatum* nob. = *Gnaphalium apiculatum* Labill. = *Helichrysum apiculatum* DC. prodr. 3) *Chrysocephalum ciliatum* nob. = *Helichrysum ciliatum* DC. prodr., et forsan *Helichrysum brevicilium* DC. et *Helichrysum odorum* DC., utrumque adhuc quidem mihi ignotum.

*) Cl. Candolleus speciem in sectione quarta, juxta *Helipterum albicans* collocaverat, sed tum temporis plantam ipsam nondum viderat. Quum vero nec huic nec ulli alii sectioni subjungi possit, novae sectionis characterem constituere necesse est.

cephalis, foliis filiformibus glabriusculis, involucri squamis exterioribus sessilibus brevissimis rufescentibus, interioribus stipitatis radiantibus, lamina intermediarum elongata, intimarum brevissima latissima, omnium obtusa citrina, achaeniis glabris levissime tuberculatis, pappi setis plumosis basi niveis apice incrassatis citrinis.

In arenosis planitiei ad fluvium Canning, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 21

A speciei antecedentis varietate *α*, cui habitu et characteribus proximum, non differt nisi ramulis apice flavo-lanatis et involucri squamis paullo brevioribus obtusioribusque, omnibus citrinis. Quum vero transitus ab una ad alteram nullos observaverim in numerosis speciminibus, quae omnia eodem die, in eadem regione lecta sunt, utramque tanquam speciem propriam consideravi, bene conscius, ex observationibus in planta viva institutis, demum conjici posse, utrum sit lusus speciei antecedentis, an non.

3. **Helipterum simplex** *Steetz.* herbaceum, humile, caule suberecto simplici apice monocephalo laxe piloso-lanato, foliis filiformibus glabriusculis, involucri squamis exterioribus sessilibus brevibus acutis rufescentibus, interioribus stipitatis radiantibus, lamina omnium elongata acutissima nivea vel extrorsum pallide rosea, achaeniis subpapillosis, pappi setis plumosis basi niveis apice leviter incrassatis citrinis.

In uliginosis arenosisque sylvae haud procul ab oppidulo Guildford. d. 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 18.

Proximum quidem varietati *β. Heliptert Cotulae* Benth. attamen facile distinguendum. Recedit jam primo vultu ab ea: caule capitulotenus foliato, capitulis majoribus, involucri squamis intermediis et intimis subaequilongis, acutissimis, et pappi setis apice, evidenter quidem, sed minus incrassatis. Tota planta non nisi 3-5-pollicaris. *Radix* exilis, subsimplex. *Caulis* suberectus, teres, striatus, basi glabratus, versus medium parce, sub capitulo dense piloso-lanatus. *Folia infima*, si modo adsunt, minima, lineam longa, sessilia, ovata, opposita, *caetera* filiformia, glabriuscula, vel pilis elongatis, sparsis hinc inde vestita, acuta, calloso-mucronata, *inferiora* pauca opposita, basi breviter connata et vaginantia, 4-8 lin. longa, *superiora* alterna, semiamplexicaulia, aequilonga, *summa* capitulum attingentia, apice appendicula scariosa aucta, vel raro tota scariosa, squamaeformia, 2-3 lin. longa. *Capitula* solitaria, diametro 8-10-lineari. *Involucri squamae* multiseriales, scariosae, appressae, imbricatae; *exteriores* inaequales, sessiles, acutae, rufescentes; quarum extimae brevissimae, sequentes sensim longiores; *intermediae* et *intimae* subaequilongae stipitatae, radiantes; *stipitibus* planis, rufescentibus, lineam longis et latis, margine latissime hyalinis, *intermediarum* lana laxa ciliatis, et in *laminam* lanceolatam, acutissimam, aequilatam, 3-3½ lin. longam, niveam vel extus pallide roseam, radiantem productis; *intimarum* glabris, in *laminam* conformem, non nisi paullulum breviorem, semper niveam desinentibus. *Receptaculum* planum, nudum, demum convexiusculum, leviter tuberculatum. *Corollae* duplo fere longiores quam in *Heliptero Cotula*, sed lineam non superant. Sic etiam achaenia et pappus paullo majora sunt. Caeterum omnia haecce, excepto pappo versus finem paullo minus incrassato, nullo modo a *Heliptero Cotula* differunt.

4. **Helipterum niveum** *Steetz.* suffruticulosum, erectum, caule ramulisque apice monocephalis dense et appresse incano-lanatis, foliis sessilibus linearibus supra araneosis

subtus incano-lanatis, involucri squamis exterioribus brevioribus sessilibus ferrugineis, interioribus radiantibus stipitatis, lamina omnium subaequilonga lanceolata acuta nivea, achaeniis dense papillosis, pappi setis breviter plumosis apice incrassatis niveis.

In solo sublimoso interioris sinus regis Georgii III. mense Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 11.

„*Helichryso anthemoide* Sieb. affine", attamen pappi setis apice clavato-incrassatis, tomento incano et disco niveo jam prima fronte longe diversum. *Fruticulus* pulcherrimus. *Radix* perennis, crassa, elongata, lignosa, multicaulis. *Caules* erecti, versus medium ramosi, teretes, et cum ramis dense et appresse incano-lanati, circiter pedales. *Rami* elongati, arrecti, monocephali et apice longiuscule nudi, vel foliis parvis, squamaeformibus, appressis, distantibus, concoloribus parce obsiti. *Folia* in *caulibus hornotinis* alterna, elongata, fere pollicaria, basi semiamplexicaulia, in *annottnis*, (verisimiliter juniora, innovantia,) breviora, 2-4 lin. longa, omnia linearia, sessilia, crassiuscula, supra arachnoidea, subtus dense incano-lanata, apice calloso-mucronata. *Capitula* multiflora, diametro 8-10-lineari. *Involucri squamae* multiseriales, scariosae, appressae, imbricatae; *exteriores* inaequales, sessiles, abbreviatae, ovatae, acutae, dilute ferrugineae, *extimae* dorso laxe lanatae; *intermediae* et *interiores* stipitatae, demum radiantes, *stipitibus* planis, angustis, basi attenuatis, margine anguste hyalinis, glabris vel dorso lana laxissima conspersis, lineam longis, sensim in *laminam* petaloideam lanceolatam, acutam, 3-4 lin. longam, lineam fere latam productis. *Laminae intermediarum* utrinque vel totae ferrugineae, vel niveae apice ferrugineo seu purpurascente, *intimarum* utrinque omnino niveae, omnium subaequilongae. *Receptaculum* nudum, planum vel demum convexiusculum, levissime scrobiculatum. *Corollae* omnes hermaphroditae, tubulosae, breviter 5-dentatae, pallide flavescentes, vel pallide purpurascentes, glabrae, lineam longae. *Antherae* basi caudatae, apice sensim attenuatae, obtusiusculae. *Styli rami* apice capitellati, papillosi. *Achaenia* cylindrica, minuta, ⅓ lin. longa, pallida, dense papillosa. *Pappi setae* ima basi connatae, breviter plumosae, ramificationibus summis incrassatis, dilatatis vel clavatis, abbreviatis, totae niveae.

HYALOSPERMA Steetz.

Capitulum multiflorum homogamum, *floribus* omnibus hermaphroditis tubulosis 5-dentatis. *Receptaculum* nudum planum levissime tuberculatum, serie solitaria alveolorum in ambitu cinctum. *Involucrum* turbinatum imbricatum; *squamis* scariosis exterioribus sessilibus interioribus stipitatis; *stipitibus* planis lamina subreflexa radiante auctis. *Corollae* basi in tuberculum torosum durum perforatum incrassatae. *Antherae* exsertae basi breviter caudatae. *Styli rami* apice capitellati. *Achaenia* oblonga plano-compressa erostria. *Pappus* caducus paleaceus uniserialis. *Paleae* 6-10 basi in annulum dilatatum connatae versus medium attenuatae et dense plumosae.

Herbae graciles annuae, caule angulato apice indiviso monocephalo, foliis filiformibus, capitulis amplis *Helipteri* facie.

Nomen compositum e vocibus: ὕαλος, vitrum, et σπέρμα, semen, propter achaenia subdiaphana.

Genus *Heliptero* proximum, sed ab hoc differt: achaeniis plano-compressis et pappo revera paleaceo. A *Xyridanthe* Lindl. recedit: pappo uniseriali, qui in illo genere biserialis.

1. **Hyalosperma strictum** *Steetz.* caule simplicissimo erecto inferne glabriusculo superne laxe lanato squamato monocephalo, foliis glabriusculis filiformibus teretiusculis, involucri squamis exterioribus ferrugineis, interioribus radiantibus citrinis.

In calculosis apricis lateris orientalis montis Brown et montis Lehmann, d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 20.

Herba annua, stricta. *Radix* exilis, simpliciuscula, perpendicularis. *Caulis* erectus, angulatus, sulcatus, capitulo solitario terminatus, simplicissimus, vel raro infra medium *ramis* paucis, arrectis, monocephalis instructus, in inferiore parte foliatus, glabriusculus sive pilis raris, flaccidis conspersus, in superiore laxe lanatus, longe nudus et squamis minimis, ferrugineis, scariosis, dissitis, sub capitulo approximatis et in involucri squamas abeuntibus, obsitus, 1-1½-pedalis. *Folia* alterna, filiformia, glabriuscula, rigida, teretiuscula, obtusa, basi sublatiore breviter decurrentia et semiamplexicaulia, *infertora* pollicaria, *supertora* sensim breviora, *summa* brevissima, et appendicula scariosa, ferruginea, acutiuscula aucta. *Capitula* multiflora, turbinata. *Involucri squamae* scariosae, multiseriales, dense imbricatae; *exteriores* sessiles, appressae, ovatae, acutiusculae, subconvexae, ferrugineae, uninerves, nervo basi dilatato, apice attenuato, margine et dorso laxe lanatae, exappendiculatae, vel appendicula minima, concolore, acuta, reflexa auctae, *intermediae* et *interiores* stipitatae; *stipites* squamis exterioribus simillimi, scariosi, in medio longitudinaliter substantia solidiore, nitente, nerviformi, sensim attenuata, citrina instructi, 2 lin. longi, lineam lati; *intermediarum* margine laxe lanati, apice in *laminam* lanceolatam, acutam, basi aequilatam, 2-2½ lin. longam, laete citrinam, patenti-reflexam producti; *interiorum* toti glabri, utrinque attenuati, apice in *laminam* paullo breviorem et duplo angustiorem, caeterum aequalem, abeuntes. *Receptaculum* nudum, planum, levissime tuberculatum, serie solitaria alveolorum in ambitu cinctum. *Corollae* tubulosae, glabrae, luteae, apice breviter 5-dentatae, dentibus erectis, basi in tuberculum torosum, durum, perforatum valde incrassatae, 1-1½ lin. longae. *Antherae* exsertae, basi breviter caudatae. *Stylus* inclusus, bifidus, *ramis* apice capitellatis, papillosis. *Achaenia* oblonga, plano-compressa, erostria, subdiaphana, glabra, rugulosa, basi callosa, lineam longa, semilineam lata, pappo remoto, apice tuberculo minimo, corollae basi obtecto, et cum ea articulato, aucta. *Pappus* caducus, paleaceus uniserialis. *Paleae* 6-10, basi in annulum dilatatum connatae, hyalinae, versus medium attenuatae, dense plumosae et pallide citrinae, corollam aequantes.

2. **Hyalosperma glutinosum** *Steetz.* multicaule, totum glutinosum, caule medio erecto parce ramoso, caeteris lateralibus adscendentibus, ramis apice vix lanatis squamatis monocephalis, foliis filiformibus teretiusculis, involucri squamis exterioribus ferrugineis interioribus radiantibus saturate citrinis.

In solo sublimoso prope oppidulum York, d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 19.

„Herba annua dodrantalis". Proximum speciei antecedenti, cujus forsan nil nisi varietatem praebet. Transitus vero ab una ad alteram nullos vidi, quare utramque speciem in unam contrahere dubitavi. Tota planta paullo humilior, 6-8-pollicaris, tota glutinosa. *Radix* semper multicaulis. *Involucri squamae* saturatius coloratae. Praeterea differentiam detegere mihi non contigit.

GNAPHALIUM D. Don. DC. Endl. gen. n. 2746. Meisn. gen. pag. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 221. n. 554.

Sect. 1. Eugnaphalium. DC.

1. **Gnaphalium luteo-album** *Linn.* herbaceum albolanatum, caule erecto subsimplici aut diffuso ramoso, foliis infimis obovatis oblongo-spathulatisve obtusis, caulinis semiamplexicaulibus oblongo-linearibus lanceolatisve acutis, capitulis glomerato-cymosis, involucri squamis scarioso-hyalinis stramineis acuminatis. DC. l. c. pag. 230. n. 53. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 66. n. 217.

In caenosis ad marginem lacus Mathilda interioris sinus regis Georgii III., mense Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 33, et in udis inter gramina alta ad fluminis Cygnorum ostium, mense Dec. 1838. No. 34. (specimina deflorata) prope Freemantle Hügel!

„Herba vix pedalis“ (No. 33.)
„Herba erecta pedalis et ultra“ (No. 34.)

Forma altera ab altera non differt, nec recedunt specimina Preissiana a Germanicis et Capensibus, nisi statura altiore, caule crassiore et densius foliato, foliis plerumque apice latioribus et tomento densiore, mollissimo, candidissimo. Cl. Candolleus l. c. involucro squamas *acuminatas* tribuit, quae semper in speciminibus comparatis tum Europaeis tum exoticis *vix acutas* observavi.

Sect. 2. Euchiton Cassini. DC. prodr.

2. **Gnaphalium involucratum** *Forster.* caule herbaceo erecto sericeo-tomentoso, foliis elongato-linearibus planis aut margine revolutis acuminatis supra glaberrimis subtus sericeo-tomentosis, radicalibus basi attenuatis, caulinis semiamplexicaulibus, floralibus glomerulos capitulorum dense aggregatos subglobosos superantibus, involucri squamis oblongis hyalinis rufescentibus subacutis. DC. l. c. pag. 235. n. 85. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 66. n. 216.

Formae duae hujus speciei in herbario Preissiano occurrunt:

α. **undulatum** nobis. caule subsimplici, foliis latioribus margine undulatis. Bot. Magazine tab. 2582. (optime!)

In arenosis conchyliosis lateris vallis prope lacum insulae Rottennest, mense Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 46. Ferd. Bauer! Hügel! In Terra van Diemen leg. cl. Gunn. Herb. Gunn. No. 505.

„Aboriginibus: Dărrădă“. Haec forma cum icone, quam attuli, plane congruit. Etiam folia involucralia undulata sunt, apice latiora, basi attenuata.

β. **planifolium** nobis. foliis margine non undulatis, superioribus angustioribus.

In arenosis inter frutices altos ad fluminis Cygnorum ripam dextram, haud procul ab oppidulo Freemantle, mense Januario 1839. Herb. Preiss. No. 47.

Hujus formae non nisi specimina duo ad manus habeo. Pertinent certissime ad var. *β. ramosum* cl. Candollei l. c. etiamsi simplicissima sunt. In axillis enim foliorum innovationes numerosae observantur, et insuper cum speciminibus Sieberianis, s. n. 343 editis, bene congruunt. *Folia inferiora* quidem paullo latiora, sed *superiora* et *involucralia* angustissime linearia sunt. Tomentum in caule et in inferiore foliorum pagina densius et magis candidum observavi, et involucri squamas minus dilute coloratas, quam in varietate α. Certissime vero non est species propria.

PTEROPOGON DC. Endl. gen. n. 2748. Meisn. gen. 218. (137.) DC. prodr. T. 6. pag. 245. n. 557.

1. **Pteropogon spicatus** *) *Steetz.* radice multicauli, caulibus simplicibus apice nudiusculis cum foliis filiformibus laxe cinereo-lanatis, capitulis in apice caulis dense glomerato-spicatis subsessilibus.

In limoso-calculosis illustribus lateris orientalis montis Lehmann, altitudine ped. 762. d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 24.

„Herba annua dodrantalis", vel fere pedalis. *Radix* tenuis, perpendicularis, parce ramosa, plerumque multicaulis. *Caules* 2-6, medius erectus, laterales subadscendentes, omnes arrecti, simplices, teretes, leviter striati, lana appressa, cinerea laxe vestiti. *Folia* in inferiore caulis parte congesta, filiformia, flaccida, basi latiore semiamplexicaulia, apice calloso-mucronata, et caulis instar, appresse et laxe cinereo-lanata, *infima* opposita, elongata, 1-1½-pollicaria, *superiora* alterna, sensim breviora, *summa* remota, angustissima, 1-3 lin. longa. *Capitula* cylindrica, sessilia, vel brevissime pedicellata, patentia, 2 lin. circiter longa, numerosissima, in spicam ovatam, abbreviatam, 6-8 lin. longam, confertissimam, basi nudam, et, capitulis 3-5 infimis interdum remotiusculis, interruptam disposita, 5-flora. *Involucri squamae* paucae, 3-4-seriales, scariosae, imbricatae, arcte appressae, fuscae, nitidae, omnes sessiles et exappendiculatae, *exteriores* brevissimae, ovatae, acutiusculae, ima basi laxe lanatae; *interiores* duplo triplove longiores, 2 lin. longae, cymbaeformes, apice obtusae et conniventes, deciduae, floribus non nisi paullulum breviores. *Receptaculum* angustissimum, epaleaceum, alveolatum. *Flores* in quovis capitulo 5, vel rarissime 4, quorum bini exteriores hermaphroditi fertiles, terni vel bini interiores steriles, sed non masculi sunt. *Corollae* omnium tubulosae, 5-dentatae, dentibus reflexis, nigricantes, vel rarissime ferrugineae, inferne laxe lanatae, supra medium glabriusculae, 1-1¼ lin. longae. *Antherae* subexsertae, basi piliferae. *Stylus* niger, apice bifidus, *ramis* apice capitellato-incrassatis. Etiam in floribus sterilibus semper *stylum* bifidum observavi, *ramis* vero minus evolutis, et in flore inaperto saepe conglutinatis. *Achaenia florum fertilium* obovata, villis sericeis, confertissimis vestita, superioribus achaenio longioribus et pappum exteriorem simulantibus; *florum sterilium* filiformia, hirsuta, omnia in callum basilarem perforatum desinentia, *pappo* plumoso superata, et ½-¾ lin. longa. *Pappi setae* circiter 16, costa crassiuscula, dense et longiuscule plumosae, fulvae, dimidiam corollam superantes, in floribus sterilibus interdum paullo breviores, paucioresque.

*) Vocabulum: πωγών, barba, est masculini generis nec neutrius.

Obs. Cl. Candolleus in charactere generico *Pteropogont pygmaeo* suo flores omnes tubulosos, binos exteriores *foemineos*, centrales 2-3 *steriles* tribuit, stylum et antheras silentio plane praeteriens. Etiamsi in nostra planta flores exteriores semper hermaphroditos observavi, non tamen dubito, quin sit revera congener illius, characteribus caeteris omnibus respondentibus.

SCHOENIA Steetz. Helichrysi sp. Gaudich. in bot. voy. Freycinet pag. 466. tab. 87. Helipteri sp. DC. prodr. T. 6. pag. 216 n. 23 *).

Capitulum multiflorum heterogamum, *floribus* omnibus tubulosis, paucis in ambitu hermaphroditis fertilibus, caeteris centralibus styli abortu masculis sterilibus. *Involucri* cylindrici *squamae* pluriseriales scariosae sessiles, *exteriores* breviores exappendiculatae, *interiores* apice appendicula petaloidea radiante auctae. *Receptaculum* epaleaceum convexiusculum alveolatum. *Corollae* graciles 5-dentatae basi incrassatae. *Antherae* basi brevissime caudatae. *Stylus* in *floribus hermaphroditis* bifidus basi bulbosus, *ramis* planiusculis apice capitellatis, in *floribus masculis* simplicissimus apice incrassatus. *Achaenia fertilia* obovata erostria basi attenuata dense sericea, *sterilia* filiformia nudiuscula basi pilosa. *Pappus* omnium conformis uniserialis setosus, *setis* serratis vel subplumosis.

Herbae annuae, apice corymbosae, foliis integris, *Helichrysi* facie. — Nuncupavi genus in honorem amici dilectissimi *Joh. Matth. Albr. Schoen*, med. doct. celeberrimi, jam ophthalmiatri peritissimi, Hamburgensis, olim delineatione iconum plantarum de Botanice bene meriti.

Pteropogoni, generi Candolleano, nostrum proximum est, differt vero: involucri squamis interioribus appendiculatis radiantibus, capitulis multifloris et floribus centralibus revera masculis.

1. **Schoenia oppositifolia** *Steetz.* herbacea, erecta, tota hirsuto-canescens; foliis oppositis sessilibus lanceolatis

*) Omnia, quae supra in annotatione ad *Helichrysi* genus monui, valent eadem de *Heliptero*. Etiam hoc genus valde polymorphum in aliquot genera dividendum esse, prorsus existimo. Occurrunt enim in aliis speciebus, (ut de caeteris floris partibus taceam,) e. g. achaenia quadrangula, in aliis teretia, gaudent plurimae species achaeniis erostribus, inveniuntur vero nonnullae achaeniis rostratis, v. c. *Helipterum incanum* et *H. albicans* etc. Omnes vero cl. Candolleus in uno genere amplectitur, non alia causa adductus, nisi quod pappo plumoso instructae sunt! Divisit quidem in sectiones sex, quarum priores quinque, species inter se quam maxime affines comprehendunt, de quo licet aliquis cum cl. auctore consentire velit, nemo saltem erit, qui, eum in sexta sectione *Helipterum Cassinianum* juxta *H. anthemoidem* collocasse, concedat. Species enim hae duae non solum habitu diversissimo jam prima facie inter se divergunt, sed etiam dignitate organorum a natura ipsa segregantur. Haec scilicet capitulis homogamis, illa vero heterogamis utitur. Distinguendum est inter flores, casu quodam, e. g vegetatione interrupta, abortientes, (ut interdum accidit in *Heliptero anthemoide*,) et intos flores, lege naturali, i. e. stigmate defectu, steriles, qui flores masculi vocantur, et quales in *Hel. Cassiniano* reperiuntur. Hanc plantam igitur in nostrum genus novum transmisi. Cf. cl. Lessing. synops. Compos. pag. 421. seqq.

trinerviis acutis, corymbo terminali trichotomo, involucri squamis interioribus longe radiantibus laete roseis, pappi setis rigidiusculis serratis.

Non nisi frustulum aliis plantis adhaerens inveni sine numero in herbario Preissiano. Specimina integra leg. cl. Roë in Australasia australi-occidentali inter flumen Swan-River et sinum regis Georgii III. (V. s. in herb. aulico Vindobonaensi!)

Planta annua, pedalis, pulcherrima. *Radix* tenuis, perpendicularis, parce ramosa. *Caulis* erectus, teres, inferne simplex, foliatus, versus apicem nudus, trichotomus, *ramulis* di-vel trichotomis, undique pilis planiusculis, articulatis, ramentaceis, hyalinis hirsuto-canescens. *Folia* omnia opposita, sessilia, lanceolata, integerrima, acuta, utrinque iisdem pilis hirsuto-canescentia, margine ciliata, paria bina *inferiora* approximata, trinervia, basi attenuata, pollicaria, 3 lin. fere lata, *caetera* distantia, uninervia, basi vix attenuata, multo breviora et angustiora, *summa* minima, squamaeformia, vel apice scariosa, vel tota scariosa. *Corymbus* terminalis, gracilis, trichotomus, foliis binis oppositis, 3-6 lin. longis, lineam latis suffultus. *Capitula* cylindrica, 4-4½ lin. longa, pedicellata. *Pedicelli* inaequilongi, nudi, vel raro squamis paucis scariosis obsiti, lanati. *Involucri* imbricati *squamae* 4-5-seriales, appressae, sessiles, scariosae, cymbaeformes; *exteriores* brevissimae, ovatae, acutae, glabrae, nitidae, ferrugineae, exappendiculatae, *interiores* sensim longiores, *intimae* planiusculae disco paullulum superatae, appendicula lanceolata, radiante, obtusiuscula, laete rosea, 4-5 lin. longa, 1-1½ lin. lata, auctae. *Receptaculum* epaleaceum, convexiusculum, alveolatum. *Flores hermaphroditi* 5-6 in ambitu, tubulosi. *Corollae* breviter 5-dentatae, glabrae, graciles, basi incrassatae, 3 lin. longae. *Antherae* basi brevissime caudatae, subrotundatae, vix exsertae. *Stylus* basi bulbosus, superne bifidus, *ramis* planiusculis, apice capitellatis, papillosis. *Achaenia* obovata, erostria, crassiuscula, basi attenuata, 1-1¼ lin. longa, areola laterali instructa, pilis integerrimis, nitidis, longis, achaenio duplo longioribus et pappum exteriorem mentientibus, dense sericea. *Pappi setae* numerosae, ima basi concretae, rigidiusculae, corollam aequantes, serratae, summo apice, vix ac ne vix quidem incrassatae. *Flores masculi* 13-15 centrales; *corollae* eaedem ac in floribus hermaphroditis, sed *stylo* simplicissimo, apice incrassato, papilloso instructae. *Achaenia* filiformia, 1¼-1½ lin. longa, parce papillosa, et ima basi pilis paucis, integerrimis, nitidis, inaequalibus, achaenium aequantibus vel subsuperantibus, arrectis munita. *Pappus* omnino ut in floribus hermaphroditis *).

*) Hujus speciei congener est: 2. **Schoenia Cassiniana** Steetz. herbacea erecta tota pilosiuscula, foliis alternis oppositisve oblongo-linearibus integerrimis acuminatis, corymbo terminali paniculato, involucri squamis interioribus longe radiantibus albis, pappi setis rigidiusculis serratis. — *Elichrysum Cassinianum* Gaudich. voy. Freycin. pag. 466. tab. 87. *Helipterum Cassinianum* DC. prodr. T. 6. pag. 216. n. 22. — In Nova Hollandia occidentali ad sinum Canum marinorum detexit cl. Gaudichaud. — Plantam nec vivam nec siccam vidi, sed icon optima, cum analysi florum exactissima, characterem generis nostri egregie illustrat.

Huc quoque referendum videtur *Elichrysum Humboldtianum* Gaudich. l. c. tab. 88. *Helipterum Humboldtianum* DC. prodr. l. c. n. 22. — Sed quum plantam non viderim, et in icone stylus florum abortientium desideretur, dubius adhuc haereo, utrum capitulorum flores centrales masculi sint, an modo steriles. Dijudicent illi, quibus ipsam plantam examinare contigit.

Divisio VI. Leyssereae Lessing.

ATHRIXIA Ker. Endl. gen. n. 2770. Meisn. gen. pag. 220. (138.) DC. prodr. T. 6. pag. 276. n. 579.

Sect. 1. Euathrixia DC.

1. **Athrixia australis** *Steetz.* erecta ramosa, undique pilis mollibus ramentaceis pulverulenta, caule apice corymboso-paniculato, foliis linearibus margine revolutis semiamplexicaulibus utrinque scabriusculis, squamis involucri exterioribus subsquarrosis apice setaceis glabris inferne glanduloso-pilosis, ligulis planis, achaeniis oblongis glabriusculis, pappi setis scabris apice barbellatis.

Asteridea pulverulenta Lindl. Swan-River Bot. pag. XXIV. n. 98?

In arenosis juxta oppidulum Freemantle, d. 7. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 65.

En veram speciem Novo-Hollandicam generis Capensis! *Radix* palaris, crassiuscula, flexuosa, parce ramosa. *Caulis* erectus, teres, purpurascens, et undique pilis mollibus, ramentaceis, articulatis, hyalinis pulverulentus, in inferiore parte simplex, versus apicem corymboso-paniculatus, semipedalis, vel paullo ultra. *Rami* axillares, rigidi, foliati, oligocephali, saepissime capitulo solitario terminati. *Folia* alterna, sessilia, linearia, basi semiamplexicaulia, crassiuscula, obtusa, margine revoluta, utrinque, praesertim subtus scabriuscula, *inferiora* 1-1½-pollicaria, *caetera* sensim breviora, acutiuscula. *Capitula* saepissime folio uno alterove suffulta, hemisphaerica, radiata, multiflora, *Athrixiae sessilifoliae* facie et magnitudine. *Involucri squamae* pluriseriales, numerosissimae, rigidulae, *extimis* paucis brevioribus, *caeteris* subaequilongis; *exteriores* subsquarrosae, basi teretes, et dense glanduloso-pilosae, apice setaceo-attenuatae, glabrae; *interiores* planiusculae, paullo latiores, acutae, margine membranaceae, dorso foliaceae, glanduloso-pilosae, introrsum totae scariosae, glabrae, apice crispato-fimbriatae, post anthesin patentes. *Receptaculum* epaleaceum, areolis elevatis tuberculatum, sub anthesi planum, post anthesin convexum, subhemisphaericum. *Flores radii* foeminei, uniseriales, basi tubulosi, graciles, omnino glabri, apice in ligulam planam, lanceolatam, breviter 3-dentatam, 3-4 lin. longam, lineam latam, in sicco albidam producti, sine ullo labii inferioris vestigio. *Stylus* bifidus, breviter exsertus, apice subclavatus, papillosus. *Flores disci* hermaphroditi, tubulosi, concolores. *Corollae* graciles, breviter 5-dentatae, dentibus glandulosis vel papillosis, obtusis, caeterum glabrae, basi paullisper incrassatae, 3 lin. fere longae. *Antherae* basi longe et manifeste bisetae, apice sensim attenuatae, exsertae. *Stylus* bifidus, in floribus modo apertis inclusus, *ramis* erectis approximatis, demum paullulum exsertus, *ramis* recurvis, apice capitellato-incrassatis, papillosis. *Achaenia* in radio et disco conformia, oblonga, erostria, obsolete angulata, glabriuscula, imo, valde aucta, subpapillosa, matura non nisi semilineam longa, *pappo* paucisetoso coronata. *Setae* 10-12 uniseriales, liberae, ima basi subdilatatae, versus medium capillaceae, scabrae, sursum incrassatae et barbellatae vel subplumosae, corollam aequantes, demum divergentes.

Obs. 1. *Athrixiae sessilifoliae* DC. nostra planta proxima, differt vero prima facie: pappo solummodo setoso, paleis omnino destituto.

Obs. 2. Etiamsi specimen authenticum *Asterideae pulverulentae* Lindl. comparare mihi non contigit, et licet cl. auctor in charactere generico stylum silentio omnino transeat, nihilominus tamen vix haereo, quin eandem stirpem ac nostram ante oculos habuerit, charactere tum generico tum specifico non dissuadente. Sed quomodo fieri posset, ut doctissimus auctor plantam, quae habitu omnibusque characteribus vera *Athrixiae* species est, a genere celebrato separaret, et tanquam novum genus pronuntiaret, sane mirum videretur, nisi in mentem mihi venisset illud Horatianum. „Quandoque bonus dormitat Homerus".

Subtribus VIII. Senecioneae Cassini.

Divisio 2. Erechtiteae DC.

ERECHTITES Rafin. Senecionis spp. Linn. Labill. Endl. gen. n. 2790. Meisn. gen. pag. 214. (136.) DC. prodr. T. 6. pag. 294. n. 598.

Sect. 2. Microderis DC.

1. **Erechtites quadridentata** *DC.* caule herbaceo erecto ramoso apice praesertim sublanuginoso, foliis lineari-lanceolatis sessilibus integerrimis utrinque attenuatis subtus tomentosis, capitulis in paniculam laxam dispositis, involucri cylindrici squamis linearibus acuminatis uniserialibus flores fere aequantibus, achaenio rostrato. DC. prodr. l. c. pag. 295. n. 8.

Senecio quadridentatus Labill. Nov. Holl. sp. 2. pag. 48. tab. 194. Rich. [illegible]trol. pag. 101. Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg. pag. [illegible]

In solo sublimoso mo[illegible]tus Toodyay, d. 15. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 73 et in arenosis vall[illegible], d. 16. Mart. 1839. No. 126. prope Freemantle. Hügel! (V. s. in her[illegible]ndobonn!)

Specimina nostra graciliora et humiliora sunt quam Billardieriana et Hügeliana, quae comparavi. Corymbus eorum oligocephalus, folia minora, vix pollicaria, supra minus arachnoidea. Caeterum non differunt et certissime huc pertinent.

Obs. Inter No. 35 et 36 herbarii Preissiani ramos steriles hujus speciei inveni.

Divisio 3. Eusenecioneae DC.

SENECIO Lessing *). Endl. gen. n. 2811. Meisn. gen. pag. 215. (136.) DC. prodr. T. 6. pag. 340. n. 608.

1. **Senecio Cygnorum** *Steetz.* discoideus, glaber, caule suffruticoso ramoso tereti crasso sulcato, ramis patentibus,

*) Senecionis generis species Novae Hollandiae pariter ludibundae videntur, ac species patriae nostrae, quare difficillimum est, ne dicam, omnino fieri non posse, quin

foliis alternis sessilibus lato-lanceolatis basi sagittato-semiamplexicaulibus apice attenuatis acutis irregulariter dentato-serratis, panicula polycephala, capitulis parvis cylindricis parce squamellatis et breviter pedicellatis, involucri squamis circiter 12 discum subaequantibus, floribus circiter 20 omnibus hermaphroditis tubulosis, achaeniis oblongis teretibus glabriusculis.

In solo calcareo clivuli ad fluminis Cygnorum ripam dextram, haud procul ab oppidulo Freemantle, d. 17. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 70.

„Suffrutex 3-5-pedalis". *Caulis* crassus, teres, sulcatus, ramosus, et, ut tota planta, glaberrimus. *Rami* axillares, patentes, abbreviati, iterum ramosi, *ramulis* divaricatis, in paniculam terminalem, coarctatam, polycephalam congestis. *Folia* alterna, sessilia, utrinque laevia, lato-lanceolata, basi sagittato-semiamplexicaulia, irregulariter dentato-serrata, vel *superiora* integerrima, omnia apice attenuata, acuta vel acuminata, penninervia, nervo medio valido, subtus prominulo, *inferiora* 3-pollicaria, ½-1 pollicem lata, *superiora*, paniculam attingentia, pollicaria, 4-6 lin. lata, *summa*, ramulos fulcrantia, minima, 3-6 lin. non superantia. *Capitula* pedunculata, cylindrica, parva, 1½ lin. longa, lineam fere lata. *Pedunculi* breves, bractea minima subtensi, 1-3 lin. longi, squamis membranaceis 2-3 obsiti. *Involucri* calyculati *squamae* circiter 12, uniseriales, aequilongae, acutiusculae, discum subaequantes, lineam paullo excedentes, 6 totae foliaceae, 6 paullo latioribus, margine membranaceis alternantes, post anthesin apice conniventes. *Calyculi squamae* angustissimae, minimae, 3-5. *Receptaculum* angustum, planum, epaleaceum, levissime alveolatum, demum turbinato-incrassatum. *Flores* circiter 20, omnes tubulosi, hermaphroditi. *Corollae* glabrae, luteae, basi incrassatae, apice ampliatae, 5-dentatae, dentibus patentibus, ovatis, acutiusculis, 1½ lin. longae. *Antherae* subexsertae, utrinque attenuatae, ecaudatae. *Styli rami* inclusi, apice truncati, penicillati. *Achaenia* matura oblonga, teretia, erostria, canescentia, glabriuscula, vel, valde aucta, parce papillosa, ½-¾ lin. longa. *Pappi setae* numerosae, caducissimae, subtilissimae, brevissime denticulatae, albae.

Obs. 1. Specimina omnia deflorata [illegible] non nisi capitula florigera pauca suppetunt.

Obs. 2. *Senectoni odorato* Hornem. [illegible] nostra proxima est, differt vero primo intuitu: involucri squamis 12 [illegible] discum subaequantibus, (nec dimidio fere brevioribus). Praeterea in *Senectone odorato* pedunculi longiores, ramulique erecti sunt, qui in nostro abbreviati et patenti-divaricati occurrunt. Praeterea species nostra ad *Senectonem ramosissimum* DC., (quem non nisi e brevi cl. auctoris diagnosi in prodromo novi,) proxime accedere videtur, sed auriculae foliorum in nostra planta sane non sunt parvae, nec folia angusta, 3 lin. lata, sed lato-lanceolata.

2. **Senecio carnulentus** *DC.* radiatus, subherbaceus erectus ramosus glaber subcarnosus, foliis linearibus aut suboblongis irregulariter pinnatipartitis apice lobis dentibusve obtusis, corymbo laxo paniculato oligocephalo, pedicellis subsquamulosis capitulo longioribus, involucri campanulati squamis dorso calloso-binerviis disco brevioribus

---

secundum pauca specimina sicca, variae formae rite agnoscantur et species stricte definiantur, praesertim, quum cognitio specierum vastissimi hujus generis, hactenus minime absoluta sit. Quare, indulgentiae lectorum benevolorum confidens, inprimis hasce pagellas, in quibus de Senecione agitur, aequo judicio illorum commendo, quorum vires majora valent.

margine scariosis, ligulis oblongis 4-5-nerviis, floribus disci 30-40, achaeniis glabris. DC. l. c. pag. 372. n. 175.

Senecio pinnatifolius Rich. et Less. voy. Astrolab. pag. 117. n. 48. Benth. in Endl. Enum. pl. Hüg. pag. 67. n. 221.

Hujus speciei, ut videtur, maxime variabilis, duae formae memorabiles occurrunt, quae fortasse species duas, revera diversas, exhibent.

α. **latiloba** nobis. foliorum rhachi late-lineari, lobis abbreviatis, capitulis latioribus, involucro turbinato.

In arenosis subumbrosis sylvae ad lacum Dunjambur, prope oppidulum Perth, d. 16. Julii 1839. Herb. Preiss. No. 110. In insula van Diemen leg. cl. Lawrence. Herb. Lawr. No. 214. (V. s. in herb. aulico Vindobonn!)

β. **angustissima** nobis. foliorum rhachi angustissima, lobis elongatis, capitulis angustioribus, involucro campanulato.

In arenosis insulae Rottennest, d. 20. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 109 et No. 108 (ex parte)*). Swan-River. Hügel! Ferd. Bauer! (V. s. in herb. aulico Vindobonn.!)

„Herba 1-2-pedalis, flores flavi".

Utraque forma habitum peculiarem prae se fert, utrum vero peculiarem speciem efficiat, an non, certo dijudicare non audeo. *Involucra* in utriusque speciminibus sub anthesi discum fere aequant, post anthesin vero evidenter breviora sunt. *Achaenia* in varietate *α*) tum glabra, tum appresse pubescentia observavi, in *β*) semper pubescentia. Quare censeo, characterem ex achaeniorum indumento desumtum, in *Senecionis* genere fallacem et valde inconstantem esse.

3. **Senecio crithmifolius** *A. Rich.* et *Lesson.?* radiatus, caule suffruticuloso ramoso glabro, foliis carnosis linearibus integerrimis sinuatis aut parce pinnato-lobatis, ramis in pedunculum squamigerum mono-aut oligocephalum aphyllum productis, bracteis sub capitulo 4-5 lanceolatis, involucri campanulati squamis dorso calloso-binerviis disco subaequalibus margine scariosis, ligulis oblongis patulis 4-5-nerviis, achaeniis appresse pubescentibus. A. Rich. et Less. voy. Astrolab. pag. 116. n. 47. DC. l. c. pag. 372. n. 176.

In litore arenoso Point Possession, d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 112 et in arenosis oppiduli Freemantle ubique, d. 16. Dec. 1838. No. 114. King George Sound. Hügel? (V. s. in herb. aulico Vindobonn.)

Utrum planta nostra verus *Senecio crithmifolius* Rich. sit, an species nova, adhuc mihi dubium est, quum specimina authentica nondum viderim. Descriptio quidem cl. Richardii cum speciminibus nostris satis accurate congruit. Planta humilior, quam species antecedens, pedalis et revera suffruticosa. *Folia* minora vix pollicaria, et multo magis carnosa sunt, quam in illa, saepe integerrima, vel lobis paucis, linearibus instructa. *Pedunculi* in omnibus speciminibus angulati sunt, ut in *Senecione tripartito* Rich., quos in *Senecione carnulento* semper teretes observavi. De hoc signo quidem cl. Richard l. c. omnino tacet. *Panicula* quidem multo magis contracta est, quam in specie praecedente, sed semper plura fert, quam 5 capitula, ut vult cl. Richard l. c., scilicet 12-16. Specimina sub No. 114 edita sunt plane deflorata, sed caeterum omnino eadem ac sub No. 112.

*) Specimina quaedam in herbario Preissiano, errore chirographo, No. 108 designata sunt.

Tribus V. Cynareae Less.

Subtribus II. Arctotideae Cass.

Divisio 1. Arctoteae DC.

CYMBONOTUS Cassini. Gaudich. in Freycin. voy. bot. pag. 462. tab. 86. Endl. gen. n. 2831. Meisn. gen. pag. 223. (139.) DC. prodr. T. 6. pag. 491. n. 630.

1. **Cymbonotus Preissianus** *Steetz.* acaulis, foliis radicalibus elongatis oblongis lyrato-runcinatis basi attenuatis supra scabriusculis subtus dense albo-lanatis, lobis inaequalibus subtriangularibus calloso-mucronatis, scapis pluribus monocephalis petiolis multo brevioribus.

In Australasia occidentali leg. cl. Preissius bina tantum specimina. Herb. Preiss. No. 180.

Affinis quidem *Cymbonoto Lawsoniano* Gaud., (cujus specimina sicca in herb. reg. Berolinensi et in herb. amic. cl. Zuccarinii vidi, cujusque iconem l. c. comparavi,) sed certissime species distincta. Differt enim prima fronte: foliis multo longioribus, subtus multo densius lanatis, profunde incisis, lyrato-runcinátis, praesertim vero scapis brevissimis, petiolis multoties brevioribus, qui in *Cymbonoto Lawsoniano* longitudinem foliorum fere aequant. Planta nostra sic se habet: *Folia* omnia radicalia, in petiolum 1-2½-pollicarem, albo-lanatum attenuata, elongata, cum petiolo semipedalia et ultra, medio 1½ pollices lata, lyrato-runcinata, *lobis* subtriangularibus, margine plerumque integris, calloso-mucronatis, *ultimo* utplurimum paullo majore, inciso-dentato, *infimis* versus petiolum sensim decrescentibus, supra scabriuscula, subtus dense albo-lanata. *Scapi* plures, teretes, petiolis multo breviores, rarissime pollicem excedentes, plerumque semipollicares, molliter albo-lanati. *Involucri squamae* 2-3-seriales, subaequales, lanceolatae, acutae, extrorsum dense albo-lanatae, introrsum glabriusculae, 3 lin. circiter longae; *exteriores* margine sphacelatae, *interiores* exterioribus alternantes, margine apiceque angustissime membranaceae. *Receptaculum* planum, alveolatum, alveolis margine fimbrilliferis. *Flores foeminei* in ambitu uniseriales, radiantes, creberrimi, glabri, basi tubulosi, in *ligulam* angustam, 3-nervem, in sicco sulphuream, producti, cum tubulo 3 lin. circiter longi. *Stylus* exsertus, basi glaber, medio papilloso-scaber, apice breviter bifidus, *ramis* complanatis, dilatatis, apice attenuatis, papillosis. *Flores hermaphroditi* centrales, numerosi, tubulosi, concolores. *Corollae* filiformes, versus medium valde ampliatae, basi incrassatae, apice breviter 5-dentatae, dentibus erectis acutis, parce glandulosae, 1½-1¾ lin. longae. *Filamenta* paullo infra insertionem antherarum tortuosa; *antherae* basi rotundatae vel breviter caudatae. *Stylus* breviter exsertus, basi bulbosus, inferne glaber, versus apicem obsolete nodosus; *rami* supra nodum mediotenus concreti, summo apice divergentes, planiusculi, papillis brevissimis, patentibus hispidi. *Achaenia* conformia, oblonga, cylindrica, 1½ lin. longa, crassa, dorso bialata, alis inflexis, nigrescentia, glabra, calva, ubique tuberculato-rugosa.

CRYPTOSTEMMA R.Br. Endl. gen. n. 2836. Meisn. gen. pag. 223. (139.) DC. prodr. T. 6. pag. 495. n. 635.

1. **Cryptostemma calendulaceum** *R.Br.* caulescens, caulibus monocephalis folia aequantibus vel superantibus, foliis elongatis lyrato-runcinatis, supra scabriusculis subtus albo-lanatis, lobis inaequalibus margine irregulariter inciso-serratis, serraturis calloso-mucronatis, ligulis integris. — DC. l. c. n. 1. Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 67. n. 222.

In arenosis umbrosis depressis prope oppidulum Freemantle, d. 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 129. King George's Sound Hügel! (V. s. in herb. aul. Vindobonn!)

Specimina nostra, pessime quidem praeparata et siccata, cum Hügelianis omnino congruentia, a planta Capensi differre non videntur.

Tribus VI. Mutisiaceae Less.

Subtribus I. Mutisieae Less.

Divisio II. Eumutisieae DC.

AMBLYSPERMA Benth. in Endl. Enum. pl. Hügel. pag. 67. n. 223. Endl. gen. n. 2924. Meisn. gen. pag. 229. (141.) DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 20. n. 716.

1. **Amblysperma scapigerum** *Benth.* foliis radicalibus petiolatis oblongis sinuato-dentatis supra glabris subtus albo-lanatis, scapo erecto laxe lanato sparse squamigero monocephalo. Benth. l. c. DC. l. c.

In solo humoso promontorii Cape-Riche, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 64. Swan-River Hügel! (Comparavi specimen authenticum in herb. aulico Vindobonnensi!)

In speciminibus omnibus folia desiderantur. In schedulis cl. peregrinator: „Folia peritura" annotavit, quibus verbis, ut opinor, significare voluit, folia radicalia hysteranthia esse. Planta nostra cum Hügeliana omnino congruit.

Tribus VIII. Cichoraceae Vaill.

Subtribus IV. Hypochaerideae Less.

HYPOCHAERIS Linn. DC. Endl. gen. n. 2985. Meisn. gen. pag. 233. (143.) DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 90. n. 792.

1. **Hypochaeris glabra** *Linn.* foliis radicalibus lanceolato-oblongis runcinatis aut sinuato-dentatis glabris aut hirtis, scapis glabris nudis ramosis simplicibusve, involucris glabris, achaeniis radii suberostribus, disci longe rostratis, pappo biseriali. DC. l. c. n. 2. Flor. danica tab. 424.

In arenosis terrae inferioris ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 119.

Specimina a planta Germanica nullo modo recedunt, quare forsan non indigena, sed introducta sunt. *Scapi* subsimplices vel parce ramosi, 6-8-pollicares. *Folia* runcinata, 2-pollicaria, glabra *).

Subtribus VI. Scorzonereae Less.

PICRIS Linn. Juss. Endl. gen. n. 2999. Meisn. gen. pag. 235. (144.) DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 128. n. 816.

Sect. 1. Eupicris DC.

1. **Picris squarrosa** *Steetz.* strigosa, caule erecto apice in corymbum oligocephalum terminato, foliis alternis lanceolatis subintegris, inferioribus in petiolum basi dilatatum semiamplexicaulem attenuatis, superioribus sessilibus, summis remotis minimis, pedicellis monocephalis, involucri 3-4-serialis squamis exterioribus squarrosis apice recurvis in pedicellum descendentibus, achaeniis badiis breviter rostratis transverse rugulosis, pappo omnium plumoso.

In solo limoso districtus Vasse et Murray, d. 8. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 108 (ex parte).

Species corymbo abbreviato et involucri 3-4-serialis squamis exterioribus squarrosis, jam prima fronte optime distincta. *Radix* palaris, simplex.

---

*) *Cycnoseris* Endlicher in Bot. Zeitung 1. Jahrgang (1843) 27. Stück pag. 456 et 458, genus ab *Hypochaeride* non satis diversum mihi videtur. *Corollae tubus apice pilorum corona cinctus* etiam in nostris *Hypochaeridis* speciebus observatur, et *capitula homocarpa, achaeniis omnibus rostratis* in *Hyp. Balbisii* et *radicata* occurrunt. Si vero propter hunc characterem genus conservare velis, tunc etiam utraque species modo memorata in idem genus caderet.

Caulis crassus, erectus, teres, striatus, 2-3-pedalis, et ut tota planta pilis, utplurimum apice glochidiato-bifidis, strigosus, inferne foliatus, superne nudiusculus. *Folia* alterna, lanceolata, acuta, integerrima, vel dente uno alterove levissimo, remoto hinc inde instructa, *inferiora* elongata, 3-4-pollicaria, 3-6 lin. lata, in petiolum basi dilatatum, semiamplexicaulem attenuata, *superiora* sensim breviora et angustiora, sessilia, basi semiamplexicaulia, *summa* 3-6 lin. longa, ovata, remota. *Pedunculi* 1-6, monocephali, subangulati, abbreviati, 1-2-pollicares, alii toti nudi, alii foliis squamaeformibus dense vestiti. *Capitula* multiflora, circiter semipollicaria. *Involucri* 3-4-serialis *squamae* foliaceae, lineares, acutae, scabriusculae, 4-5 lin. longae, *exteriores* breviores, laxae, squarrosae, apice recurvae, in pedunculum descendentes. *Receptaculum* nudum, levissime tuberculatum. *Corollae* numerosae, caeterum ut in *Picr. hieracioide*, sed apice profundius incisae. *Achaenia* cylindrica, apice brevissime attenuato-rostrata, plerumque leviter curvata, sulcata, transverse rugosa, badia, 2-2¼ lin. longa. *Pappus* duplex, *setae* utriusque seriei subinaequales, *interiores* numerosae, crassiusculae, dense plumosae, pinnulis tenuissimis, 3 lin. circiter longae, *exteriores* multo rariores brevioresque, denticulatae.

Obs. Specimina omnia fere deflorata, fructifera sunt.

Subtribus VII. Lactucbae Less.

SONCHUS Linn. Cassini. Endl. gen. n. 3003. Meisn. gen. pag. 237. (145.) DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 184. n. 840.

1. **Sonchus oleraceus** *Linn.* caule erecto glabro aut rarius ad apicem piloso-glanduloso ramoso, foliis caulinis amplexicaulibus argute dentato-ciliatis runcinatis aut indivisis, auriculis acuminatis, involucris pedicellisque glabriusculis, achaeniis secus nervulos transverse muriculato-rugosis.

   Sonchus oleraceus Linn. var. *α* et *β* sp. 1116. Oed. flor. dan. tab. 682.

   Sonchus ciliatus Lam. flor. franç. 2. pag. 87. DC. l. c. pag. 185. n. 6.

   Sonchus laevis Vill. Delph. 3. pag. 158.

   In arenosis prope oppidulum Freemantle, d. 9. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 117.

   Specimina omnia tota glaberrima sunt. *Folia* glaucescentia, runcinato-pinnatifida, *pinnis* inaequaliter et acute dentatis, subspinulosis. Caeterum a speciminibus Europaeis non differunt.

2. **Sonchus asper** *Vill.* caule erecto glabro aut rarius ad apicem piloso-glanduloso ramoso, foliis amplexicaulibus argute elongato-dentatis runcinatis aut indivisis, auriculis rotundatis, pedunculis involucrisque basi subhispidulis glabrisve, achaeniis laevibus utrinque trinervulatis.

   Sonchus asper Vill. Delph. 3. pag. 158. flor. dan. tab. 893.

Sonchus oleraceus var. γ et δ Linn. sp. 1117.

Sonchus fallax Wallr. sched. crit. pag. 432. DC. l. c. pag. 185. n. 7.

In turfosis inter gramina nita ad fluminis Cygnorum ripam dextram, prope oppidulum Freemantle, d. 12. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 116.

Etiam haec specimina tota glaberrima sunt et plantam Europaeam omnino referunt. *Folia* runcinato-sinuata, margine inaequaliter et acute dentata, subspinulosa *).

PLANTAGINEAE Vent. Endl. gen. pag. 346.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

PLANTAGO Linn. Endl. gen. n. 2170. Meisn. gen. pag. 315. (226.)

b. Coronopus Endl. l. c.

1. **Plantago varia** *R.Br.* pilosa, foliis elongato-lanceolatis trinervibus dentatis (integerrimisve) scapoque basi lanatis, spica multiflora. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 424. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 280. n. 1.

---

*) In collectione Preissiana desiderantur species hae Novae Hollandiae austro-occidentali indigenae: *Myriocephalus appendiculatus* Benth. (Swan-River, Hügel.) *Quinetia Urvillaei* Benth. Cassini? (King Georges Sound, Hügel.) *Rhytidanthe scabra* Benth. = *Leptorhynchus Rhytidanthe* Benth. ined. (Swan-River, Hügel.) *Xyridanthe striata* Lindl. Swan-River Bot. pag. XXIII. n. 95. (Drummond.) *Astr exul* Lindl. ibidem pag. XXIV. n. 99. (Drummond.) *Lophoclinium citrinum* Endl. Bot. Zeitung 1843. 27. Stück pag. 457. *Lophoclinium Manglesii* Endl. ibidem. *Lophoclinium album* Endl. ibidem. *Cycnoseris australis* Endl. ibidem pag. 459.

Specimina vel sterilia vel deflorata, vel ita manca, ut rite definire haud valuerim, sub hisce numeris edita sunt: Sub No. 3. *Helichryси* generis species, affinis *Hel. bicolori* Lindl. Sub No. 22. *Chrysocephali* generis species, affinis *Chrysocephalo helichrysoidi* Walp. Sub No. 43. *Pteropogonis* generis forsan nova species. Sub No. 71. Planta, quoad genus omnino dubia, fortasse ad *Angiantheas* referenda. Sub No. 75, 89 et 91. *Eurybiae* generis species diversae, sectioni primae *Brachyglossae* adnumerandae. Sub No. 102 et 104. *Vittadiniae* generis species videntur. Sub No. 111. *Senecionis* generis species. Sub No. 113. Frustulum, *Senecioni vulgari* Linn. quam maxime affine, et fortasse revera idem. Sub No. 115. *Erechtitis* species. Sub No. 123. *Senecionis* species, *S. ramosissimo* DC. affinis. Sub No. 125. *Erechtitis* species. Sub No. 2445. Planta pusilla, ut opinor, novum genus, habitu proxime ad *Chthonocephalum* nostrum accedens, sed distributione florum et achaeniis pappo paleaceo coronatis valde divergens. Flores unici capituli non aperti sunt, quare examinationem frustra institui. Specimina sub No. 88 et No. 124 in manus meas non venerunt.

In solo sublimoso prope Beljarup, Goderich, Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1970.

Folia canescenti-hirsuta, vel integra vel in medio dentibus duobus, uno utrinque, subopposítis patentibus linearibus obtusis praedita. *Petioli* longi. ⊙

2. **Plantago debilis** *R.Br.* pubescens, foliis lanceolatis dentatis integerrimisve trinervibus, spicae floribus inferioribus distinctis. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 425. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 281. n. 2.

In arenosis umbrosis sylvae haud procul ab ora maritima Perth, Junio, et in arenoso-conchyliosis humidis prope lacum insulae Rotenest, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 1968 et 1969.

Satis distincta est a *Plantagine varia* foliis tenuioribus scapisque incurvis pubescentia breviore laxioreque vestitis viridibus, spicaque basi magis interrupta. — Variat, uti praecedens: foliis aliis integerrimis aliis in medio utrinque unibidentatis, tum spica vel longiore vel breviore, et ea tamen basi semper interrupta. ⊙

PROTEACEAE R.Br. *)

(Auctore C. F. Meisner.)

PETROPHILA R.Br. Endl. gen. n. 2121. Meisn. gen. pag. 331. (244.) Atyli sp. Salisb.

§. 1. Folia indivisa, filiformia v. rarius linearia. Nux lenticulari-compressa, margine et intus comosa. Stigma articulatum, articulo inferiore turbinato angulato glabro, superiore cylindrico acuminato tomentoso.

1. **Petrophila brevifolia** *Lindl.* foliis uncialibus, teretibus, mucronatis, exsulcis ramisque glabris; strobilo terminali, sessili, ovato; squamis glabris, exterioribus linearibus longe acuminatis (demum albidis) interioribus ovatis acutis (fuscis) subenerviis; calycibus dense sericeo-villosis, stigmatis articulo superiore barbato inferiore vix longiore. — Lindley, Swan-River (Bot. Reg. 1839. Appendix) pag. XXXV. n. 168.

In planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 631 et in regionibus interiór. Australiae meridionali-occidentalis m. Febr. 1841. No. 632. (Drummond Coll. I. in Hb. DC.!)

---

*) Quotiescumque hujus ordinis species in pagellis sequentibus signo exclamationis, nomini auctoris adposito, designatae sunt, lector intelligat, specimina ipsius auctoris autographa Herbarii Candolleani a nobis examinata et cum Preissianis et Drummondianis comparata esse.

„Frutex 1-1½-pedalis“, *caule* erecto, simplici vel apice 1-2-ramoso, cortice rugoso fusco vel albido-cinereo glabro. *Folia* 8-14 lin. longa, ½-¾ lin. crassa, laevia, livide viridia, inferne paullo attenuata, mucrone recto pungente atro brevi, rarius semilineam longo. *Strobilus* diametro circ. pollicari. *Involucri* squamae exteriores erectae, 2-2½ lin. longae, e basi fere ⅔ lin. lata, sensim in acumen subulato-setaceum attenuatae, subcarinatae, margine albidae, medio (carina) lividae. *Flores* 5 lin. longi, aureo-villosi, tubo lineam crasso, lacinilis acutis. *Stigmatis* articulus superior sesquilineam longus, inferne pube brevi patente fulva dense barbatus, apice breviter attenuatus, glaber, obtusus.

2. **Petrophila crassifolia** *R.Br.* foliis elongatis, teretibus, submuticis, exsulcis ramisque glabris; strobilis terminalibus axillaribusque, sessilibus, ovato-globosis; squamis dilatato-orbicularibus muticis, enerviis, exterioribus conformibus minoribus; calyce dense sericeo-villoso; stigmatis articulo superiore stuposo inferiore vix longiore. — R.Br. prodr. suppl. pag. 5.

In rupestribus collium Konkoberup promontorii Cape Riche, d. 26. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 630.

„Frutex pedalis“. *Caulis* inferne digiti minoris crassitie, ramis brevibus adscendentibus, cortice rugoso fusco, juniore subsanguineo. *Folia* 2-5-pollicaria, lineam crassa, inferne paullo attenuata, recta v. saepius plus minus incurva, laevia, apice obtusa v. acutiuscula, mucrone nullo. *Strobili* floriferi calycesque (albido-villosi) fere praecedentis, fructiferi ovati, 8 lin. longi aut saepe dimidio minores, subglobosi; *squamae* discretae, latiores quam longae (2-4 lin. latae) obtusae, demum patentes, nucularum coma livida squamas vix superante.

3. **Petrophila media** *R.Br.* foliis elongatis, teretibus, mucronatis v. demum muticis, exsulcis ramisque glabris; strobilis terminalibus, subsessilibus, globosis; squamis interioribus (fuscis) ovatis, acutis, enerviis, demum subreflexo-patentibus; exterioribus longioribus (albidis) linearibus subulato-acuminatis erectis; calyce sericeo-villoso; stigmatis articulo superiore inferiore parum longiore barbato apice nudo obtuso. — R.Br. suppl. pag. 5.

In arenosis sylvae prope lacum Kei-er-mu-lu s. Monger's-lake, Perth, d. 5. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 628; in porrectis arenosis sylvae prope oppidum Albany, Plantagenet No. 620; in monte Baldhead et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. No. 629.

„Frutex pedalis v. dodrantalis, erectus“. *Caulis* basi crassitie digiti minoris, pluries ramosus, cortice cinerascente v. albido subrimoso. *Folia* 3-pollicaria, (infima saepe vix pollicaria) interdum illis *P. crassifoliae* vix tenuiora, mucrone recto pungente atro basi pallido lineam longo, demum deciduo. Capitula, squamae, calyx (sulphureo-villosus) et stigma omnino *P. brevifoliae*, quam meram ejus varietatem sistere suspicamur. — Habitu, foliis praecipue valde accedit ad *P. teretifoliam**) quae tamen capituli ovati squamis, calycis lobis angustioribus obtusiusculis et stigmatis articulo superiore longiore toto stuposo facile distinguenda.

---

*) **P. teretifolia** R.Br. foliis teretibus, elongatis, submuticis, exsulcis ramisque glabris; strobilis terminalibus axillaribusque, subsessilibus, ovatis; squamis interioribus late ovatis, enerviis, puberulis, exterioribus paucis vix longioribus linearibus acuminatis;

4. **Petrophila longifolia** *R.Br.* foliis longissimis, teretibus, acutis, exsulcis ramisque glabris; strobilis terminalibus lateralibusque, sessilibus, ovatis; squamis fuscis, glabris, subenerviis, interioribus late ovatis breviter acuminatis acutis, exterioribus longioribus e basi ovata subulato-attenuatis semierectis; calyce adpresse sericeo-tomentoso; stigmatis articulo superiore stuposo inferiore parum longiore. — R.Br. suppl. pag. 5.

Inter frutices densos planitiei subturfosae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, m. Oct. 1839 et 1840. Herb. Preiss. No. 623 et 625.

Specimina quae vidimus omnia cum var. *α lorea* („foliis caulem abbreviatum superantibus, squamis amenti subenerviis", R.Br. l. c.) conveniunt. *Caulis* subpedalis v. saepius multo brevior, subsimplex, ad apicem usque sanguineo-fuscus. *Folia* 8-12-pollicaria, vix semilineam crassa, erecta v. incurvo-adscendentia, mucrone brevi atro sensim acuminata v. simpliciter acuta. *Capitula* revera semper caulem v. ramulos (breves) terminantia, sed ramo uno alterove proxime evoluto demum pseudo-lateralia, magnitudine *P. mediae*, floribus tantum paullo minoribus; *squamae* interiores demum 3-3½ lin. latae, (latiores quam longae) patentes, exteriores 3-5 lin. longae ovato-v. lanceolato-acuminatae, rigidae, dorso convexae. *Calycis* villositas brevis, adpressa, flavido-argentea. *Stigmatis* articulus superior propter barbam stuposam ejusdem crassitie videtur ac inferior, apice nudo obtuso brevissime e barba exserto. — „Florum odor similis *Convallariae majalis*".

5. **Petrophila juncifolia** *Lindl.* foliis longissimis, teretibus, acutis, exsulcis ramisque apice glaucescentibus glabris; strobilis terminalibus lateralibusque, subsessilibus, ovatis; squamis glabris, subenerviis, interioribus fuscis ovatis acutis, exterioribus (albidis) lineari-subulatis, erectis; calyce adpresse sericeo-tomentoso; stigmatis articulo superiore barbato inferiore duplo longiore. — Lindley, Swan-River pag. XXXV. n. 169.

In arenosis subhumidis et sublimosis planitiei ad flum. Canning, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 621; in depressis sylvae prope praedium rusticum Bassandeen ad flum. Cygnorum, d. 13. Oct. 1839. No. 622; inter gramina fruticesque planitiei prope praed. rust. cl. Nairu ad flum. Canning gregatim crescens, d. 22. Jul. 1839. No. 624 et in solo sublimoso district. Nelson, d. 14. Dec. 1839. No. 627. (Drummond n. 556 et Coll. I.)

Praecedenti admodum similis (folia et inflorescentia penitus eadem) attamen notis indicatis constanter distincta. *Rhizoma* subterraneum horizontale, lignosum, pollicis crassitie, caules plures erectos semipedales penna anserina vix crassiores emittens; *caules ramique* laeves, pallide carneo-flavescentes, apice plus minus glaucescentes et squamis nonnullis subfoliaceis adpressis fuscis triangularibus acuminatis muniti. *Capitula* interdum 8-12, dense aggregata. *Squamae* exteriores eaedem ac *P. mediae* inferne minus quam *P. longifoliae* dilatatae, demum fuscescentes, interiores semper longiores quam latae et sensim acuminatae. „Flores citriodori, suavissimi". — Sub No. 622. habemus monstrositatem egregiam, strobilo, axi squamisque elongatis, in spicam laxiusculam sesquipollicarem inferne proliferam (ramulos bre-

---

calyce dense sericeo villoso; stigmatis articulo superiore stuposo, inferiorem triplo superante. — R.Br. prodr. pag. 364. — *P. longifolia* A. Cunningham! in Herb. DC. (non R.Br.) — Inter plantas Preissianas haud occurrit, nisi forsan cum simillima *P. media* commixta.

ves steriles foliosos emittentem) converso! Squamae hujus speciminis bracteas sistunt foliaceas, lineares obtusiusculas patulas plus minus nervoso-striatas, basi parum dilatatas.

6. **Petrophila acicularis** *R.Br.* foliis elongatis, teretibus, supra obsolete unisulcis ramisque glabris; strobilis terminalibus lateralibusque, sessilibus, subglobosis; squamis fuscis, glabris, interioribus ovatis pungenti-acuminatis, nervoso-striatis, exterioribus longioribus subulatis subfoliaceis basi dilatatis; calyce adpresse sericeo-villoso, squamas vix superante; stigmatis articulo superiore barbato inferiore duplo longiore. — R.Br. prodr. pag. 364.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Sinus Regis Georgii III., d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 626. (A. Cunningham! in Herb. DC.)

„Frutex 3-pedalis, strictus". *Caulis* nunc simplicissimus, penna corvina vix crassior, apice monocephalus, foliis tenuibus brevioribus (2-3-pollicaribus) nunc penna anserina crassior, superne ramosus (saepe dichotomus) foliis paullo crassioribus (fere *P. juncifoliae*) longioribusque (semipedalibus). *Rami* sulcato-rugosi, sanguineo-fusci, superne leviter cinerascentes, subnitidi. *Strobili* praecedentibus paululum majores et compactiores; *squamae* interiores 2-3 lin. longae, apice exserto triangulari 2-2½ lin. lato, sensim in acumen pungens abeunte, nervis acute prominulis, 7-9 striato; exteriores duplo-quadruplo longiores, subulatae, basi tantum paullo dilatatae, infimae pollicares et ultra, foliiformes viridesque. *Flores* argenteo-sericei.

7. **Petrophila linearis** *R.Br.* foliis planis, verticalibus, crassis, spathulato-linearibus, falcatis rectisve, inferne teretibus, laeviis ramisque glabris; strobilis terminalibus axillaribusque, demum ovatis; squamis late ovatis, breviter acuminatis, enerviis, exterioribus longioribus linearisubulatis; calyce villosissimo; stigmatis articulo superiore barbato inferiore deorsum attenuato vix longiore. — R.Br. suppl. pag. 6.

In arenosis sylvae circa oppidum Perth, d. 13. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 636. (Drummond n. 558 et Coll. I.)

„Frutex 1-2½-pedalis", ramosus. *Rami* plus minus rugosi fusci, epidermide cinerea tenui demum rimosa et secedente. *Folia* 2-4-pollicaria, 1½-3 lin. lata, inferne attenuata et plus minus teretia, plerumque falcata, crassiuscula, rigida, pallide glaucescenti-viridia, a latere compressa, obsolete 1-nervia v. sulcato-lineata, marginibus obtusissimis, apice acuto v. mucronulo saepe obliquo v. recurvo apiculato rarius obtusissimo. *Strobili* terminales et in summis axillis sessiles, saepe approximati et capitulum magnum compositum constituentes; *squamae* interiores fuscae, latae, breviter sed acute acuminatae, apice extus nonnunquam puberulae; interiores pallescentes 3-4 lin. longae, e basi parum dilatata sensim subulato-attenuatae. *Calyx* 8-12 lin. longus, pube molli patula vix sericea pallide fulva v. livide flavescenti-albida densissime villosus, tubo lineam crasso, limbo ante explicationem parum crassiore, obtusiusculo. *Stigmatis* articuli singuli sesquilineam longi, inferiore in stylum sensim attenuato, superioris apice nudo barbam brevissime superante. *Nucularum* coma longiuscula, livide cinerea, inter strobili (ovati subpollicaris) squamas longiuscule exserta.

8. **Petrophila ericifolia** *R.Br.* foliis brevibus, imbricato-adpressis, teretibus, subexsulcis, laevibus, glabris muticis, apice obtuso subtus glandula punctiformi notato; strobilo

terminali, folia superante, ovato; squamis rufis, oblongo-lanceolatis acutis, viscidis, basi villosis, acumine glabro deciduo; calyce tenui, piloso; stigmatis articulo superiore pubescente acuminato inferiore tenui fere duplo longiore. — R.Br. suppl. pag. 5.

In planitie arenosa prima cis flum. Gordon, Hay, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 650.

„Frutex $2^1/_2$-pedalis", tota facie *Stilben* imitans. *Ramuli* plerumque subumbellati, juniores tomentoso-puberuli, foliis conferte imbricatis fere toti absconditi. *Folia* 2-3 lin. longa, rigida, recta, intus saepius obsolete unisulca, extus laevia v. sub lente hinc inde parcissime papilloso-scabriuscula, apice obtusissimo extrorsum puncto glanduloso fusco areola pallida cincto notata. *Strobilus* nucis *Juglandis* mole; *squamae* arcte imbricatae infraque conglutinatae, fere lanceolatae, utrinque attenuatae, juniores inferne flavae et plus minus pilosae, superne fuscae, glabrae, 3-4 lin. longae; fructiferae semipatulae, basi connatae, acumine delapso ovatae obtusae et toto dorso villosae. *Calyx* filiformis, squamas parum superans, flavus? superne glabrescens. *Stigma* faciforme, infra medium obsolete articulatum, articuli superioris puberuli acumine nudo, *Strobilus* fructifer fere pollicaris, diametro 9 lin., basi subdepressus; *nuculae* obovatae, styli basi filiformi caudatae, dorso obtuse carinatae (inaequaliter triquetrae) toto margine pilis sericeis longiusculis rufo-albis comosae *).

§. 2. Folia teretia v. semiteretia, pinnatim v. ternatim laciniata. Strobili squamae discretae. Stigma inarticulatum hispidulum.

a. Nux lenticulari-compressa, intus marginibusque comosa.

9. **Petrophila seminuda** *Lindl.* foliis teretibus, subsulcatis, glabris, biternatis, segmentis pungentibus inter se et petiolo subaequalibus v. intermedio breviore; strobilis terminalibus, sessilibus, ovatis; squamis fuscis, ovatis, acutis; interioribus majoribus, ovatis, inferne albo-lanatis, acumine calvo tarde deciduo; exterioribus parvis, lanceolatis, glabris; calyce glabro; stigmate fusiformi inferne glabro, superne puberulo. — Lindley, Swan-River pag. XXXIV. n. 166.

*) **Petrophila scabriuscula** Meisn. foliis brevibus, laxiuscule imbricatis, teretibus, obsolete 1-sulcis, mucronulatis acutisve, minute punctato-scabriusculis, junioribus pubescentibus; strobilis terminalibus, folia superantibus, subglobosis; squamis oblongo-lanceolatis, acutis, inferne dense villosis, acumine fusco glabro; calyce clavato, villoso; stigmatis articulo superiore puberulo, inferiore turbinato duplo longiore. — Swan-River, Drummond n. 551. — Species insignis, facie *P. ericifoliae* simillima, sed characteribus indicatis bene distincta nec, ni graviter fallor, mera ejus varietas. *Folia* duplo longiora, constanter acuta aut mucronulo apiculata, vix adpressa, apice saepius levissime recurva, omnia sub lente papillis acutis setulisve brevissimis apicem spectantibus dense muriculata indeque tacta scabriuscula. *Capitula* breviora et magis globosa; *squamae* haud viscido-adglutinatae, juniores jam inferne toto dorso livide villosae. *Flores* paullo majores, magis exserti totique densius villosi, lividi. *Stigma* fere idem, articulo superiore paullo longiore, inferiore minus attenuato. Fructum non vidimus. — A *P. phyllicoide* R.Br. suppl. pag. 6, plurimis notis abhorret.

In limoso-arenosis „Colonial Church Grant" ad flum. Cygnorum, d. 14. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 635; in planitie arenosa ad radices montis Currie, Howick, d. 15. Apr. No. 634; in planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 26. Mart. 1840. No. 633 steril. et in region. interior. Austr. merid.-occid., m. Febr. 1841. No. 661. (Drummond n. 561, 562, 572. et coll. I.)

„Frutex 2-pedalis". *Rhizoma* hypogaeum lignosum, digiti crassitie, horizontale, tortuosum, fuscum, rimosum, superne caules erectos et surculos plures seriatim v. subfasciculatim emittens. *Ramt* rigidi, atropurpureo-fusci, glabri, rugoso-sulcati, juniores laeviusculi epidermide cinerascente tecti. *Folia* satis conferta, semierecta, rigida, 2-3-pollicaria, tripartita, segmentis iterum 3-partitis v. lateralibus interdum bifidis indivisisve, laciniis ½-1 poll. longis filiformibus in mucronem pungentem apice fuscum attenuatis, supra tenuiter unisulcis et praeterea plus minus rugoso-striatis. *Strobili* magnit. *P. ericifoliae. Squamae* exteriores 2-3-seriales ovato-lanceolatae, 2-3 lin. longae, acumine pungente sphacelato, interiores circ. duplo majores, late ovatae, inferne inter se cohaerentes et dorso lanugine densa brevi albo-tomentosae, acumine triangulari acuto, patulo, glabro, flavo v. rufo. *Flores* semi-exserti, 4-5 lin. longi, lutei, glaberrimi, limbo ante explicationem tubo parum crassiore et vix dimidio breviore, obtuso. *Stigma* inarticulatum! 2 lin. longum, superne pube brevi hispidulum, apice obtusiusculo basique attenuata glabrum. *Nucularum* coma alba inter strobili squamas exserta. Variat foliis tenuioribus, plerumque simpliciter trifidis, saepe sanguineis (Preiss. No. 633, 634, 661.) et crassioribus, segmentis divaricatissimis (Drumm. n. 572.) strobilisque dimidio minoribus, (Drummond n. 562 in Hb. Shuttl.)

10. **Petrophila Drummondii** *Meisn.* foliis teretibus pinnatis, sulcatis, pungentibus, ramisque pubescentibus, demum glabris, segmentis 3-5-jugis oppositis indivisis, inferioribus petiolo subaequalibus superioribus sensim decrescentibus; strobilis terminalibus, sessilibus, ovatis; squamis ovato-lanceolatis acutis glutinosis, exterioribus glabris, interioribus sensim majoribus inferne laxe lanuginoso-pilosis, acumine calvo demum deciduo; calyce laxe piloso; stigmate fuciformi (inarticulato!) barbato, ima basi glabro.

In arenosis ad ripam flum. Cygnorum, m. Sept. 1839. Herb. Preiss. sine No. Swan-River Jac. Drummond n. 570 et Coll. I. (Herb. Shuttleworth!)

Species insignis; capitulis fere *P. ericifoliae*, caeterum vero ad *P. seminudam* proxime accedens, sed notis indicatis adamussim distincta. — *Rami* cinerascentes superne subincani et cum foliis pube tenui patula plus minus pilosiusculi. *Folia* 1-2½ pollicaria, segmentis semper simplicissimis! semipatentibus, infimis usque ad lin. 15 longis, terminali 4-1 lin. longo. *Strobilus* paulo major et flores graciliores quam *P. seminudae.* — *Folia* saepe patentissima, summa plerumque 3-fida, segmentis abbreviatis.

11. **Petrophila crispata** *R.Br.* ramis apice puberulis, foliis teretibus, bipinnatis, glabris, pinnis divaricatis 1-2-jugis pungentibus supra unisulcis laevibus, pinnulis 3-fidis, terminali abbreviata; strobilis terminalibus, sessilibus, ovatis, squamis ovatis acuminatis tomento crispato incanis viscosis. — R.Br. suppl. pag. 6.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 647.

Ramus fere pedalis, dichotomus; cortice laevi, purpurascenti-nigricante, minute parceque incano-puberulo, demum glabro. *Folia* patentia, rigidissima, 1-2-pollicaria, laciniis mucrone brevi pallido acuminatis, jugorum

lateralium alternantibus, inferiore longiore 5-7 lin. longa a superioribus subaequalibus 2-3 lin. longis distante, petiolo communi 6-8 lin. longo. *Strobilus* (defloratus) ovato-globosus, nucis *Juglandis* minoris mole, in dichotomia v. apice ramulorum sessilis. *Nuculae* orbiculari-lenticulares, parvae, margine coma alba mediocri superne longiore ornatae.

12. **Petrophila rigida** *R.Br.* foliis teretibus, triternatis, glabris; segmentis subaequalibus v. intermedio breviore, supra 1-sulcis et rugoso-striatis, laciniis submucronato-acutis, tertiariis abbreviatis; strobilis terminalibus, sessilibus, ovatis; squamis exterioribus lineari-subulatis ciliatis dorso glabriusculis; interioribus late ovatis, caudato-acuminatis basi lanato-tomentosis; calyce dense sericeo-villoso, laciniarum apiculo minuto glabro; stigmate medio hispidulo, infra apiceque glabro. — R.Br. prodr. pag. 364.

In glareosis sylvae 4 mill. ab oppido Plantagenet, d. 10. Nov. Herb. Preiss. No. 649; in arenosis ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 24. Sept. No. 645 et in region. interior. Austr. merid.-occ., m. Oct. 1840. No. 648. (Drummond in Herb. DC.)

„Frutex 2-3-pedalis", superne divaricato-ramosus, *ramis* omnibus strobilo solitario sessili terminatis, interdum subumbellatis, apice incano-puberulis, infra rubro-fuscis subrugosis. *Folia* praecedente parum majora sed fere duplo crassiora, rugoso-striata, minus pungentia, lacinulis ultimis ½-1 lin. longis, raro longioribus. *Flores* „sulphurei", villositate livide albido-sericea, magnit. forma et pubescentia *P. linearis*. *Stigma* 1½ lin. longum, pube brevissima. *Strobilus fructifer* elongatus, pollicaris, subcylindricus, fere *P. macrostachyae*, squamis solutis patentibus, dorso inferne albido-villosis, acumine glabro subrecurvo persistente. *Nuculae* ovato-lenticulares, parvae, styli basi filiformi caudatae, undique coma longiuscula sericea alba basi rufa vestitae. Specim. Drummondiana recedunt fol. 3-pollicaribus, minus rugosis, lacinulis longioribus, interdum semipollicaribus.

13. **Petrophila Serruriae** *R.Br.* foliis subsessilibus, teretiusculis, rigidis, pungentibus, trifido-bipinnatis, supra unisulcis, novellis ramisque pubescentibus, pinnis divaricatis, pinnulis brevibus saepius bifidis; strobilis axillaribus, sessilibus, subglobosis; squamis ovatis, acutis, sericeis, acumine brevi glabro, fructiferis patentibus liberis; calyce subsericeo-villoso; nucula ovato-oblonga, acuminata, comosa. R.Br. suppl. pag. 6.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 644; in glareosis montis prope fontem St. Ronan's-well, York, d. 25. Apr. 1840. No. 643, steril. et in arenosis inter frutices densos haud longe ab oppido Freemantle, d. 18. Dec. 1838. No. 642. (Drummond Coll. I.)

„Frutex 3-6-pedalis, squarrosus", *ramis* virgatis dense foliosis foliisque novellis pilis tenerrimis patentissimis pubescentibus. *Folia* vix pollicaria, depresso-teretiuscula, pinnis circ. semipollicaribus iterum pinnatis apice 2-3-fidis, pinnulis simplicibus bifidisve aut 2-3-jugo-pinnatis, lacinulis 1-3 lin. longis mucronato-acuminatis; pinnae infimae ad ipsam fere petioli basin subsessiles, superioribus multo minores, bis bifidae. *Flores* longiuscule exserti, 4-5 lin. longi, graciles, „sulphurei" pube subadpressa dense villosiusculi vix sericei, laciniis glandula exigua stipitata terminatis. *Strobili fructifert* ovati, *Cerasi* magnit., squamis infimis suborbicularibus, 2½ lin. latis, superioribus sensim angustioribus acutioribusque ovatis v. ovato-oblongis, omnibus extus pulchre argenteo-sericeis, acumine persistente glabro subrecurvo. *Stigma* gracile fusiforme, superne parce minuteque puberulum, basi glabrum.

Nucula 2 lin. longa, 1 lin. lata, styli basi tarde decidua apiculata, utrinque obtuse carinato-convexa, dorso glabra, intus margineque longiuscule albopilosa.

14. **Petrophila glanduligera** *Lindl.* foliis subsessilibus, filiformi-teretiusculis, rigidulis, vix pungentibus, trifido-bipinnatis, supra unisulcis ramisque patenti-pilosis, tarde glabrescentibus, pinnis vix divaricatis, pinnulis tenuibus indivisis bifidisve; strobilis axillaribus, brevissime pedunculatis, subglobosis; squamis ovatis, acutis, basi sericeis, superne glabrescentibus; calyce subsericeo-villoso; nucula ovato-oblonga, acuminata, comosa. — Lindley, Swan-River pag. XXXV. n. 170

In glareosis sylvae district. Hay, d. 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 641. (Drummond No. 569 et Coll. I.)

„Frutex 2-3-pedalis. Flores sulphurei". — Facies omnino praecedentis. An ejus varietas? Formas intermedias tamen haud observavimus. Facile distinguitur ab illa, praeter pubescentiam fortiorem et diu persistentem, quam parvi momenti habemus, foliis paullo majoribus, semper minus rigidis, junioribus immo flaccidis, lacinulis minus depressis tenuioribus longioribusque saepe 3-4 lin. longis, strobilis pedunculo 1-2 lin. longo, squamato suffultis paulo majoribus, squamis potius villosiusculis quam sericeis et glandulis calycis lobos terminantibus magis conspicuis. *Stigma*, *nucula*, caet. omnino *P. Serrurtae*. — *Folia* nequaquam exsulca, ut in diagnosi Lindleyana dicuntur.

b. Samara planiuscula, praeter basin brevissime comosam glaberrima.

15. **Petrophila divaricata** *R.Br.* foliis teretibus, rigidis, pungentibus, supra unisulcis, sublaevibus, trifido-bi-tripinnatis ramisque parce patenti-pilosis mox glabris, segmentis divaricatis; strobilis terminalibus axillaribusque, subsessilibus; squamis ovato-lanceolatis, inferne tomentosis, acumine sphacelato pungente; calyce adpresse sericeo-velutino; stigmate superne parce minuteque retrorsum hispidulo; samara ovali. — R.Br. suppl. pag. 7.

In glareosis inter frutices 10 mill. ab oppido Albany, Plantagenet, d. 10. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 646. (Baxter et All. Cunningham! in Herb. DC. Drummond n. 568.)

„Frutex 2-3-pedalis. Flores sulphurei". *Folia* magnitudine et crassitie similia *P. crispatae*, sed magis divisa et rhachis plus minus arcuato-flexuosa, re vera bipinnata, pinnis 2-5-jugis divaricatissimis (saepius quasi refractis) pinnulis 2-3-fidis aut (praecipue extremis) indivisis, 2-10 lin. longis, terminali brevissima. *Capitula* ovato-globosa, terminale (primum evolutum!) sessile, axillaria nonnunquam breviter sed distincte pedunculata, ad ramorum apicem saepe valde approximata; fructifera magnitudine nucis *Juglandis* minoris, squamis patentissimis penitus liberis; *squamae* fuscae, 2-3 lin. longae, acumine demum deciduo. *Samara* compressissima, ovalis v. obovata, obtusissima (styli basi haud persistente) fusca, 3 lin. longa, fere 2 lin. lata, parte seminifera basilari orbiculari parva (vix lineam longa) margine et superne in alam membranaceam diaphanam expansa, praeter basin brevissime comosam undique glaberrima.

16. **Petrophila Cunninghamii** *Meisn.* ramis apice cano-puberulis; foliis semiteretibus, rigidis, glabris, subsulcatis, petiolatis, trifido-bipinnatis, segmentis lateralibus 2-3-fidis v. rarius pinnatis, intermedio breviore trifido v. indiviso, lacinulis filiformibus teretibus v. depressis linearibus; strobilis axillaribus terminalibusque sessilibus, ovatis; squamis ovatis, acutis, basi floribusque sericeis; samara late ovata.

α **major.** subcorymboso-ramosa, ramis firmis foliis rigidis 1-1½-pollicaribus, lacinulis subplanis linearibus mucronato-acuminatis.

In solo turfoso-arenoso sylvae prope oppidum Albany, Plantagenet, d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 652. (Fraser! in Hb. Shuttleworth.)

β **brachyphylla.** ramis gracilibus, foliis semipollicaribus, rigidis, lacinulis angustioribus brevioribus semiteretibus submuticis.

In solo sublimoso-arenoso district. Nelson, m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 651.

γ? **gracilis.** caule gracili, simplici, foliis ½-1 poll. longis, debilibus, lacinulis filiformibus (angustissimis, subteretibus) muticis. *Petrophila gracilis* Allan Cunningham! mss. fide specim. (nimis juvenilis) in Hb. DC.

Ad Sinum regis Georgii, A. Cunningham.

Species habitu praecedentibus, fructu vero *P. divaricatae* et speciebus §. IV. affinis, proxime, ut videtur, accedens ad *P. trifidam*, sed distincta foliis angustioribus, magis divisis, minus planis, et strobili squamis nec glabris nec apice scariosis. Num formae tres supra distinctae, primo vultu satis inter se discrepantes, varietates constantes vel immo species diversas sistant, nec ne, iterata observatio in majore speciminum copia instituenda demonstrabit. Nomen Cunninghamianum eo minus servare potuimus, quum formae α. nequaquam conveniat. „Frutex 1-3-pedalis. *Radix* amara. *Flores* sulphurei". *Foliorum* pinnae petiolo tereti aequales, pinnulae 1-3 lin. (in α et γ saepe 4-5 lin.) longae, in var. α saepius semilineam latae in β et γ triplo angustiores, laeves v. (in α) obsolete rugoso-sulcatae. *Strobili Pisi* magnitudine (rarius paulo majores et subglobosi) squamis stramineis, 1-1½ lin. longis, ovatis acutis v. breviter acuminatis, apice rigidis, margine ciliatis, basi villosiusculis, caeterum glabris, laevibus, convexis, fructiferis multo majoribus liberis demum glabris induratis, acumine persistente. *Flores P. divaricatae*, sed dimidio fere minores. *Stylus* pubescens, stigma subulatum, glabrum, basi paululum turbinato-incrassatum. *Samara* late ovata v. suborbicularis parte seminifera utrinque convexa, margine membranaceo lato subdenticulato, basi brevissime pilosa, caeterum glabra.

§. 3. **Folia pinnatim v. trifido-laciniata plana v. infima teretiuscula. Strobili ovati, squamis connatis. Samara membranacea, dilatata, planiuscula, basi breviter comosa, caeterum glabra. Stigma inarticulatum, hispidulum.**

17. **Petrophila diversifolia** *R.Br.* foliis bi-tripinnatifidis, junioribus ramulisque puberulis, mox glabris, superioribus planis venosis, pinnis cuneato-petiolatis tripartitis pinnatifidisve, lacinulis decurrentibus oblongo-lanceolatis in-

ciso-dentatis integrisve acutis, infimorum laciniis linearisubteretibus obtusiusculis; strobilis terminalibus axillaribusque; squamis late ovatis, acutis, sericeo-tomentosis, demum glabratis; calyce villoso; samara cuneata apice triloba lobis lateralibus membranaceis obtusis, intermedio styli basi acuminato saepe productiore. — R.Br. prodr. pag. 365.

In glareosis sylvae 4 mill. ab oppidulo Albany, Plantagenet, d. 10. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 637. (Vidi etiam in hb. DC. specim. e Mus. Paris., quod, procul dubio ex errore, in Nov. Holl. ora *orientali* lectum dicitur.)

„Frutex 6-8-pedalis, strictus", ramosus. Habemus tamen specimen jam floriferum cum radice (verticali, longa subsimplici) vix pedale, caule simplicissimo. *Folia* 1½-2½-pollicaria, (infima vix pollicaria) in eodem ramo saepe diversiformia, superiora plana; nunc biternata, segmentis primariis divaricatis subaequalibus 1-1½ poll. longis latisque, circumscriptione late ovato-subrotundis, canaliculato-petiolulatis, cuneatis, apice 3-4 lin. latis trifidis, laciniis triangularibus lanceolatisve mucronato-pungentibus, lateralibus divergentibus, intermedia longiore recta; nunc bipinnata, pinnis bijugis cum impari, circumscriptione ovato-oblongis, 1-1½ poll. longis, 5-6 lin. latis, cuneatis, subsessilibus, plus minus profunde pinnatifidis, laciniis 5-8-jugis decurrenti-confluentibus semiovatis vel subfalcato-oblongis acutis muticis, integris v. rarius apice 3-dentatis aut inferioribus pinnatifidis; foliorum inferiorum pinnae lacinulaeque (saltem in stirpe juvenili) sensim angustiores, infimorum denique subfiliformes, vix ⅓ lin. latae, 2-4 lin. longae, rectae, muticae. *Strobili* terminales axillaresque, nunc sessiles, nunc pedunculo semipollicari albido-tomentoso squamisque paucis fuscis glabris munito suffulti, floriferi subglobosi magnit. *Cerasi*, fructiferi ovati paulo majores; *squamae* 3-4 lin. latae (latiores quam longae) excepto apiculo brevi acuto glabro extus pube brevi densa sordide-albida sericeo-villosae; fructiferae patentes, basi cohaerentes, demum saepe glabratae. *Calyx* longiuscule albido-villosus, laciniis apiculo filiformi minuto glabro nigricante terminatis. *Stigma* fusiforme angulatum, supra medium in angulis minute ciliato-pilosiusculum. *Samara* circumscriptione subrhombeo-quadrangula, 2-2½ lin. longa lataque, pallide rufa, tenuiter membranacea.

§. 4. Folia plana, pinnatim v. trifido-laciniata, rarius indivisa. Strobili axillares v. terminales ovati, squamis discretis. Samara planiuscula ovata v. oblonga, basi brevissime comosa, caeterum glabra.

18. **Petrophila biloba** *R.Br.* foliis tripartitis, junioribus ramisque pubescentibus, segmentis cuneatis semibifidis cum mucrone aut lobulo subulato brevi interjecto, lobis semiovato-oblongis mucronatis venoso-striatis; strobilis axillaribus, ovatis; squamis ovatis, acuminatis floribusque sericeo-villosis. — R.Br. suppl. pag. 7.

Inter fragmenta rupium (Granit et Quartz) ad jugum montium Darling's-range, Perth, d. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 656 et in region. interior. Austr. merid. occ., m. Oct. 1840. No. 657. (Drummond n. 566 et coll. I.)

„Frutex 4-pedalis, diversifolius", (folia tamen in omnibus quae vidimus speciminibus uniformia!) *Rami* erecti, stricti, saepe elongati, subvirgati, pube brevi canescentes, tarde glabrescentes. *Folia* rigide coriacea, pallide viridia, ordine spirali ⅖ disposita, patula, ½-1-pollicaria, petiolo 3-6 lin. longo, tereti supra canaliculato, laminae tripartitae segmento medio lateral-

bus constanter paulo breviore, omnium lobis secundariis lateralibus conformibus, petiolum aequantibus 1½-2 lin. latis, venis tenuibus acutiuscule prominulis subparallelis arcte lineatis, invicem plerumque adplicitis, lobulo intermedio nunc mucronem acutum rectum circ. lineam longum pallidum, nunc lacinulam foliaceam lineari-subulatam planiusculam 2 lin. longam, ¼-1 lin. latam, sistente. *Strobili* subglobosi, deflorati vix *Piso* majores. *Squamae* ovatae, acutae v. breviter acuminatae, 1-2 lin. longae, pallidae, dorso demum glabratae. *Flores* graciles, 6-8 lin. longi, (in No. 657 et specim. Drummondianis nonnullis ⅓ breviores) pilis sericeis albis (in No 657 aureis) dense villosi, laciniis obtusis muticis. *Stigma* glabriusculum, inferne turbinato-incrassatum, superne filiformi-acuminatum, acumine parte turbinata nunc paulo longiore nunc breviore. Fructum non vidimus*).

19. **Petrophila heterophylla** *Lindl.* foliis elongato-linearibus, obtusis v. mucronulatis, basi longe angustatis, simplicibus v. (rarius) 2-3-partitis, utrinque nervoso-striatis ramisque glaberrimis; strobilis axillaribus, sessilibus, ovatis; squamis ovatis, acutis, glabris, floriferis parvis adpressis ciliatis, fructiferis patulis rugulosis nudis; calyce gracili, adpresse sericeo; samara foliacea, suborbiculari-ovata, intus pilosiuscula, dorso glabrata. Lindley, Swan-River pag. XXXV. n. 167.

In calculosis summitatis montis Bakewell, York, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 658. In solo glareoso sterili sylvae ad flum. Gordon, Hay, d. 7. Nov. 1840. No. 659 et in region. interior. Austr. merid.-occid. inter oppidula Albany et York. m. Febr. 1841. No. 660, fruct. (Drummond n. 571 et coll. I.)

„Frutex 7-8-pedalis, gracilis". *Ramuli* tenues, sanguinei, tenuiter sulcato-striati. *Folia* primo subdisticha deinde ordine spir. ⅖ disposita, inaequaliter remotiuscula (internodiis 3-12 lin. longis,) patentia, coriacea, laete flavo-viridia, nervo medio obsoleto venisque pinnatis numerosis parum

*) Hujus sectionis species inter Plantas Preissianas haud occurrentes sunt: 1) **Petrophila propinqua** R.Br. (suppl. pag. 7.) foliis biternatis, segmentis petiolatis, laciniis omnibus spathulato-linearibus mucronulatis subvenosis; strobilis axillaribus, sessilibus; squamis ovatis, acuminato-attenuatis, ciliatis, pilosiusculis; floribus subsericeo-villosis. — Swan-River, Drummond n. 567. (Hb. Shuttl.) — Habitus, pubescentia et flores omnino *P. bilobae*, a qua differt foliis duplo-triplo longioribus, segmentis distincte petiolulatis, laciniis ad basin usque distinctis circ. 1 lin. latis, 5-9 lin. longis, minus rigidis obsolete venosis, strobilorum squamis exterioribus sursum magis attenuatis citius glabratis (interioribus apice sanguineis).

2) **Petrophila trifida** R.Br. (prodr. pag. 385.) foliis trifidis, venosis ramisque glaberrimis, lacinia mucronatis cuneato-decurrentibus, lateralibus lanceolatis integris, terminali longiore apice trifida; strobilis axillaribus terminalibusque, sessilibus subglobosis; squamis sericeis, demum glabris, interioribus ovatis, exterioribus lanceolatis acuminatis, floribus adpresse sericeis; samara ovata, acuta, margine lacero-denticulata. — Swan-River, Drummond n. 576. (Hb. Shuttl.) — Species fronde similior *P. striatae* et *macrostachyae* quam praecedentibus, quibus tamen fructu convenit. *Rami* validi. *Folia* circ. 3-pollicaria, rigide coriacea, planissima, petiolo 1-1½-pollicari sursum (limbo decurrente) sensim dilatato, apice 2-3 lin. lato, laciniae laterales divergentes, 5-10 lin. longae, 2-2½ lin. latae, oppositae v. raro alternae, terminalis paulo longior et superne latior, apice 3- (raro 2-) fida, lobis 5-½ lin. longis, aequalibus v. inaequalibus. *Strobili* deflorati *Cerasi* magnitudine; *squamae* interiores demum late subrotundo-ovatae 2½ lin. latae, obtusiusculae, superne praecipue sericeae, exteriores vix semilineam latae, acumine subulato sphacelato. *Flores P. bilobae*, brevius tamen villosi, pallide sulphurei. *Stigma* anguste fusiforme, medio retrorsum, pilosiusculum, apice basique glabrum. *Samara* fusca, fere 3 lin. longa, 2 lin. lata, basi brevissime rufo-comosa.

ab eo divergentibus acutiuscule prominulis subparallelis arcte longitudinaliter striata, 2-5 poll. longa, 1-4 lin. (saepissime 2 lin.) lata, recta v. subfalcata, nunc omnia indivisa, nunc rarius (et quidem in eodem ramo) ad medium usque 2-v. 3-partita, laciniis linearibus conformibus, 1-2-pollicaribus. *Strobili* florentes ovato-subglobosi, demtis floribus vix *Piso* majores, squamis late ovatis, glabris, planis, minute albo-ciliatis, vix lineam longis latisque, exterioribus minoribus pedunculum vix lineam longum arcte tegentibus deciduis; fructiferi ovati v. oblongi, 6-9 lin. longi, squamis incrassatis induratisque, croceo-cinnamomeis v. cinereo-fuscis, dorso convexo rugosis, saepe nitidis, 2-2½ lin. longis latisque, obtusis. *Calyx* 5 lin. longus, pube brevi adpressa aureo-sericeus, laciniis tubo gracili vix dimidio brevioribus. *Stigma* glabrum, fuscum, 2 lin. longum, subarticulatum, articulo inferiore turbinato 4-gono superiorem subulatum triplo tenuiorem subaequante. *Samara* squamis conformis et parum minor saepe latior quam longa, pallide stramineo-flava, dorso plus minus convexa et excepto apice glabra, intus concava, pilis minutis albis adpresse puberula, marginibus vix diaphano-membranaceis, basi truncata brevissime albo-comosa.

§. 5. Folia plana, tripartito-bipinnatifida. Strobili axillares v. terminales, ovati v. elongati cylindrici, squamis discretis. Nucula intus margineque comosa.

20. **Petrophila striata** *R.Br.* ramis patenti-pilosis; foliis planis, nervoso-striatis, scabriusculis, trifido-bipinnatifidis, laciniis lanceolato-linearibus mucronatis; strobilis axillaribus, sessilibus, ovoideis; squamis ovatis, obtusis, glabriusculis, intimis anguste oblongis ciliatis; floribus villosis, („nucibus comosis, apice angustatis"). R.Br. suppl. pag. 6.

In glareoso-sublimosis inter frutices planitiei haud longe a jugo montium Darling's-range, d. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 640 et in Australia occidentali" No. 639.

„Frutex 1-1½-pedalis". *Ramorum* pubescentia *P. Serruriae*. *Folia* coriacea, rigida, 1½-2½-pollicaria, petiolo 5-12 lin. longo, toto plano lineari 1-1½ lin. lato, apice vix dilatato; lamina tripartita, segmentis divergentibus circ. pollicaribus oppositis v. subopposits, nunc iterum tripartitis, nunc (praecipue lateralibus) pinnatim 3-5-fidis, laciniis 1-3 lin. longis, 1-2 lin. latis, attenuato-acutis et mucrone recto pallido v. fusco brevi (rarius lineam longo) terminatis, nervis 3-5 subparallelis, (lateralibus marginantibus) superficie sub lente ubique dense minuteque punctato-scabriuscula v. puberula. *Strobili* florentes (fructiferi non suppetunt) demtis floribus usque ad semipollicem longi, diametro 4 lin. *Squamae* membranaceae, satis tenerae, cinnamomeae, laeves, opacae, glabrae v. juniores tantum puberulae, imbricato-adpressae, extimae suborbiculares, vix 1-1½ lin. longae, sequentes (medio) triplo-quadruplo majores, late ovatae, intimae oblongae lineam latae, 3 lin. longae, omnes obtusae muticae, haud acuminatae. *Flores P. heterophyllae*, pubescentia tantum paullo longiore et minus sericea, sulphureo-albida, et laciniae apiculo filiformi glabro cinnamomeo fere ⅔ lin. longo terminatae. *Stigma* praecedendis, sed articulus superior puberulus.

21. **Petrophila macrostachya** *R.Br.* ramis pubescentibus, foliis planis, nervoso-striatis, scabriusculis, trifido-bipinnatifidis, segmentis cuneato-linearibus oblongisve, laciniis lanceolatis mucronatis; strobilis terminalibus axillaribusque sessilibus, elongatis, spiciformibus, cylindricis;

squamis ovatis, acutis basi sericeis; calycis glabri laciniis apiculatis; nucibus lenticularibus comosis. R.Br. suppl. pag. 7.

In arenosis sylvae ad montem Eliza, Perth, d. 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 638. (Drummond n. 575, et coll. I.)

„Frutex 2-pedalis". Praecedenti similis, foliorum divisio, nervatio et minuta scabrities fere eadem, sed segmenta semper (immo duplo) latiora et petiolus teres supra canaliculatus. Variat quoque foliis cuneato-obovatis, in petiolum longe attenuatis (3½-pollicaribus), laminae semitrifidae segmentis vix divergentibus subcuneatis apice 4-5 lin. latis, grosse 3-dentatis trifidisve, laciniis apice 2-3-dentatis v. (lateralibus saepius) integris. (Drummond coll. I. in Hb. Shuttl.) *Strobili* 1½-2-pollicares, diam. 3 lin.; *squamae* laxiusculae, basi villoso-tomentosae, acumine glabro submembranaceo fusco deciduo, inferiores late ovatae, totae glabrae fuscae, fructiferae patulae obtusae. *Calyx* cylindricus, 4-5 lin. longus, glaber, luteus? lobis breviter mucronato-acuminatis. *Stigma* fusiforme, inarticulatum, supra medium minute puberulum, apice basique (haud incrassata) glabrum. *Nucula* suborbicularis, fusca, brevissime acuminata, 1½ lin. longa lataque, styli basi filiformi terminata, margine circum circa pilis albis sericeis patentibus ipsius diametrum aequantibus pulchre comosa, facie dorsali medio levissime carinata et serie pilorum brevium ornata, interiore rotundato-convexa ubique pube adpressa alba sericea.

ISOPOGON R.Br. Endl. gen. n. 2122. Meisn. gen. pag. 331. (244.) Atyli sp. Salisb.

1. **Isopogon petrophiloides** *R.Br.* ramis tomentosis, tarde glabrescentibus; foliis indivisis, teretibus v. subcompressis, exsulcis, mucronatis, crassiusculis, glabris; strobilo subgloboso, basi depresso, squamis lanato-tomentosis, bracteis involucrantibus foliis similibus strobilum superantibus glabris; calycis tubo hirsutulo, lobis dorso glabris, margine apiceque barbatis; stigmate tenui, fusiformi, medio subarticulato, glabriusculo. — R.Br. suppl. pag. 7.

In arenosis sylvae ad flum. Canning, Perth, d. 15. Maj. Herb. Preiss. No. 679 et in limoso-calculosis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 23. Nov. 1839. No 680. (Drummond coll. I.)

„Frutex 3-pedalis, strictus", *ramis* subvirgatis, saepe longe simplicissimis, conferte foliosis, superne incanis v. junioribus albo-tomentosis, apice nonnunquam umbellato-ramulosis. *Folia* rigida, laete viridia, 1½-2½-pollicaria, ½-⅝ lin. crassa, nunc omnia perfecte teretia, nunc omnia v. nonnulla compressa, (marginibus tamen obtusissimis) inferne semper attenuata et teretia, nunc laevia, nunc rugosula et subinde obsolete unisulca, apice in mucronem brevem nigricantem saepe obliquum attenuata. *Strobilus* magnit. nucis *Juglandis* minoris, inter folia summa (bracteas) rameis conformia et vix breviora sessilis; *squamae* ovatae, 2 lin. longae, cum apiculo brevi atro glabriusculo deciduo, lanugine alba brevi densa fere absconditae. *Calyx* gracilis 4-5 lin. longus, tubo sordide albo-villosiusculo, limbi lobis flavis praeter margines apicemque pilosiusculos glabris. *Stigma* subfiliforme, utrinque attenuatum, circa medium paulo constrictum infraque sub lente minute puberulum. *Fructum* non vidimus.

2. **Isopogon heterophyllus** *Meisn.* ramis apice puberulis; foliis crassiusculis, teretibus, sulcato-striatis, glabris, indivisis trifidisque, laciniis indivisis rariusve bifidis petiolum subaequantibus mucronatis; strobilo terminali inter folia simplicia ipso duplo longiora sessili; squamis late ovatis, subsericeo-villosis, acumine brevi glabro . . . . . .

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 672 (specim. deflorata.)

Ramus fere pedalis, inferne glaber pennaeque anserinae crassitie, apice pube minuta cinerea subtomentosus, cortice fusco-nigricante laeviusculo. *Folia* 2-3-pollicaria, fere lineam crassa, erecta, pallide flavo-viridia, fortiter rugoso-sulcata, bractealia omnia et inferiorum nonnulla indivisa, reliqua semitrifida, laciniis semipatentibus (sursum nonnunquam paulo incrassatis) rectiusculis v. apice saepius leviter recurvis, lobo terminali quandoque divaricato-furcato, mucrone brevi sphacelato. *Strobili* praecedente paullo majores. *Squamae* pube sordide albido-cinerea subsericea adpresse villosae, demum deciduae. *Receptaculum* conico-ovatum densissime sericeo-villosum, sc. alveolarum marginibus acute prominulis villosis, villis substramineo-albidis. *Flores nuculas*que non vidimus.

3. **Isopogon teretifolius** *R.Br.* ramulis tomentosis; foliis teretibus, exsulcis, junioribus subsericeo puberulis, mox glabris, trifidis, segmentis divaricatis 2-3-fidis, rarius indivisis biternatisve, mucronatis; strobilo terminali, sessili, subgloboso; squamis ovatis, villoso-tomentosis, exterioribus dilatatis demum glabratis; calyce sericeo-villosiusculo, lobis apice longius pilosis; stigmate fusiformi, infra medium subarticulatum puberulo, apice in cupulam minutam dilatato. — R.Br. prodr. pag. 365.

In confragosis umbrosis sylvae ad latus septentrionali-orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 681. (Vidimus in Hb. DC. specimen sub hoc nomine Anno 1839 in Horto Reg. Kewensi lectum, cum Preissianis exactissime congruum.)

β **cornigerus.** foliis crassioribus, trifidis, segmentis magis divaricatis plerumque petiolo brevioribus saepiusque (inprimis lateralibus) indivisis bilobisve quam iterum trifidis. *Isopogon cornigerus* Lindl. Swan-River pag. XXXIV. n. 164.

In glareosis sylvaticis montis prope fontem St. Ronan's well, York, d. 25. Apr. Herb. Preiss. No. 668; in solo subarenoso planitiei primae et secundae cis flum. Gordon, Hay, d. 7. Nov. No. 685 et 674. In planitiei arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. No. 675 et in regionibus interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. No. 662, 669 et 677. (Drummond coll. I.)

„Frutex 2-3-pedalis", ramosus, *ramis* validis, nonnunquam subumbellatis, apice subsericeo-canis v. tomentosis. *Folia* 2-4-pollicaria, ½-1 lin. crassa, in *β* immo saepius paulo crassiora, laeviuscula (nec rugosa v. sulcata) juniora minute tomentosa, novella immo albido-sericea, citius seriusve glabrescentia; petiolus erectus, lamina tripartita (in No. 669 saepius breviter 2-3-fida) segmentis divergentibus v. divaricatissimis, 1-3-pollicaribus, trifidis aut rarius indivisis v. iterum trifidis, in *β* omnibus v. lateralibus tantum saepissime furcato-bifidis, laciniis tertii ordinis plerumque brevibus, 2-3 lin. longis, omnibus rectis in mucronem brevem sphacelatum attenuatis. *Capitula* magnit. praecedentis, squamis extimis 3 lin. latis, fuscis, glabriusculis, interioribus minoribus, sordide albido-tomentosis, fructiferis incrassatis de-

ciduis, basi cuneatis, intus glabris croceo-rufis, dorso receptaculoque fulvo-villosis. *Calyx* sericeus, flavescenti-argenteus. *Nucula* ovata parva styli basi filiformi terminata, undique albo-v. fulvo-comosa.

I. cornigerus, secundum specim. nostra, praeter notas indicatas, easque nec magni momenti nec immo constantes, ab *I. teretifolio* nullo modo differt et potius pro ejus lusu quam varietate stabili habendus est.

4. **Isopogon divergens** *R.Br.* foliis teretibus, sulcatis, pinnatis ramisque glabris, segmentis 1-3-jugis elongatis indivisis v. rarius 2-3-fidis, terminali longiore; strobilis terminalibus, sessilibus, oblongo-obovatis, squamis tomentosis; calycis glabri laciniis apice albo-barbatis; stigmatis tenui-fusiformis articulo superiore sulcato, obtusiusculo, glabro, inferiore hispidulo. — R.Br. suppl. pag. 7.

In limoso-calculosis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 667. In rupestribus montis Currie, Howick, et in glareosis inter frutices montis prope fontem St. Ronan's well, York, d. 12. et 26. Apr. 1840. No. 673. (Drummond n. 560, 573 et coll. I.).

„Frutex 3-4-pedalis". *Ramt* validi, fastigiati v. corymbosi, laeviusculi, sanguineo-fusci, epidermide cinerascente evanescente obducti. *Folia* rigida, laete viridia sulcato-rugosa et supra unisulca, 2-4-pollicaria, ½-⅔ lin. crassa; segmenta petiolo longiora, 1½-2½-pollicaria, semidivaricata, saepius omnia indivisa, nunc terminale solum aut omnia 2-3-fida v. rarius pinnatim 3-5-fida, laciniis rectiusculis, apice attenuatis et sphacelato-submucronulatis vix pungentibus. *Strobili* nucis *Juglandis* mole (8-14 lin. longi, diametro 6-10 lin.) inter folia summa abbreviata sessiles, basi breviter attenuati et squamis fuscis glabriusculis ovatis rostrato-acuminatis laxiusculis, supra squamis late ovatis sordide lanato-tomentosis densissime tecti, squamarum apiculo brevi acuto subrecurvo sphacelato, tarde deciduo. *Calyx* 4-5 lin. longus, subclavatus, glaber, limbi tubum fuscum subaequantis laevis subnitidi pallide lilacino-grisei lobis obtusiusculis, pilorum alborum sericeorum brevium penicillo eleganter terminatis. *Stylus* glaber; stigma gracile, 2 lin. longum, medio arcte constrictum, articulo inferiore clavato, 4-gono, dense puberulo, superiore tenuiore glabro sulcato, apice paululum incrassato, subtruncato. *Receptaculum* fructiferum crassiusculum squamis dilapsis ovoideum v. conicum, villosum. *Nuculae* ovato-oblongae, acutae, teretes, fere 2 lin. longae, undique albo-comosae, interdum styli basi persistente breviter caudatae.

Inter specim. Drummondiana Herb. DC. observavimus specimen insigne strobilo fructifero apice composito, i. e. prolem strobilorum septem (partim perfectorum, partim minutorum) sessilium verticem circumdantium gignentem.

5. **Isopogon asper** *R.Br.* ramis pubescentibus; foliis brevibus punctato-scabriusculis, pinnatis, laciniis 2-4-jugis anguste linearibus dorso carinatis supra canaliculatis, plerumque indivisis, acutis; strobilis axillaribus, sessilibus, subglobosis; squamis ovatis, acuminatis, patentibus, membranaceis, inferne villosiusculis; calyce glaberrimo; stigmate tenui acutiusculo, articulo inferiore longiore puberulo. — R.Br. suppl. pag. 8.

In apertis sylvae „Colonial Church Grant", d. 29. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 689. (Drummond n. 574 et coll. I.)

„Frutex pedalis, erectus"; *caules* simplices, stricti, dense foliosi, prope apicem tantum v. a medio inde strobiliferi. *Folia* sparsa (disposit. spirali ⅖) saepiusque in axillis pseudo-fasciculata, erecta, 7-14 lin. longa, plerumque simpliciter pinnata laciniis indivisis, nonnunquam semitrifida, segmentis 2-3-

fidis, laciniis circiter petiolum aequantibus, vix ½ lin. latis, sub lente parce papilloso-scabriusculis. *Strobili* (in caulis summitate saepe approximati v. in unum magnum compositum aggregati) circ. *Cerasi* magnitudine, squamis 3-3½ lin. longis, basi 2 lin. latis, rubro-fuscis. *Flores, stigma* et *nucula* omnino *I. divergentis*, exceptis tantum calycis lobis apice imberbibus.

6. **Isopogon formosus** *R.Br.* ramulis tomentosis, foliis glabris, subteretibus, rugoso-substriatis, supra unisulcis, triternato-bipinnatifidis, laciniis divaricatis acutis; strobilis terminalibus, subglobosis, inter folia ipsos vix superantia sessilibus; squamis late ovatis, villosis tomentosisve, acumine brevi glabriusculo; calyce glabro, laciniis brevibus apice pilis brevibus subdeciduis barbatulis; stigmatis articulo inferiore longiore, stuposo. — R.Br. prodr. pag. 366. Bot. Reg. t. 1288.

In solo limoso planitiei ad flum. Vasse, Sussex, d. 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 670. In glareosis ad tergum montis Clarence, Plantagenet, d. 30. Sept. No. 676; in rupestribus collium Konkoberup promontorii Cape-Riche, d. 21. Nov. No. 678; in glareosis inter oppidulum Albany et promont. Cape-Riche, d. 10. Nov. 1840. No. 683; in region. interior. Austr. merid.-occ., m. Febr. 1841. No. 684 et in arenosis sylvae circa oppid. Albany, d. 14. Oct. 1840. No. 687. (Drummond Coll. I. Hb. DC.)

„Frutex 2-3-pedalis". *Rami* plus minus cinereo-tomentosi, rarius demum toti glabriusculi, atro-fusci, dense foliosi. *Folia* suberecta, rigida, plus minus rugoso-sulcata v. laeviuscula, supra unisulca v. canaliculata, novella cano-villosa (No. 678.) ramulorum sterilium tenuiora, minus divisa, interdum simplicissima (No. 670.) plerumque regulariter triternata, 1½-3 poll. longa, segmentis primariis petiolo aequalibus v. parum longioribus, teretibus v. semiteretibus, secundariis 3-2-fidis v. raro indivisis, lacinulis 1-5 lin. longis, breviter mucronato-acutatis vix pungentibus, apice nonnunquam subrecurvis. Caet. fere *I. divergentis*, sed capitula subglobosa, dimidio minora, calycis („roseí") limbus dimidio brevior, ante explicationem ovalis tumidus, (nec oblongo-cylindricus) tubo 5-6-tuplo brevior et laciniarum barba terminali breviore subevanescente. *Squamae* juniores ovatae longiuscule subcinereo-villosiusculae, adultae valde dilatatae, (latiores quam longae) margine anteriore subito breviter acuminato fusco glabrae, infra dense lanato-tomentosae.

7. **Isopogon scaber** *Lindl.* ramulis tomentosis, foliis pubescentibus glabrisve, scabriusculis, biternatis, segmentis planis cuneatis subaequalibus, lateralibus, 2-3-fidis, terminali trifido v. pinnatim 5-7-secto, laciniis linearibus lanceolatisve mucronatis canaliculatis venosis; strobilis terminalibus axillaribusque, sessilibus, globosis; squamis ovatis intimisque lanceolatis acutis, subsericeo-pubescentibus v. tomentosis; calyce glabro, limbi elongati laciniis apice breviter albo-comosis; stigmatis articulis aequalibus, inferiore stuposo. — Lindley Swan-River pag. XXXIV. n. 165. Bot. Mag. t. 4037!

In calculosis ad civitatem montis Greenmountain, d. 13. Sept. Herb. Preiss. No. 686. („Frutex 7-pedalis") et in subarenosis inter fruticeta planitiei prope cataractam ad caput flum. Cygnorum, d. 25. Jul. 1839. No. 682. („Frutex 4-pedalis".) (Drummond n. 563, 564 et Coll. I.)

Affinis praecedenti, a quo differt foliis planis, involucri squamis longioribus apicem versus attenuatis (nec subito acuminatis) demum haud dilatatis,

interioribus lanceolatis, minus tomentosis, calycis limbo fere duplo longiore apice distinctius comoso (fere *I. divergentis*) et stigmatis articulis aequalibus, superiore apice in cupulam minutam dilatato truncato. Valde quoque affinis videtur *I. ceratophyllo* (nobis haud viso) cui tamen tribuuntur „folia floralia basi dilatata et strobili squamae glabratae". — Quamvis specimina nostra a diagnosi Lindleyana pluribus notis (sc. strobilis plerumque terminalibus, squamis nec glabris nec apice reflexis) recedant, absque dubio tamen ad eandem speciem pertinent et cum icone citata optime congruunt. — Species variabilis, formas extremas duas exhibens, quas, antequam majorem speciminum numerum viderim, pro speciebus novis habueram; sunt enim α *lattiloba*, foliorum segmentis egregie cuneatis, distincte venoso-striatis, apice 3-4 lin. latis, et breviter 3-lobis. (Bot. Mag. t. 4037! — et β *angustiloba*, foliorum segmentis linearibus, vix cuneatis, ½-1½ lin. latis, profunde divisis, minus venosis. Inter utramque formam vero specimina plurima (v. g. Drummondiana n. 563.) medium tenent, ita ut illae ne varietates quidem stabiles sistere videantur. Foliorum inferiorum lobi plerumque angusti, superiorum vero dilatati. „*Flores* violaceo-incarnati".

8. **Isopogon trilobus** *R.Br.* ramulis tomentosis, foliis planis, venosis, cuneatis, 3-lobis (raro indivisis) lobis integerrimis lanceolato-linearibus petioloque basi attenuatis; strobilo terminali, sessili, subgloboso demum ovato; squamis obovato-cuneatis, fructiferis superne cum apiculo brevissimo tomentosis, inferne glabris ..... R.Br. prodr. pag. 366.

In solo glareoso sterili sylvae prope flum. Gordon, Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 666.

„Frutex 1½-pedalis". *Folia* glabra, 2-3-pollicaria, laciniis plerumque petiolo paulo brevioribus 1-1½-poll. longis, 1½-2 lin. latis, semipatentibus, obtusiuscule mucronulatis, terminali interdum bifida. *Capitulum* defloratum magnit. *Cerasi;* fructiferum sesquipollicare, diametro ¾ poll., squamis 4 lin. longis, apice 3 lin. latis. *Flores* haud suppetunt. *Nucula* ovato-oblonga styli basi caudata, undique albo-comosa, 1½ lin. longa. Stirps nostra aequo jure ad *I. tripartitum* R.Br. suppl. pag. 8. referri potest, quem ipse auctor *I. trilobi* varietatem esse suspicabatur.

9. **Isopogon longifolius** *R.Br.* foliis planis, venoso-striatis, lineari-lingulatis, integerrimis (inferioribus passim trifidis) sphacelato-mucronulatis ramulisque glabris; strobilo terminali, sessili, subgloboso, squamis late cuneato-obovatis, apiculatis, toto dorso villosis; calyce adpresso sericeo-villoso; stigmate inarticulato, fusiformi, sulcato, glabro. — R.Br. prodr. pag. 366. Bot. Reg. t. 900.

In clivulo arenoso ad sinum Two peopled Bay, 3 mill. a monte Manypeak. Herb. Preiss. No. 665 et in region. interior. Austr. merid.-occid. No. 530. d. 23. Nov. 1840. (Sinus Regis Georgii, Allan Cunningham! in Hb. DC.)

Rami laeviusculi, atrosanguineo-fusci. *Folia* 3-6-pollicaria, 3 lin. lata (rarius latiora, usque ad lin. 6) utrinque dense sed leviter venoso-v. ruguloso-striata, in petiolum supra planum dorso convexum longe attenuata, interdum subfalcata, apice rotundato (rarius acutato) sphacelato mucronulo brevi crasso innocuo terminata. *Strobili* magnit. nucis *Juglandis* majoris, densissime multiflori. *Squamae* (et nuculae) *I. trilobi*, sed ad basin usque villis brevibus albis v. demum rufis dense tectae. *Calyx* infundibuliformi-tubulosus, extus totus sulphureo-argenteus, limbi lobis tubo vix dimidio bre-

vioribus. *Stigma* tenue, utrinque aequaliter attenuatum, secundum totam longitudinem sulcato-4-gonum, glaberrimum, apice obtusiusculo.

10. **Isopogon latifolius** *R.Br.* „ramulis tomentosis, foliis cuneato-obovatis, glabris, nervo venisque primariis subtus manifestis, strobilis depresso-globosis, receptaculo hemisphaerico". R.Br. suppl. pag. 8.

β? **Preissii.** ramulis glabris, foliis lanceolato v. obovato-oblongis, utrinque attenuatis, nervo venisque obsoletis.

In glareosis sylvae ad radices occidentales montis Wuljenup, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 664.

An stirps nostra revera ad speciem Brownianam referenda? quam nondum vidimus et e diagnosi omnino incompleta bene dignoscere nequimus. — „Frutex 7-pedalis. Flor. rosei". *Ramuli* laeves, cinnamomei. *Folia* crassiuscula, valde rigida, plana, mucronulo sphacelato obtuso apiculata, inferiora 4-pollicaria 14 lin. lata, superiora sensim minora, summa strobilum vix v. parum superantia, subtus obscure triplinervia v. penitus avenia, novella cum ramulis utrinque sericeo-villosa. *Gemmae* axillares sessiles, *Pisi* magnit., squamis ovatis acutis glabriusculis imbricatae. *Strobili* terminales, sessiles, basi depressi, defforati conico-hemisphaerici, *squamis* obovato-oblongis (3 lin. longis, 1 lin. latis) dorso ad basin usque albo-lanatis, acumine brevi acuto recurvo-patulo glabriusculo. *Flores* non vidimus, — an glabri? Tunc stirps nostra forsan ad *I. cuneatum* (R.Br. prodr. pag. 366.) referenda, cui tamen tribuuntur folia obtusissima.

11. **Isopogon attenuatus** *R.Br.* foliis spathulato-oblongis, inferne longe attenuatis, mucronulatis, obsolete 3-nerviis ramulisque glabris, summis (bracteis) strobilum terminalem sessilem hemisphaericum longe superantibus basi dilatatis; involucri squamis exterioribus ovatis, acutis, glabriusculis, interioribus angustatis villosis; calycis lobis tubo glabro parum brevioribus, villosis; stigmate inarticulato, tenui-cylindraceo, glabro. — R.Br. prodr. pag. 366.

In solo glareoso sterili Australiae meridionali-occidentalis, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 663. (Sinus Regis Georgii, All. Cunningham! in Hb. DC.)

Truncus (hypogaeus?) lignosus, digiti crassitie, erectus, fuscus, libro eleganter reticulato-fibroso. *Caules* ex apice trunci plures, erecti, simplices, 4-6-pollicares, apice monocephali. *Folia* rigide coriacea, plana, 3-8-pollicaria, 4-12 lin. lata, mucrone brevi crasso obtuso saepe obliquo v. laterali, nervis (quorum laterales inferne margini approximati) nunc subtus manifestis etsi tenuissimis subimpressis, nunc (excepto mediano) inconspicuis. *Capitula* magnit. praecedentis, basi haud depressa. *Squamae* exteriores 3 lin. longae, 2 lin. latae, ciliatae, puberulae, mox glabrescentes, interiores angustatae. *Calyx* 4-5 lin. longus, squamas parum superans, lobis pilis albidis flavisve subsericeo-villosis. *Stigma* 1½ lin. longum, supra basin leviter constrictum nec vere articulatum, superne subsulcatum, acutiusculum, totum glaberrimum.

12. **Isopogon sphaerocephalus** *Lindl.* ramis patenti-pilosis tomentosisque, foliis lineari-lanceolatis, mucronulatis, nervosis, puberulis, scabriusculis; strobilis terminalibus (rarius et axillaribus) sessilibus, subglobosis; squamis ovatis, acuminatis, villosis; calycis tubo glabro, lobis crispato-villosis; stigmate articulato, articulo inferiore bre-

viore turbinato stuposo, superiore subulato glabro apice subdilatato excavato. — Lindley Swan-River pag. XXXIV, n. 163.

In limoso-calculosis sylvae ad jugum montium Darling's-range, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 688. (Drummond n. 559 et coll. I.)

„Frutex 4-pedalis". *Rami* stricti, pilis longiusculis mollibus patentissimis laxiuscule hispiduli et apice praeterea subtomentosi. *Folia* rigide coriacea, 2-4-pollicaria, 3-5 lin. lata, recta v. leviter falcata, parce puberula (ex Lindl. sericea, qualia specim. nostra non exhibent) tactu scabriuscula, nervo medio (subtus prominente) venisque pinnatis utrinque conspicuis, apice saepius leviter plicato, plica in mucronem brevem obtusiusculum subrecurvum exeunte. *Capitula* magnit. nucis *Juglandis* majoris, nunc omnia terminalia, sessilia, nunc in superioribus axillis pedunculata, folio lineari semipollicari suffulta, sursum approximata et quasi spicam foliosam formantia, evolutione descendente. *Squamarum* interiorum acumina subfiliformia, fusca semipatula. *Calyx* 5-6 lin. longus, tubo glabro, filiformi, limbi plus duplo brevioris lobis longiuscule flavido-villosis. *Stigma* 1½ lin. longum, egregie articulatum. Proxime affinis *I. polycephalo* R.Br., sed hujus stigma dicitur cylindraceum.

13. **Isopogon uncinatus** *R.Br.* caule abbreviato v. subnullo, aggregato-polycephalo; foliis lineari-gladiatis, subtus 1-nerviis et submarginatis, rugulosis, glabris, acumine recurvo; strobilis sessilibus, subglobosis; squamis ovatis villosis; calycis tubo longo, filiformi, inferne glabro, limbi lobis patulo-villosis multo brevioribus; stigmate e basi incrassata subulato-attenuato puberulo. — R.Br. suppl pag. 8.

In solo glareoso inter frutices prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 758.

Caulis subnullus; rhizoma brevissimum transiens in radicem perpendicularem simplicem, dense papilloso-verruculosam et parcissime fibrilliferam, apice emittens surculos plures (5-10-00) dense congestos, vix ½-1 poll. longos, dense foliatos et capitulo sessili terminatos. *Folia* satis rigide coriacea, erecta, plana, recta, deorsum longe attenuata, pleraque 6-8-pollicaria, 3-4 lin. lata (nonnulla triplo breviora et angustiora) apice attenuato obtusiusculo plus minus recurva, (saepe subcircinnata v. uncinata, rarius recta) subtus praeter nervum medium subprominulum saepius nervulis 2 tenuissimis marginantibus percursa. *Strobili* subglobosi, *Cerasi* magnit., squamis interioribus lanceolatis glabrescentibus, exterioribus demum obtusiusculis lanato-tomentosis. *Calyx* 10 lin. longus, tubo tenuissime filiformi, versus faucem tantum (extus) pilosiusculo, limbi lobis anguste lanceolatis, 1½-2 lin. longis, pilis semipatulis sulphureis sericeis dense villosis. *Stigma* lineam longum, supra basin brevissime turbinatam attenuatum parce minuteque puberulum. *Nucula* ovato-oblonga, styli basi caudata, undique comosa.

14. **Isopogon spathulatus** *R.Br.* ramulis pubescentibus, proliferis; foliis cuneato-obovatis v. sublinearibus, glabris, aveniis, apiculo acuto; strobilis terminalibus, obvallatis; calycis tubo tenuissime filiformi, glabro, limbi lobis barbatis; stigmate subarticulato cylindrico glabriusculo. — R.Br. suppl. pag. 8.

α **obovatus.** *R.Br.* (l. c. pag. 9.) foliis obovatis v. obovato-oblongis planis.

In rupestribus collium Konkoberup promontorii Cape-Riche, d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 654.

β **linearis.** *R.Br.* (l. c.) foliis linearibus v. subspathulatis, supra subcanaliculatis, dorso convexis.

In solo turfoso-arenoso 18 mill. ab oppidulo Albany, d. 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 655.

Var. α. „Frutex 5-pedalis". *Folia* 6-10 lin. longa, 2½-4 lin. lata, mucronulo sphacelato brevi recto pungente. *Var. β.* „Frutex 3-pedalis". *Ramuli* corymbosi v. subverticillati. *Folia* 3-6 lin. longa, 1-2 lin. lata, mucronulo minuto. *Strobili* utriusque varietatis parvi, (deflorati vix *Piso* majores) inter folia summa dense congesta ipsosque superantia sessiles, squamis oblongo-lanceolatis acutis, fuscis, inferne albo-villosis. *Calycis* tubus tenuissime filiformis, glaber v. parcissime pilosiusculus, lobi apice albo-comosi. *Stigma* tenue, vix lineam longum, basi in nodulum annuliformem leviter incrassatum, superne cylindricum sulcatum, minutissime papilloso-puberulum v. demum glabrum, apice brevissime attenuato obtuso. — Var. α valde accedere videtur ad *I. buxifolium* R.Br. prodr. pag. 366, qui differt foliis ovatis apice recurvis et bracteis subulatis.

15. **Isopogon axillaris** *R.Br.* foliis cuneato-lingulatis, mucronulatis, subenerviis ramulisque glabris; strobilis axillaribus, sessilibus v. breve pedunculatis, ovatis; squamis ovatis, obtusis, ciliatis, puberulis mox glabris; calycis lobis tubo filiformi glabro triplo brevioribus, sericeo-villosis; stigmate fusiformi medio subconstricto, inferne tomentoso, superne glabro. — R.Br.! prodr. pag. 367. Guillemin Icon. lithogr. t. 19.! Hook. ic. t. 438!

In uliginosis ad margines lacus prope Middletonbay, Plantagenet, d. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 653.

„Frutex 4-5-pedalis, strictus". *Capitula* axillaria, saepe pedunculo 3-4 lin. longo, folia nonnulla genuina sed abbreviata gerente suffulta, ideoque ramulos breves terminantia. *Stigma* 2 lin. longum. Caet. iconibus citatis optime tradantur.

ADENANTHOS Labill. Endl. gen. n. 2130. Meisn. gen. pag. 331. (244.)

§. 1. Folia plana, integerrima v. rarius inciso-dentata. Flores axillares, solitarii, rubri. Calyx quasi unilabiatus, limbo hinc profunde fisso, lobis apice in cucullum stigma retinentem diu cohaerentibus.

1. **Adenanthos barbigera** *Lindl.* foliis sessilibus, oblongo-v. lineari-lanceolatis, obtusis, integerrimis, triplinerviis, venosis, demum glabris, junioribus ramisque patenti-pilosis; floribus breve pedunculatis, involucri squamis ovatis acuminatis villosis; calyce patenti-piloso, lobis extus barbatis, intus glabris, stylo piloso demum glabrescente. — Lindley, Swan-River pag. XXXIV. n. 182.

In arenosis deflagratis jugi montium Darling's-range, Perth, d. 20. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 792. (Drummond n. 591 et coll. I.)

Rhizoma subhorizontale, fuscum, calami scriptorii crassitie, *caules* emittens plures, pedales, graciles, simplicissimos v. rarius basi divisos, erectos v. adscendentes, fuscos, pilis mollibus patentissimis 2 lin. longis, dense barbatos, a basi inde foliis floribusque tectos. *Folia* plerumque 1½-2-pollicaria (raro subtripollicaria), 3-4 lin. lata, interdum dimidio angustiora, subinde (infima praecipue) abbreviata, 1-½ poll. longa, apice mutico in nodulum subglandulosum obsolete incrassata. *Pedunculi* 2-4 lin. longi, medio v. prope apicem bracteis 2 oppositis vix lineam longis stipati. *Involucrum* patulum, 4-phyllum, basi bracteolis oppositis minoribus auctum, foliolis biseriatim oppositis, ovato-lanceolatis acuminatis, sericeo-villosis, apice recurvo-patulis. (Semel observavimus involucrum biflorum!) „*Flores* coccinei", forma et structura *A. obovatae*, sed paullo minores magis pilosi apiceque extus dense villoso-barbati. *Anthera* una (constanter?) abortiva. *Stigma* ovali-oblongum compressum, glabrum, utrinque sulcatum, sesquilineam longum.

2. **Adenanthos obovata** *Labill.* ramis puberulis, foliis sessilibus, obovatis, obtusis, integerrimis, obscure triplinerviis, glabris; floribus brevissime pedunculatis, involucri patuli squamis ovatis glabriusculis; calyce pube adpressa undique aequaliter sericeo-canescente, lobis intus glabris; stylo piloso. — Labill. Nov. Holl. 1. pag. 29. t. 37! (Lam. ill. t. 913. f. 2.) R.Br. prodr. pag. 367.

In arenosis sylvae cis oppidulum Guildford, gregatim crescens, d. 28. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 790. (Drummond n. 592.)

„Frutex 3-4-pedalis, strictus, ramis inferne aphyllis", simplicibus v. apice corymboso-ramulosis. *Pedunculus* 1-1½ lin. longus, sericeo tomentosus. *Involucri* patuli squamae 4, stramineae, obtusiusculae v. subacutae, nunquam acuminatae, bracteolis 2 basilaribus conformes sed duplo majores. „*Flores* miniati". *Anthera* una (semper?) abortiva, ad processum filiformem reducta. *Stigma* praecedentis.

3. **Adenanthos cuneata** *Labill.* foliis petiolatis, cuneatis, praemorso-obovatis oblongisve, apice dentato-crenatis, obsolete triplinerviis ramulisque sericeo-tomentosis; pedunculis petiolo sublongioribus, involucri squamis ovatis acuminatis calycibusque sericeis, lobis intus barbatis, stylo piloso. — Labillardière! l. c. pag. 28. t. 36. (Lam. ill. t. 913. f. 1.) R.Br. l. c.

A. flabellifolia Knight et Salisb. Prot. pag. 96.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, d. 21. Oct. 1840. Herb. Preiss No. 793.

„Frutex 4-pedalis". *Folia* circ. pollicaria, apice 4-6 lin. lato, nunc crenata v. leviter repando-crenata, nunc inciso-dentata, crenis dentibusve 5 v. rarius 3 obtusis, interdum lineam longis. *Pedunculus* tenuis, 3 lin. longus, prope medium bractearum vestigium gerens; *involucri* foliola 4, apice semipatula, vix 1½ lin. longa, bracteolis 2 basilaribus duplo majora. *Calyx* folio aequilongus, lobis intus pone antheram longiuscule denseque albido-barbatis. *Anthera* una abortiva, ad processum conico-filiformem reducta. *Stigma* subulatum, stylo haud crassius, basi tantum obsolete noduloso-incrassatum, glabrum.

§. 2. Folia filiformia v. angustissime linearia, trifido-laciniata. Flores terminales, raro axillares, fasciculati, rarius solitarii, lutescentes v. rubri, lobis styloque citius liberis.

4. **Adenanthos Meisneri** *Lehm.* foliis tripartitis, junioribus ramisque pubescentibus, segmentis bifidis v. bis bifidis v. subpinnatifidis, intermedii trisecti lobis 2-3-fidis, laciniis teretiusculis obtusis apice extus glanduligeris, petiolo latiusculo plano; floribus terminalibus, inter folia summa congesta basi villosa capitato-aggregatis, singulatim involucratis; calyce pilosiusculo, lobis liberis reflexis intus subbarbatis; stigmate fusiformi, vix incrassato styloque glabro.

In arenosis sylvae ad radices jugi montium Darling's-range, distr. Nelson („rarissima") d. 9. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 791. (Colitur in hort. bot. Hamburg.)

„Frutex 2-3-pedalis" *ramis* erectis ramulisque semipatulis pube brevi molli subadpressa satis dense cano-pilosiusculis. *Folia* sparsa (dispos. spir. $^2/_5$) 9 lin. longa, profunde 3-partita, petiolo 1-3 lin. longo, fere lineam lato, supra plano, dorso convexo; summorum segmenta saepe indivisa, reliquorum varie laciniata, lateralia plerumque bifida aut bis bifida (rarius 3-fida aut pinnatim 4-5-fida) intermedium trifidum, laciniis iterum 3-fidis aut lateralibus bifidis; lacinulae subtereti-filiformes, exsulcae, 1-3 lin. longae, (foliorum floralium saepe duplo longiores) $^1/_3$ lin. crassae, omnes infra apicem muticum extus puncto glanduloso fusco notatae. *Folia* novella parce pilosiuscula, mox glabrescentia; ramulorum summa subverticillato-approximata involucrum commune simulantia, inferne longiuscule albo-barbata. *Capitula* sessilia, 3-6-flora, demum ramulo uno alterove e bracteae axilla evoluto saepius prolifera. *Involucella* arcte congesta, 4-phylla, 2-bracteolata, squamis bracteolisque (dimidio brevioribus) oblongis, ciliatis. *Flores* rubri?, folia dimidio v. duplo et ultra superantes, 9-10 lin. longi. *Calyx* parce minuteque glanduloso-puberulus, viscidulus? tubo cylindrico, lineam crasso, nervoso-striato, apice primum incurvo dorso fisso et styli partem exserente, demum recto, limbi aequaliter 4-fidi lobis $1^1/_2$ lin. longis patulis basi primum cohaerentibus, demum (post stigmatis liberationem) omnino liberis reflexisque, lanceolatis, dorso pilosiusculis, intus parce barbatis. *Anthera* una abortiva. *Stylus* calyce dimidio longior, glaber, sursum attenuatus; stigma vix crassius $^1/_2$ lin. longum, basi oblique incrassatum, obtusiusculum.

5. **Adenanthos procumbens** *Meisn.* caule ramisque procumbentibus, gracilibus, apice pubescentibus; foliis 3-partitis, segmentis indivisis apice extus glanduligeris petioloque filiformibus, floralibus parce patenti-pilosis mox glabris; fasciculis terminalibus 3-6-floris, inter folia ipsos longe superantia subsessilibus, involucris propriis calycibusque cano-pilosis, stigmate subulato styloque glabro.

In solo humoso inter frutices densos sylvae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 589 bis.

„Frutex procumbens", ramis gracilibus, flexibilibus, saepe elongatis (bipedalibus) fere flagelliformibus. — Species ab affinibus omnibus distinctissima, tam habitu, quam *foliis* minus divisis (circ. pollicaribus, summis plerumque dimidio longioribus) simpliciter 3-fidis, laciniis indivisis (lateralibus

tantum rarissime bifidis) tenuioribus (vix ¼ lin. crassis) floralibus totis nec basi tantum) pilis raris tenerrimis patentissimis lineam et plus longis barbellatis. *Involucra* propria interdum pedicello ½-1 lin. longo suffulta, foliolis 4 ovatis, acutis, 1-1½ lin. longis, apice minute glanduligeris, demum glabrescentibus. *Calyx* 4 lin. longus, extus undique aequaliter villosiusculus, limbi lobis liberis, lineam longis, intus subnudis, tubo hinc fisso basi subventricoso. *Antherae* omnes perfectae! *Stylus* exsertus calyce duplo longior; stigma semilineam longum, basi vix incrassatum. — Semel observavi involucellum biflorum, floribus connatis in unicum regulariter 8-fidum 8-andrum 2-stylum!

6. **Adenanthos sericea** *Labill.* ramulis laxe villosis, foliis adpresse sericeis, biternatis, laciniis filiformibus, petiolo brevi tereti; floribus terminalibus, subsolitariis, folia subaequantibus, breve pedicellatis, involucri imbricati sericeo-tomentosi squamis interioribus ovatis acuminatis, calycis sericei lobis villosis intus hirsutulis, stigmate subulato styloque glabro. — Labillardière Nov. Holl. 1. pag. 29, t. 38. (Lam. ill. t. 913. f. 3.) R.Br.! prodr. pag. 367.

In litore arenoso portus Princess Royal Harbour, d. 27. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 788. (Sinus Regis Georgii, specim. Brown et e Herb. Mus. Paris et Delessert in Herb. DC.)

„Arbuscula 12-18-ped.“ *Ramuli* conferti, breves, sparsi v. subcorymbosi. *Folia* ramea sparsa, ½-1-pollicaria, floralia conferte approximato-subverticillata, dimidio majora, petiolo 1-2 lin. longo, laxius piloso, segmenta plerumque 3-partita, rarius bifida aut pinnatim 4-5-fida, laciniis teretibus ¼ lin. crassis, haud rigidis plerumque 8-12 lin. longis, pube densa adpressa nunc albida nunc aureo-rufa glandulam apicalem exiguam occultante sericeis. *Inflorescentia* omnino praecedentium. *Flores* „coccinei“, 3-1 ex apice ramulorum (nec vere axillares ut ab auctoribus traduntur) sed serius evolutione ramulorum e bractearum axillis nonnunquam spurie laterales fiunt. *Pedicelli* 1-2 lin. longi, infra medium basique minute bracteolati. *Involucrum* 6-8-phyllum, triseriatim imbricatum, squamis 2-3 intimis ovatis, acuminatis, erectis, 2-2½ lin. longis, exterioribus sensim brevioribus obtusiusculis. *Calyx* 10 lin. longus, tubo subsericeo-tomentoso hinc fisso, limbi lobis liberis, lineari-lanceolatis, 2 lin. longis, extus sericeo-villosis, intus parce adpresseque pilosis. *Antherae* omnes perfectae. *Stylus* 14 lin. longus, inferne crassiusculus, sursum attenuatus, fere insensibiliter transiens in stigma lineam longum obsolete sulcatum.

7. **Adenanthos Cunninghamii** *Meisn.* tota cano-tomentosa, foliis 3-partitis, segmentis lateralibus bifidis, intermedio trifido, laciniis filiformibus v. anguste linearibus sessilibus, densifloris, glaberrimis, apicifloris, pedicellis petioloque supra planis obtusis, novellis floribusque subsericeis; floribus axillaribus, solitariis, pedicello petiolum subaequante, involucelli foliolis ovatis acutis, calycis sericei lobis intus barbatis; stylo medio pilosiusculo, infra supraque cum stigmate subulato glabro.

„*A. terminalis* R.Br.?“ Allan Cunningham! mss. in Hb. DC.

In regionibus interioribus Australiae m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2621.

Ab *A. terminali* R.Br.!, cui nisi stylo pubescente vix accedit, foliorum (triplo majorum) divisione, pubescentia et inflorescentia, nec non habitu,

fronde laxa nec adpressa longe abhorret, itidemque ab *A. sericea* notis indicatis facile distinguitur. — Frutex, ut videtur, elatior, ramosissimus, *ramis* virgatis fastigiatis, innovationibus subsericeis. *Folia* cum petiolo 3-6 lin. longo, semitereti, plerumque 1½-2-pollicaria (segmentis primariis saepe lineam latis rarissime indivisis) secundariis 6-12 lin. longis, apice subtus obsolete glanduligeris, supra saepius leviter sulcatis v. canaliculatis. *Flores* vere axillares, nonnunquam tamen (*A. sericeae* more) initio terminales subaggregati, sed ramulo excrescente prolifero mox laterales facti. — Caetera *A. sericeae*, sed calyx apice haud longius quam inferne pilosus, lobi intus longius densiusque barbati et stylus haud glaber.

8. **Adenanthos terminalis** *R.Br.* foliis tripartitis ramulisque pubescentibus, laciniis filiformibus apice minute glanduligeris, lateralibus bifidis, intermedia indivisa; floribus terminalibus solitariis ternisve, subsessilibus, involucri foliolis oblongo-lanceolatis, calycis villosi lobis intus calvis, stylo inferne piloso apice glabro. — R.Br.! prodr. pag. 367. Endlicher iconogr. t. 110!

In planitie arenosa Quangen, Victoria. Herb. Preiss. No. 795 et trans Halfwayhouse. No. 796 m. Mart. et Apr. 1840 steril. (Port. Lincoln, orae australis. R.Br.! in Hb. DC.

„Frutex bipedalis". — Egregia icon Baueriana fusiorem descriptionem omnino superfluam reddit. Monendum tamen est, glandulas ad apicem laciniarum foliorum, ab oculatissimo fidelissimoque pictore haud indicatas, non solum in specim. Preissiano, ubi satis manifestae, sed etiam in ipso Browniano, at minutas et pubescentia fere absconditas, a nobis observatas esse *).

9. **Adenanthos apiculata** *R.Br.* ramis tomentosis simulque patenti-pilosis; foliis cano-pubescentibus tripartitis, floralibus inferne patenti-villosis, segmentis bifidis (raro trifidis simplicibusve) intermedio saepius trifido, laciniis filiformibus apice extus glanduligeris; floribus terminalibus 3-1, inter folia ipsos superantia subsessilibus; calyce pubescente, lobis intus adpresse barbatis stigmate subulato styloque glabro. — R.Br. suppl. pag. 9.

In arenosis juxta oppidum Perth, d. 22. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 787. In clivulo arenoso sterili prope Williamsburg, Wicklow, d. 3. Mart. 1841. No. 794 (Drummond coll. I.)

„Frutex 12-16 pedum". — Habitus, ramificatio, foliorum magnitudo *A. sericeae*, sed pubescentia nequaquam sericea, foliorum segmenta lateralia rarissime 3-fida, laciniae paululum crassiores et rigidiores, subtus sub apice

*) Huic proxime affinis est species nova, a cl. Preissio haud missa, nempe: **Adenanthos Drummondii** Meisn., ramulis sericeo-tomentosis, demum glabratis; foliis subsessilibus, adpresse pilosiusculis, 3-partitis, segmentis lateralibus bifidis, intermedio indiviso, laciniis filiformibus apice extus minute glanduligeris; floribus terminalibus, solitariis, subsessilibus; calyce folia subsuperante, pubescente, lobis intus imberbibus; stigmate brevi conico styloque glabro. — Swan-River Drummond n. 583. (Herb Shuttleworth.) — Species habitu, pubescentia, magnitudine et divisione foliorum simillima *A. terminali*, sed praeter notas indicatas (praecipue stylum glabrum) discrepans, petiolo brevissimo v. subnullo, foliorum glandulis apicalibus semper conspicuis, foliis floralibus reliquis parum longioribus et aeque pubescentibus (nec villosobarbatis) et stigmate vix ⅓ lin. longo e basi leviter incrassata conico-attenuato obtusiusculo.

semper areola glandulosa ovali fusca conspicua notatae; folia floralia basi praesertim pilis albis longis patenti-barbata, flores superantia et fere occultantia, et calycis laciniae paulo breviores. *Folia* saepe occurrunt mutilata, laciniis tunc apice insigniter truncatis v. subpeltatis, glabris rufisve dorsoque infra apicem areola glandulosa fusca notatis. *Antherae* omnes fertiles. Species ab omnibus reliquis tam habitu quam characteribus plerisque distinctissima.

10. **Adenanthos pungens** *Meisn.* foliis teretibus, crassis, mucronato-pungentibus, supra unisulcis, apice breviter 2-3-fidis passimque indivisis, novellis ramulisque tomentosis; floribus terminalibus 3-8 aggregatis, subsessilibus, folia aequantibus, involucri squamis 3 ovatis acutis; calyce sericeo-tomentoso, limbi lobis intus brevibarbatis, stylo villoso, stigmate cylindrico obtuso glabro.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 671.

Ramus 4-5-pollicaris, ubique foliosus, crassitie pennae corvinae, cortice nigricante asperulo, ramulis approximato-oppositis v. subverticillatis brevibus, summis florigeris. *Folia Petrophilarum* et *Hakearum* pungentium, rigidissima, recta, semipatentia, 4-8 lin. longa, (plerumque semipollicaria) fere lineam crassa, basi haud angustata, laevia, (supra tamen constanter sulco longitudinali conspicuo percursa) pleraque apice in dentes 3 (rarius 2) semierectos aequales 1-2 lin. longos, mucronato-acutatos divisa, rarius hinc inde simplicissima, floralia subsena reliquis conformia et aequalia, dense congesta erectiora. *Involucrum* proprium (interdum pedicello crassiusculo lineam longo suffultum) 3-phyllum, squamis subaequalibus ovatis, lineam longis, subadpressis dorso subsericeo-canis. *Calyx* semipollicaris, tubo aequali cylindrico, hinc fisso, intus glabro basique squamulas 4 hypogynas lineari-oblongas obtusas glabras (vix ½ lin. longas) gerente, limbi lobis diu cohaerentibus vix lineam longis, intus breviter albo-barbatis. *Antherae* omnes perfectae, apiculo brevi. *Stylus* sursum attenuatus, longiuscule pilosus, stigmate vix incrassato semilineam longo.

STIRLINGIA Endl. gen. n. 2133. Meisn. gen. pag. 332. (244.) Simsia R.Br. (non Pers.)

§. 1. Foliorum laciniae teretes, filiformes.

1. **Stirlingia teretifolia** *Meisn.* caule subsulcato, laevi, folioso; foliis rigidis, crassiusculis, teretibus, laevibus, supra unisulcis, ter bifidis, segmentis laciniisque acutis erectis vix divergentibus; paniculae ramulis capitulo vix longioribus, ebracteolatis, involucri squamis imbricatis, ovatis, acutis, ciliatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 768.

Caules e basi lignosa (rhizomate?) plures, 1-1½-pedales, subsimplices, plus minus (inferne praecipue) sulcato-striati, sub lente punctulati (nequaquam tamen scabriusculi) usque ad apicem parce paniculato-ramosum remote foliosi. *Folia* infima 2-3-pollicaria (superiora sensim breviora) dimidiam

lineam crassa, excepto sulco, laevissima, laciniis 4-8 lin. longis, secundi ordinis subinde indivisis, petiolo subpollicari basi vix dilatato. *Panículae* rami bractea squamaeformi triangulari-lanceolata acuta, 2-1 lin. longa, subadpressa suffulti, 1-2-cephali, ramulis ultimis subsemipollicaribus nudis v. supra medium gemmulam capituli abortivi gerentibus. *Capitula* globosa, *Pfso* parum majora, dense multiflora; involucri squamae bracteis conformes, extimae lineam latae, parum longiores; receptaculum conicum, 2 lin. longum albo-lanatum. *Flores* sesquilineam longi.

2. **Stirlingia affinis** *Meisn.* caule subsulcato, scabriusculo, folioso; foliis rigidis, crassiusculis, subrugosis, supra unisulcis, ter v. quater bifidis, acutis, segmentis laciniisque erectis vix divergentibus; capitulis simpliciter racemosis, pedunculis elongatis, ebracteolatis; involucri squamis imbricatis, ovato-lanceolatis, acutis, ciliatis.

In planitie subarenosa ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 770.

Habitus statura et capitula praecedentis. *Radix* fibrosa, capite crasso tuberiformi lignoso apice diviso in ramos plures breves digitum crassos lignosos, e quibus oriuntur caules erecti subsimplices. *Caules* et folia sub lente minute punctata, tactu scabriuscula. *Folia* infima nonnunquam 4-pollicaria et superioribus tenuiora, haud raro quater bifida. — A *S. terettifolia*, cui sane proxima, differt foliis plus minus rugoso-striatis v. subangulatis (nunquam laevissimis) longioribus paululumque tenuioribus, inflorescentiae ramis (primariis) indivisis 1-cephalis capitulo multo-longioribus et involucri bracteis angustioribus sublanceolatis. — A *S. tenuifolia*, cui etiam accedit, differt pedunculis ebracteolatis, capitulis involucratis, foliis crassioribus rigidioribus, laciniis longioribus haud divaricatis.

3. **Stirlingia simplex** *Lindl.* caulibus laevibus, scapiformibus, monocephalis, basi foliosis, superne longe nudis; foliis dichotomo-multifidis, laciniis subdivaricatis tenue filiformibus brevibus exsulcis; capitulis densifloris, squamis exterioribus ovato-lanceolatis acutis. — Lindley Swan-River pag. XXX. n. 140.

In limoso-arenosis inter frutices planitiei ad radices jugi montium Darling's-range, d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 772. (Drummond n. 586 et coll. I.)

Caules circ. pedales, subcaespitosi, ima basi lignosi, superne (per longitudinem pollicum 6-10) omnino nudi aut rarius unius folii rudimento muniti. *Folia* fere sequentium, sed tenuiora et magis divisa, laciniis 2-3 lin. longis, raro longioribus. „*Flores* sordide vitellini“. *Involucri* squamae *S. affinis*. — Species a reliquis omnibus caule scapiformi monocephalo et capitulis majoribus facillime distinguenda.

4. **Stirlingia anethifolia** *Endl.* caule dichotomo-ramoso, basi folioso, superne subaphyllo, apice paniculato; foliis dichotomo-multifidis, segmentis divaricatissimis, laciniis tenue filiformibus subexsulcis; pedunculis capitulo parum longioribus, involucri squamis minutis ovatis. — Endlicher iconogr. t. 23!

Simsia anethifolia R.Br. prodr. pag. 368. (A. Cunningham! in Herb. DC.)

In glareosis inter frutices densos ad tergum montis Clarence, Plantagènet „rarissima“, d. 30. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 771.

Specimina subbipedalia, inde a basi lignescente ramosa, *caule* obsolete sulcato-striato, radice simplici, verticali, fusiformi, granuloso-aspera. *Folia* infima 2-3-pollicaria, petiolo basi parum dilatato, laciniis 4-5 lin. longis (in specim. Cunninghamiano saepe duplo longioribus et supra distincte unisulcis.) *Panículae* rami semierecti, oligocephali, ramulis ultimis (pedunculis) nudis v. rarius bracteolas paucas minutas involucri squamis similes gerentes. *Capítula Ptsi* majoris mole, floribus (ut plerarumque specierum) exsiccatione nigricantibus, receptaculo sericeo-villoso. — Species a *S. tenuifolia* R.Br.! aegre distinguenda.

5. **Stirlingia abrotanoides** *Meisn.* caulibus sublaevibus, ultra medium subsimplicibus denseque foliosis, apice aphyllis racemoso-polycephalis; foliis brevibus tenue filiformibus bis v. ter bifidis; pedunculis longis, ebracteolatis, capitulis laxiuscule multifloris, involucri squamis minutis ovatis.

In locis arenosis ad ripam flum. Cygnorum, d. 30. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2622. Swan-River, Drummond n. 587.

Caules pedales, e rhizomate crassiusculo plures, basi lignosi, graciles, levissime striatuli, ad pedunculorum inferiorum originem usque (nec ultra) conferte et subadpresse foliosi. *Folia* fere *S. tenuifoliae*, sed minora, vix pollicem superantia, et tenuiora, laciniis nunquam divaricatis. *Capítula* simpliciter racemosa, magnit. *S. simplicis*, pedunculis filiformibus semierectis 2-5-pollicaribus. *Flores* flavi (exsiccatione haud nigrescentes) 3 lin. longi. Species a praecedentibus tam foliis quam inflorescentia distinctissima.

§. 2. Foliorum laciniae planae, lineares v. lanceolato-lingulatae.

6. **Stirlingia latifolia** *Steud.* caule a basi ramoso, gracili, laevi, folioso; foliis planis, aversis, 2-3-fidis v. bis bifidis, laciniis linearibus subvenoso-striatis apice sphacelatis acutis; capitulis paniculatis, paucifloris, involucri squamis ovatis exiguis. — Steudel nomencl. bot. ed. 2. pag. 644.

Simsia latifolia R.Br. suppl. pag. 9.

In arenosis sylvae ad ripam flum. Cygnorum prope peninsulam, d. 30. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 767.

„Suffrutex 1½-pedalis“. *Caules* e trunco communi lignoso fusco nudo pollicari pennam anserinam crasso plures, ramosi, erecti, gracillimi, laeves, internodiis 1-2-pollicaribus. *Folia* erecta, aversa (faciebus latera spectantibus) vix rigida, pallida, 2-5-pollicaria, plerumque bis bifida, rarius simpliciter 2-3-fida, subinde indivisa, laciniis ½-1½ lin. latis, rectis v. subfalcatis, petiolum angustatum basi leviter membranaceo-dilatatum subaequantibus. *Capítula* paniculata, *Piso* parum majora, circ. 6-flora, pedunculis ½-1-pollicaribus, plerumque bracteolas 1-3 sparsas minutas ovatas obtusas gerentibus. *Flores* 2½ lin. longi. *Nuculae* coma ampla albo-sericea.

7. **Stirlingia paniculata** *Lindl.* caule valido, basi folioso simplici, apice paniculato-polycephalo; foliis planis, aversis, rigide coriaceis, nervoso-striatis, bis v. ter bifidis, laciniis lineari-lanceolatis apice callosis; capitulis breve

pedunculatis, paucifloris, involucri squamis ovatis exiguis. — Lindley Swan-River pag. XXX. n. 141.

In arenosis circa oppidum Perth, d. 19. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 769.

Caulis bipedalis et ultra, rectus, teres, tenuiter sulcato-striatus, crassitie pennae anserinae. *Folia* usque ad 10-12 poll. longa, dichotoma, segmentis primariis bifidis, lacinia una v. utraque iterum bifidis, 3-5 lin. latis, ultimis saepe valde inaequalibus, altera vix pollicari 1-2 lin. lata, petiolo 2-3 lin. longo compresso, basi quasi breviter fisso semiamplectente vix dilatato, margine membranaceo. *Panicula* amplicissima, pedalis, fastigiata, aphylla, ramis ramulisque semierectis bractea subfoliacea triangulari acuta, 2-1 lin. longa, patula suffultis, ramulis ultimis (pedunculis) racemosis, 2-4 lin. longis, approximatis. *Capitula* 5-9-flora, floribus 2½ lin. longis. *Nuculae* coma ampla, albo-sericea.

CONOSPERMUM Smith. Endl. gen. n. 2132. Meisn. gen. pag. 332. (245.)

Sect. I. Euconospermum Endl. Calycis limbus subbilabiatus, tubo brevior v. vix longior, lobo postico anterioribus planis latiore subgaleato basi fornicato-concavo.

§. 1. Folia plana, elliptico-lanceolata, lingulata v. linearia, rarius angustissime linearia subacerosa. Caulis ramosus, foliosus, rarius superne aphyllus *).

1. **Conospermum bracteosum** *Meisn.* foliis superioribus sessilibus, imbricato-adpressis, lanceolatis, acutis, semiamplexicaulibus, aveniis ramisque incano-tomentosis; spicis in apice ramorum corymboso-approximatis, simplicibus, breve pedunculatis, laxis, albo-tomentosis, bracteis ovatis acutiusculis demum glabrescentibus fuscis, florem niveo-villosissimum subaequantibus.

In region. interior. Australiae meridionali-occidentalis, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 746.

---

*) Hujus loci, praeter species infra describendas, sunt: *C. ellipticum* Sm., *imbricatum* Sieb., *lanceolatum*, *propinquum*, *spicatum*, *tenuifolium* R.Br., *longifolium*, *taxifolium*, *ericifolium* Sm., *glumaceum* Lindl. (Swan-River pag. XXX. n. 137.) et species sequentes ineditae: 1) **C. linifolium** A. Cunningham! mss., foliis linearibus, venosis, novellis ramulisque minute puberulis, mox glabris; spicis terminalibus axillaribusque, subcorymbosis, capituliformibus, demum elongatis, pedunculis longis nudis; bracteis flore dimidio brevioribus, late ovatis, apiculatis calyceque extus puberulis, limbo tubo paulo breviore. — *Peel's Island*, *Moreton Bay*, ad Novae Holl. oram orientalem, m. Oct. 1824 legit Allan Cunningham! (Hb. DC.) — Affinis *C. spicato* R.Br. (fide Cunningh.) et *C. longifolio* R.Br. (praecipue var. β Brown suppl. pag. 10.) a priore distinctum foliis subtus non subsericeis et spicis (per florescentiam saltem) brevibus, vix semipollicaribus, densifloris; a *C. longifolio* discrepat foliis brevioribus circ. pollicaribus 1½-2 lin. latis, sessilibus, caule ad pedunculos laterales usque foliose, corymbi compositi multo laxioris

Species foliis accedens ad *C. imbricatum*, inflorescentia vero et floribus *C. triplinervio, undulato* et *disticho* similior, ab omnibus tamen bene distincta. „Frutex....“ *Rami* stricti, subcorymboso-ramulosi, ubique incano-tomentosi. *Folia* inferiora haud suppetunt, ramea semipollicaria, fere 3 lin. lata, erecta, inferne semiamplectentia, ramos fere omnino abscondentia, mucronulo obsoleto sphacelato acutata, pube brevi subsericea tomentosa, avenia, nervo medio interdum obsolete prominulo. *Spicae* e ramorum apice summisque axillis nascentes, paucae, simplices, 1-2-pollicares, fere a basi inde floriferae, pedunculo rhachique et bracteis junioribus pube sericea nivea densissime lanato-tomentosis. *Bracteae* semiamplectentes, internodia aequantes, 2½-3 lin. longae, 2 lin. latae, demum fuscae parceque tomentosae v. glabriusculae. *Flores C. triplinervii.*

2. **Conospermum triplinervium** *R.Br.* ramis glabris, foliosis; foliis lingulato-oblongis lanceolatisve, attenuato-petiolatis, planis, triplinerviis, venosis, glabris v. novellis sericeis, apiculo terminali sphacelato crassiusculo; pedunculis terminalibus axillaribusque elongatis, subaphyllis, ramosis; spicis alternis, subpaniculatis albo-lanatis, junioribus imbricatis, mox laxifloris, bracteis e lata basi cuspidatis, flore vix duplo brevioribus. — R.Br. suppl. pag. 11.

α. foliis (etiam summis) pedunculisque (inferne saltem) glaberrimis, paniculae ramis sericeis glabrisve, spicarum rhachi lanata.

In limoso-calculosis confragosis, ad flum. Avon, 8 mill. ab oppido York, d. 9. Sept. Herb. Preiss. No. 743 et ad radices jugi montium Darling's-range, Perth. d. 1. Nov. 1839. No. 747 et 739. (Drummond n. 577 et coll. I.)

β. foliis novellis pedunculisque tenuissime sericeo-pubescentibus, paniculae ramis spicarumque rhachi lanatis.

C. laniflorum Endl. Nov. stirp. decad. pag. 59. n. 67.

In arenosis sylvae prope Pointwater, Perth, d. 18. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 738.

„Frutex 10-13-pedalis“ (No. 739, 743, 747.) aut „arbuscula circ. 20-pedalis“ (No. 738.) *Folia* 2-4-pollicaria, 2-4 lin. (raro 6-9 lin.) lata (aut, fide Endl. l. c., vix sesquipollicaria.) — Descriptio *C. laniflori* l. c. omnibus fere notis in specimina Preissiana tam perfecte quadrat, ut de stirpium harum identitate dubitari vix possit. Nostra tantum recedit calyce tubuloso 2-2½ lin. longo (nec „subgloboso“) leviter curvato et medio paululum angustato, limbi lobis tubo duplo brevioribus, tubo demum ventricoso-inflato.

---

ramis (pedunculis lateralibus) longioribus, bracteis latioribus subito apiculatis nec attenuato-acuminatis, et floribus paulo minoribus.

2) **C. lavandulifolium** A. Cunn.! ramis virgatis, strictis, subsericeo-pubescentibus, ad apicem usque dense foliosis; foliis subaceroso-linearibus, subcarinato-uninervibus, glabris, supra canaliculatis; pedunculis e summis axillis approximato-corymbosis, demum racemosis, spica brevi laxiuscula terminatis, adpresse subsericeo-puberulis; bracteis late ovatis, acutis, glabriusculis; calycis limbo tomentoso tubo gracili glabrescente breviore. — Ad oras sinus *Moreton Bay*, lat. austr. 27½°, m. Sept. 1834 legit Allan Cunningham! (Herb. DC.) — A simillimo *C. taxifolio* Sm., R.Br.! differt: foliis constanter minoribus, semipollicaribus, ⅓-1 lin. latis (raro paulo majoribus) nervo subtus acutius prominulo, corymbo ampliore, floribus minus dense spicatis, spicis ½-1-pollicaribus, bracteis latioribus, 2 lin. longis latisque, breviter acutatis (nec sursum attenuatis) mox fere glabris, fuscis, et calycis tubo paulo longiore, limbo vero minore.

3. **Conospermum undulatum** *Lindl.* ramis foliosis, apice tomentosis, foliis lanceolatis, basi angustatis, subsessilibus, triplinerviis, venosis, sphacelato-apiculatis, margine undulatis, tenuissime subsericeo-pubescentibus, demum glabris; pedunculis terminalibus axillaribusque, elongatis, aphyllis, ramosis, subsericeis; spicis subpaniculatis, laxifloris, ubique lanugine densa albo-tomentosis; bracteis e lata basi cuspidatis, flore triplo-v. quadruplo breviori-bus. — Lindley, Swan-River pag. XXXI. n. 147.

In limoso-calculosis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 737. (Drummond coll. I.)

„Frutex 2-pedalis". — Simillimum praecedenti et forsan mera ejus varietas (folia enim quandoque perfecte plana, nec undulata) recedens tantum foliis raro duos pollices superantibus et basin versus brevius attenuatis, pedunculis longioribus, spicis laxioribus et floribus ⅓ majoribus (praecipue crassioribus.) — Specimen Drummondianum n. 577 foliis omnino convenit cum *C. triplinervio*, floribus vero a *C. undulato* vix distingui potest.

4. **Conospermum coeruleum** *R.Br.* caule scapiformi, basi folioso pubescente, superne aphyllo glabro paniculato-ramoso; foliis lanceolatis, acutis, longe petiolatis, glabris, nervosis venosisque marginatis, planis; spicis ramulos terminantibus brevibus, initio capituliformibus; bracteis ovatis, acuminatis, flores subaequantibus, deciduis rhachique villosiusculis; calycis glabri limbo tubum superante. — R.Br. prodr. pag. 369.

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos planitiei prope oppidum Albany, Plantagenet, d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 734.

Suffrutex bipedalis et ultra, habitu et spicis abbreviatis (demum semipollice vix longioribus) affinis *C. longifolio* Sm., foliis vero latioribus et caule laxe paniculato propius accedens ad *C. triplinervium*, ab utraque specie jam floribus glabris „cyaneis" distinctissimus. *Caules* e trunco communi (rhizomate?) plures, graciles, basi lignosi et pauciramosi ibique tantum foliosi et pube minuta subsericei, superne glabri, teretes, laeves, crassitie pennae corvinae. *Folia* cum petiolo limbum aequante (tereti, ima basi dilatato, apice canaliculato) 3-10-pollicaria, 4-12 lin. lata, rigide coriacea, mucrone brevi sphacelato acutata, nervo medio utrinque prominente (subtus crassiusculo) lateralibus 2 tenuibus margini proximis aut immo ipsum formantibus, venis pinnatis acutangulis venulisque irregulariter anastomosantibus subtus acute prominulis. *Paniculae* rami primarii elongati (3-8-pollicares) semipatentes v. adscendentes, secundarii et tertiarii ½-2-pollicares, omnes squama e basi lata subfoliacea acuminata suffulti. *Spicae* breve pedunculatae v. subsessiles, initio v. post florum inferiorum lapsum capituliformes, rhachi denticulata, breviter albo-villosa. *Bracteae* 2-3 lin. longae, parum angustiores, dorso adpresse albo-sericeae, apice glabratae, purpureo-fuscae. *Calyx* „cyaneus", tubo vix lineam longo, limbi lobis triplo longioribus acutis, superiore ovato-oblongo fornicato, apiculo subrecurvo, reliquis subaequilongis triplo angustioribus linearibus. *Antherarum* loculi steriles subsetacei. *Stylus* glaber, supra basin capillarem brevem geniculato-inflexus et incrassatus, sursum attenuatus, stigmate oblique truncato.

§. 2. Folia acerosa v. filiformia, teretia v. semiteretia. Caulis ramosus, totus foliosus; rarius simplex, scapiformis, basi tantum foliosus *).

5. **Conospermum Hügelii** *R.Br.* caulibus scapiformibus, simplicissimis, nudis, glabris, apice monostachyis, ima basi foliosis; foliis semitereti-filiformibus, elongatis, subcanaliculatis, glabris; spica brevi, capituliformi, densa; bracteis ovatis, acuminatis, flore duplo brevioribus rhachique sericeo-pubescentibus; calycis glaberrimi limbo tubo multo breviore. — R.Br. Mss. 1836, fide Endl. nov. stirp. decad. pag. 58. n. 66. (Descriptio optima.)

In calculosis inter frutices planitiei prope praedium rusticum cl. Yule ad flum. Cygnorum, d. 15. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 735. (Drummond n. 584.)

Habitus *Armeriarum*. *Caules* diximus qui a cl. Endlichero pedunculi vocantur. Occurrunt enim specimina simplicissima, caulem v. scapum unicum basi foliosum e radice simplici ortum exhibentia. Plerumque tamen caulis adest v. truncus primarius nunc brevissimus, nunc 1-2-pollicaris, in ramos paucos semipollicares divisus, satis dense foliosos, ex apice summisque axillis pedunculos (scapos) 1-2-pedales emittentes. Color bractearum calycisque „pallide cyaneus".

6. **Conospermum densiflorum** *Lindl.* caule subsimplici, infra medium conferte folioso, supra aphyllo scapiformi pilosiusculo, apice corymboso, corymbi ramis brevibus simplicibus monostachyis; foliis tereti-filiformibus, tenuibus, patenti-pilosis; spicis brevibus, capituliformibus; bracteis villosis, inferioribus filiformibus basi dilatatis, superioribus lanceolatis coloratis glabrescentibus flore dimidio brevioribus; calycis parce puberuli limbo tubo subaequali. — Lindley Swan-River pag. XXXII. n. 149.

Ad flum. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2301 b. (Drummond n. 582 et coll. I.)

Caulis 1-2-pedalis, basi lignosus et plerumque ramum unum alterumve emittens, parte foliifera 3-6-pollicari laxe pilosa. *Folia* 1-1½-pollicaria, vix ¼ lin. crassa, teretia, obsolete sulcata, mucrone brevi fusco acutata, pilis tenerrimis lineam longis patentibus albidis tarde deciduis barbellata. *Corymbi* terminalis rami pauci, (3-5) valde approximati, circ. pollicares, semper indivisi, monocephali; capitulis subrotundis, spicam centralem (terminalem) ipsis majorem (demum subpollicarem) subsessilem plus minus superantibus. *Bracteae* infimae 3-5 lin. longae, barbatae, basi foliacea viridi 1-2 lin. longa, ½-1 lin. lata; superiores 2-3 lin. longae, coeruleae, adpresse pilosae, summae praeter marginem ciliatum glabrae. *Calyx* 5 lin. longus, pallide coeruleus, extus parce minuteque puberulus, tubo 2½ lin. longo, basi ½ lin. lato, apice angustato, fauce ampliato, labio superiore late ovato acuto apice subrecurvo, inferioris productioris lobis lanceolatis lineam longis.

*) Speciebus hujus paragraphi valde accedit *C. ericifolium* Sm., quod vero propter folia etsi angustissima tamen plana praecedenti adscribendum ejusque speciebus nonnullis, praecipue *C. longifolio*, *imbricato* et *taxifolio*, inflorescentiae et florum similitudine arcte conjunctum est.

Species minime ad sect. *Chilurum* (ut cl. Lindley quaerebat) referri potest, sed *Euconospermatis* membrum omnimodo legitimum sistit.

7. **Conospermum acerosum** *Lindl.* ramis simplicibus, strictis, puberulis, foliosis; foliis tereti-acerosis, rigidis, pungentibus, sulcatis, glabris, patulis; spicis axillaribus, capituliformibus, paucifloris, pedunculo tomentoso folio breviore; bracteis late subrotundis, cucullatis, mucronulatis calycibusque glabris. — Lindley l. c. pag. XXX. n. 136.

In calculosis sylvae ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 23. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 786.

„Frutex 3-4-pedalis, strictus". *Rami* pedales et ultra, simplicissimi, cortice laevi sanguineo-fusco minutissime, cinerascenti-puberulo demum longitudinaliter rimoso. *Folia* ordine spirali $^3/_8$ disposita, 2-3 lin. dissita, infima bipollicaria, superiora sensim breviora, summa semipollicaria, $^1/_3$ lin. crassa, recta, teretia, acute sulcato-striata, basi obsolete dilatata. *Spicae* in axillis solitariae, cum pedunculo $^1/_2$-1-pollicares; pedunculus simplex basi et prope medium squamula minuta bracteatus, nonnunquam in ramulos 2-3 divisus. *Bracteae* stramineae, flore dimidio breviores, latiores quam longae, demum fere 3 lin. latae, ciliatae, mox nudae. *Calyx* glaber, roseus?, limbo tubum sursum angustatum subaequante profunde diviso, lobis fere 2 lin. longis, superiore ovato-lanceolato acuminato, reliquis lineari-lanceolatis, lateralibus falcatis. *Nucula* turbinato-hemisphaerica, velutina, coma marginali et terminali sericea fulva.

8. **Conospermum amoenum** *Meisn.* ramulis puberulis ramisque conferte foliosis; foliis tereti-filiformibus, rigidulis, submuticis, laevibus, glabris, patulis; spicis axillaribus, folium subaequantibus v. paulo superantibus, laxiuscule paucifloris, pedunculis tomentoso-puberulis; bracteis ovatis acuminatis coloratis calycibusque duplo longioribus minute puberulis.

In scoriosis ad jugum montium Darling's-range, Perth, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 745. (Drummond n. 583.)

„Frutex 1-2-pedalis, erectus, rarissimus". *Rami* graciles, saepe longe simplices et a basi fere inde florigeri, cortice atrofusco mox glabrato. *Folia* vix lin. 1-2 dissita (ordine spir. $^3/_8$) 5-9 lin. longa, submucronulato-acuta vix pungentia, exsulca, basi paululum (summa manifeste) dilatata et deplanata, plerumque incurva, novella sericeo-puberula. *Pedunculi* simplices, solitarii, basi bracteolis 3 filiformibus rufis lineam longis stipati, minutissime cano-puberuli, apice 3-8-flori, flore infimo saepe 2-3 lin. a reliquis remoto. *Bracteae* tenerae, infimae $2^1/_2$-3 lin. longae, 2 lin. latae albido-rufae, apice margineque coerulescentes, superiores sensim minores et magis coeruleae. *Calyx* amoene coeruleus, 3 lin. longus, tubo bracteam aequante apice angustato, fauce ampliata, labio superiore ovato fornicato, inferioris vix longioris lobis lanceolatis $^1/_3$ lin. longis. *Antherarum* loculi steriles spathulati, purpureo-fimbriati, fere penicilliformes. *Stylus* et stigma *C. ericifolii* Sm. (Endl. ic. t. 31!)

9. **Conospermum distichum** *R.Br.* ramis conferte foliosis, glabris; foliis tereti-filiformibus, supra sulcatis, arcuato-incurvis, patentibus, glabris; spicis axillaribus, pedunculatis, folio longioribus, laxiuscule paucifloris; bracteis

ovatis, cuspidatis, glabris, flore triplo brevioribus, calyce densissime sericeo-villoso, limbi lobis brevibus glabris. — R.Br. prodr. pag. 369 et suppl. pag. 10.

In planitie arenosa inter frutices, cis fl. Gordon, Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 740. (Drummond n. 580.)

„Frutex pedalis", habitu et foliis fere praecedentis, sed *ramuli* laevissimi subnitidi (saepius subumbellati) vix apice puberuli et *folia* paulo tenuiora, raro semipollice longiora, supra sulcata, basi haud dilatata. Foliorum dispositio re vera spiralis (3/8) sed (ut etiam in praecedente) primo vultu disticha videtur. *Pedunculi* 1-1½-pollicares, tenue-filiformes, tomentosi, inferne bracteola brevi oblonga stipati, apice 3-6-flori, flore infimo remotiusculo. *Bracteae* coerulescenti-virides, fere 2 lin. longae, a basi rhombeo-ovata subulato-acuminatae. *Calyx* 2-3 lin. longus, pube sericea densissima patenti niveo-villosus, loborum apicibus tantum glabris.

10. **Conospermum filifolium** *Meisn.* ramis subvirgatis, conferte foliosis, glabris, apice racemoso-polystachyis; foliis capillari-filiformibus, subsulcatis, glabris; spicis axillaribus, capituliformibus; pedunculis folio brevioribus, indivisis, tomentosis, basi medioque bracteolatis; bracteis late ovatis, acuminatis, coloratis, glabriusculis, flore triplo brevioribus, calycis tubo dense sericeo-villoso, limbo glabriusculo.

In arenosis ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2624. (Drummond n. 578.)

Affinis *C. distticho*. — *Rami* (caules?) pedales, simplicissimi, ad apicem usque foliosi, cortice laevi atropurpureo glabro. *Folia* 2-3-pollicaria, vix 1/6 lin. crassa, debilia, summa breviora. *Pedunculi* in summis axillis nascentes, solitarii, 1/2-2/3 poll. longi, basi medioque squamulis ovatis acutis vix lineam longis bracteolati, apice subcapitato-4-6-flori, racemum terminalem 2-3-pollicarem saepe densiusculum componentes. *Bracteae* coeruleae, 1½ lin. longae, basi sericeo-villosae. *Calyx* fere *C. distticht*, villositate tantum paulo breviore et limbo majore laete coeruleo, sub lente parce minuteque puberulo.

11. **Conospermum incurvum** *Lindl.* ramis conferte foliosis, puberulis, superne aphyllis remotiuscule adpresseque squamatis glabris, apice conferte racemoso-polystachyis; foliis tereti-filiformibus, arcuato-incurvis, supra sulcatis, pilosiusculis mox glabris; spicis squamula fultis, laxifloris; squamulis bracteisque ovato-lanceolatis, flore triplo brevioribus, glabris; calyce rhachique sericeo-villosissimis, limbi lobis apice glabris. — Lindley, Swan-River pag. XXX. n. 139.

In region. interior. Australiae merid.-occidental. Herb. Preiss. No. 750. (Drummond n. 579.)

Species *C. distticho* foliis floribusque simillima quidem, notis tamen modo indicatis facile distinguenda. *Folia* longiora, plerumque pollicaria, magis arcuata et distinctius sulcata, juniora pube rara tenerrima patenti pilosiuscula. *Ramorum* extremitas aphylla 2-5-pollicaris, scapiformis, squamis subfoliacels, subulatis, basi paululum dilatatis, adpressissimis, 1-3 lin. dissitis, infimis 2-3 lin. longis, virescentibus, superioribus dimidio brevioribus et la-

tioribus rufescentibus obsita. *Racemus* 3-5-pollicaris, continuus, densus; spicis alternis, patulis, subcontiguis ½-1 poll. longis, nunc subsessilibus, nunc pedunculo ipsis aequali suffultis; bracteis 1½ lin. longis, e basi subrhomboidea ⅔ lin. lata, subulato-acuminatis, viridi-coerulescentibus; floribus inferioribus 3-5 lin. ab invicem distantibus.

12. **Conospermum brachyphyllum** *Lindl.* caule scapiformi, simplici, elongato subsericeo-puberulo v. demum glabro, ima basi dense folioso, superne remotiuscule foliis subulatis adpressis tecto, apice corymboso-polystachyo; foliis tereti-filiformibus, arcuatis, tenuibus, glabris, supra unisulcis; spicis laxifloris, pedunculis lanato-tomentosis; bracteis ovato-lanceolatis, coloratis, glabriusculis, calyce triplo brevioribus; calycis sericeo-villosissimi lobis apice glabris. — Lindley l. c. pag. XXXI. n. 148.

In region. interior. Australiae merid.-occid. Herb. Preiss. No. 751. (Drummond coll. I.)

„Frutex", fide Preiss.; specimina tamen, quae vidimus, omnia, vix suffrutices dici possunt. *Radix* verticalis, simplicissima, gracilis, crocea, dense granuloso-verruculosa. *Caulis* subpedalis, ima basi per spatium circ. pollicare conferte foliosus ibidemque nonnunquam ramulos 2-3 brevissimos, (vix semipollicares) foliosos sed non scapigeros emittens, supra folia in scapum excrescens, primo vultu aphyllum, sed re vera foliis tectum ipsi arcte adpressis, 1-3 lin. dissitis, inferioribus subulatis 5-6 lin. longis virescentibus, superioribus sensim decrescentibus basique paulo dilatatis, summis bracteisque pedunculorum basi fulcientibus, squamiformibus, lanceolatis, fuscis, 3-2 lin. longis. *Folia* (radicalia) 1½-2-pollicaria, vix ⅕ lin. crassa, acuta, parcissime pilosiuscula, mox glabra, plus minus arcuata (sursum incurva). *Spicae* in apice scapi racemosae v. saepius corymbosae, 4-6-florae, 1-3 lin. ab invicem distantes; *pedunculis* 1-2½-pollicaribus, simplicibus, breviter albolanatis, a medio inde floriferis, floribus 2-5 lin. dissitis; *bracteis* (squamis scapi similibus) e basi ovato-rhombea (interdum obcordata) breviter acuminatis, 2 lin. longis, subcoerulescentibus, basi margineque lanatis. *Calyx (C. distichi)* 3-4 lin. longus, gracilis sed villis lineam longis patentissimis albo-sericeis densissime tectus ideoque crassitiem bilinearem simulans. *Nucula* turbinato-hemisphaerica, 1⅕ lin. longa, rufo-tomentosa, coma marginali et terminali sericea lineam longa, rufidulo-albida.

13. **Conospermum Stoechadis** *Endl.* caule frutiçoso, ramoso, laxe folioso, ramis subtomentosis; foliis tereti-filiformibus, elongatis, subsulcatis, apice callosis; pedunculis terminalibus axillaribusque elongatis, paniculato-polystachyis, bracteis late ovato v. obcordato-cuspidatis rhachique lanato-tomentosis, cuspide glabra; calyce lanato-villosissimo, bracteam triplo superante, lobis apice glabris. — Endlicher in Annal. Wien. Mus. 2. pag. 208, et Nov. stirp. decad., Jun. 1839. pag. 60. n. 68. (Descript. optima!)

Conospermum sclerophyllum Lindl. Swan-River (in Bot. Reg. Dec. 1839.) pag. XXX. n. 138.

In arenosis sylvae prope Pine apple ad flum. Cygnorum, d. 20. Jun. Herb. Preiss. No. 741 et ad flum. Canning, d. 22. Jul. No. 736. In limoso-calculosis asperis prope oppidum York, d. 9. Sept. No. 744 et ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 1. Nov. 1839. No. 749. In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Febr. 1841. No. 742. (Drummond n. 581 et coll. I.)

„Frutex 3-4-pedalis, strictus;“ *rami* subsimplices, basi pennae anserinae crassitie, cortice tenui cinnamomeo. Paniculae rami primarii subcorymbosi, racemoso-pauciramosi.

Sect. II. Chilurus, R.Br. Calycis limbus aequaliter 4-partitus, lobis conformibus planis angustis caudatisve tubum aequantibus v. longe superantibus.

14. **Conospermum teretifolium** *R.Br.* caule glabro, basi folioso, apice corymboso-paniculato polystachyo; foliis tereti-filiformibus, longissimis, rugoso-sulcatis, glabris, rigidis; spicis brevibus, bracteis obovatis cuspidatis basi rhachique puberulis, flore multo brevioribus; calyce glabro, limbi tubo longioris lobis lanceolatis. — R.Br.! prodr. pag. 369. Endl. ic. t. 46.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, et in distr. Sussex, d. 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 785. (Sin. Reg. Georg., R. Brown! et Allan Cunningham! in Hb. DC. Fraser in Hb. Shuttl.)

„Frutex? v. suffrutex? juniciformis, ramis (caulibus?) validis bipedalibus basi pennam cygneam crassitie aequantibus, teretibus, viridibus, tenuiter sulcato-lineatis. *Folia* saepe 12-14 poll. longa, lineam crassa, mucrone v. callo brevi sphacelato acutiusculo terminata. *Flores* 6-8 lin. longi, albi (ex sicco ochroleuci) tubo angusto 2-3 lin. longo, apice subconstricto, fauce ovata subinflata vix lineam longa, limbi lobis aestivatione spiraliter contortis, superiore basi paululum latiore et concavo antheram perfectam bilocularem obtegente. — Icon citata minus bona, calycis formam et proportiones haud exacte (tubum scilicet lobis aequalem, faucem haud ampliatam) ostendens et a speciminibus nostris insuper recedens bracteis ovato-lanceolatis et antherae sterilis lobis lateralibus intermedio brevioribus denticuliformibus; nos enim constanter (et quidem etiam in ipso specimine Browniano) contrarium, sc. lobos laterales subulatos, intermedium vere minutum, observavimus. *Stigma* denique non vidimus tenue circinato-involutum, sed obtusum subcucullato-inflexum.

15. **Conospermum petiolare** *R.Br.* caule fruticoso, abbreviato, folioso, tomentoso; foliis planis, lineari-gladiatis, elongatis, venosis nervoso-marginatis, glabris, petiolo tereti basi dilatato; capitulis terminalibus, subsessilibus, e spiculis arcte congestis paucifloris compositis, bracteis ovatis oblongisque acuminatis, puberulis; calycis tubo glabriusculo bracteam subaequante, limbi triplo longioris sericeo-villosi laciniis angustissime linearibus. — R.Br. suppl. pag. 11.

In clivulo arenoso ad montem Baldhead, Sinus Regis Georgii III., d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 757. (Fraser in Hb. Shuttl.)

Caulis 1-6-pollicaris, apice praecipue conferte foliosus, simplex v. e summis axillis ramulum unum alterumve brevissimum proferens. *Folia* rigida, crassiuscule coriacea, inferiora (incluso petiolo 2-3-pollicari) pedalia, 6-8 lin. lata, summa triplo breviora et angustiora, limbo in petiolum basi incrassato-dilatatum decurrente plano (averso?) nervis venisque utrinque conspicuis, nervo medio crassiusculo, lateralibus tenuioribus marginantibus v. paululum intramarginalibus, venis acutangulis remotis venulisque plerumque obsoletis in rete laxum anastomosantibus. *Capitulum* sphaeroideum, magnit. nucis Juglandis, e spicis 3-4 brevissimis conflatum, pedunculo vix

2-3 lin. longo, squamis triangularibus brevibus adpressis bracteato; *bracteae* ad basin spicularum ovato-oblongae 3-5 lin. longae, fuscae tomentosae, glabrescentes, reliquae (superiores v. interiores) sensim minores subsericeo-pilosiusculae. *Calyx* 12-14 lin. longus, pube patula flava villosus, tubo 3 lin. longo, vix lineam crasso, parce pilosiusculo, apice angustato, fauce subinfundibuliformi parum ampliata 1½ lin. longa, limbi laciniis 9-10 lin. longis, subfiliformibus, supra glabris basique subcarinato-uninerviis caeterum planis, superiore ima basi paulo dilatata et concava. *Antherarum* loculi steriles abbreviati. *Stylus* ad medium usque capillaris, deinde incrassatus et bis geniculatus, apice attenuatus, stigmate inflexo obtuso subcucullato. *Nuculae* coma longa rufa.

16. **Conospermum capitatum** *R.Br.* caule fruticoso, abbreviato, folioso, glabro; foliis planis, anguste linearibus, longissimis, tortilibus, uninerviis, submarginatis, puberulis glabrisve, petiolo semitereti basi subdilatato, capitulis terminalibus, subsessilibus, e spiculis arcte congestis pauciforis compositis; bracteis ovatis oblongisque acutis, flore parum brevioribus glabriusculis; calycis limbo adpresse sericeo-pubescente, lobis angustissime linearibus tubo glabro subaequalibus. — R.Br. prodr. pag. 369.

In planitie subarenosa, inter frutices ad radices montis Wuljenup, d. 14. Oct., et in solo subturfoso sylvae prope oppidum Albany, d 7. Dec. Herb. Preiss. No. 759. In solo turfoso planitiei prope montem Elphinstone, d. 21. Oct. No. 756 et in glareosis umbrosis sylvae ad latus montis Clarence, d. 7. Dec. No. 760. omn. in distr. Plantagenet.

Vegetationis modus et inflorescentia penitus praecedentis, a quo foliis angustissimis (½-1½ lin. latis, saepe sesquipedalibus) semper arcuato incurvis aut flexuoso-tortuosis (interdum minute pubescentibus, No. 760.) et calyce breviore (9-10 lin. longo) pube brevi adpressa cano-sericeo facillime distinguitur. Genitalia et nucula *C. teretifolii.*

Sect. III. Isomerium R.Br. Calycis limbus regulariter 4-partitus, lobis conformibus angustis, tubo brevi postice gibbo parum longioribus intus carinato-convexis (triquetris).

17. **Conospermum flexuosum** *R.Br.* glabrum caule suffruticoso, dichotomo-ramoso, inferne tereti folioso, superne angulato paniculato bracteato; foliis lingulatis, elongatis, venosis, nervoso-marginatis; capitulis ramulos terminantibus, solitariis, pauciforis, calycibus extus bracteisque obovatis sericeo-puberulis, limbi lobis lanceolatis obtusis supra glabris rugulosis. — R.Br. suppl. pag. 11.

In arenosis sylvaticis district. Nelson et Plantagenet, m. Dec. 1839 et 1840. Herb. Preiss. No. 753.

Species insignis, ab omnibus distinctissima, habitu, foliis et inflorescentia ad *C. coeruleum* accedens. — Specimen bipedale. *Caulis* basi lignosus, teres, fuscus, crassitie pennae columbinae fortioris, a basi ramosus, ramis omnibus dichotomis, nervoso-4-5-angulis, angulis papilloso-asperatis; paniculae ramis angulo recto divaricatis, strictis, bractea triangulari-lanceolata acuta 1-2 lin. longa, coriaceo-membranacea fusca suffultis. *Folia* rara, infimos tantum ramos fulcientia, cum petiolo limbum subaequante 5-8-pollicaria,

3-4 lin. lata, obtusiuscula, basi longe attenuata, caeterum omnino *C. petiolaris*. *Capitula* in ultimis ramulis (3-5 lin. longis) subcorymbosa, 3-6-flora. *Bracteae* cucullato-obovatae v. turbinatae, acutiusculae v. subapiculatae, flori subconcolores, tenuissime puberulae, apicem versus obscure virescentes, calycis tubum aequantes, lineam longae lataeque. *Calyx* extus pallide rubellus? pube minuta adpressa, lobis $^5/_4$ lin. longis, $^1/_3$ lin. latis, dorso planis, supra carinato-convexis, glabris, niveis, minute rugulosis. *Antherarum* loculi abortivi minuti, denticuliformes. *Stylus* brevis vix faucem attingens, filiformis, aequalis, stigmate obtuso subinflexo.

SYNAPHEA R.Br. Endl. gen. n. 2131. Meisn. gen. pag. 332. (245.)

1. **Synaphea dilatata** *R.Br.* foliis cuneatis, trilobis, utrinque reticulato-scrobiculatis glabris, lobis inciso-dentatis submuticis, petiolo limbum aequante v. longiore laxe piloso; spicis simplicibus, folio brevioribus, laxifloris, pedunculo rhachi bracteisque villosis; calyce puberulo, stigmate lato longe bicorni. — R.Br. prodr. pag. 370. Lam. ill. t. 914! Endl. iconogr. t. 32!

Conospermum reticulatum Sm. in Rees Cycl.

In arenosis sylvae distr. Sussex, d. 17. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 776 et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. No. 773.

Rhizoma repens? atrofuscum, crassitie pennae anserinae, apice ramosum, ramis brevibus ex apice surculos nonnullos caulesve decumbentes v. adscendentes 3-4-pollicares (rarius pedales, graciles) emittentibus. *Folia* infima nonnunquam pedalia, incluso petiolo 5-9-pollicari, nonnulla saepe indivisa spathulata, trinervia v. triplinervia, apice rotundato v. repando 1-2 v. 3-mucronulata. *Stigmatis* discus latior quam longus, cornubus subulatis late distantibus brevior.

2. **Synaphea decorticans** *Lindl.* foliis utrinque reticulato-favosis, glabris, limbo petiolo piloso glabrove breviore tripartito basi cuneato, segmentis divaricatis planis cuneatis, lateralibus 2-3-lobis, terminalis 3-partiti lobis 2-3-fidis (v. rarius indivisis) lobis obtuse mucronatis; pedunculis folia subaequantibus, gracilibus, indivisis v. inferne pauciramosis, apice appresse puberulis, spicis laxiusculis, bracteis calycibusque glabris; stigmate lato truncato-suborbiculari, submutico. — Lindley Swan-River pag. XXXII. n. 150.

In calculosis inter frutices sylvae trans Halfwayhouse et ad flum. Canning, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 780. (Drummond coll. I.)

„Suffrutex pedalis". Vegetationis modus omnino praecedentis, *rhizomate* tantum crassiore et verticali. *Folia* (incluso petiolo gracili) 6-12-pollicaria; primorum nonnulla (ut in pluribus aliis speciebus) multo breviora, saepius indivisa aut simpliciter 3-loba, petiolo limbo breviore praedita; rete venosum fere *S. dilatatae*, areolis tamen plerumque paululum majoribus; laciniae et segmentorum pars attenuata 2-3 lin. lata. *Squamae* ad basin pedunculorum („involucrales" Lindl.) ovali-oblongae, interdum cuspidatae, membranaceae, fuscae, striatae, sericeo-villosae, demum margine excepto glabrae, 3-6 lin. longae (in omnibus speciebus obviae) sunt folia abortiva,

ad petioli basin dilatatam reducta; inflorescentia igitur semper axillaris. *Pedunculi* inferne tantum ramulum unum alterumve (rarius nullum) brevem divergentem proferentes, spica 1-3-pollicari terminati, floribus infimis saepe pollicem et ultra dissitis; bracteis ovatis acutis, flore triplo brevioribus, patulis calyceque aureis, junioribus ciliolatis et basi puberulis. *Stigma* oblique peltatum, truncato-suborbiculare v. obverse subreniforme, angulis in denticulos vix conspicuos saepiusque inflexos productis.

Species, ut videtur, ad *S. favosam* R.Br. accedens, sed stigmatis forma, spicarum rhachi puberula et petiolis (junioribus saltem) more *S. dilatatae* basi laxe pilosis facile dignoscenda.

3. **Synaphea petiolaris** *R.Br.* glabra, foliis longe petiolatis, utrinque reticulato-scrobiculatis, tripartitis, segmentis indivisis v. 2-3-fidis, laciniis planis obtusis acutisve, submuticis; pedunculis elongatis, gracillimis, inferne pauciramosis, spicis laxifloris inferne interruptis, bracteis ovatis acutis patulis calyce vix triplo brevioribus ovario villoso aequalibus; stigmate ovato, breviter bicorni, cornubus approximatis v. in rostellum acutum conglutinatis. — R.Br.! prodr. pag. 370.

In glareosis sylvae ad latus orientale montis Clarence. Plantagenet, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 781 et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 778. (Sinus Regis Georgii, R.Br.! in Hb. DC.)

Facies fere praecedentis, sed stigma diversissimum et folia minus regulariter divisa, nonnulla simpliciter triloba, segmentis laciniisque saepius haud exacte oppositis, apice obtusiusculis v. rarius attenuato-acutatis et mucronulo obsoleto obtuso v. nullo terminatis, reticulatione tenuiore. *Pedunculi* folia plus minus superantes (saepe pedales) glaberrimi v. vix apice inter flores parce adpresseque pilosiusculi, parte florifera saepius 3-4-pollicari. *Flores* fere ⅓ minores, 2 lin. longi, extus glabri, limbi lobis intus plus minus pilosiusculis v. subglabris. *Stigma*, quod in diagnosi primitiva dicitur „acutum", in ipso specimine Browniano videmus ovato-oblongum apice breviter sed manifeste bifidum. Specimina Preissiana, Browniano ut ovum ovo simillia, varias stigmatis formas, quas supra indicavimus, ostendunt.

Synaphea gracillima Lindl. Swan-River pag. XXXII. n. 151. (Drummond n. 588 et coll. I.) cum *S. petiolari* omnibus notis exactissime convenit, excepto solo stigmate dilatato (latiore quam longo) in cornua 2 longiuscula sinu lato separata producto, fere semilunari. Quae stigmatis forma, *S. dilatatae* valde similis, jam in alabastro observatur.

4. **Synaphea acutiloba** *Meisn.* glabra, foliis petiolo brevioribus, utrinque reticulato-favosis, tripartitis, segmentis tripartitis laciniisque complicatis apice 2-3-fidis attenuato-acutis, pungenti-mucronatis; pedunculis elongatis, graeillimis, inferne pauciramosis, spicis basi interruptis, bracteis minutis ovatis flore quadruplo brevioribus; stigmate ovato, brevissime bifido, ovario glabro.

In solo limoso-lapidoso prope cataractam ad caput flum. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 777 et ad jugum montium Darling's-range, haud procul a cataracta. No. 782. d. 25. et 26. Jul. 1839. (Drummond n. 589.)

Species praecedenti simillima quidem, sed, ni fallor, notis indicatis, praecipue foliorum reticulatione diversa et stigmate (cujus cornua constanter brevissima et approximata, sed nunquam conglutinata, nec demum elongata et divaricata observavimus) satis distincta. — „Frutex pedalis". *Folia* 3-5-pollicaria, incluso petiolo limbo duplo longiore v. rarius subaequali; infimorum

nonnulla quandoque (ut in praecedente) cuneato-oblonga subsimpliciter triloba et grossiuscule reticulata, segmentis planis. „*Flores* vitellini", magnit. praecedentis, bracteae vix ½ lin. longae.

5. **Synaphea Preissii** *Meisn.* foliis glabris, utrinque reticulato-favosis, limbi petiolo sublongioris tripartiti segmentis elongatis subcanaliculatis trifidis laciniisque linearibus attenuato-acutis subpungentibus; pedunculis foliis brevioribus, indivisis subsericeo-pubescentibus, fere a basi laxiuscule floriferis, bracteis ovatis acutis flore dimidio brevioribus glabriusculis; stigmate ovato, apice inflexo obtuso obsolete emarginato.

In clivulo arenoso portus Princess Royal Harbour, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 779.

Suffrutex, caudice subterraneo lignoso, 6-8-pollicari, digitum crasso, atrofusco, in radicem similem simplicem attenuato, apice in ramos nonnullos ipsi similes circ. pollicares diviso, qui iterum apice cauliculos breves (½-1½-pollicares) foliis spicisque arcte congestis coronatos emittunt. *Folia* incluso petiolo 3-6-pollicaria, limbo basi vix 3-5 lin. lato, in petiolum cuneato-angustato, segmentis 2-3-pollicaribus, 1½-2 lin latis subconformibus aequalibusque vix apice cuneatis ibique in lacinias 3 (rarius 2) 5-12 lin. longas 2 lin. latas divaricatas divisis; segmentis laciniisque supra leviter concavis v. rarius planis; reticulatione fere praecedentis, et *S. decorticantis*, paulo acutius quam in *S. petiolari* prominula; foliorum infimorum nonnulla interdum indivisa, integerrima, spathulato-lanceolata, brevissime mucronata, aut cuneata apiceque simpliciter trifida, penitus plana. *Spicae* et florum magnitudo *S. dilatatae*, sed pedunculi pubescentia brevissima adpressa (nec longa, patens, laxa) bracteis (1½-2 lin. longis) calycibusque fere glabris. *Stigma* nequaquam bicorne, sed primo intuitu truncatum, apice extenuato-ubmembranaceo inflexo obtuso leviter emarginato.

6. **Synaphea polymorpha** *R.Br.* ramis pubescentibus, dense foliosis; foliis glabris, utrinque reticulatis, rameis brevissime petiolatis, tripartitis, segmentis subcanaliculatis semitrifidis spinoso-tridentatis v. lateralibus indivisis; spicis pedunculo sericeo-pubescente longioribus, vix folia aequantibus, densifloris; bracteis ovatis, acutis, flore dimidio brevioribus, glabris; stigmate oblongo acuminato indiviso, ovario pubescente. — R.Br. prodr. pag. 370.

In solo turfoso-arenoso circa oppidum Albany, Plantagenet, d. 8. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 775 et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 784.

„Frutex 3-4-pedalis, strictus. Aboriginibus *Bindà*". *Rami* bipedales, virgati, subsimplices, fusco-rubri, costato-lineati, undique conferte foliosi, apicem versus cinereo-pubescentes. *Folia inferiora* cum petiolo saepe 4-pollicaria, lamina petiolum aequante cuneata, ultra medium 3-fida, infra divisionem pollicem lata, segmentis lateralibus saepe bifidis, terminali haud longiore constanter 3-fido, laciniis plerumque irregulariter 2-4-dentatis, dentibus grossis triangularibus spinescenti-acutatis; *folia superiora* circ. pollicaria, petiolo 2-3 lin. longo ad apicem usque membranaceo-dilatato semiamplectente, lamina inferiorum, segmentorum laciniae laterales plerumque indivisae. *Spicae* in summis axillis solitariae v. 2-3 fasciculatae, subpollicares (rarius 2-pollicares) pedunculo subsericeo-piloso, bracteis lineam longis puberulis mox glabris. *Calyx* glaber luteus, magnit. *S. petiolaris*. *Stigma* subfusiforme, acumine incurvo. *Ovarium* pubescens.

7. **Synaphea brachystachya** *Lindl.* ramosa, ramulis cano-tomentosis, foliosis; foliis supra laeviusculis glabris, subtus reticulatis subsericeo-tomentosis demum glabris, inferioribus subsessilibus obovatis, intermediis in petiolum ipsis longiorem cuneato-angustatis superioribusque petiolo dilatato multo longioribus trilobis, lobis 2-3-fidis subcanaliculatis, laciniis apice spinoso-2-3-dentatis; spicis axillaribus, fasciculatis, simplicibus, folia subaequantibus, basi squamis ovalibus sericeis involucratis, continuis; bracteis ovatis, acuminatis, flore glabriusculo dimidio brevioribus pedunculisque pubescentibus; stigmate oblique peltato, late obovato-orbiculari, leviter emarginato, ovario pubescente. — Lindley Swan-River pag. XXXII. n. 152.

In arenosis ad latus Montis Eliza, d. 17. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 774. (Drummond n. 590 et coll. I.)

„Frutex 2-3-pedalis, erectus. Flores crocei". — A praecedente, cui simillima, praeter notas jam indicatas facile distinguitur foliorum reticulatione minus prominula, saepius (maxime in pagina superiore) laevigata et fere obliterata, et squamis involucrantibus ad spicarum basin ovalibus lanceolatisque, 3-5 lin. longis. *Flores* juniores puberuli. — Variat foliis glabriusculis, segmentis angustioribus (1½-2 lin. latis) magisque complicato-canaliculatis, et duplo triploque latioribus fere planis. — *Nuculae* virides, obovatae v. subglobosae (mole seminis *Victae sativae*) reticulato-rugosae, demum glabrae, styli basi mucronulatae, ciliis brevissimis coronatae.

8. **Synaphea pinnata** *Lindl.* subacaulis?, foliis planis nervosis reticulato-favosis, glabris, petiolo pilosiusculo subaequalibus, aliis simplicibus lanceolatis integerrimis, aliis impari-pinnatis, pinnis 1-3-jugis indivisis v. infimis 2-3-partitis, foliolis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis apice subrecurvo-mucronatis; spicis ramosis, folia multo superantibus, floribus distantibus glabris, ovario pubescente. — Lindley l. c. n. 153.

In calculosis ad latera jugi montium Darling's-range, Pesth, d. 15. Oct. 1839 sterilis. Herb. Preiss. No. 783.

Vegetationis modo et inflorescentia convenire videtur cum *S. pettolari* et affinibus. *Pettolt* et rhachis pilis albidis patulis, ½ lin. longis, satis dense pubescentes. *Folia* simplicia incluso petiolo 1½-5-pollicaria, 5-6 lin. lata acuta; pinnata duplo longiora, pinnis segmentisve 2-3 lin. latis petiolum aequantibus aut parum brevioribus, 1-3-nerviis, remote pinnato-venosis et inter venas prope marginem confluentes minute reticulato-favosis, reticulatione nervisque in pagina superiore vix prominulis. *Flores* non vidimus.

FRANKLANDIA R.Br. Endl. gen. n. 2134. Meisn. gen. pag. 332. (244.)

1. **Franklandia fucifolia** *R.Br.* glabra, foliis filiformibus dichotomis ramulisque glanduloso-verruculosis, spicis axillaribus simplicibus. — R.Br.! prodr. pag. 370. Endlicher iconogr. t. 52.!

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad Stirling's-terrace, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 755. (Sinus Regis Georgii. R. Brown! in Hb. DC.)

„Frutex 4-pedalis, strictus. Flores sordide crocei".

PERSOONIA Smith. Endl. gen. n. 2138. Meisn. gen. pag. 332. (244.)

1. **Persoonia macrostachya** *Lindl.* ramis pedunculis floribusque villoso-tomentosis; foliis tereti-filiformibus, elongatis, mucronatis, glabris, subtus sulcatis, floralibus interdum abbreviatis; pedunculis axillaribus unifloris, solitariis, flore brevioribus; calyce medio antice saccato, antherarum connectivo ultra loculos producto obtuso; ovario sessili, glabro, apice recurvo, stigmate sessili; drupa obovata breviter rostrata, laeviuscula. — Lindley Swan-River pag. XXXV. n. 172.

Inter saxa calcarea colliculi haud longe ab oppido Freemantle, d. 5. Jan. Herb. Preiss. No. 730 et in solo sublimoso sylvae ad flum. Serpentine, Murray, d. 6. Dec. 1839. No. 748. (Drummond n. 598 et coll. I.)

„Frutex 3-6-pedalis, expansus". *Rami* pedales et ultra, graciles, subvirgati, saepius simplices, a medio floriferi indeque nonnunquam foliis abbreviatis (saepe vix semipollicaribus) spicam subnudam apice tamen foliis longioribus comosam mentientes. *Folia* 2-6-pollicaria, vix rigidula, subtus unisulca, rarius canaliculata v. subbisulca, novella pubescentia. *Calyx* „sulphureus", semipollicaris, pedunculo duplo-triplo longior, antice medio v. paulo infra in sacculum rotundatum circ. ½ lin. longum protrusus, lobis acutis muticis. *Antherae* lineares, connectivi acumine loculis dimidio breviore. *Drupa* basi attenuata, cum acumine crassiusculo lineam longo plus minus hamato-recurvo semipollicaris, tenuissime rugulosa, 1-sperma. *Flores* interdum non ex ramo primario, sed ex ramulis (foliosis) in racemum dispositis oriuntur. — Species proxime accedens ad *P. saccatam* R.Br. suppl. pag. 12, quae differt foliis exsulcis.

2. **Persoonia microcarpa** *R.Br.* ramis puberulis, foliis tereti-filiformibus, elongatis, acutis, glabris, subtus unisulcis v. canaliculatis; pedunculis axillaribus 1-3, unifloris calyceque multo longiore haud saccatò tomentoso-villosiusculis, antherarum connectivo ultra loculos brevissime producto rotundato; stylo subulato, ovario subsessili glabro pluries longiore, apice recurvo, stigmate minuto. — R.Br. prodr. pag. 372.

In solo turfoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 728. (in ora occid.-austral., Allan Cunningham! in Hb. DC.)

A praecedente, cui habitu, pubescentia foliisque convenit, facile distinguenda *floribus* paulo brevioribus, plerumque binis ternisve nec solitariis, *calyce* aequali nec saccato, antherarum apice sterili dimidio breviore et latiore rotundato, et *stylo* 2-3 lin. longo recto apice in hamulum recurvo. — „Frutex 2-3-pedalis" *Foliorum* sulcus saepe obsoletus, apicem versus evanescens, rarius canaliformis. *Florum* fasciculi axillares, basi utrinque bractea laterali ovato-oblonga cano-villosa pedunculos (1-2 lin. longos) subaequante fulti, potius pro racemo trifloro sessili habendi.

3. **Persoonia Fraseri** *R.Br.* ramulis cano-pubescentibus; foliis compresso-filiformibus, subtus bisulcis, apice obtusiusculo sphacelato-mucronulatis, glabris, novellis floribusque sericeo-villosis; pedunculis axillaribus, unifloris, solitariis geminisve, flore triplo brevioribus; calyce haud saccato, antheris connectivi processu acuto apiculatis; stylo subulato, recto, glabriusculo, ovario stipitato villoso duplo longiore, stigmate obtuso. — R.Br. suppl. pag. 12.

In limoso-arenosis planitiei haud longe a praedio rustico Maddington ad flum. Canning, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 729.

„Frutex pedalis. Flores flavi". Praecedentibus similis, sed jam foliis facillime distinguenda. *Rami* subsimplices, graciles. *Folia* 1½-3-pollicaria, nunc fere teretia, ⅓-½ lin. lata, nunc compressa, lineam lata, profundius sulcata et rigidiora. *Pedunculi* 1-3 lin. longi, tam solitarii quam geminati v. ternati, basi bracteis 2 lateralibus albido-villosis lanceolato-linearibus 1½ lin. longis deciduis muniti. *Calyx* „flavus" (in sicco rufo-sericeus) 5-7 lin. longus, supra basin levissime coarctatus, limbo in alabastro conico acutiusculo, lobis muticis. *Antherae* 3 lin. longae, apice attenuatae, connectivi processu albido conico acuto recto ½ lin. longo, basi intus breviter sulcato terminatae. *Ovarium* stipite vix lineam longo glabriusculo suffultum, ovale, dense flavido-villosum, *stylo* 3 lin. longo, apice haud recurvo, stigmate depresso.

4. **Persoonia quinquenervis** *Hook.* ramulis sericeo-puberulis, foliis lineari-spathulatis, sessilibus, planis, nervis parallelis sulcato-striatis, mucronulatis, glabris; pedunculis axillaribus, unifloris, solitariis, folio brevioribus, florem aequantibus, glabris; calyce genitalibusque glabris, antherarum apice sterili brevi obtuso; stylo recto, sulcato, ovario sessili subaequali, stigmate truncato concavo. — Hooker ic. pl. t. 425!

In limoso-arenosis glareosisque ad flum. Avon. (district. York) 9 mill. ab oppido York, d. 7. Mart. 1840 florens. Herb. Preiss. No. 531 et d. 9. Oct. 1839 fructifera No. 731. (Drummond n. 596 et coll. I.)

„Frutex 5-7-pedalis, ramis fastigiatis". — An satis distincta a *P. striata* R.Br. suppl. pag. 13? cui tribuuntur folia linearia et pedunculi recurvi. — Variat floribus 2½-5 lin. longis et pedunculis (erecto-patulis) flore nunc paulo longioribus nunc brevioribus. *Calycis* laciniae breve acuminatae, muticae. *Drupa* ovalis, sessilis, utrinque attenuata, stylo persistente 2 lin. longo duplo longior, laeviuscula, minute pallideque punctata.

5. **Persoonia Laureola** *Lindl.* glabra, foliis subsessilibus, ellipticis, planis, venosis, apice obtusiusculo callosis; pedunculis axillaribus, unifloris, solitariis, flore brevioribus; antherarum connectivo ultra loculos haud producto; pistillo glabro, ovarii stylo recto triplo brevioris stipite brevi haud articulato, stigmate subdilatato truncato; drupa compressa, ovali, rugosa, stylo laterali ipsa triplo breviore rostrata. — Lindley Swan-River pag. XXXV. n. 174. Hooker ic. pl. t. 426!

In arenosis sylvae district. Sussex, d. 19. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 726, fl. et fr. et in confragosis sylvae prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 13. Oct. 1840. No. 727. (Drummond coll. I.)

„Arbor 18-25-pedalis. Fructus maturi ab aboriginibus eduntur, immaturi insipidi". *Folia* saepe 2½-pollicaria, 12-14 lin. lata, apice interdum rotundata, basi plus minus cuneato-angustata, petiolo 1-2 lin. longo supra plano v. saepius nullo. *Calyx* junior interdum minutissime parceque puberulus, lobis breviter acuminatis muticis antheras longe lineares parum superantibus. *Stylus* 2-3 lin. longus. *Drupa* nigra, glaucedine tenui obducta, semipollicaris, 3 lin. lata, compressa, marginibus acutiusculis, faciebus turgido-convexis exsiccatione reticulato-rugosis, insertione obliqua, *stylo* ex opposito margine paulo infra apicem laterali et ad latus deflexo recto.

Exstat in Herb. DC. specimen a b. All. Cunningham ad Sinum Regis Georgii lectum et nomine „*P. elliptica* Br." inscriptum, cum Preissianis omnimodo exactissime congruum; sed *P. elliptica* R.Br. prodr. pag. 373, quamvis valde affinis, ex diagnosi a nostra differt *floribus* in racemos laterales dispositis et *ovarii* stipite articulato. *Drupae* stipes vix ¼ lin. longus, demum ima basi a pedunculo secedens. Accedit quoque ad *P. falcatam* R.Br., quae differt *foliis* utrinque magis attenuatis falcatis *pedunculis*que duplo longioribus. *P. salicina* etiam differt foliorum forma, reticulatione minus conspicua, etc.

6. **Persoonia longifolia** *R.Br.* ramulis puberulis, foliis planis, elongato-linearibus, falcatis, uninerviis, rugoso-striatis, apice sphacelato obtusis, glabris; pedunculis unifloris, subsolitariis, flore brevioribus, axillaribus aut in racemos laterales basi apiceque foliosos rarius aphyllos dispositis; calyce subsericeo-puberulo, antherarum connectivo loculos vix superante obtuso; pistillo glabro, stylo laterali recto ovario breve stipitato obovato quadruplo longiore, stigmate obtuso, stipitis articulo inferiore breviore glandulas hypogynas superante. — R.Br. prodr. pag. 374.

P. Drummondi Lindl. Swan-River pag. XXXV. n. 173.

In arenosis sylvae ad portum Leschenault, Wellington, d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 724, „arbor 25-ped." et in solo turfoso-arenoso ad litus prope Princess Royal Harbour, d. 11. Oct. 1840. No. 732 steril. „frutex 16-18-pedalis". (A. Cunningham! in Hb. DC. Drummond coll. I.)

Rami crassi, ligno albido, cortice suberoso fusco, stratis exterioribus multilamellosis papyraceis rubris; ramuli graciles, cinnamomei, glabri, saepe corymboso- v. subumbellato-ramulosi, novelli minute adpresso-puberuli; floriferi plerumque racemiformes, basi tantum apiceque folia pauca genuina (rarius nulla), medio vero nonnisi folia abortiva squamiformia ovato-oblonga fusca, 1-2 lin. longa, pedunculos fulcientia gerentes. *Folia* sessilia, conferta, 3-12-pollicaria, 2-5 lin. lata. aversa, plus minus falcata, vix coriacea, interdum tamen rigidula, nervo medio parum conspicuo, apicem versus saepe evanescente, venis rugulisve longitudinalibus tenuissimis densisque in utraque pagina plus minus conspicuis. *Pedunculi* 3-4 lin. longi, patuli, puberuli, solitarii, rarius gemini. *Alabastra* semipollicaria, conica, obtusiuscula, prope basin paulo coarctata, basi rotundata, croceo-cinnamomea, pube minutissima subsericea subtomentosa. *Calycis* lobi lanceolati, mutici, intus tomentosi, demum reflexi. *Antherae* longe lineares, demum circinnato-revolutae. *Ovarii* stipes lineam longus, infra medium articulatus. *Stylus* subulatus, sulcatus, inferne crassiusculus, 4 lin. longus. Fructus non suppetit.

Affinis *P. falcatae* R.Br., quae jam foliis duplo-quadruplo latioribus facile distinguenda.

7. **Persoonia graminea** *R.Br.* glabra, ramis gracillimis, foliis anguste linearibus, longissimis, acutis, uninerviis, nervoso-marginatis planis v. margine recurvis; racemis axil-

laribus, multifloris, aphyllis, pedicellis secundis, solitariis, patulis, bractea lineari subbrevioribus; antheris connectivi processu setaceo loculis aequilongo recto aristatis; ovarii stylo triplo brevioris stipite brevi, basi articulato. — R.Br. prodr. pag. 374.

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad litus portus Princess Royal Harbour, d. 24. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 725.

„Suffrutex, totus glaber, ramis dense intertextis", gracillimis, flexibilibus. *Folia* sparsa (interdum, ut etiam in praecedentibus, approximato-subopposita) 4-8-pollicaria, 1-2½ lin. lata, subcoriacea, recta, nervo medio subtus prominulo, lateralibus margini proximis v. cum eo confluentibus. *Racemi* solitarii (rarissime gemini) simplices, 2-5-pollicares, novelli pilis adpressis albis parce pubescentes, mox glaberrimi, fere ad basin usque floriferi; pedicelli secundi, 2-4 lin. dissiti, lineam longi, crassiusculi, patentes, apice dilatati, bracteola lanceolato-lineari plana 1-2 lin. longa suffulti, persistentes. *Alabastra* 2½ lin. longa, utrinque aequaliter attenuata, obtusa; calycis lobi lineares, obtusi, antherarum aristam parum superantes; antherae cum arista lineam longae. *Drupa* obovato-oblonga, rugulosa, 2½ lin. longa, stylo parum breviore sublaterali basi crassiusculo rostrata, stipite laterali vix ¼ lin. longo *).

GREVILLEA R.Br. Lyssantiie et Stylurus Knight et Salisb. (non alior.) Grevillea, Manglesia et Anadenia Endl. gen. n. 2142, 2143. Meisn. gen. pag. 332. (245.)

Calyx 4-partitus v. 4-sepalus, laciniis sepalisve linearispathulatis apice concavo antheriferis; aut *irregularis* dorso fissus, laciniis secundis antrorsum revolutis liberis apice v. in calyptram stigma diu retinentem cohaerentibus, superioribus (posticis) duabus saepe longioribus v. altius insertis et apice auriculato-dilatatis; aut *regularis*, sepalis aequalibus liberis demum revolutis. *Glandula hypogyna* unica fere complete annularis, aut dimidiata antica, aut minuta aut nulla. *Ovarium* stipitatum, rarius sessile, ovoideum v. antice ventricosum, 1-loculare, 2-ovulatum. *Stylus* sublateralis, rectus v. adscendens v. declinatus, plerumque elongatus, interdum strumosus. *Stigma* aut laterale v. oblique sublaterale, disciforme, planum v. con-

*) Ad calcem generis addere liceat speciem insignem nondum descriptam, quae est: **Persoonia velutina** A. Cunningh.! mss. in Hb. DC., undique adpresse denseque sericeo-velutina; foliis sessilibus, obovatis obtusis v. brevissime acuminatis, planis, basi attenuatis; pedunculis axillaribus unifloris, subsolitariis, apice dilatatis, ovario oblongo breviter stipitato villoso sublongioribus ..... Ad margines planitiei „Liverpool Plains" Novae Cumbriae austr., anno 1825 legit Allan Cunningham. Species in Brownii supplemento omissa, insignis. Pubescentia omnino *Podalyriarum* Capensium, nunc aureo-fulva, nunc cinereo-argentea. *Folia* 1-1½ poll. longa, 6-9 lin. lata, venis interdum obscure visibilibus, duabus prope marginem ad apicem fere usque excurrentibus. *Pedunculi* 3-4 lin. longi. *Calycem*, stamina et stylum non vidimus.

cavum v. convexum v. medio mucronatum, rarius rostrato-acuminatum; aut terminale depresso-capitatum v. conicum. *Folliculus* coriaceus v. lignosus, cernuus, ventricoso-ovatus, rarius compresso-oblongus v. subglobosus, mucronatus v. saepius stylo toto rostratus, laevis v. verruculosus v. subcostatus, 2-valvis, 2-1-spermus. *Semina* aut ovalia aptera v. submarginata apiceque brevissime alata, aut suborbicularia undique latius alata.

Frutices, rarius suffrutices v. arbores, pilis, si adsunt, medio affixis. *Folia* sparsa plana, indivisa v. pinnatim lobata, marginibus saepissime revoluta v. refracta, nunc angustissima, nunquam? vere teretia, stomatibus hypogenis, rarius amphigenis. *Racemi* nunc elongati spiciformes, interdum ramosi, nunc abbreviati corymbosi v. fasciculiformes, terminales, v. axillares, rarissime juniores involucrati strobiliformes, pedicellis geminis (raro pluribus v. solitariis) paribus fasciculisve bractea unica decidua suffultis, floribus rubicundis, rarius flavis v. albis, interdum oblique insertis.

Obs. 1. *Grevilleae* genus, quale hic comprehenditur, calyce, stigmate, folliculo semineque haud minus quam habitu tam varias induit formas, ut in plura, primo intuitu egregie distincta, rite facileque dividendum videretur; quae vero differentiae, quum per formas intermedias invicem arcte connectantur v. immo penitus confluant et insuper cum differentiis habitu expressis vel non coincidant vel hujusmodi peculiaritate aut nulla aut saltem haud stabili comitatae et confirmatae inveniantur, generis subdivisioni quidem, at minime propriis generibus condendis adhiberi possunt. Clarius enim iisdem demonstratur generis *unitas*, s. v. v., quam heterogeneitas. Genera propria vero, quae alii forsan iisdem superstruere conabuntur, characteribus artificialibus ac naturalibus sufficientibus firmisque aeque carebunt. *Anadeniam* „pro altera sectione vel subgenere *Grevilleae* potius quam genere diverso“ habendam esse, ipse jam declaravit cel. Brown (Suppl. pag. 21. adnot. ad *G. triternatam*). Intercedente nimirum sectione *Conogyne*, cui eadem stigmatis forma, illa cum *Grevillea* arctissime concatenatur, et praeterea glandulae hypogynae defectus in nonnullis dubius est. *Manglesia* denique, quamvis habitu peculiari et stylo strumoso insignis, secundum methodi naturalis principia generice separari non debet, quum hinc stigmatis indole cum Sect. *Conogyne*, inde floribus habituque cum *Gr. manglesioide* nostra (cui stylus et stigma *Grevilleae* genuinae!) omnino conveniat.

Obs. 2. Sectiones hic enumerandae omnes pertinent ad primam generis seriem (*Aphanoptera* nob., folliculo coriaceo, ovoideo v. oblongo, stylo plerumque toto stigmateque rostrato v. caudato, seminibus ovalibus apteris v. angustissime marginatis apiceque brevissime alatis). Ex altera serie (*Cycloptera* R.Br., folliculo lignoso, subrotundo, styli basi tantum mucronato, seminibus orbicularibus undique alatis) vix ulla species in Nova Hollandia extratropica crescere videtur.

Sect. I. Lissostylis R.Br.*) Folia omnia integerrima, margine recurva v. revoluta v. acute refracta, rarius plana. Flores fasciculati v. breve racemosi, raro axillares subsolitarii. Calyx irregularis. Pistillum glabrum v. pubescens, ovario stipitato v. subsessili, stigmate laterali verticali v. obliquo, dorso plano v. convexo glabro, facie plano v. concavo v. leviter convexo. Folliculus laevis v. rarius costatus.

1. **Grevillea Drummondii** *Meisn.* foliis lineari-lanceolatis, acutis, uninerviis, aveniis, laevibus, utrinque ramulisque laxe pilosis, inferioribus planis, superioribus margine revolutis, floralibus angustissimis subsetaceis involucrum mentientibus; fasciculis terminalibus, 6-12-floris, subsessilibus, calyce extus glabriusculo intus ad faucem barbato, ovarii villosi stipite styloque brevissimo glabris, stigmate laterali orbiculari plano.

Ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2623. (Drummond n. 335. Hb. Shuttleworth.)

Fruticulus, ut videtur, vix pedalis, ramis ramulisque tenuibus erectis patulisve subcorymbosis, pube tenerrima patente eadem ac folia villosiusculis. *Folia* conferta, patentia, vix coriacea, pallide sordideque viridia, pollicaria v. breviora, ½-1½ lin. lata, utrinque subaequaliter attenuata et acuta, apice sphacelato saepe mucronuliformi, involucralia subfiliformia hispida subtus canaliculata, flores vix superantia. *Flores* subsessiles, flavi? *Calyx* 2-2½ lin. longus (more sectionis *Plagiopodarum*) oblique insertus et basi postice ovarii stipiti lineam longo adnatus, limbi unilabiati lobis obtusis, lateralibus (posticis) auriculato-dilatatis. *Stylus* crassiusculus, rectus, vix lineam longus, stigmatis diametro parum longior. — Affinis *G. fasciculatae* et *asperae* Br., sed ab utraque jam differt foliis nec scabris nec subtus argenteis.

2. **Grevillea fasciculata** *R.Br.* foliis lanceolato-linearibus, acutis, margine revolutis, supra punctato-scabriusculis glabris subaveniis, subtus ramulisque subsericeis; umbellis subsessilibus, 4-6-floris, calyce subventricoso pedicello sublongiore, extus adpresse piloso, intus ad faucem barbato; ovario sessili, styloque calycem haud superante hirsuto, stigmate laterali glabro hemisphaerico, antice concavo, medio obtuse umbonata; folliculo ventricoso-oblongo, puberulo, laevi. — R.Br. suppl. pag. 20.

---

*) Cum hac sectione conjungendam censeo alteram, *Ptychocarpam* R.Br., utpote characteribus nimis levibus distinctam et minime naturalem. Stylus enim in pluribus speciebus ab ipso Brown ad *Lissostylem* relatis minime glaber (cfr. *G. linearis*, *stricta*, *aspera*) et folliculus in pluribus ab eodem auctore inter *Ptychocarpas* collocatis vix ac ne vix costatus aut immo laevissimus est (cfr. *G. glabella*, *rosmarinifolia*). Itidem ovarium per gradus insensibiles e sessili in stipitatum abit.

Inter frutices densos in depressis sylvae ad radices occidentales montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 718.

„Frutex 5-pedalis". *Rami* graciles, fastigiati v. apice corymbosi, ramuli apice compressi leviter ancipites. *Folia* coriacea, erecta v. divaricata, apice sphacelato mucronulato-acuta, avenia v. obsolete venosa, supra viridia et sub lente dense punctato-asperula, subtus pallide cano-virescentia, pilis longiusculis arcte adpressis subsericea, adulta 1¼-2½-pollicaria, 3-3½ lin. lata, plana, margine leviter recurva, supra glabra et saepe laevigata, juniora dimidio v. duplo minora, marginibus ad nervum medium usque revoluta, supra convexa subtus canaliculata, novella cum ramulis dense fulvo-sericea. *Umbellae* ramulos breves (saepe vix 2-3 lin. longos) paucifolios terminantes, ebracteatae, summis tantum ramuli foliis iisque saepe minutis suffultae, pedicellis calycibusque pube subadpressa rufo-fusca parce hirsutis. *Calyx* 3-4 lin. longus, „coccineus", tubo lineam v. paulo plus lato, sepalorum suturis nervoso, basi aequali, apice intus albido-barbato, limbo valde recurvo, subgloboso, pallidiore densiusque villoso, lobis vix unquam secedentibus subaequalibus (superioribus haud auriculatis) cervice fissa styli apicem exserente. *Glandula hypogyna* dimidiata antice parva. *Pistillum* calyci aequilongum, ovario albido-barbato, stylo recto, tereti, rufo-hirsuto, persistente (etiam in fructu maturo vix 2 lin. longo) stigmate cochleariformi nutante glabro, subrotundo, dorso convexo, antice excavato et e medio puncto elevato truncato pallido marginem non superante quasi umbonato. Species a cel. auctore sectioni *Eriostylt* adscripta, sed calyce, stylo parcius pubescente, stigmatis glabritie cum hac sectione multo minus quam cum prima convenit et, teste ipso Brown, *G. asperae* affinis, quae nonnisi „foliis lineari-oblongis obtusis et racemis abbreviatis recurvis" differre videtur.

3. **Grevillea aspera** *R.Br.* „foliis lineari-oblongis, obtusis, mucronulatis, supra punctato-asperis, subtus argenteis, racemis abbreviatis recurvis, stylo brevissimo, stigmate cochleariformi". R.Br. prodr. pag. 377.

? *β.* **linearis** nob. foliis linearibus, margine arcte revolutis, subtus canaliculatis sericeis, junioribus supra ramulisque subsericeo-tomentosis.

Ad promontorium Cape-Riche, d. 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 712.

Praecedenti simillima, recedens tamen *foliis* omnibus anguste linearibus vix lineam latis et pollice plerumque brevioribus, nec non *floribus* fere ⅓ minoribus et *stigmate* minore antice minus concavo. *Racemus* brevissimus, fasciculum potius v. umbellam simulans. — Fatemur, nos *G. asperam* et *fasciculatam* e solis diagnosibus auctoris nimis brevibus tute distinguere non posse.

4. **Grevillea Brownii** *Meisn.* ramulis puberulis, demum glabris; foliis ellipticis oblongisque, sessilibus, margine recurvis, supra glabris aveniis punctato-scabriusculis, subtus incanis, mucronulo sphacelato obtuso; umbellis subsessilibus 4-6-floris, calyce pedicello sublongiore, extus adpresse pilosiusculo, intus ad faucem barbato; ovario subsessili, villoso, stylo calycem superante pilosiusculo, stigmate laterali glabro hemisphaerico antice concavo obtuse umbonato.

Inter frutices densos sylvae ad radices occidentales montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 719.

Rami elongati, graciles, demum glaberrimi, laeves, nitidi cinnamomei. *Folia* ramorum adulta 6-8 lin. lata, 3-3½ lin. lata, ramulorum plerumque

dimidio minora, subtus sordide albido-v. flavido-tomentosa. *Inflorescentia* florumque („coccineorum") structura et pubescentia fere omnino *G. fasciculatae*, sed stylus duplo longior, gracilior, minus pubescens et stigma magis recurvum, umbone brevissimo. — Proxima videtur *G. depauperatae* R.Br. suppl. pag. 21, quae floribus solitariis diversa — forsan mera ejusdem varietas? *)

5. **Grevillea brachystylis** *Meisn.* foliis lanceolatis, acutis, subaveniis, basi longe attenuatis, margine revolutis supra laeviusculis ramulisque glabris, subtus adpresse pilosis; racemis terminalibus axillaribusque brevissimis, 4-6-floris; calyce pedicello longiore, rufo-villosiusculo, subventricoso, oblique inserto et ovarii stipiti postice adnato, intus puberulo, limbi lobis inaequalibus; ovario lanato, stylo brevissimo puberulo; stigmate laterali, ovato-oblongo, acuto, dorso convexo puberulo, antice subconcavo glabro infra medium umbonato; folliculo ventricoso-ovato, tomentoso stylo stigmateque incrassatis rostrato.

In arenosis planitiei Mocloy'splain, Sussex, d. 20. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 714.

„Frutex sesquipedalis". *Radix* fibrosa. *Caulis* a basi ramosus, ramis patentibus v. adscendentibus, gracilibus, laevibus, glabris, inferioribus caulem subaequantibus, omnibus apice v. in summis axillis racemiferis. *Folia* 6-10 lin. dissita, rigide coriacea, 1½-2½-pollicaria, 2½-5 lin. lata, utrinque (basin versus tamen longius) attenuata, supra obsolete venosa v. avenia et sub lente puncticulata vix tamen scabriuscula, subtus pilis longiusculis adpressis subcanescentia v. obsolete sericea. *Pedunculi* 2-4 lin. longi, glabri apice racemoso-4-6-flori, saeplus recurvi, bracteis caducissimis oblongo-linearibus pedicello 1-2 lin. longo paulo brevioribus. *Calyx* „coccineus", 3-3½ lin. longus, pube rufa brevi superne densiore tomentoso-hirsutus, nervis suturalibus subcostatus; tubus antice paulo ventricosus, basi obliquus (sepalis 2 postice paulo altius insertis) et postice ovarii stipiti ½ lin. longo adnatus, intus ubique puberulus, pube prope faucem longiore, limbo valde incurvo, lobis ovatis obtusis vix sponte secedentibus, posterioribus (lateralibus) paulo longioribus in auriculam rotundatam conspicuam dilatatis, cervice fissa stigmatis apicem exserente. *Glandula* hypogyna antica parva. *Stylus*, vix lineam longus crassiusculus, subcompressus in stigmatis dorso deliquescens, minute puberulus; *ovarium* ventricosum, albo-villosum; *stigma* fere

*) Hujus loci species inedita est: **G. attenuata** A. Cunn., ramosissima, ramis ramulisque patentissimis apice pubescentibus; foliis sessilibus elliptico-lanceolatis, acuminatis, margine recurvis, supra glabris venosis punctato-asperulis, subtus adpresse fulvo-pubescentibus; racemis fasciculiformibus, axillaribus, breve pedunculatis, 6-8-floris, floribus subsessilibus; calyce adpresse hirsuto, intus basi et prope faucem piloso, lobis parum inaequalibus obtusis; ovario sessili hirsuto, stylo calycem haud superante recto apice stigmateque laterali subrotundo utrinque subconvexo glabro. — Ad *„Bulga Mountains, Hunter's River"*, a. 1825 legit *Allan Cunningham!* Herb. DC. — Proxima *G. acuminatae* R.Br., sed floribus minoribus et pube densa aureo-fulva subsericea hirsutis distincta. — *Folia* 6-10 lin. longa, 2-3 lin. lata, utrinque attenuata, apice submucronato-acuminata, nervo venisque supra plus minus conspicuis, pagina inferiore ferrugineo-pubescente vix ac ne vix sericea. *Pedunculi* in extremis axillis solitarii, aphylli, folio multo breviores, apice brevissime racemiflori, bracteis nullis v. caducissimis, pedicellis vix lineam longis. *Calyx* forma et magnit. *G. Brownii*, sed densius hirsutus et limbus minus revolutus. *Pistillum* totum 3 lin. longum. *Stigma* verticale disciforme, postice fere planum antice subconvexum muticum.

1½ lin. longum, ovato-oblongum, acutum v. subacuminatum, rectum, basi rotundatum, antice leviter concavum et prope basin brevissime obtuseque umbonatum. *Folliculus* ovoideus, vix compressus, antice ventricosus, excluso rostro (stylo stigmateque incrassatis) ipso fere triplo breviore semipollicaris, laevis (ecostatus) virescens et pube brevi subtomentoso-canescens, bivalvis. *Semina* non vidimus.

Species stricto jure ad *Plagiopodas* referenda, sed praeter calycis insertionem ab hac sectione omnibus notis habituque abhorrens et contra praecedentibus arcte affinis. Proxima et valde similis *G. floribundae* Cunningh.!, quae differt *ramulis, pedunculis foliisque* subtus dense fulvo-pubescentibus, *foliis* brevioribus plerumque latioribus supra distincte venosis et pilosiusculis, *racemis* longioribus multifloris, *calyce* ampliore basi rotundata aequali libera *folliculis*que hirsutioribus, *stylo* longiore, *stigmate* breviore obtuso *).

Sect. II. Eriostylis R.Br. Folia omnia integerrima, margine recurva v. revoluta, rarius plana. Flores fasciculati v. subumbellati v. brevissime racemosi, dense villosi, limbo recurvo parum irregulari. Ovarium stipitatum cum stylo dense lanato-villosum. Stigma laterale antice (rarius utrinque) glabrum. Folliculus laevis (ecostatus) pubescens.

6. **Grevillea occidentalis** *R.Br.* ramis cano-puberulis, demum glabris; foliis lanceolatis linearibusve, acutis, margine revolutis, supra glabris aveniis minute punctato-scabriusculis, subtus sericeo-canescentibus; fasciculis terminalibus axillaribusque, floribus lanatis; stigmate ovali, antice plano mutico, dorso villoso. — R.Br.! prodr. pag. 378.

α. **lanceolata.** foliis lanceolatis planiusculis, margine anguste revoluto, fasciculis longiuscule pedunculatis (rarius subsessilibus).

β. **linearis.** foliis linearibus abbreviatis, supra convexis, subtus canaliculatis (marginibus valde revolutis medio saepe contiguis) fasciculis subsessilibus.

In solo turfoso-arenoso sylvae haud procul ab oppido Albany et in depressis sylvae ad radices occidentales montis Wuljenup, Plantagenet, m. Oct. 1840 utram-

*) **Grevillea Latrobii** Meisn. ramulis tomentoso-puberulis, foliis patentibus, subulato-linearibus, pungentibus, margine revolutis, supra convexis laevibus, subtus canaliculatis, utrinque parce adpresso-pilosiusculis; racemis axillaribus terminalibusque brevissimis, recurvis; calyce pedicello longiore, subinflato, extus styloque glabro, intus parce adpresseque piloso basi barbato, limbi valde recurvi lobis subaequalibus vix secedentibus; ovario sessili pilosiusculo, stigmate laterali ovali subconcavo mutico. — *In colonia ad Portum Philippi legit cl. Latrobe!* (Herb. Mus. Neocomens.) — An *G. australis* R.Br.? quae, flore fructuque ignotis, e diagnosi prorsus insufficiente haud eruenda; recedit tamen, ut videtur, *foliis* latioribus, subtus sericeis et margine „subrecurvis" (in nostra egregie revolutis). *Calyx* et pistillum fere *G. rosmarinifoliae*, sed huic folia duplo latiora, firmiora et plerumque longiora (in nostra plerumque pollice breviora) nec non supra scabriuscula sunt, qua nota etiam reliquae species affines, sc. *G. divaricata* (cui praeterea flores minores et folia breviora) *G. ericifolia* (cui stylus hirsutus) et *G. juniperina* (cui calyx extus pilosus) manifeste differunt.

que formam promiscue legit L. Preiss. Herb. Preiss. No. 713. (Sinus Reg. Georg., R.Br.! in Hb. DC. specim. ad formam α spectans.)

„Frutex 2-6-pedalis". *Rami* graciles, subfastigiati, cinereo-pilosiusculi, apice tomentosi, demum glabrescentes. *Folia* semipollicaria, rarius in var. α 1-2-pollicaria (iis *G. fasciculatae* simillima) 2-4 lin. lata, in β 1-1½ lin. lata, apice sphacelato acuto. *Fasciculi* (s. racemi brevissimi umbelliformes) pedunculo gracili subfiliformi 3-18 lin. longo puberulo aphyllo v. folio uno alterove parvo (praecipue apice) munito suffulti v. in β subsessiles, 6-12-flori. *Pedicelli* calycem subaequantes, 3 lin. longi, rubro-fusci puberuli, apice subdilatati. *Calyx* totus cum stylo pube densa patula albida (rarius fulva) lanatus, limbi recurvi subglobosi lobis subaequalibus vix unquam secedentibus, cervice fissa stylum calyce longiorem apice nutantem exserente. *Glandula* hypogyna antica, parva. *Pistillum* totum 5-6 lin. longum, ovario subsessili; stigmate ovali, utrinque obtuso, vix ½ lin. longo, dorso albo-villoso, antice glabro plano v. vix concavo obsolete et obtusissime umbonato. *Folliculus* oblongus antice ventricosus, stylum subaequans, canus.

7. **Grevillea oxystigma** *Meisn.* ramis pubescentibus glabrisve; foliis ellipticis lanceolatis linearibusve, mucronatis, margine recurvis revolutisve, supra glabris laevibus, subtus incanis; fasciculis terminalibus axillaribusque sessilibus, pedicellis calyce longioribus sepalisque demum liberis tomentoso-villosis; stigmate hemisphaerico, utrinque glabro, antice concavo et medio mucronato.

α. **heterophylla.** foliis ramorum adultis ellipticis v. ovali-oblongis, margine leviter recurvis, supra venosis, ramulorum linearibus margine valde revolutis, subtus canaliculatis, subaveniis.

In limoso-calculosis inter frutices sylvae prope Mahogany-creek, Darling's-range, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 715, et in sublimosis ad flum. Canning, m. Jul. 1841. No. 714. (ex parte.) („Frutex dodrantalis".) (Drummond coll. I.)

β. **acerosa.** foliis confertis, crassiusculis, subacerosis, supra convexis venosis, subtus unisulcis v. anguste canaliculatis, infimis subinde planiusculis.

In region. interior. Australiae merid.-occid. Herb. Preiss. No. 710 et 716. („Frutex 4-uncialis, vix pedalis").

γ. **tenella.** foliis omnibus lineari-subulatis, aveniis, subtus unisulcis v. canaliculatis, v. rameis subinde lanceolatis planiusculis subvenosis.

Hb. Preiss. No. 714, ex parte, vide supra sub α. (Drummond n. 629, et coll. I.)

Species praecedenti simillima, sed notis indicatis constanter distincta. *Folia* vix unquam pollice longiora, supra plus minus nitentia, nunquam asperulo-punctata. *Florum* pedicellorumque pubescentia brevior, fere tomentosa, concolor, albida v. flavescens. *Pedicelli* 3-6 lin. longi, filiformes basi bracteola fusca minuta acuta fulti. *Calyx* vix 2½ lin. longus, stylo paulo superatus, „albus, staminibus coccineis et sulphureis", sepalis angustissimis sponte secedentibus demum ad basin usque liberis revolutis. *Stigma* rubrum? nutans dorso valde convexum, antice plus minus concavum medioque mucronulo tenui ultra marginem prominulo umbonatum. *Folliculus* praecedentis, stylo paulo longior, demum glabrescens, utrinque obtusus. *Semina* lineari-oblonga, nitida, hinc anguste marginata apiceque brevissime alata.

8. **Grevillea Candolleana** *Meisn.* ramis glabris v. apice puberulis, foliis lanceolatis linearibusque, sphacelato-mucronulatis, margine recurvis v. revolutis, supra laevibus glabris subaveniis, subtus incanis; fasciculis axillaribus terminalibusque subsessilibus, pedicellis calyce longioribus sepalisque demum liberis lanato-villosissimis; stigmate oblongo planiusculo mutico dorso villoso in processum spathulatum obtusum ipso longiorem utrinque glabrum circinnato-involutum abeunte.

Ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2625. (Drummond n. 628 et coll. I. Hb. DC. et Shuttl.)

Species habitu et foliis simillima *G. oxystigmati* et *occidentali*, foliorum laevitate priori, florum magnitudine et pubescentia fortiore posteriori magis conveniens, stigmatis forma ab utraque distinctissima et ad sequentem proxime accedens. *Folia* sub lente quidem parce puncticulata, attamen non scabra sunt. *Flores* sulphureo-villosi, pedicellis concolores, sepalis posticis longioribus apice auriculato-appendiculatis. *Glandula* hypogyna fere complete annularis. *Stylus* calycem vix superans, 2 lin. longus; stigma fere 2½ lin. longum! basi attenuatum et quasi in stylum defluens, apice involuto subemarginato *).

Sect. III. Calothyrsus R.Br. Folia pinnatim v. bipinnatim laciniata, rarissime integerrima, plana v. margine revoluta v. refracta. Racemi simplices v. ramosi, plus minus elongati, rarius spiciformes. Flores glabri v. pubescentes, limbo recurvo secundo. Ovarium stipitatum, rarius sessile, glabrum v. pubescens; stylus elongatus, glaber, rarius pubescens; stigma laterale v. rarius obliquum v. terminale planum v. convexum muticum v. rarius umbonatum. Folliculus glaber, rarius pubescens, laevis v. verrucosus v. subcostatus.

9. **Grevillea bipinnatifida** *R.Br.* foliis 3-8-jugo-bipinnatifidis, planis, nervoso-marginatis, glabriusculis, supra reticulatis, subtus laevibus, laciniis triangularibus v. oblongis spinoso-mucronatis; racemo simplici, elongato, undique

*) **Grevillea scabra** Meisn. ramis puberulis, foliis subtereti-acerosis, pungentibus, subtus unisulcis, supra echinulato-punctatis scabris glabris; fasciculis axillaribus terminalibusque sessilibus, pedicellis calyce longioribus sepalisque tarde liberis villosis; stigmate e basi ovata subconcava mutica in processum ipso sublongiorem spathulatum obtusum circinnato-involutum producto, dorso ubique tomentoso. — Swan-River Drummond n. 627. — *Stigma* fere *G. Candollianae* sed paulo brevius, basi latius rotundatum et margine libero a stylo solutum, dorso tomentosum nec ad medium usque lanatum. *Flores* paulo majores, intensius longiusque aureo-villosi. *Glandula* hypogyna minuta. *Folia* circiter pollicaria, marginibus revolutis et subtus fere contiguis subteretia, rigida, dense elevato-punctata, aspera, saepe pseudo-fasciculata.

subtomentoso, pedicellis geminatis calyce brevioribus, ovario sessili lanato, stylo praelongo puberulo, stigmate laterali oblongo planiusculo submutico. — R.Br. suppl. pag. 23.

α. **vulgaris.** ramis ramulisque teretibus, laevibus, cano-tomentosis, foliis omnibus bipinnatifidis, parce pilosiusculis v. glabris.

In solo sublimoso planitiei ad flum. Canning, Perth, d. 22. Jul. Herb. Preiss. No. 707. („frutex procumbens, flor. miniatis") et in rupestribus cis Halfwayhouse, Darling's-range, d. 21. Mart. 1839. No. 708. („frut. 3.pedalis et ultra, flor. puniceis".)

β. **glabrata.** ramis ramulisque sulcato-striatis v. costato-angulatis glabris, foliis glabris, summis simpliciter pinnatifidis.

Swan-River, Drummond in Herb. DC.

Species pulchra, pubescentia, foliorum divisione, racemi florumque magnitudine satis variabilis. *Rami* graciles, pubescentia, si adest, densa brevissima sordide cinerascente, angulis e foliorum nervo medio marginibusque decurrentibus natis in *β* conspicuis, in *α* obsoletis v. nullis. *Folia* 1-2 poll. dissita, patula, coriacea, interdum rigidissima, laete viridia concolora v. subtus (in *β* utrinque) pallida v. albido-subglauca; petiolo circ. pollicari, limbo decurrente, plus minus marginato, supra plano, subtus convexo basique (praecipue in var. *β*) cruribus tribus incrassatis brevibus in ramum decurrente; limbo 2-3-pollicari, circumscriptione ovato (latitudine interdum longitudinem subaequante) v. oblongo, segmentis primariis utrinque 3-8 (saepissime 5-6) parallelis, approximatis, oblongis pinnatifidis aut apice tantum inciso-dentatis aut (in *β*) saepe integerrimis, sinubus rotundatis 2-5 lin. latis, rarius acutis angustissimis, rhachi 2-3 (rarius 4-5) lin. lata; nervis utrinque conspicuis, subtus crassiusculis, in lacinularum mucronem 1-1½ lin. longum rectum pungentem excurrentibus, venis supra acute prominulis reticulatis subtus plerumque obsoletis v. nullis. *Racemus* 2-5-pollicaris, satis dense multiflorus, saepe nutans, pedunculo circ. pollicari cum rhachi pedicellis calycibusque pube densa brevi crispula viscidula? tomentoso, pedicellis geminis 1-2 lin. dissitis bractea ovata acuta caducissima fultis 3-5 lin. longis patulis v. recurvis. *Calyx* 5-6 lin. longus, intus glaber, tubo basi rotundato subaequali, limbi valde revoluti lobis ovalibus acutis subaequalibus demum liberis. *Glandula* hypogyna antica, rotundata valde conspicua. *Ovarium* ovatum, antice ventricosum, lineam longum, breve villosum; *stylus* filiformis, sesquipollicaris, minute puberulus; stigma vix ½ lin. longum, ovali-oblongum, medio subconvexum. *Folliculus* cernuus, ventricoso-ovatus, breviter acuminatus (stylo delapso) 9 lin. longus, glaber, extus nigro-fuscus, fissuratus, caeterum laevis, intus fuscus. *Semina* haud suppetunt.

10. **Grevillea Lindleyana** *Meisn.* ramis cano-tomentosis v. demum glabris, foliis 2-3-ternatis, glabris, junioribus adpresse pilosiusculis, laciniis divaricatissimis rigidis lineari-acerosis pungentibus supra planiusculis 1-nerviis laevibus subtus bisulcis; racemis terminalibus axillaribusque, pedicellis calyce longioribus; calyce extus glabro, intus inferne piloso; ovario subsessili, villoso; stylo praelongo, inferne hirsuto; stigmate laterali, ovato, antice subconico-convexo mutico; folliculo laevi, styli basi rostrato, demum glabro.

In limoso-calculosis sylvae ad latus montis Greenmountain, alt. 700 ped., d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 692. (Drummond n. 631 et coll. I.)

Proxima *G. Thelemanniana* Hüg., cujus descriptio in Endl. Nov. Stirp. Decad. pag. 6. plurimis notis cum nostra stirpe quadrat, recedens tamen sequentibus: *foliis* apice obtuso brevissime mucronatis (in nostra longiuscule attenuato-mucronatis) *racemis* densis pollicaribus, (in nostra laxiusculis, saepe 2-3-pollicaribus, terminalibus basi plerumque ramosis) *pedicellis* 2 lin. (in nostra 6-12 lin.) longis, *calyce* paulo breviore, (in nostra 6-7 lin. longo, basi valde obliquo) limbi lobis ciliatis, *ovarii* stipite 2 lin. longo (in nostra subnullo) *stylo* 9 lin. longo glaberrimo, (in nostra pollicari, apice tantum glabro) et *stigmate* oblique terminali, (in nostra vere laterali). — „Frutex 5-pedalis. Flores coccinei". *Glandula* hypogyna annularis v. fere hippocrepica, postice evanescens, calycis fundo valde obliquo v. potius pedicelli apici dilatato marginato oblique truncato adnata vix prominula. Folliculus lignosus, 8-9 lin. longus, cernuus, ventricoso-ovatus styli basi 2 lin. longa lateraliter rostratus. *Semina* haud vidimus.

Accedit quoque ad *G. (Conogyne) anethifoliam* T.Br., sed stigmate nequaquam cum hac sectione convenit, et saltem a *G. triternata* Br., quae illi proxima dicitur, exceptis foliis longe abhorret.

11. **Grevillea Hügelii** *Meisn.* ramis apice tomentosis, foliis adultis glabris bipinnatifidis, laciniis linearibus pungentibus margine revolutis, supra planis laevibus, subtus bisulcis; racemis axillaribus terminalibusque brevibus, recurvis, pedicellis flore brevioribus; calyce gracili, sericeo, intus glabro; pistillo stipitato, glaberrimo, calycem parum superante, stigmate parvo laterali ovali antice convexiusculo.

In humoso-arenosis planitiei ad flum. Avon, 6 mill. ab oppido York, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 691.

„Frutex procumbens". *Rami* pube minuta cinerascentes, demum glabri. *Folia* 1-1½-pollicaria, rigide coriacea, laete flavo-viridia, segmentis ½ lin. latis subplanis attenuato-mucronatis, supra nervo medio impresso obsolete unisulcis v. laevissimis, subtus (marginibus ad nervum usque revolutis) egregie bisulcis, primariis 2-3-jugis, 6-12 lin. longis (minus quam in *G. Lindleyana* divaricatis) pinnatim 3-5-partitis v. passim indivisis, secundariis 2-6 lin. longis petiolo subaequalibus. *Racemi* circ. pollicares, breve pedunculati, basi interdum pauciramosi, pedunculo, rhachi, pedicellis, calycibus (nec non ramulis foliisque novellis) pube minuta, adpressa, dense subsericeo-rufis; pedicelli tenues, 1½-3 lin. longi. *Calyx* „puniceus", 5-6 lin. longus, diu clausus, tubo gracili angusto utrinque attenuato, demum subinfundibuliformi, ad basin usque fisso, limbo parvo globoso recto v. vix recurvo, lobis ovatis acutiusculis valde concavis subaequalibus demum solutis patulis. *Glandula* hypogyna antica minuta. *Pistillum* totum glaberrimum, 5-6 lin. longum, ovarii sphaeroidei minuti stipite 2 lin. longo, stylo tenui filiformi, stigmate vix latiore, ⅓ lin. longo. Folliculus..... — An species a *G. pectinata* R.Br. suppl. pag. 23 satis distincta? quae praecipue differe videtur „foliis supra impresso-bistriatis".

12. **Grevillea Preissii** *Meisn.* ramulis pedunculisque villosiusculis v. tomentosis; foliis glabris, pinnatis v. passim bipinnatis, segmentis filiformi-linearibus acutis submuticis, supra planiusculis exsulcis, subtus bisulcis; racemis axillaribus terminalibusque, recurvis dense multifloris, pedicellis calyce brevioribus, calyce extus subsericeo mox glabrescente, intus ad faucem tomentoso, limbo secundo revoluto, pistillo glaberrimo stipitato, stylo praelongo subpersistente, stigmate parvo laterali obliquo ovali antice convexo; folli-

culo cernuo, ventricoso-ovato, laeviusculo, basi saccato; seminibus oblongis, apteris, ventre canaliculatis.

In solo calcareo ad latus montis Elizamountain, Perth, d. 19. Mai 1839. Herb. Preiss. No. 709.

„Frutex 3-5-pedalis, pulcherrimus", facie, foliis praecipue, valde similis *G. crithmifoliae*, sed abunde distinctus. *Ramt* fastigiati, subvirgati, pube brevi densa subvillosa albido-tomentosi, demum glabri, rubro-fusci. *Folia* 1½-2-pollicaria, pallide glauco-viridia, segmentis 3-5-jugis, angulo acuto divergentibus subparallelis (nec divaricatis) pinnatim 3-7-partitis v. saepius (praecipue lateralium intermediis) indivisis, laciniis petiolo plerumque longioribus 4-10 lin. longis, subpungenti-acutiusculis v. obsolete mucronulatis rhachique planis, vix ¼ lin. latis, subtus tenuiter bisulcis, supra obsoletissime impresso-uninerviis v. enerviis, junioribus pilis raris tenerrimis conspersis. *Racemi* 1-2-pollicares, patuli, demum recurvi, a basi fere dense floriferi, pedicellis secundis geminis solitariisque vix lineam dissitis sericeis 1½-2 lin. longis, bractels minutis linearibus villosis caducissimis. *Calyx* „coccineus", 3 lin. longus, basi rotundata paulo oblique insertus, extus pube minuta adpressa subsericeus, demum fere glaber, intus prope faucem dense cano-tomentosus, caeterum glaber, limbi revoluti subsecundi lobis ovatis acutiusculis solutis, sepalis demum saepius totis liberis ciliatis. *Glandula* hypogyna antica conspicua, brevis, obtusa. *Pistillum* 9-10 lin. longum, undique glabrum ovarii minuti gibberiformis stipite fere 2 lin. longo, stylo filiformi demum recto, stigmate ⅓ lin. longo paululum obliquo antice convexo mutico. *Folliculus* junior oblongus stylo toto caudatus, basi subsaccato-ventricosus, maturus (apertus) ovatus, valde ventricosus, styli basi breviter rostratus, laevis v. interdum verruculis nonnullis acutis asperatus, atrofuscus, 4-5 lin. longus. *Semina* anguste oblonga (3 lin. longa, 1¼ lin. lata) aptera, laevia, ventre sulco lato profundo canaliculata, dorso rotundato-convexa, marginibus obtusis. — *G. pectinata* R.Br. suppl. pag. 23, ex diagnosi (nimis brevi) a nostra differre videtur foliis simpliciter? pinnatis, foliolis subulatis rigidis supra impresso-bistriatis. *G. Baxteri* R.Br. l. c. pag. 22. jam pistillo sericeo abhorret.

13. **Grevillea crithmifolia** *R.Br.* ramis villoso-tomentosis, foliis pinnatim 3-5-partitis passimque indivisis, tenerrime pilosiusculis, demum glabris, laciniis anguste linearibus planis subpungenti-acutiusculis, supra enerviis, subtus bisulcis; racemis ramulos terminantibus, subsessilibus, brevibus, erectis, junioribus capituliformibus involucro imbricato tectis, rhachi villosa, pedicellis flore longioribus capillaribus glabris; calyce extus glabro, intus pilosiusculo, limbo recurvo, sepalis mox liberis; pistillo stipitato, glaberrimo, calycem subaequante, stigmate parvo terminali breviter conico, basi obliquo; folliculo ventricoso-ovato, echinato-tuberculato; seminibus oblongis, apteris, exsulcis. — R.Br. suppl. pag. 23.

In clivulis arenosis prope oppidum Freemantle, Perth, d. 15. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 690, et in monte arenoso Elizamountain, Perth, m. Aug. 1839. No. 599. (Drummond n. 625.)

„Frutex 1-4-pedalis". — Habitu, ramorum pubescentia, foliorum forma et colore praecedenti simillima, sed notis indicatis facile dignoscenda; inflorescentia, involucro praesertim, nec non calyce *Hakeae* (praecipue *H. bipinnatifidae, lissocarpae, ertnaceae* etc.) sed folliculus omnino *Grevilleae*. *Folia* 6-10 lin. longa, vix unquam pollicaria, juniora pube tenerrima patula pilosiuscula, plerasque trifida, laciniis semper indivisis 2-4 lin. longis, sum-

morum petiolo basi dilatato. *Captitula Piso* vix majora, ramulos breves terminantia v. hinc inde axillaria, globosa, bracteis squamiformibus ovatis, obtusiusculis, arcte imbricato-adpressis, ferrugineis villosiusculis plerisque cito deciduis tecta, deinde in racemum semipollicarem excrescentia, rhachi ebracteata cano-villosa, densissime florifera, pedicellis fere capillaribus 3-6 lin. longis. *Calyx* albus? vix 2 lin. longus, cito 4-partitus, intus pube brevi patula pilosiusculus, lobis angustissimis. *Pistilli* forma fere praecedentis, sed vix 2 lin. longum et stigma terminale e basi obliqua breviter sed acutiuscule conicum. Semina fere praecedentis, sed dimidio latiora, acute marginata et antice medio obtusa carinato-convexa.

14. **Grevillea concinna** *R.Br.* foliis linearibus, obtusiusculis, mucronulatis, indivisis v. rarius passim cuneato-trifidis, demum glabris, marginibus refractis, supra aveniis, junioribus utrinque ramulisque sericeo-puberulis; racemis terminalibus, subsessilibus, secundis, dense multifloris, floribus subsessilibus sericeis, calycis limbo valde inflexo diu clauso; ovario sessili villoso, stylo praelongo glaberrimo persistente demum recto, stigmate obliquo truncato leviter convexo; folliculo ovato leviter costato-striato pubescente. — R.Br.! prodr. pag. 377; suppl. pag. 18. Bot. Reg. t. 1383.

In calculosis confragosis 7 mill. a monte Manypeak l. Tjelberup. d. 22. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 711. (Lucky Bay, ora austr., R.Br.! in Hb. DC.)

„Frutex 5-pedalis", ramorum et foliorum juniorum pubescentia nunc fulvo-sericea, nunc cinereo-v. ferrugineo-tomentosa. *Folia* 1-2-pollicaria, lineam (inferiora interdum 2 lin.) lata, in petiolum brevem longe attenuata, apice latiora, obtusa v. vix acuta, brevissime mucronulata vix pungentia, supra plana v. plus minus convexa, laevissima, 1-nervia, marginibus subtus acute refractis et insuper saepe revolutis. (Folia cuneato-semitrifida, laciniis linearibus parum divergentibus, nonnisi in specimine culto deprehendimus, cum indivisis passim mixta; teste cel. Brown etiam pinnatifida, praesertim in stirpe juvenili, occurrunt.) *Racemi* 1-1½-pollicares, recurvi v. (in spec. Preiss.) erecti, ebracteati. *Calyx* forma et magnit. *G. Preissii*, paulo tantum amplior et pube densiore persistente sericeus, „coccineus", cervice fissa, sepalis caeterum haud secedentibus. *Glandula* hypogyna antica conspicua. *Pistillum* 10-12 lin. longum. *Ovarium* longiuscule sericeo-villosum. *Stylus* coccineus, satis validus, apice paululum dilatatus, stigmate truncato obliquo s. semilaterali, orbiculari obsolete conico-convexo. *Folliculus* stylo integro caudatus, ventricoso-ovatus, 7 lin. longus, cano-villosiusculus, lineis calvescentibus fuscis vix elevatis pseudo-costato-striatus, pericarpio tenui vix lignoso. *Semina* haud suppetunt. — Species certe non sectioni *Lissostylis*, cui a cel. auctori cum? adnumerabatur, sed, *Colothyrso* adscribenda hinc *G. Preissii*, inde maxime *G. chrysodendro*, *G. Hookerianae* et *eriostachyae* *), et, monente cel. Brown, *G. Baxteri*, proxime affinis, et cum iisdem stigmatis forma transitum ad sect. *Conogynen* parans.

*) **Grevillea eriostachya** Lindl. ramis tomentosis, foliis anguste linearibus, elongatis, pinnatim 3-5-fidis indivisisque, tomentosulis, scabriusculis, laciniis longissimis obtusiusculis sphacelato-mucronulatis, compresso-tetragonis, subtus bisulcis; spicis terminalibus elongatis, rectis, secundis, densissime multifloris, rhachi lanato-villosa, calyce villosiusculo, sepalis demum liberis; ovario sessili villosissimo, stylo glabro longe exserto, stigmate dilatato obliquo supra convexo; folliculo ovato-oblongo, ventricoso pubescente striato. — Lindley Swan-River, pag. XXXVI, n. 181. Swan-River Drummond n. 686 et coll. I. („Baie des chiens marins", Gaudichaud! in Hb. DC.) — *Folia* praecedenti similia, sed multo longiora (inferiora 5-9-pollicaria) et paulo latiora (saepissime lineam lata) tactu scabriuscula, plerumque 3-fida, rarius 5-fida, (segmentis 3-6-polli-

15. **Grevillea Hookeriana** *Meisn.* ramis cano-tomentosis, foliis lineari-filiformibus, elongatis, pinnatim 3-9-fidis, adultis glabriusculis, laciniis acutis mucronatisve, supra planis subenerviis laevibus, subtus convexis bisulcis; spicis axillaribus terminalibusque subsessilibus, rectis, subsecundis, rhachi villoso-tomentosa, calyce subsericeo-villosiusculo, limbo valde incurvo; ovario sessili villoso, stylo longe exserto glabro, stigmate terminali subobliquo brevissime conico.

In locis sterilibus ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2626. (Drummond n. 633. Herb. Shuttleworth!)

Frutex fastigiato-ramosus, ramis denso lividoque cano-tomentosis, apice foliisque novellis ferrugineis. *Folia* 3-5-pollicaria, ½-⅔ lin. lata, minute tomentoso-puberula demum glabrescentia, tactu laevia, omnia pinnata, laciniis 1-2½-pollicaribus distantibus parum divergentibus, inferioribus petiolo aequalibus v. longioribus, summis dimidio brevioribus, omnibus indivisis. *Spicae* bipollicares. *Flores G. concinnae*, paulo tantum minores et pube minus adpressa potius villosuli quam sericei. *Glandula* hypogyna antica, oblonga, calyci adpressa. *Pistillum* semipollicare, stylo tenui, apice haud incrassato, stigmate parvo (vix ⅓ lin. longo latoque) nunc semilaterali obliquo, nunc fere terminali recto, brevissime conico, prope basin margine tenui cincto. *Folliculus* non suppetit.

16. **Grevillea Endlicheriana** *Meisn.* ramis gracilibus, angulato-sulcatis, glabris; foliis linearibus v. lanceolatis, planis, apice recurvo obtusiusculo sphacelatis, obsolete nervoso-marginatis v. inferioribus trinerviis, utrinque sericeis; racemis axillaribus terminalibusque, brevibus, densis, apicifloris; calyce intus barbato extus pedicelloque sublongiore glabro, sepalis mox liberis; pistillo stipitato glabro, stylo longe exserto, stigmate laterali ovali, planiusculo, antice obsolete umbonato.

In solo sublimoso inter saxa, ad latus montis prope cataractam Darling's-range, d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 698.

„Frutex 7-pedalis, *ramis* paucis, valde elongatis, foliosis", saepe simplicibus, strictis, rubrofuscis, junioribus pube adpressa fugacissima cinereo-sericeis; internodiis 1-2-pollicaribus. *Folia* 2-4-pollicaria, 1-3 lin. lata, basi valde attenuata, subsessilia, semipatentia, pube minuta copiosa adpressissima utrinque aequaliter cano-sericea, (juniora saepe rufidula) trinervia, nervis lateralibus margini approximatis v. ipsum formantibus plerumque obsoletis, venis pinnatis vix conspicuis. *Racemi* vix pollicares, breviter pedunculati v. subsessiles, circum circa dense multiflori, florum evolutione ab apice deorsum progrediente! rhachi sericea, pedicellis geminis, capillaribus, 2-3 lin. longis glabris; bracteis lanceolatis, villosiusculis, lineam longis, caducis. *Calyx* „incarnatus", 2 lin. longus, extus glaber, limbo involuto, demum subregulariter 4-partitus, sepalis linearibus revolutis, intus albido-barbatis. *Glandula* hypogyna manifesta, antica, semiannularis, brevis, pallida. *Pistillum* 5-6 lin. longum, glaberrimum, ovarii parvuli subglobosi cernui

---

caribus) passim indivisa, summa (quae sola cl. Lindley vidisse videtur) constanter? indivisa et brevibus, margines subtus acute refracti unde laciniae tetraquetrae evadunt. *Spicae* ramulos terminantes indeque nonnunquam corymbosae v. subpaniculatae, 2-5-pollicares, pedunculatae. *Calyx* semipollicaris, extus pube brevi densa fulvo villosus, intus glaber, limbo incurvo, secundo. *Glandula* hypogyna parva rotundata. *Pistillum* 8 lin. longum, stylo stigmate et folliculo (juniore) *G. concinnae*.

stipite lineam longo, stylo fere capillari, stigmate subplano ⅓ lin. longo, umbone obsoleto.

Species cum sequentibus inflorescentia et calyce ad *Manglesiam* accedens, sed stigmate diversissima, — plurimis notis conveniens cum *Anadenia integrifolia* Endl. (in Ann. Wien. Mus. 2. pag. 209.) sed abhorrens glandulae hypogynae praesentia, racemo duplo breviore, floribus longius pedicellatis, caet.

17. **Grevillea filifolia** *Meisn.* ramis gracilibus, angulato-sulcatis, demum glabris; foliis semitereti-filiformibus, elongatis, enerviis, sericeis, apice uncinatis; racemis axillaribus terminalibusque pedunculatis, brevibus, densis apicifloris; calyce intus barbato, extus pedicelloque subaequali glabro, demum 4-partito; pistillo stipitato, glabro, stylo longe exserto, stigmate laterali parvo ovali antice convexiusculo.

In region. interior. Australiae merid.-occid. Herb. Preiss. No. 699.

Omnia *G. Endlicherianae*, exceptis foliis 4-6-pollicaribus, ⅓ lin. latis, supra planiusculis, subtus convexis, enerviis exsulcis; — an ejusdem var.? — Ab *Anadenia filiformi* Endl. l. c., cui similis videtur, recedit racemo duplo breviore, florum evolutione descendente (nec adscendente) et glandulae hypogynae praesentia.

18. **Grevillea diversifolia** *Meisn.* ramis gracilibus, teretibus ramulisque angulatis glabris; foliis lanceolatis, attenuato-subpetiolatis, mucronatis, planis, subtriplinerviis, laevibus, glabris, indivisis passimque apice 2-3-fidis v. 2-3-mucronatis; racemis axillaribus terminalibusque pedunculatis, basifloris, calyce subregulari demum 4-partito extus pedicelloque brevi subsericeo; pistillo stipitato, glabro breviter exserto, stigmate laterali parvo, ovali.

In solo limoso ad ripam fluvii Vasse, Sussex, d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 697. (Drummond coll. I. Hb. DC.!)

„Frutex 10-15-pedalis", facie ad *Manglesias* accedens. *Rami* teretes, laeves; ramuli tenelli, acute angulati, apice compressi; internodia plerumque pollicaria. *Folia* semi-patentia, parum rigida, pallide viridia subconcolora, novella adpresse pilosiuscula, mox glaberrima, bipollicaria, 1½-3½ lin. lata, in petiolum brevem tenuem angustata, margine plana v. vix recurva, nervo prope laminae medium in venas duas fortiores ad apicem usque excurrentes plerumque haud opposite nascentes diviso et praeterea venas paucas tenues v. vix conspicuas pinnatim emittente, laminae apice acuto indiviso aut rarius in lobos dentesve 2 v. rarius 3 breves v. rarius 6-8 lin. longos mucronatos sinu acuto sejunctos parum divergentes diviso, mucronibus lineam longis rectis subpungentibus rufis subpersistentibus. *Pedunculi* filiformes, ½-1 poll. longi, erecti, glabriusculi, corymbo brevissimo fasciculiformi terminati, bracteis minutis caducissimis pedicellis 1-1½ lin. longis floribusque minute sericeo-puberulis. *Alabastra* 2 lin. longa, tubo tenui, limbo globoso parvo incurvo; sepala cito libera, angustissime linearia, intus basi barbata superne glabra, apice concavo ovato acuto vix ½ lin. longo. *Glandula* hypogyna antica, semiannularis, brevissima. *Pistillum* 3 lin. longum, glaberrimum, ovario ovoideo stipitem semilineam longum subaequante, stylo tenui apice incurvo, stigmate ⅓ lin. longo, laterali v. vix obliquo plano v. vix convexiusculo. *Folliculus* desideratur.

19. **Grevillea manglesioides** *Meisn.* ramis villosiusculis, foliis sessilibus lanceolatis v. obovato-oblongis cunea-

tisve, indivisis v. passim apice 2-3-fidis, mucronatis, venosis, subtus novellisque molliter pubescentibus, adultis supra glabris, marginibus recurvis refractisve; racemis terminalibus axillaribusque pedunculatis, basifloris, rhachi pubescente, pedicellis florem subaequantibus glabris, calyce extus glabriusculo, intus medio barbato, mox 4-partito; pistillo stipitato, glabro, breviter exserto, diu persistente, stigmate oblique laterali subrotundo, planiusculo, folliculo ovali laeviusculo.

In solo limoso ad ripam flum. Vasse-River, Sussex, d. 13. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 720, et in distr. Plantagenet, m. Oct. 1840. No. 723.

„Frutex 8-pedalis", polymorphus. *Rami* teretes, nunc tenues graciles, nunc rigidi, subdivaricati, ramulique apice compressi, pube brevi molli rufa v. cinerascente dense villosuli. *Folia* patula, saepius rigide coriacea, 1-1½-pollicaria, 3-5 lin. lata, nunc, more praecedentis fere omnia lanceolata indivisa (paucis tantum 2-3-fidis v. bimucronatis) nunc fere omnia cuneata trifida (iis *Manglesiae vestitae* Endl. ut ovum ovo similia!) venis pinnatis distantibus arcuatim quasi in nervum submarginalem confluentibus, venulisque reticulatis plus minus conspicuis. Caetera fere omnino *G. diversifoliae*, racemi tantum paulo longiores, calyx extus fere glaber, apice tantum pube rara adpressa pilosiusculus, stylus crassior, stigma obliquum paulo majus et brevissime obtuseque umbonatum, et glandula hypogyna major patula. *Folliculus* 5 lin. longus, ovalis v. oblongus leviter ventricosus, minute elevato-punctatus v. rugulosus, tactu tamen laevis, stylo toto persistente v. demum deciduo, pericarpio crustaceo tenui. *Semina* non vidimus.

Sect. IV. Manglesia Endl. Folia trifido-laciniata, plana v. subulata. Racemi v. corymbi axillares, basiflori, pedicellis filiformibus elongatis geminis, paribus unibracteatis, bracteis fugacissimis. Calyx parvus, rectus, regularis, glaber, demum 4-partitus. Glandula hypogyna antica, minuta, semiannularis. Pistillum glaberrimum; stylus strumosus, ovario parum longior et vix tenuior, basi constrictus, stigmate terminali acute conico vix longior, demum deciduus. — Endl. gen. n. $\frac{2142}{1}$. Meisn. gen. gag. 245.

20. **Grevillea vestita** *Meisn.* foliis cuneatis, apice trifidis v. passim ovalibus indivisis, pungenti-mucronatis, triplinerviis, margine recurvis, subtus ramisque tomentoso-villosiusculis, supra demum glabrescentibus, lobis indivisis; corymbis subsessilibus, simplicibus v. basi ramosis, rhachi pubescente.

Manglesia vestita Endlicher, nov. stirp. decad. pag. 26. n. 32. (Descr. optima.)

a. **dilatata.** foliis sessilibus, lobis brevibus triangularibus v. ovato-oblongis.

In arenosis et calcareis montis Eliza-mountain, Perth, d. 3. Jul, Herb. Preiss. No. 721, et in calculosis ad radices montis Brown, alt. 900 ped., prope oppidum York, d. 4. Sept. 1839. No. 722. (Drummond n. 620 et coll. I.)

β. **angustata.** foliis attenuato-petiolatis, demum glabriusculis, lobis dimidium laminae aequantibus v. superantibus, lineari-oblongis (1-1½ lin. latis.)

Swan-River, Drummond n. 622, et coll. I. (Herb. Shuttleworth et DC.)

„Frutex 2-9-pedalis, floribus albis suaveolentibus". *Rami* saepe elongati, virgati, satis validi, corymboso-v. fastigiato-ramosi. *Folia* saepe 1-1½-pollicaria, apice usque ad 6-8 lin. lata. *Folliculus* sequentis.

21. **Grevillea glabrata** *Meisn.* glaberrima, foliis cuneatis, attenuato-subpetiolatis, planis, triplinerviis, semitrifidis lobis indivisis v. 2-3-fidis mucronato-pungentibus, racemis pedunculatis simplicibus.

Manglesia glabrata Lindl. Swan-River pag. XXXVII. n. 183. — *M. cuneata* Endl. nov. stirp. decad. pag. 25. adnot.

Anadenia Manglesii Grah. in Hook. ic. t. 337!

Grevillea Manglesii Hort.

In solo limoso sylvae ad rivum prope villam D. Harris ad flum. Cygnorum, d. 1. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 695. (Drummond n. 621 et coll. I.)

„Frutex 6-pedalis, erectus, floribus albis". *Folliculus* ovalis, utrinque obtusus, 3 lin. longus, tuberculis brevibus acutis dense echinulatus, pericarpio tenui vix lignoso. — Nomen a cl. Lindley speciei impositum, etsi nonnullis mensibus Endlicheriano posterius, praeferendum censeo, quia magis distinctivum *).

Sect. V. Conogyne R.Br. Folia trifido-laciniata, laciniis subulatis pungentibus margine arcte revolutis, supra subplanis, subtus bisulcis. Racemi v. spicae axillares et terminales, subsessiles, breves, bracteis caducis, floribus geminis parvis rectis subregularibus. Glandula hypogyna antica parva. Pistillum breve, vix exsertum, ovario stipitato, stylo filiformi demum deciduo, stigmate terminali recto acute conico. Folliculus ventricoso-ovalis, utrinque obtusus, pericarpio tenui coriaceo-sublignoso.

22. **Grevillea biternata** *Meisn.* ramis cano-tomentosis, foliis biternatis, glabris, laciniis divaricatis petiolo longio-

*) **Grevillea tridentifera** Meisn. foliis tripartitis, segmentis divaricatis lineari-subulatis pungentibus utrinque bisulcis v. supra planis indivisis v. passim 2-3-fidis petiolo multo longioribus; corymbis axillaribus, sessilibus, simplicibus, folio brevioribus.

α. **glaberrima.** omnibus partibus glaberrimis.

Manglesia tridentifera Endlicher, nov. stirp. decad. pag. 25. n. 31.

β. **pubescens.** ramis petiolisque pube densa brevi cano-villosis, corymbi rhachi foliisque junioribus pilosiusculis.

Swan-River, Drummond n. 622. (Hb. Shuttl.)

Rami virgati, strieti, subsimplices, conferte foliosi et fere a basi floriferi. Excepta pubescentia stirps nostra cum descriptione citata exactissime convenit.

ribus, floribus racemosis, pedunculo tomentoso, pedicellis glabris, demum elongatis deflexis, stylo crassiusculo recto cum stigmate folliculi glabri verruculosi stipitem vix aequante.

In colonia ad flum. Cygnorum legit. Jac. Drummond n. 624. Herb. Shuttleworth! (Species inter Preissianas non obvia, nisi forte cum G. Lindleyana, cui foliis simillima, commixta.)

Ab affinibus, *G. anethifolia* et *triternata* R.Br.! suppl. pag. 21, differt foliis biternatis (segmentis primariis 3-fidis, rarius indivisis, rarissime bis trifidis) a priore praeterea pedunculo tomentoso, a posteriore (fide specim. Cunningham. in Herb. DC.) ramorum tomento, foliis pedicellis ovarioque (longius stipitato) glaberrimis, stylo recto paulo breviore et tenuiore, et patria. *Flores* non vidimus. *Pedicelli* fructiferi filiformes, 6-7 lin. longi. *Glandula* hypogyna, etsi parvula, tamen conspicua, antica. *Folliculus* (submaturus, tamen nondum apertus) ovalis, niger, tuberculis minutis obtusis dense verruculosus, basi subsaccatus, stipite laterali lineam longo. *Stylus* subterminalis, diu persistens, glaber, cum stigmate ipso parum breviore vix lineam longus.

23. **Grevillea paniculata** *Meisn.* ramulis glaucis, glabris, foliis angulato-filiformibus, rigidulis, pungentibus, trifidis, glabris, junioribus parce adpresseque pilosiusculis, laciniis elongatis divaricatis 2-3-fidis indivisisque utrinque bisulcis; racemis axillaribus terminalibusque ramosis, folio brevioribus, glaberrimis, pedicellis flore multo longioribus capillaribus, calyce regulari, recto, tubo tenui, limbo 4-fido, pistillo incluso, ovarii stipite stylum sursum incrassatum aequante, stigmate acute conico; folliculo ventricoso-ovato, mutico, echinulato-rugoso.

In humoso-arenosis planitiei prope oppidum York, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 617 a, flor. et in region. interior. Australiae merid.-occid., d. 10. Apr. 1840. No. 705, fruct.

„Frutex 7-pedalis. *Rami* pruinosi", graciles, teretes, laeves v. tenuiter striati, vitellini v. demum nigricantes, laxe ramulosi, novelli cum foliis pube rara minuta adpressissima fugaci tecti. *Foliorum* laciniae 1-2-pollicares, petiolo plerumque duplo longiores, in mucronem fuscum rectum, lineam longum attenuatae, vix ⅓ lin. latae, nervo utrinque prominulo marginibusque refractis sulcato-tetragonae. *Racemi* 1-1½-pollicares, axillares v. ramulos brevissimos terminantes, inferne in ramulos 2-3 divisi, rarius simplices; pedicelli 4-6 lin. longi, patuli, ½-1 lin. dissiti, demum deflexi. *Calyx* 2 lin. longus, tubo tenui subinfundibuliformi apice paulo constricto, limbo parvo globoso recto demum regulariter 4-fido, lacinils ovatis, obtusiusculis. *Glandula* hypogyna antica minuta. *Pistillum* 1½ lin. longum, glaberrimum, ovario minuto, stipite capillari stylum duplo crassiorem deciduum aequante, stigmate basi stylo vix crassiore. *Folliculus* cernuus, 3 lin. longus, rugis cristulisve brevibus acutis dense echinulatus, (fere *G. crithmifoliae*) pericarpio tenui sublignoso. *Semina* haud vidimus.

Sect. VI. Anadenia R.Br. Folia plana v. margine recurva, cuneata, sinuato-lobata v. dentata v. laciniata. Racemi v. corymbi v. spicae terminales et axillares, floribus geminis, paribus unibracteatis, summis plerumque praecocioribus, bracteis deciduis. Calyx 4-sepalus, regularis, plerumque glaber. Glandula hypogyna aut nulla aut obsoletissima. Pistillum stipitatum, glabrum, stylo filiformi demum deciduo, stigmate terminali conico v. rarius laterali planiusculo. Folliculus ovalis, ventricosus, utrinque obtusus, saepius verruculosus v. subechinulatus, abortu monospermus, pericarpio crustaceo v. sublignoso. Semen apterum.

24. **Grevillea Aquifolium** *Meisn.* foliis elliptico-oblongis, sinuato-dentatis, nervosis, basi cuneato-integris, supra glabris, subtus ramulisque subsericeo-canescentibus, dentibus spinescentibus; racemis axillaribus terminalibusque, folio subbrevioribus floribusque omni parte glaberrimis, bracteis caducis, pedicellis calyce subaequalibus, ovarii stipite brevi, stylo calycem parum superante apice vix dilatato, stigmate brevi.

Anadenia Aquifolium Lindl. Swan-River pag. XXXI. n. 145.

In montosis glareosis sterilibus Australiae occidentalis m. Mart, 1841. Herb. Preiss. No. 696. (Drummond coll. I.)

„Frutex bipedalis". *Rami* teretes, demum glabri, juniores plus minus angulati et tomento minuto vix sericeo canescentes. *Folia* rigide coriacea, 1-2-pollicaria, 8-12 lin. lata, infra medium integerrima cuneato-angustata, interdum subpetiolata, antice grosse spinoso-dentata et plus minus undulata, dentibus utrinque 3-5 triangularibus mucrone recto sphacelato pungente terminatis, sinubus rotundatis, nervo venisque laxe reticulatis utrinque conspicuis, facie superiore laevi glabra sublucida, inferiore parum pallidiore pube minuta adpressa vix sericea densa subcanescenti-tomentosa. *Racemi* 1-1½-pollicares, aut fere axillares aut ramulos breves terminantes plerumque recurvi, pedunculo tenui a medio satis dense florifero cum rhachi et pedicellis 1½-2 lin. longis glabro. *Calyx* 2 lin. longus, initio incurvus, mox 4-partitus, subregularis, utrinque cum pistillo glaberrimus. *Glandula* hypogyna nulla. *Pistillum* 3 lin. longum, ovario parvulo subgloboso, stipite ½ lin. longo, stigmate vix ⅓ lin. longo, basi parum dilatato, marginato. *Folliculus* sublignosus, 4-5 lin. longus, ovalis, ventricosus, utrinque rotundatus muticus, minute v. obsolete verruculosus v. rugulosus. *Semina* haud vidimus.

25. **Grevillea quercifolia** *R.Br.* ramis gracilibus teretibus glabris, ramulis angulatis puberulis; foliis oblongis, basi cuneato-attenuatis, pinnatilobis v. sinuato-dentatis, nervosis, marginatis, utrinque glaberrimis, lobis triangularibus oblongisve mucronatis integris v. passim apice 2-3-

dentatis; racemis terminalibus axillaribusque pedunculatis, densifloris, rhachi pedicellisque florem aequantibus puberulis, bracteis late ovatis ciliatis deciduis, calyce pistilloque glabro, ovarii stipite longiusculo, stylo vix duplo longiore tenui, stigmate laterali, subrotundo planiusculo, folliculo echinulato-rugosissimo. — R.Br. suppl. pag. 23.

Grevillea brachyantha Lindl. Swan-River pag. XXXVI. n. 180.

In limoso-calculosis inter frutices sylvae prope Mahogany-creek, Darling's-range, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 693. (Drummond n. 619.)

„Frutex bipedalis, ramis elongatis. Flores lilacino-rosei". — A praecedente, cui foliorum forma proxime accedit, praeter notas jam indicatas facile distinguitur *ramis* gracilioribus (subherbaceis) *foliis* glaucescentibus duplo, majoribus et plerumque profundius sinuato-lobatis, (lobis saepe utrinque 7-9) minus rigidis, *spicis* cum pedunculo inferne nudo saepe 2-pollicaribus, cylindricis, plerumque erectis, *bracteis* tardius deciduis membranaceis, fuscis, striatis, albo-ciliatis, subcucullatis, 2 lin. longis, *ovarii* stipite lineam longo, *stigmate* laterali disciformi plano majusculo, demum antice convexo; *folliculo* ovato, styli basi rostrato, cum rostro stipiteque crasso turbinato laeviusculis fere pollicari, densissime rugoso, rugis longitudinalibus acutiuscule denticulato-cristatis. *Semina* haud suppetunt. Glandulam hypogynam nullam videmus.

Species habitu floribusque (stigmate solo excepto) reliquis *Anadenitis*, quibus adscribendam esse jam a cel. auctore subspicabatur, multo affinior quam specierum ex aliis generis sectionibus ulli. De synonymo Browniano, quamvis propter diagnoseos brevitatem (auctori enim flores fructusque ignoti erant) vix, de Lindleyano, quamvis glandulae hypogynae praesentiam supponit, minime dubitamus.

26. **Grevillea Synapheae** *R.Br.* ramis gracilibus, angulato-sulcatis, adpresse puberulis; foliis trifidis pinnatifidisve, submarginatis, longe angustato-subpetiolatis, supra glabris, subtus parce pilosiusculis, segmentis divaricatis oblongis 3-fidis v. passim indivisis spinescenti-mucronatis uninerviis subaveniis; racemis axillaribus terminalibusque simplicibus v. basi ramosis, densifloris, rhachi puberula, bracteis caducis pedicellis flore dimidio brevioribus glabris; pistillo stipitato, calycem 4-sepalum vix superante, glabro, stigmate terminali parvo conico-capitato. — R.Br. suppl. pag. 23.

Anadenia gracilis Lindl. l. c. pag. XXXI. n. 144.

In lapidosis montis Greenmountain, d. 27. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 694, et in lapidoso-calculosis sylvae inter eundem montem et Halfwayhouse, Darling's-range, d. 12. Sept. 1839. No. 702 ex parte.

„Suffrutex 1-2-pedalis. Flores albi". *Folia* glauca?, 2-4-pollicaria, semitripartita v. inferiora pinnatim 5-7-partita, obsolete marginata, parte petiolari limbum aequante cuneata, apice 1½-2½ lin. lata, integerrima, supra subcanaliculata, rhachi recta segmentis angulo fere recto divergentibus, 1-1½-pollicaribus 2-3 lin. latis, vix cuneatis, extra medium in dentes v. lobos tres (rarius duos) divaricatos 3-7 lin. longos triangulares v. oblongos acutatos spinescentes divisis v. rarius passim indivisis; nervis supra subimpressis, subtus fortiter prominentibus, paginae inferioris pube minuta parca subadpressa. *Racemi* spiciformes, cylindrici, cum pedunculo brevi 1-2-pollicares, demum plus minus recurvi. *Bracteae* fugacissimae. *Pedicelli* lineam longi, capillares. *Calyx* glaber, 2 lin. longus, sepalis mox liberis angustis-

simis. *Glandula* hypogyna nulla. *Ovarii* minuti stipite capillari, semilineam longo, stylo duplo longiore et crassiore, stigmate parvulo capitato, supra tamen distincte conico. *Fructus* latet. — Proxime affinis *G. Caleyi* R.Br.! suppl. pag. 22, quae (fide specim. Cunningham in Herb. DC.) differt caulibus diffuse ramosis, tomentosis, foliis dimidio minoribus, supra puberulis, subtus cinereo-v. ferrugineo-tomentosis, margine nervoso-refractis, floribus ovariisque breviter hirsutis, et patria (ora orientali) *).

27. **Grevillea trifida** *Meisn.* foliis sessilibus, supra glabris aveniis, subtus argenteo-sericeis recurvo-marginatis, infimis oblongo linearibus pinnatifidis v. inciso-dentatis uninerviis, superioribus cuneatis trilobis triplinerviis, lobis integris v. apice tridentatis mucronato-pungentibus; racemis axillaribus, subsessilibus, folium subaequantibus, densifloris, glabris, pedicellis flore longioribus; pistillo stipitato calycem 4-sepalum superante, stigmate parvo conico-capitato, folliculo ovali subgranulato.

Anadenia trifida R.Br. prodr. pag. 375; suppl. pag. 16.

In confragosis umbrosis sylvae ad latus septentrionali-orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 701.

„Frutex 1½-2-pedalis", *radice* fibrosa, caule erecto, strictiusculo, *ramis* paucis brevibus erectis, sericeo-canis, demum glabratis. *Folia* infima 1-2½-pollicaria, 3-4 lin. lata, fere ad basin usque serrato-incisa, subtus penninervia, superiora ½-1-pollicaria, apice 5-7 lin. lata, grosse 3-dentata v. semitrifida, lobis integris v. 3-dentatis v. subtruncato-tricuspidatis, mucronibus brevibus, marginibus angustissime recurvis, pube supra nulla, subtus densa adpressa albido-sericea. *Flores* praecedentis, stigmatis cono paululum longiore et acutiore. *Pedicelli* fructiferi 5 lin. longi, incurvi. *Folliculus* (immaturus) supra basin insertus, 3 lin. longus, ovalis, utrinque rotundatus, obsolete minuteque granulato-rugulosus v. sublaevis, stipite fere lineam longo, stylo diu persistente.

28. **Grevillea pulchella** *Meisn.* foliis subsessilibus, pinnatipartitis ramisque hirsutis, demum glabratis, rhachi stricta semitereti v. angustissime marginata, lobis 3-7-jugis oppositis v. subalternis subdecurrentibus patentibus cuneato-obovatis pinnatim 3-5-fidis v. passim indivisis, recurvo-marginatis supra parce punctato-asperulis, lacinulis spinescenti-acutis; racemis axillaribus terminalibusque folio brevioribus,

---

*) **Grevillea flexuosa** Meisn. glaberrima, ramis teretibus, apice compressis; foliis petiolatis, bipinnatifidis, rhachi flexuosa alata v. semitereti supra canaliculata, segmentis 4-6 jugis alternis retroversis pinnatim 5-7-lobis, lobis triangulari-oblongis spinescentibus uninerviis subaveniis marginatis planis; racemis axillaribus terminalibusque pedunculatis, simplicibus v. basi ramosis, densifloris, pedicellis calycem 4-partitum subaequantibus, pistillo stipitato exserto, stigmate brevi capitato-conico. — *Anadenia flexuosa* Lindley l. c. pag. XXXI. n. 142. — (Swan-River Drummond n. 613 et coll. l.) — Species pulchra, maxime insignis. *Folia* subglauca, 4-6-pollicaria, rhachi regulariter obtusangulo-flexuosa nunc alata, 1-2 lin. lata, nunc aptera, angulis alternc segmentiferis, segmentis aequidistantibus v. rarius per paria approximatis (nunquam exacte oppositis) sub angulo recto v. subacuto retroversis, 1-1½-pollicaribus, 2-3 lin. latis, laciniis alternis v. suboppositis decurrenti-confluentibus, 2-5 lin. longis. *Pedunculi* 1½-2-pollicares, a medio inde floriferi. *Pedicelli* 2 lin. longi. *Calyx* et pistillum omnino *G. Synapheae*. *Folliculus* nondum observatus.

sessilibus, densifloris, glaberrimis, apicifloris, pedicellis flore subbrevioribus; pistillo stipitato, calycem 4-sepalum haud superante, stylo sigmoideo apice incrassato, stigmate terminali brevi acute conico, folliculo viscido.

Anadenia pulchella, R.Br.! prodr. pag. 374.

In calcareo-rupestribus inter frutices densos ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 8. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 700. (Sinus Regis Georgii, R. Brown et A. Cunningham in Herb. DC.)

„Frutex 1-2-pedalis". *Radix* fibrosa, tenuis. *Caulis* erectus, gracilis, laxe ramosus, teres, dense adpresseque hirsuto-pilosus, demum inferne glabrescens, internodiis 1-2-pollicaribus, summis saepius duplo longioribus. *Folia* 1-2 pollicaria, juniora utrinque parce pilosa, supra praecipue mox glabrata, rhachi subtus hirsuta, supra glabra, plana v. canaliculata, lobis aequidistantibus 3-7 lin. longis, 3-5 lin. latis, 1-nerviis v. obscure penninerviis, supra sub lente punctis raris prominulis pallidis asperulis, basilaribus dimidio minoribus auriculaeformibus deflexis valde obliquis, lacinulis ovato-triangularibus lanceolatisve, 1-3 lin. longis v. subinde obsoletis ad mucronulum reductis. *Racemi* vix pollicares, interdum basi ramosi, floribus superioribus praecocioribus, pedicellis patulis 1½ lin. longis. *Calyx* „albus" (ex sicco subcarneus) glaberrimus, regularis, sepalis liberis lineari-spathulatis superne parum dilatato-concavis. *Glandula* hypogyna, ni fallor, adest minutissima. *Ovarium* minutum, cum stipite semilineam longo glabrum; stylus inferne capillaris, glaber, bis inflexus, extremitate adscendente fere lineam longa sensim paulo incrassata subtomentosa, stigmate acute conico, glabro, ¼ lin. longo, basi obliquo. *Folliculus* „glutinosus", ovatus, acuminatus, 3-4 lin. longus, stylo diu caudatus. *Semen* haud vidimus.

29. **Grevillea tenuiflora** *Meisn.* foliis petiolatis, tripartitis v. pinnatifidis, nervosis, ramulisque villoso-tomentosis v. demum glabrescentibus, segmentis cuneatis 3-lobis v. pinnatim 5-fidis, laciniis indivisis v. apice 3-dentatis v. 3-mucronatis spinescentibus; racemis axillaribus terminalibusque, simplicibus, folio saepe longioribus, glabriusculis, pedicellis flore brevioribus; pistillo stipitato, calycem 4-sepalum superante, stylo puberulo apice incrassato demum recto, stigmate subulato-conico, folliculo vernicoso subcompresso marginato.

Anadenia tenuiflora Lindl. Swan-River pag. XXXI. n. 143.

In limoso calculosis inter frutices sylvae prope Halfwayhouse, Darling's-range, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 702 (ex parte) et in region. interior. Australiae merid.-occid. inter Albany et York. No. 703 et 704. (Drummond coll. I.)

„Suffrutex sesquipedalis, erectus", habitu praecedentis, „floribus albis". — Duas ante oculos habemus formas satis diversas, quae forsan varietates constantes nisi immo species sistunt distinctas. Altera (n. 702): gracilior, *foliis* bipollicaribus, omnibus bipinnatifidis, utrinque pube rarescente (in ramulis densiore magisque adpressa) hirsutulis, segmentis 2-3-jugis, 1-1½-pollicaribus, 5-8 lin. latis, pinnatim 3-5-fidis, (terminali saepius indiviso lineari acuto caeteris duplo breviore) laciniis triangulari-oblongis v. linearibus indivisis, apice 1-3-mucronatis; altera (No. 703) ramosior, *ramis* firmioribus, pube densa brevi sordida subtomentosis v. demum glabris, *foliis* 1-2½-pollicaribus, omnibus 3-partitis v. semitrilobis, saepe latioribus quam longis, segmentis cuneato-obovatis 3-fidis v. 3-cuspidatis, lacinulis late triangularibus brevibus, pube utrinque densiore brevi supra demum subevanescente et puncticula minuta crebra leviter scabriuscula relinquente. Caetera fere

G. pulchellae, racemis tantum paulo longioribus et laxioribus, *calyce* dimidio majore et obsolete puberulo, *stigmate* tenuiore et acutiore, et *folliculo* margine obtuso cincto. *Glandula* hypogyna nulla, nisi obsoletissima.

HAKEA Schrad. Endl. gen. n. 2144. Meisn. gen. pag. 332. (245.) Conchium Cav.

§. 1. Folia tereti-filiformia, indivisa, rarissime passim subcompressa v. plana v. pinnatifida.

1. **Hakea platysperma** *Hook.* foliis tereti-filiformibus, indivisis, pungentibus, exsulcis, crassiusculis, glabris; capsulis compresso-globosis stipitique brevi crassissimis, ecalcaratis, muticis, laeviusculis, valvis intus medio lacunosis; seminibus orbicularibus, ala lata pellucida cinctis, nucleo compressissimo hinc laevi inde cristis fimbrillisque membranaceis laceris molliter echinulato. — Hooker ic. t. 433.!

In region. interior. Australiae merid.-occid. fructif. Herb. Preiss. No. 551. (Swan-River, Drummond, ex Hook.)

„Frutex“ . . . . . Flores ignoti. Optima icon l. c. descriptionem supervacaneam reddit. *Capsulae* superficies ex Hookeri diagnosi „rugulosa“ ex icone potius minute verruculosa, in nostro specimine areolis subrotundo-polygonis perfecte planis (saepe obsoletis) quasi reticulata, attamen tactu laevis.

2. **Hakea nodosa** *R.Br.* foliis tereti-filiformibus, indivisis, pungentibus, exsulcis, laevibus ramulisque glabris, basi angustata apiceque decoloribus; capsulis subsolitariis, folio subaequalibus, ovatis, obtusis, ecalcaratis, apice subcompressis, inferne nodoso-gibbosis rugosisque, stipite brevi crasso; seminibus atrofuscis laevissimis, alis obovatis. — R.Br. prodr. pag. 382.

In solo glareoso sterili sylvae prope planitiem arenosam Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840, fructif. Herb. Preiss. No. 606.

„Frutex 10-12-pedalis“. *Ramt* ramulique semierecti, subfastigiati, teretes, laeves, rubrofusci, epidermide alba rimosa cito secedente. *Folia* fere *H. propinquae* Br. (pachyphyllae Sieb.!) sed pleraque pollice breviora, vix unquam paulo longiora, penitus exsulca, minutissime punctata, mucrone recto basique angustata constanter pallidis subdecoloribus. *Flores* non vidimus. *Capsula* cum stipite brevissimo crasso pollicaris, subventricoso-ovata, apice leviter compressa obtusiuscula, mutica laevigata, infra medium utrinque in gibbositatem rotundatam leviter tumens et irregulariter rugosa, intus laevissima. *Semen* fusco-nigrum, ala obovata, nucleo duplo majore secundum exteriorem ejus marginem anguste decurrente. — *Folia* a cel. auctore dicuntur „parum compressa“, in nostra stirpe vero perfecte teretia sunt, sed hanc differentiam parvi momenti credimus, quum et in aliis *Hakeis* (v. g. *H. pugioniformi* Cav.) folia nunc teretia nunc, et quidem in eodem ramo, plus minus compressa observentur. Reliquae species affines, *H. flexilis, leucoptera et obliqua* R.Br., multo magis differunt sive capsulae forma et laevitate, sive foliis longioribus seminisque colore, sive ramulis tomentosis.

3. **Hakea subsulcata** *Meisn.* foliis tereti-filiformibus, indivisis, undique tenuissime sulcato-lineatis, apice spha-

celato acuto submucronatis, junioribus ramulisque adpresse sericeo-pilosiusculis; capsulis fasciculatis, folio multo brevioribus, ovato-oblongis, breviter acuminatis, ecalcaratis, laevibus, basi subgibbosis, intus laevibus; seminibus nigris, ala obovato-oblonga.

In glareosis sylvae inter praedia rustica Dom. Barker et Lennard, d. 12. Apr. 1840, fructif. Herb. Preiss. No. 607.

„Frutex 7-pedalis", ramis patulis erectisque, teretibus, tarde glabrescentibus. *Folia* 1-3-pollicaria, diametro semilineae, semierecta, stricta, vix pungentia, lineis vix prominulis circumcirca dense striata. *Flores* non suppetunt. *Capsulae* secus inferiorem partem ramorum 3-5 fasciculato-congestae, erectae patulaeque, cum stipite pedicelloque brevibus crassis 10-12 lin. longae, rectae, inferne leviter gibboso-ventricosae, utrinque valde convexae, apice vix compressae, acumine brevi acutiusculo, superficie laevi demum fissurata. *Semen* fusco-nigrum, forma fere *H. nodosae*, sed paulo minus, nucleo utrinque valde convexo et parcissime verruculoso-punctato.

4. **Hakea sulcata** *R.Br.* ramulis rugoso-striatis, apice canescentibus; foliis patulis, filiformibus, indivisis, glabris, undique sulcatis, apice sphacelato acuto, ima basi triangulari-reniformi incrassato-dilatata; floribus in pulvino axillari sessili pubescente fasciculatis, subsessilibus, glaberrimis; pistillo subsessili, calycem parum superante, stigmate brevi conico; folliculo ovato, acuminato, ecalcarato, laevi. — R.Br. prodr. pag. 382; suppl. pag. 27.

In depressis arenosis hyeme inundatis cis oppidum Guildford, d. 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 608, flor. In arenosis subhumidis planitie meridionali-occidentalis ad flum. Canning, m. Sept. 1841. No. 609, flor. et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. No. 733. fruct. jun. (Drummond n. 599.)

„Frutex $2\frac{1}{2}$-7-pedalis". *Rami* graciles v. subvirgati, stricti ramulique subsimplices saepe subumbellati, erecti, cortice nigricante leviter sulcato-striato. *Folia* 1-$2\frac{1}{2}$ v. rarius (in No. 609) $4\frac{1}{2}$ poll. longa, diametro $\frac{1}{2}$-$\frac{2}{3}$ lin., patentissima v. semierecta, recta v. arcuato-recurva (No. 733) 4-6-angulata, angulis obtusis, sulcis plus minus profundis, apice sphacelato mucroniformi vix pungente demum saepe deciduo, ima basi oblique depressa subincrassato-marginata, insertionis cicatrice obverse cordato-triangulari superne puncta vascularia tria approximata exhibente. *Involucri* squamae imbricatae, ovatae, acuminatae, glabriusculae, caducae. „*Flores* albi", sepalis 2 lin. longis, angustissimis apice diu cohaerentibus. *Stigma* $\frac{1}{3}$ lin. longum. *Folliculus* (immaturus) fere 3 lin. longus, nigricans, utrinque linea suturali prominula notatus. — Folia ima, teste cel. Brown (suppl. pag. 27.) quandoque spathulata, plana, basi attenuata, — in specim. nostris omnia filiformia *). —

---

*) **Hakea scoparia** Meisn. ramis virgatis, inferne teretibus laeviusculis glabratis, apice angulatis subsericeo-puberulis; foliis elongatis, erectis, angulato-filiformibus, indivisis, profunde 4-5-sulcis, adpresse puberulis, mox glabris, angulis obtusis, apice sphacelato acutiusculo, basi parum dilatata vix incrassata; floribus in pulvino axillari pubescente conferte fasciculatis, glaberrimis, pedicellis calycem subaequantibus; pistillo subsessili calyce duplo longiore, stigmate elongato cylindrico-conico. — Swan-River, Drummond, n. 600. (Herb. Shuttleworth!)

Simillima *H. sulcatae*, (praecipue formae longifoliae, Preiss. No. 609) et forsan mera ejusdem varietas, attamen notis indicatis facile distinguenda. Habitus multo robustior; rami virgati, subsimplices, inferne laeves v. obsolete striatuli, apice acute

5. **Hakea Lehmanniana** *Meisn.* ramulis teretibus, apice puberulis; foliis adscendentibus, filiformibus, indivisis, obsolete sulcato-angulatis, sphacelato-mucronulatis, glabris; capsulis subsolitariis, in pedicello brevi crassiusculo sessilibus, ventricoso-ovatis, ecalcaratis, incluso acumine brevi adscendente undique sparse cristatis et echinato-tuberculosis; semine nigro, nucleo hinc plano laevi, inde convexo ruguloso, utroque margine alato, ala terminali ovato-triangulari acutiuscula.

In solo glareoso sterili inter frutices sylvae cis flum. Gordon, Hay, d. 7, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 604.

„Frutex 2½-pedalis". Affinis *H. pugioniformi* et *sulcatae*, ab utraque tam foliis quam capsula distincta. *Folia* paulo tenuiora, 1-1½-pollicaria, nunquam perfecte teretia, nunc subcompressa, nunc irregulariter angulata et leviter (saepe obsoletissime) plurisulcata, mucronulo brevi nigro acuto, basi nec dilatata nec incrassata. *Flores* ignoti. *Capsula* cum pedicello 2 lin. longo crassoque pollicaris, valde ventricosa tumidaque, cinereo-fusca, glabra, tuberculis compressis v. cristis interruptis denticulatis, ad suturas majoribus, interjectisque verruculis obtusis majoribus minoribusque. *Semina* ovato-oblonga, nigra, ala fuscescente, nucleo vix longiore et secus utrumque ejus marginem decurrente basi evanida, nucleo obovato-oblongo, hinc valde convexo et obtusiuscule tuberculoso.

6. **Hakea Preissii** *Meisn.* foliis patentibus, teretibus, crassiusculis, exsulcis, stirpis juvenilis trifidis, adultae indivisis ramulisque glabris, mucronulo sphacelato recto; capsulis subfasciculatis, patentibus refractisque, in pedicello ipsis breviore subsessilibus, oblongis, verruculoso-punctatis, apice subcompresso truncato subbicornibus, cornubus brevissimis obtusiusculis divaricatis; semine albido, nucleo subrotundo-obovato hinc plano inde convexo rugoso margine basique aptero quam ala terminalis oblonga obtusa breviore.

In limoso-glareosis sylvae prope oppidum York, d. 9. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 617 b.

„Species simillima *H. pachyphyllae* Sieb. Arbor circ. 30 pedum. *Folia juniorts* plantulae trifida. *Flores* flavi". *Ramt* teretes. *Folia* conferta, summa vix lineam dissita, demum decidua, (cicatrice obovata plana, punctis vascularibus prope medium approximatis) pollicaria, fere lineam crassa, perfecte teretia, laevia, glabra, basi vix attenuata, ex apice obtusiusculo breviter pungenti-mucronata. *Flores* non vidimus; fasciculorum pedunculus communis crassus, vix lineam longus, pedicelli partiales fructiferi 4 lin. longi, ½-1 lin. crassi, recti, glabri. *Capsula* 7-8 lin. longa, basi attenuata (*Thlaspidum* quorundam formam aemulans) cinereo-fusca, punctis areolisve minutis vix prominulis irregulariter conspersa, junior styli basi mu-

---

striato-angulati, pube densiore subsericea tardius evanescente. *Folia* pleraque 6-8 pollicaria (inferiora passim duplo breviora) lineam crassa, adscendenti-subincurva (nunquam patula v. stricta) rigida, vix pungentia, angulis 4-5 (nunquam pluribus) obtusis nerviformibus, sulcis profundis. *Florum* fasciculi triplo majores, densissime multiflori, saepe approximati et quasi confluentes, calyce fere 3 lin. longo, constanter pedicellato, pistillo 5 lin. longo, stigmate parum incrassato cylindrico-conico ⅔ lin. longo. *Folliculi* ignoti. — Folia saepius insecti cujusdam acu hinc inde tumefacta legumina quaedam lomentacea imitantia.

cronulata, mox mutica, inferne subteres, superne obsolete compressa, linea suturali tenui. *Semen* lutescenti-albidum. — Affinis videtur *H. leucopterae*, *lissospermae* et *tephrospermae*, quae differunt sive foliis capsula multo longioribus, sive capsulae seminisque forma, etc.

7. **Hakea suaveolens** *R.Br.* foliis adscendentibus, teretifiliformibus, promiscue indivisis et 2-3-fidis pinnatifidisque, supra unisulcis, pungentibus, laevibus ramulisque mox glabris; involucri squamis late ovatis, obtusis, subsericeo-canis; capsulis subsolitariis, patulis recurvisve, ventricoso-ovatis, basi subgibbosis, rugosis, calcaribus juxta apicem brevibus obtusiusculis vix divergentibus, pedicello brevi crasso; semine nigro, ala oblonga acuta. — R.Br. prodr. pag. 383.

In rupestribus apertis ad tergum montis Clarence, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 605.

„Frutex 7-pedalis". *Ramt* validi, cinerascenti-fusci, inferne defoliati, apice minute puberuli. *Folia* 2-3-pollicaria, lineam crassa, teretia aut supra levissime deplanata, laevia, basin versus paulo attenuata, ad insertionem vix dilatata, supra sulco tenui leviter exarata, mucrone recto pallido v. fusco recto, ½ lin. longo, pungentia, nunc pleraque indivisa, paucis 2-3-fidis intermixta, nunc (in planta culta praecipue) pleraque pinnatim 3-5-fida, laciniis (saltem lateralibus) saepius supra medium v. totis exsulcis, junioribus adpresse parceque pilosiusculis. *Flores* non vidimus (ex Br. racemosi, glabri, rhachi tomentosa). *Folliculus* stipite (v. pedicello?) crasso, 1-2 lin. longo suffultus, pollicem longus et fere aeque crassus, cornubus v. calcaribus juxta apicem crassis vix lineam longis subcompressis rectis obtusiusculis, superficie irregulariter laxeque rugosa et areolis parvis subrotundis nigris concavis submarginatis sparsis maculata, caeterum laevi, sordide flava, subnitida. *Seminis* ala atrofusca, fere nigra (nucleo insectis destructo).

Valde accedit ad *H. lasiocarpham* Br. suppl. pag. 27, quae differre videtur foliis omnibus pinnatifidis compressis et involucri squamis lanatis.

§. 2. Folia tereti-filiformia, pinnatim v. ternatim laciniata, rarius passim indivisa aut compressa v. plana integerrima.

8. **Hakea trifurcata** *R.Br.* foliis tereti-filiformibus, pungentibus, subtus unisulcis, glabris sericeisve, trifidis indivisisque, passim planis ovalibus integerrimis submuticis; floribus axillaribus fasciculatis, pedicellatis sessilibusque, dense patenti-villosis sericeisve; pistillo sessili, glabro, calycem vix superante, stigmate laterali ovali antice subconcavo umbonato; capsula compressa, oblonga, ecalcarata, verruculoso-punctata; seminibus nigris, nucleo lateribus basique aptero alam terminalem oblongam obtusam aequante, hinc convexo laeviusculo.

α. **eriantha** *Meisn.* floribus pubo patula dense lanato-villosis.

H. trifurcata R.Br. prodr. pag. 383.

In porrectis confragosis haud longe a cataracta ad caput flum. Cygnorum, d. 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 619. In solo sublimoso ad flum. Avon prope praedium rusticum Cl. Whitfield, d. 15. Mart. No. 610, et in glareosis tergi montis Clarence, Plantagenet, d. 30. Sept. 1840. No. 618. (Sinus Regis Georgii, 1821. A. Cunningham! Swan-River, Drummond n. 626 et coll. I.)

β. **sericantha** *Meisn.* floribus pube brevi adpresse rarescente sericeis.

In depressis uliginosis cis oppidum Guildford, d. 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 519.

„Frutex 3-9-pedalis". *Ramt* fastigiati, teretes, laeviusculi, ramulis tenellis, apice plus minus puberulis, cortice rubro v. demum atrofusco. *Folia* valde variabilia, saepissime in eodem ramo diversiformia; alia (pleraque) tereti-filiformia, 1-3-pollicaria ½-½ lin. crassa, dorso constanter sulco tenui percursa, mucrone recto acutissimo apice nigrescente (interdum deciduo) acuminata, nunc omnia indivisa (Drumm. 626) nunc ex parte v. pleraque 2-3-fida, segmentis ½-1½ poll. longis plus minus divaricatis indivisis aut rarius (Preiss. No. 618.) bifidis; alia, passim occurrentia, (in ramulis junioribus frequentiora) plana, integerrima, ovalia v. oblonga, cum petiolo lineam longo ½-1½-pollicaria, 4-7 lin. lata, rigide coriacea, avenia, mucronulata v. apice obtusissima mutica, glabra aut rarius (cum foliis teretibus ramulisque) utrinque pube minuta subfulva diu persistente sericea. *Fasciculi* axillares, 3-6-flori, sessiles, floribus aliis sessilibus aliis pedicello 1-2 lin. longo filiformi subadpresse pubescente suffulti. *Sepala* cito soluta, 3 lin. longa, lineari-filiformia, apice ovato acutiusculo, parum concavo, dorso longius villoso. *Stigma* vere laterale (fere *Grevilleae occidentalis*) ⅓ lin. longum, umbone tenui, brevi attamen conspicuo. *Capsula* (omnino *Hakeae*, nec *Grevilleae*) 8-9 lin. longa, 2½ lin. lata, fere recta, mutica, livide flavo-cinerea, punctis elevatis dense minuteque verruculosa. *Semina* nucleus cuneato-oblongus, hinc planus laevis, inde valde convexus superne rugulis tuberculisve paucis parum prominulis asperulus.

Proxima *H. tricruri* Lindl. Swan-River pag. XXXVI. n. 179, quae nonnisi foliis planis nullis et stigmate subdepresso tetragono differre videtur.

9. **Hakea erinacea** *Meisn.* ramis pubescentibus, foliis patentibus, tereti-filiformibus, demum glabris, laevibus, trifidis, segmentis divaricatis bifidis exsulcis pungentibus, petiolo tereti subtus unisulco; fasciculis axillaribus sessilibus, paucifloris; calyce pedicelloque aequalibus tomentosis; pistillo sessili, glabro, calycem aequante, stigmate laterali lineari-oblongo obtuso antice subconcavo medioque obtuse umbonato.

Inter fragmenta rupium vallis prope Cataractam ad caput flum. Cygnorum, d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 601. (Drummond n. 601.)

„Frutex bipedalis, erectus", *ramis* subvirgatis, teretibus fuscis, superne puberulis v. dense velutino-tomentosis, inferne cinerascentibus demum glabratis. *Folia* patentissima, rigidissima, pallida (subglauca?) vix pollicaria, segmentis petiolo subaequalibus v. saepius paulo brevioribus ⅓-½ lin. crassis, regulariter semibifidis, lacinulis (rarissime apice bifidis) 2-3 lin. longis, spinescentibus, rectis. *Fasciculi* circ. 3-5-flori, involucri squamis caducissimis. *Calyx* 3 lin. longus, cum pedicello pube fulva brevissima dense tomentosus, sepalis mox liberis anguste linearibus, apice elliptico subacuminato parum concavo. *Glandula* hypogyna antica majuscula, semiannularis, truncata. *Stigma* fere lineam longum, stylo parum latius, umbone brevissimo, truncato. *Folliculus* haud suppetit. — Species insignis, florum magnitudine et pubescentia ad praecedentem accedens, sed notis indicatis ab ea et affinibus optime distincta.

10. **Hakea lissocarpha** *R.Br.* foliis tereti-filiformibus, pinnatim 3-7-fidis, scabriusculis, junioribus ramulisque pubescentibus, segmentis indivisis (ex R.Br. subinde bifidis)

spinescentibus exsulcis, petiolo supra deplanato unisulco; corymbis axillaribus, subsessilibus, multifloris, folio brevioribus, involucro glaberrimo, rhachi brevi villosa, calycibus parvis pedicellisque capillaribus glabris; pistillo subsessili, glabro, calycem vix superante, stigmate terminali brevi acute conico; capsula ovata, laevi, breviter acuteque bicalcarata. — R.Br. suppl. pag. 27.

In solo limoso-arenoso prope villam Cl. Mitchell ad flum. Cygnorum Herb. Preiss. No. 598 sylvaeque supra oppidum Guildford, Perth, m. Jun. et Jul. 1839. No. 597. (Drummond n. 602.)

„Frutex 3-pedalis, erectus". — A praecedente, cui habitu similis, notis indicatis facile distinguenda. *Rami* graciliores. *Folia* (raro pollicem attingentia v. paululum superantia) in nostris exemplaribus constanter pinnatifida, lacinis plerumque 5 indivisis (rarissime inferioribus bifidis) 3-6 lin. longis saepe alternis. *Involucri* ovato-oblongi squamae obtusae, glaberrimae. *Corymbi* rhachis 2-3 lin. longa, albido-velutina, quandoque brevissime pedunculata. *Pedicelli* 1-3 lin. longi. „*Flores* albi v. incarnati, *Prunt spinosae* instar suaveolentes". *Calyx* vix $1\frac{1}{2}$ lin. longus, diu clausus, limbo globoso haud incurvo. *Capsula* ovata, 5-6 lin. longa, 4 lin. lata, fusco-nigricans, laevis, valvis rotundato-convexis, calcaribus brevibus, acutis. *Semina* haud vidimus.

Species ab affinibus omnibus facile distinguenda jam foliis dense punctato-scabriusculis.

11. **Hakea bipinnatifida** *R.Br.* foliis tereti-filiformibus, laevibus, trisectis, junioribus ramisque pubescentibus, segmentis 2-3-fidis biternatisque cum petiolo ipsis breviore subtereti supra unisulcis, lacinulis subexsulcis spinescentibus; corymbis axillaribus subsessilibus, folio brevioribus, multifloris, involucri squamis inferioribus floribusque glabris, superioribus apice subsericeis, rhachi villosa; pistillo glabro, sessili, calycem aequante, stigmate brevi acute conico; capsula ovata laeviuscula, breve 2-calcarata. — R.Br. suppl. pag. 28.

In calcareis et arenosis ad latera montis Eliza, m. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 595 et 602. In glareosis sylvae cis Halfwayhouse, jugi montium Darling's-range, m. Apr. 1840. No. 596 et in depressis uliginosis cis oppidum Guildford, m. Sept. 1839. No. 592.

Omnia praecedentis, excepta foliorum forma et laevitate. *Folia* constanter bi-v. triternata, nec unquam vere bipinnatifida (qualia fide cel. auctoris nonnunquam occurrunt) observavimus; inferiorum petiolus quandoque (sed minus manifeste ac in praecedente) supra planiusculus. *Capsulae* ovatae, leviter ventricosae, pollicem longae, acumine brevi valvis parallele subcompresso, calcaribus fere terminalibus, contrarie compressis, rectiusculis acutis, lineam longis, epidermide flavida subrugosa decidua superficiem laeviusculam fuscam relinquente. *Semina* fusco-nigra, nucleo obovato, ala ovato-oblonga acutiuscula secus ejus marginem alterum decurrente paullo breviore hinc valde convexo ruguloso.

„Frutex 2-9-pedalis, squarrosus; flores albi, odore parco *Prunt spinosae*".

12. **Hakea lasiocarpha** *R.Br.* ramulis puberulis, foliis compresso-filiformibus, pungentibus, laevibus, glabris, supra unisulcis, pinnatifidis passimque indivisis, lacinis teretibus

vix basi unisulcis indivisis; corymbis axillaribus, sessilibus, folio brevioribus, involucro rhachique pubescentibus, floribus parvis pedicellisque glabris; pistillo sessili, calycem aequante, glabro, stigmate brevi acute conico; capsulis brevissime obtuseque bicalcaratis. — R.Br. suppl. pag. 27.

In solo sublimoso planitiei prope villam Cl. Nairn ad flum. Cygnorum, d. 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 594.

„Frutex 2-3-pedalis. *Flores* albi, odore fere *Pruni spinosae*". Fructum non vidimus. — Omnia praecedentis, exceptis foliis duplo crassioribus, aliis indivisis, aliis pinnatim 3-5-fidis, segmentis indivisis plerumque subalternis (nunquam 2-3-ternatis) petiolo rhachique semper depresso-semiteretibus. An vere species Browniana? quae differre videtur involucri squamis „lanatis". Utraque forsan potius *H. bipinnatifidae* var.

§. 3. Folia plana, spinoso-dentata v. varie laciniata, rarius repanda v. subintegerrima, rarissime passim compresso-filiformia v. subteretia.

13. **Hakea varia** *R.Br.* foliis glaucis, mucronato-pungentibus ramulisque glabris, aliis compresso-filiformibus teretibusque indivisis trifidisque supra unisulcis, aliis planis aveniis linearibus spathulatisve integris v. pinnatifidis v. apice 2-3-dentatis; corymbis axillaribus subsessilibus v. ramulos breves terminantibus, folio brevioribus, multifloris, rhachi pubescente, involucri squamis ciliatis, superioribus sericeo-villosis; calyce pistilloque subsessili subaequalibus glabris, stigmate conico-capitato obtusiusculo; capsula oblonga, subcompressa, breviter obtuseque bicalcarata, secus suturam inferiorem parce tuberculata, caeterum laevi, seminis nucleo oblongo quam ala ovata obtusa hinc subdecurrens paulo longiore. — R.Br. prodr. pag. 383.

In depressis uliginosis ad flum. Cygnorum, supra oppidum Perth, d. 3. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 600.

„Frutex 8-pedalis, diversifolius; folia ramorum inferiorum minus divisa. *Flores* albi". *Rami* densissime ramulosi, ramulis saepius brevibus subcorymbosis apice puberulis. *Folia* circ. pollicaria, plus minus glauca; inferiora subinde viridia, 2-3 lin. lata, lanceolata, basi attenuata v. subcuneata, prope mucronulum terminalem dente brevi v. mucronulo laterali parum remoto munita, rarius integerrima aut apice breviter tridentata et medio utrinque lacinia lineari, 2-3 lin. longa, mucronata instructa; ramulorum superiorum anguste linearia v. filiformia semiteretia (rarius teretia) supra leviter sulcata v. canaliculata, indivisa et passim 2-3-fida. Inflorescentia et calyx *H. bipinnatifidae;* capsula *H. tuberculatae*, sed nonnisi secus marginem inferiorem tuberculis paucis parvisque verruculosa.

14. **Hakea tuberculata** *R.Br.* ramulis tomentosis; foliis planis, glabris, cuneato-oblongis spathulatisve, extra medium inciso-dentatis v. trifidis, summis passim linearibus teretibusve indivisis, dentibus spinescentibus, petiolo tereti supra unisulco; corymbis axillaribus ramulosque breves terminantibus, subsessilibus, folio multo brevioribus, invo-

lucro rhachique puberulis; calyce pistilloque subsessili subaequalibus glabris, stigmate conico-capitato obtusiusculo; capsula ovato-oblonga, superne compressa, breve bicalcarata, undique sparse verrucoso-tuberculata, seminis nucleo obovato marginibus subaptero quam ala terminalis oblonga acuta breviore. — R.Br. suppl. pag. 28.

H. heterophylla Hook. ic. t. 437!

In solo arenoso planitiei 19 mill. ab oppido Albany, Plantagenet, d. 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 593. (Drummond n. 617, foliis plerisque anguste linearibus subintegris.)

„Frutex 8-pedalis, gracilis, ramulis numerosissimis (dense congestis, brevibus) inferiorum foliis minus divisis. Specimina (foliis valde diversis discrepantia) in una eademque stirpe collecta. *Capsula* junior laeviuscula, calcaribus acutis rectiusculis, lineam longis.

Valde suspicor, hanc speciem, ad quam *H. heterophylla* Hook. absque dubio referenda, nil nisi varietatem v. potius formam *H. vartae* sistere, a qua re vera notis indicatis vix satis distinguitur. *Folia* quidem (ex nostris speciminibus) pleraque viridia, nec glauca, magis cuneato-attenuata, antice inciso-dentata, rarius indivisa subulataque et capsulae undique (nec ad marginem tantum) verrucosae, sed vereor ne hae notae, immoque illae e semine desumtae, iterata stirpis observatione haud stabiles se praestaturae sint.

15. **Hakea linearis** *R.Br.* glaberrima, foliis planis, lanceolatis linearibusque, remote spinuloso-paucidentatis integrisve, laevibus, aveniis, impunctatis; corymbis axillaribus ramulosque breves terminantibus, folio multo brevioribus, rhachi glabra; stigmate terminali, depresso, umbonato; capsula compressiuscula, bicalcarata. — R.Br. prodr. pag. 384. Bot. Reg. t. 1489.

In confragosis ad radices montis Wuljenup, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 585, steril. alibique in districtu Plantagenet, m. Jan. 1841. No. 583. flor. (Sinus Regis Georgii, 1818. A. Cunningham! forma foliis linearibus pollicaribus, plerisque integerrimis.)

Variat foliis ½-2½-pollicaribus, 1-5 lin. latis, nunc fere omnibus integerrimis, nunc plerisque omnibusve denticulis utrinque 2-5 mucronulatis armatis. *Capsulam* haud vidimus.

16. **Hakea florida** *R.Br.* foliis lanceolatis linearibusve, acutissimis, utrinque spinoso-paucidentatis, subaveniis, minute punctatis, margine scabriusculis, junioribus cum ramulis et pedunculis communibus brevissimis pubescentibus; corymbis axillaribus terminalibusque fasciculiformibus, floribus glabris; stigmate terminali, brevi, conico, capsulis convexiusculis, bicalcaratis. — R.Br. l. c. pag. 384. Bot. Mag. t. 2579.

In rupestribus summitatis montis Clarence. Herb. Preiss. No. 587 alibique in districtu Plantagenet, m. Sept. 1840 et 1841. No. 584 nec non in clivosis arenosis ad Princess Royal Harbour, d. 25. Sept. 1840. No. 582.

β? **latifolia.** *Meisn.* foliis oblongis v. oblongo-lanceolatis, obscure venosis, apice obtuso muticis v. mucronatis, basi attenuatis; capsula globoso-ovata, rugosa et subtuberculata.

In asperis inter frutices densos ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. Herb. Preiss. No. 586 fruct. et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. No. 589.

„Frutex 6-pedalis, ramulis hispido-pubescentibus", interdum (No. 587) cito glabrescentibus. *Folia* 1-1½-pollicaria, formae genuinae 1-2 lin. lata, apice attenuato spinescentia. Var. *β*, forsan species distincta, (flores non suppetunt) recedit foliis 4-5 lin. latis, pollice longioribus, obsolete venosis apice haud attenuatis sed saepe rotundatis et abrupte mucronulatis, dentibus marginalibus brevissimis v. subinde nullis. (Folia caeterum puncticulata et margine scabriuscula ut in forma vulgari.) *Capsula* pollicaris, ventricosa, valde turgida crassaque, prope apicem subcompressa et calcaribus 2 brevissimis divaricatis (mutilatis, obtusis) instructa, lateribus ubique irregulariter rugosis et passim verruculosis, cinereo-fuscis. *Semina* ala obovato-oblonga acutiuscula, secus nucleum obovatum ipsa breviorem utrinque anguste decurrente *).

17. **Hakea attenuata** *R.Br.* ramulis pubescentibus, foliis subglaucis, glabris, obovato-v. spathulato-oblongis, cuneato-attenuatis, extra medium spinuloso-v. inciso-dentatis aut passim integerrimis (pinnatifidisve, ex Br.) obsolete venosis, impunctatis, laevibus; fasciculis axillaribus subsessilibus, involucri squamis pedicellis floribusque glabris; stigmate terminali depresso-conico capsulis bicalcaratis. — R.Br. prodr. pag. 384.

In lapidosis inter frutices jugi montium Darling's-range et in monte Greenmountain, d. 20. Jul. 1839, steril. Herb. Preiss. No. 590. (Drummond n. 615, et coll. I, flor.)

„Frutex 1-2-pedalis". *Folia* 1-2½-pollicaria, prope apicem nunc rotundatum v. subtruncatum, nunc acutum, semper mucronatum 3-8 lin. lata, dentibus utrinque 2-4 brevissimis, mucroniformibus aut triangularibus, sinu rotundato separatis, basi plus minus cuneata attenuata integerrima, 1-1½ lin. lata. *Corymborum* rhachis vix lineam longa, squamulis minutis glabris subpersistentibus tecta. Caet. *H. floridae*, flores tantum paulo majores et stigma brevius obtusum. *Capsulam* haud vidimus.

18. **Hakea ilicifolia** *R.Br.* ramis tomentosis, demum glabratis, foliis ovalibus, subpetiolatis, sinuato-dentatis, spinulosis, aveniis, laevibus, glabris, opacis v. subnitidis; capsulis ventricoso-ovatis, laevibus, apice compressis, bicalcaratis, intus scrobiculatis. — R.Br. prodr. pag. 384.

H. intermedia Hook. ic. t. 445?

In glareosis sterilibus ad radices collium „Konkoberup" promontorii Cape-Riche, d. 19. Nov. 1840 fructif. Herb. Preiss. No. 561.

---

*) Sub No. 577. in Herb. Preiss. exstat specimen sterile, in glareosis sylvae inter praedia rustica dom. Barker et Lennard, m. Mart. 1840 lectum, haud certe determinandum, — an n. sp? an *H. floridae* aut *nitidae var.* — „Arbuscula gracilis, 15-pedalis, rariissima"; foliis rigidissime coriaceis, glaucis, obsolete venosis, laevibus impunctatis, opacis ramisque glabris, oblongo-lanceolatis, spinescenti-acutis, basi attenuatis, 1-3½ poll. longis, 5-10 lin. latis, margine laevibus utrinque dentibus brevissimis spinulisve patentibus 1-3, remotissimis armatis. Involucri squamae glabriusculae, obtusae. — Foliorum consistentia, colore et venatione convenit cum *H. cristata*, an hujus var. foliis angustioribus subintegrisque?

„Frutex 5-pedalis". *Flores* ignoti. *Capsula* cum icone Hookeriana convenit, quae a stirpe nostra solummodo recedit foliis plerisque majoribus grosse sinuato-dentatis, unde *H. intermediam* Hook. nil nisi *H. ilicifoliae* var. v. mere lusum esse suspicor.

19. **Hakea cristata** *R.Br.* foliis obovatis, basi attenuatis, spinoso-dentatis, immerse venosis ramulisque glaberrimis glaucis; racemis axillaribus subsessilibus, folio multo brevioribus, rhachi pubescente, involucro pedicellis floribusque glabris; stigmate terminali, depresso, convexiusculo; capsula ovata, crassa, subrugosa, apice compressa bicalcarata, secus marginem alterum utrinque crista longitudinali dentata in calcaria excurrente aucta, margine altero inferne tumido-incrassato; seminis nucleo quam ala oblonga obtusa utrinque inaequaliter decurrens breviore hinc convexo laeviusculo. — R.Br. suppl. pag. 28. Hook. ic. t. 443!

Inter fragmenta rupium ad jugum montium Darling's-range, alt. 700 ped., d. 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 546, fruct. (Drummond n. 614, flor.)

„Frutex 6-8-pedalis". *Rami* virgati, teretes, laeves, superne sanguinei et pruinosi. *Folia* usque ad tres pollices longa, et 2 poll. lata, apice rotundata v. rarius breviter attenuata. *Racemi* 6-8 lin. longi. *Flores H. floridae.* *Stigma* parvum fere disciforme, subconico-convexum v. fere planum et obsoletissime umbonatum. Caetera v. in icone citata optima.

20. **Hakea glabella** *R.Br.* glaberrima, foliis cuneato-obovatis oblongisve, cordato-amplexicaulibus, spinulosodenticulatis v. extra medium angulato-tridentatis v. passim integerrimis, immerse subvenosis, laevibus, junioribus glaucis; corymbis axillaribus subsessilibus, brevibus, densifloris; stylo calycem superante, stigmate terminali obliquo depresso-conico; capsula elliptica, obtusa, compressa, dense minuteque rugulosa, tuberculis spinulisve obtusis paucissimis sparsis armata; seminis nigri nucleo quam ala oblonga obtusa hinc decurrens breviore rugoso-tuberculato.

α **paucidentata.** foliis parte cuneato-angustata v. passim undique integerrimis v. subintegerrimis.

Hakea glabella R.Br. suppl. pag. 28.

Locis editissimis arenosis circa oppidum Freemantle. d. 14. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 539 fruct. In limoso-calculosis et arenosis sylvarum district. York. No. 541 prope lacum Kei-er-mu-lu, m. Sept. et Oct. No. 544, fl. et fr. et in solo sublimoso montium districtus Victoria, d. 17. Mart. 1840. No. 545. (Drummond coll. I.)

β **denticulata.** foliis ad basin usque plus minus spinulosodenticulatis.

H. denticulata R.Br. l. c. pag. 28.

In arenosis sylvae prope oppidum Guildford. Herb. Preiss. No. 538 et in sublimoso-glareosis ad radices jugi montium Darling's-range. No. 542. m. Aug. 1839 flor. (Drummond n. 612 et coll. I.)

„Frutex 2-8-pedalis, squarrosus", undique constanter glaberrimus, *ramis* saepe elongatis subvirgatis, conferte foliosis, inferne teretibus cinnamomeis, apice plus minus compresso-angulatis, pallidis. *Folia* patentia, viridia

v. glauca, amplexicaulia, magnitudine formaque variabilia, nunc obovata prope apicem 9-14 lin. lata, 1-1½ poll. longa, nunc cuneato-oblonga, 2-3-pollicaria, apice triangularia v. subtriloba 3-cuspidata v. rarius acuminato-subattenuata aut rotundata v. subtruncata et spinuloso-pluridentata, auriculis baseos rotundatis nunquam manifeste dilatatis saepius (etiam in var. α) mucronulis nonnullis margine armatis. *Inflorescentia* praecedentium, rhachi pedicellis filiformibus calycem aequantibus 4-5 lin. longis subbreviore, involucri squamis parvis, acutis, subcarinatis. „*Calyx* purpureus, fragrans, *H. floridae*, sed fere triplo major. *Stylus* diu inclusus, recurvus, demum exsertus, 5-6 lin. longus, angulato-filiformis, stigmate subcapitato, obliquo, (fere semilaterali) rotundo levissime conico-convexo. *Capsula* pollicaris, 5 lin. lata, fere recta, utrinque attenuata, obtusa, compressa, inferne modice turgidula, etiam matura (post dehiscentiam) viridis, undique minute denseque ruguloso-reticulata, valvula utraque tuberculis 1-4 absque ordine positis nunc brevissimis verruculiformibus, nunc elongatis patentibus filiformibus 1-1½ lin. longis rigidis innocuis (in nostris exemplaribus constanter obviis) munita. *Semina* nucleus obovatus, niger, rugis obtuse tuberculatis valde prominulis, ala cinerascente.

Hakeam denticulatam mere varietatem *glabellae* sistere, quod ipse cel. auctor suspicatus fuisse videtur, specimina quaedam inter utramque fere ambigua (Preiss. No. 538, Drumm. n. 612) extra dubium fere ullum ponunt. *Capsula H. denticulatae* tamen nondum observata. — Capsulae interdum gummi siccum pallide flavum pellucidum exsudant, cujus guttulas in specim. No. 541 observavimus.

21. **Hakea prostrata** *R.Br.* caule prostrato, ramulis hispidulis; foliis obovatis oblongisve, cuneatis v. subpanduraeformibus, basi cordata subdilatata amplexicaulibus, apice angulato-dentatis v. toto margine remote spinulosis, immerse-subvenosis, laevibus, glabris, nervo subtus novellisque pubescentibus; corymbis axillaribus subsessilibus, folio brevioribus rhachi pubescente brevissima, pedicellis floribusque glaberrimis, stylo calycem superante, stigmate obliquo sublaterali ovali antice convexo, capsulis ecalcaratis. R.Br. prodr. pag. 384.

In rupibus calcareis summitatis montis Baldhead, Sinus Regis Georgii III. Herb. Preiss. No. 540. In districtu Plantagenet. No. 549, ex parte et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 543 et 564. m. Oct. et Nov. 1840.

„Frutex prostratus", praecedenti simillimus, et *ramorum* pubescentia et *stigmate* majore fere laterali facile distingnendus. *Folia* nunc penitus ejusdem formae, nunc medio angustata et plus minus panduraeformia, magnitudine et dentatione aeque ac illa variabilia. Vidimus *capsulas* tantum juniores, fere nigras, acutas, ecalcaratas, undique laeves, vix compressas.

22. **Hakea amplexicaulis** *R.Br.* foliis ovali-v. lanceolato-oblongis, sinuato-dentatis undulatisque, basi lata cordato-amplexicaulibus, subvenosis, laevibus ramisque glabris, dentibus spinosis; corymbis axillaribus, subsessilibus, brevissimis, rhachi pubescente, pedicellis floribusque glabris; stylo exserto, stigmate obliquo sublaterali rotundo antice conico-convexo; capsula ovato-oblonga, acuta, ecalcarata, compressiuscula, sublaevi; seminis nucleo hinc rugoso marginibus aptero quam ala terminalis multo breviore. — R.Br. prodr. pag. 384.

α **latifolia.** foliis ovali-oblongis, basi haud dilatatis (4–5 poll. longis, 1½–2½ poll. latis.)

H. triformis Lindl. Swan-River pag. XXXVI. n. 175.

Swan-River, Drummond! (v. s. in Hb. DC.)

β **angustifolia.** foliis lanceolato-oblongis (4–7-pollicaribus) basi rotundato-dilatatis (2 poll. latis deinde ad apicem usque 1–1½ poll. latis.)

In limoso-calculosis sylvae a monte Greenmountain usque ad Halfwayhouse, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 548, fl. et fr. et in districtu Plantagenet, m. Nov. 1840. No. 549 ex parte. (Drummond n. 610.)

„Frutex 4-6-pedalis“ (ex R.Br. prostratus). Omnia *H. glabellae*, exceptis corymborum rhachi pubescente et *foliis* semper majoribus, nunquam cuneatis nec apice sed plerumque *basi* dilatatis, circumcirca crebre grosseque undulato-dentatis, sinubus rotundatis, dentibus inaequalibus (saepius alterne majoribus) triangularibus, 2-3 lin. longis et insuper spina recta forti, 1-2 lin. longa, flava v. fusca terminatis, in var. *α* multo brevioribus. *Capsula* 15 lin. longa, apice attenuato adscendente acuta, laevis, prope basin tantum verruculis nonnullis parvulis conspersa, fusca, opaca (epidermide detrita).

23. **Hakea undulata** *R.Br.* foliis obovatis, attenuato-subpetiolatis, undulatis, spinoso-dentatis, triplinerviis, venoso-reticulatis, glabris, novellis ramulisque apice sericeo-puberulis; corymbis axillaribus fasciculiformibus, rhachi brevissima involucrique squamis apice puberulis, floribus, parvulis pedicellisque glabris; stylo calycem aequante, stigmate terminali cylindrico-conico basi dilatato; capsulis ecalcaratis, ovatis, ventricosis, laeviusculis. — R.Br. prodr. pag. 384. Hook. ic. t. 447!

In limoso-calculosis montis Greenmountain, alt. 900 ped., d. 13. Sept. 1839 Herb. Preiss. No. 560. (Drummond n. 613, et coll. I.)

β **subintegerrima.** foliis oblongo-lanceolatis, acutis, margine plano v. vix undulato parce minuteque denticulatis integerrimisque.

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. fructif. Herb. Preiss. No. 569.

„Frutex 2-4-pedalis“. *Radix* perpendicularis, subsimplex, tortuosa, deorsum attenuata. *Calyx* „albus“, 1½ lin. longus, pedicellum subaequans v. dimidio brevior. Caet. v. in ic. cit. optima, excepto stigmate brevi crassiuscule conico, in nostris exemplaribus semper tenui, sursum parum attenuato basi quasi annulo cincto.

Var. *β.* foliis (5-6 lin. latis) accedit ad *H. laurinam* et *repandam* R.Br., sed ab illa differt foliis mucronato-acutis, ab hac foliorum nervatione et capsula.

24. **Hakea cucullata** *R.Br.* ramis villosis, foliis sessilibus reniformi-cordatis, cucullatis, breve acuminatis, multinerviis, venoso-reticulatis, glabris, margine repando-dentato et plus minus undulato papilloso-scabris spinulosisve; fasciculis axillaribus in receptaculo villoso convexo sessilibus, folio absconditis; involucri squamis oblongis, cucullatis, demum cum pedicellis floribusque glabris; stigmate

terminali, cylindraceo, basi vix incrassato; capsula ovata, ventricosa, acutiuscula, ecalcarata, leviter rugosa et verruculosa; seminis nucleo rugoso, hinc anguste alato, alam terminalem attenuato-acutiusculam aequante.

α **vulgaris.** foliis arcte congestis, margine undulatis, subintegerrimis v. levissime repando-dentatis scabris v. passim minute spinulosis, ramis dense velutinis, superne longius villosis.

H. cucullata R.Br. suppl. pag. 30. Hook. ic. t. 441!

In confragosis sylvae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, et in lapidosis collinis prope montem Manypeak s. Tjilberup, Kent, m. Oct. et Nov. 1840 fructif. Herb. Preiss. No. 537.

β **conchifolia.** foliis laxioribus, margine subplanis breviter spinuloso-dentatis, ramis apice patentim hispido-pilosis inferne glabratis.

H. conchifolia Hooker ic. t. 432!

(Swan-River, Drummond n. 611! in Hb. Shuttl.)

„Frutex 8-10-pedalis, strictus, pauciramosus. *Flores* violacei". *Folia* juniora pubescentia, infima plantae juvenilis ovata fere plana (nec cucullata) margine vix undulata, remote repanda v. subintegerrima et laeviuscula, adulta plus minus glaucescentia. *Calyx* (ex rudimentis superstitibus) 3-4 lin. longus, pedicello aequalis, stylo filiformi dimidio brevior, sepalis angustissimis, stigmate semilineam longo. — *H. conchifolia*, cujus fructus ignotus, an specifice distincta sit nec ne, dijudicare non audemus. Specimina Preissiana foliis margine hinc inde distincte denticulatis et minute spinulosis eam inter et *H. cucullatam* veram ambigunt.

25. **Hakea smilacifolia** *Meisn.* foliis subsessilibus, ovatis, acuminatis, spinescenti-mucronatis, subcucullatis, multinerviis, reticulato-venosis, margine nerviformi subrepando laevibus, utrinque ramulisque pubescentibus; floribus axillaribus aggregatis, subsessilibus, glabris; stylo calycem parum superante, stigmate terminali conico; capsulis patentibus, parvis, ovato-oblongis, acutis, ecalcaratis, laeviusculis, nitidis.

In planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 535, fruct. et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. No. 536, flor.

Inter *H. cucullatam* et *repandam* medium tenens; a priore differt: foliis multo minoribus (interdum tamen 2 poll. longis, 14 lin. latis) magis acuminato-attenuatis, margine haud undulatis, capsulis parvulis (4-5 lin. longis) laevibus lucidis; a posteriore: foliis plus minus cucullato-concavis (rarius subplanis) pubescentibus, tarde (vix unquam penitus) glabrescentibus, acuminatis, mucrone longiore pungente terminatis, capsulis nitidis duplo angustioribus; ab utraque: foliis subpetiolatis, nervis primariis crassioribus capsulaeque forma et laevitate. — „Frutex sesquipedalis", *ramis* paucis brevibus semierectis. *Folia* circ. semipollicem dissita, patentia (ramulum haud abscondentia) subglauca, utrinque pube brevi patula molli dense pilosiuscula, nervatione *H. cucullatae*. *Flores* 3-4 lin. longi, sepalis angustissimis, stylo vix dimidio longiore, stigmate ½ lin. longo. *Capsula* semipollicaris, ventricoso-oblonga (margine altero recto) olivacea, supra medium subcompressa, infra turgidula punctisque nonnullis prominulis sparse verruculosa, caeterum laevissima nitida. *Semina* nigra, nucleo obovato-hemisphaerico utrinque

basique anguste alato, quam ala terminalis acuta subbrevlore, hinc valde convexo dense ruguloso.

26. **Hakea repanda** *R.Br.* ramulis pubescentibus, foliis sessilibus, oblongis v. ovato-oblongis, planis, basi obtusissimis v. subcordatis, mucronulo sphacelato obtusiusculo terminatis, trinerviis, grosse reticulato-venosis, glabris, margine laevi remote repandis integerrimisque; fasciculis axillaribus subsessilibus, dense multifloris, floribus glabris, pedicellis calyce stylo dimidio superato duplo brevioribus, stigmate terminali conico; capsula late ovata, acuminata, ecalcarata, utroque latere gibbosa, laeviuscula. — R.Br. suppl. pag. 30.

H. ferruginea Sweet mss. in Hb. DC.!

In solo glareoso inter frutices densos prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1846, flor. et fr. Herb. Preiss. No. 547.

„Frutex 5-pedalis". *Rami* graciles, sordide puberuli, demum glabrati, novelli cum foliis pube dense adpressa ferrugineo-v. fusco-sericei. *Folia* patentia, ½-1 poll. dissita, 1½-2½-pollicaria, 7-14 lin. lata, nunc utrinque attenuata basi obtusa, nunc basi latiore leviter cordata et semiamplexicaulia, margine levissime repando nervis venisque (fere praecedentis) utrinque valde prominentibus. *Involucrum* ovatum, stramineum, glabrum. *Pedicelli* e tuberculo axillari conico pilosiusculo nascentes, lineam longi. *Flores* praecedentis. *Capsula* sessilis, 7-10 lin. longa, inferne 6-7 lin. lata, supra subdepressa, subtus ventricosa, acumine brevi crasso adscendente v. rectiusculo, faciebus cinereo-fuscis, subopacis, obsolete verruculosis. *Semnis* nigri nucleus obovatus, ala angustata acuta sublongior, uno margine anguste alatus, altero basique attenuata apterus, hinc convexus subverrucosus.

27. **Hakea elliptica** *R.Br.* foliis subsessilibus, planis, ovalibus oblongisve, utrinque obtusis, mucronulo sphacelato obtuso terminatis, margine laevi integerrimis v. subrepandis, multinerviis, venoso-reticulatis, glabris, novellis ramisque tomentoso-puberulis; fasciculis axillaribus subsessilibus, dense multifloris, glabris, pedicellis calyce stylo parum superato longioribus, stigmate terminali conico; capsula ovata, gibboso-ventricosa, breviter acuminata, ecalcarata, laeviuscula, nitida. — R.Br. prodr. pag. 386.

Conchium ellipticum Smith. in Linn. Trans. 9. pag. 123.

In rupestribus subhumidis ad summitatem clivuli prope portum Princess Royal Harbour, alt. 300 ped., d. 30. Sept. 1840, fl. et fr. Herb. Preiss. No. 558.

„Frutex 8-pedalis". *Rami* pube densa brevissima subcinerea tomentosi, juniores cum foliis ferruginei. *Folia* patentia, petiolo plano vix lineam longo suffulta, 1½-3 poll. longa, 10-20 lin. lata, (stirpis juvenilis saepe oblongo-lanceolata, acuminata) nervis 5-9 primariis subparallelis leviter arcuatis venulisque intercostalibus utrinque prominulis (multo tenuioribus quam specierum praecedentium). *Inflorescentia*, calyx et pistillum praecedentis (rhachi brevissima pilosa). *Pedicelli* 4-5 lin. longi. *Capsulae* fasciculatae, sessiles, crassae, flavae, 16 lin. longae, supra magis quam subtus convexae, valde ventricosae, latere leviter gibbosae, vix ac ne vix rugulosae, acumine vix 2 lin. longo obtusiusculo. *Semen* nigrum, nucleo obovato-oblongo hinc tuberculato, uno margine latiuscule alato, altero basique aptero, quam ala terminalis obtusa paulo brevlore.

28. **Hakea Baxteri** *R.Br.* foliis petiolatis, planis, flabellato-cuneatis, margine superiore rotundato spinuloso-multidentatis, lateralibus integerrimis, immerse multinerviis, laevissimis, glabris, novellis ramulisque ferrugineo-tomentosis; capsulis ovato-oblongis, subgibboso-ventricosis, ecalcaratis, rugosis, acumine brevi compresso obtusiusculo; seminis nucleo nigro, obovato-oblongo, hinc rugoso, uno margine anguste alato, altero basique subaptero, quam ala terminalis cinerascens attenuato-acuta breviore. — R.Br. suppl. pag. 28. Hooker ic. t. 439!

In saxosis collium Konkoberup promontorii Cape-Riche, d. 20. Nov. 1840, fructif. Herb. Preiss. No. 553.

„Frutex 5-8-pedalis". *Flores* ignoti. Icon citata optima.

29. **Hakea Brownii** *Meisn.* foliis petiolatis, planis, flabellato-cuneatis, margine superiore rotundato spinulosomultidentatis, lateralibus integerrimis, subenerviis, laevissimis, glabris, novellis ramulisque ferrugineo-tomentosis; fasciculis axillaribus sessilibus paucifloris, pedicellis brevissimis calycibusque ferrugineo-subsericeis; capsula crassissima, gibboso-subglobosa, ecalcarata, demum reticulatofissurata; acumine adscendente brevissimo compresso; seminis nucleo obovato, hinc parum convexo rugoso, utrinque et basi anguste alato, quam ala terminalis late triangularis acuta longiore.

In glareosis sterilibus sylvae inter flum. Gordon et colles Warrcup-Hills, Hay, d. 6. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 552.

A praecedente, cui valde quidem similis, notis indicatis, praecipue fructu et semine, optime distincta. *Folia* crassiora, magis cuneato-attenuata, dentibus fortioribus sinubus latioribus rotundatis interstinctis, nervis venisque penitus immersis inconspicuis. *Pedicelli* vix lineam longi. *Calyx* 3-4 lin. longus (ruber?) basi attenuatus, diu clausus, limbo incurvo ovato breviter acuminato. *Glandula* hypogyna antica, magna, sphaeroidea. *Pistillum* sessile, glaberrimum, calycem vix aequans, stigmate obliquo orbiculari subconvexo. *Capsula* sessilis, 2 poll. longa, 1½ poll. crassa, apicem versus gibba, acumine obtuso, 2 lin. longo, cortice cinereo-fusco undique fissuris reticulatis exarato demum secedente, pariete altera 5-6 lin. crassa perfecte lignosa, ligno albido concentrice lamellato compacto.

30. **Hakea ceratophylla** *R.Br.* foliis attenuato-subpetiolatis, planis, cuneatis trilobis v. bipinnatifidis aut lanceolatis linearibusve trifidis v. apice 2-3-cuspidatis integerrimisve, subaveniis, laevibus, glabris, junioribus ramulisque apice sericeo-tomentosis; fasciculis axillaribus sessilibus, calycibus pedicello longioribus sericeis pistillo glabro parum superatis; stigmate terminali, subobliquo, depresso conico-umbonato; capsula oblonga, ecalcarata, utrinque attenuata laevi.

α **laciniata.** foliis cuneatis trilobis v. bipinnatifidis, lobis 2-3-fidis pinnatifidisve, rarius indivisis, oblongis, lanceolatis linearibusve, divaricatis.

H. ceratophylla **R.Br. prodr. pag. 384.**

In solo turfoso-arenoso ad litus portus Princess Royal Harbour et in districtu Nelson, d. 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 580, (fl. et fr.) et in asperis ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, m. Jan. 1841. No. 581, sine fr.

β subintegrifolia. foliis omnibus lineari-lanceolatis, attenuato-acutis integerrimis et passim apice 2-3-dentatis v. 2-3-fidis.

In arenosis porrectis sylvae districtus Nelson, d. 26. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 579, sine fr.

γ tricuspis. foliis omnibus lanceolatis, deorsum longe attenuatis, apice rotundato exciso v. subtruncato breviter 2-3-dentatis v. 2-3-mucronatis, caeterum integerrimis.

In region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840 steril. Herb. Preiss. No. 588.

„Frutex 2½-5-pedalis, strictus", valde diversifolius, sed var. β, egregie heterophylla, foliis hinc in γ inde in α (cui floribus omnino convenit!) per gradus insensibiles transiens, ad amussim demonstrat, varietates hasce ad unam eandemque speciem pertinere. *Folia varietatis* α (quam et vivam jam in hortis habemus) 1-3-pollicaria, circumscriptione plerumque obovata, triloba v. rarius pinnatifida, lobis iterum 2-3-fidis v. irregulariter pinnatim lobatis dentatisve, nunc subaequalibus 1-1½-pollicaribus, 1½-4 lin. latis, nunc valde inaequalibus angustisque (1 lin. latis) intermedio saepe lateralibus plus duplo longiore, 2-3-pollicari, lobis dentibusque obtusis acutisve mucronulo sphacelato innocuo terminatis; *folia varietatis* β 2-4-pollicaria, 2-3 lin. lata, apice attenuata et subpungenti-mucronata, aut paulo dilatata et in dentes v. lobos breves fissa, lobis subdivaricatis; *varietatis* γ 2-5-pollicaria, 3-7 lin. lata, apice vix attenuato exciso-bidentata, dentibus circ. lineam longis subconvergentibus muticis obtusiusculis mucronulum acutiusculum fuscum e sinu prominulum plus minus superantibus, interdum brevissimis. *Fasciculi* multiflori, pedicellis 1-2 lin. longis squamisque involucri parvulis caducis ferrugineo-sericeis. *Calyx H. Brownii,* paululum brevior et gracilior. *Glandula* hypogyna antica magna. *Pistillum* subsessile, glaberrimum 4-5 lin. longum, stylo diu persistente, stigmate cernuo suborbiculari e medio brevissime conico-umbonato. *Capsulae* aggregatae, pollicares, utrinque attenuatae, breve acuminatae, subteretes, fere rectae, minute denseque rugosulae, fusco-olivaceae. *Semina* nucleus obovatus, margine utroque basique apterus, hinc convexus rugosus, ala terminali oblonga obtusa fere dimidio brevior.

§. 4. Folia omnia plana, integerrima.

31. **Hakea crassifolia** *Meisn.* foliis verticalibus, breve petiolatis, ovalibus oblongisque, sphacelato-mucronulatis, inaequilateris, immerse plurinerviis; crassis, laevibus, glabris, novellis ramulisque tomentosis; fasciculis axillaribus sessilibus, calyce sericeo pedicello sublongiore stylo parum superato, glandula hypogyna antica magna; pistillo subsessili glabro, stigmate nutante obliquo depresso antice brevissime umbonato.

In saxosis ad latera collium Konkoberup promontorii Cape-Riche, d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 550.

„Frutex 10-pedalis": *Rami* subvirgati, teretes, inferne cano-apice cum foliis novellis ferrugineo-tomentosis, internodiis ½-1 poll. longis. *Folia* patula, crasse coriacea, late viridia, subnitida, (nec petioli torsione)

verticalia (faciebus latera spectantibus) 1-2-pollicaria, 6-10 lin. lata, in petiolum 1-2 lin. longum compressum plus minus attenuata, margine superiore magis arcuato, acumine brevissimo adscendenti-incurvo obtusiusculo nigro, nervis 5 subparallelis, immersis, obsoletis, marginibus laevissimis. *Involucri* squamae minutae, tomentosae, fugaces. *Calyx* 5 lin. longus, gracilis, albus? cum pedicello paulo breviore pube adpressa ferruginea subsericeus, limbo ovato obtuso (nec acuminato). *Glandula* hypogyna magna, lineam longa, antica, calycis fundo adnata, concava obtusa. *Pistillum* 7 lin. longum, glaberrimum, ovario oblongo basi attenuato, stylo filiformi subtereti apice antrorsum recurvo, stigmate oblique terminali orbiculari subtruncato marginato medio subconvexo et obsolete umbonato. *Capsulam* non vidi. *Semina* (sub No. 550 adjecta, — an vere hujus stirpis?) nigra, ovalia, pollicem longa, 7 lin. lata, nucleo obovato hinc vix convexo dense echinulato, margine basique ala 1-2 lin. lata pellucida praedito, ala terminali ipso breviore. — Proxima *H. lasianthae* R.Br., sed foliis verticalibus, floribus sericeis nec lanatis, glandula hypogyna magna, caet. bene distincta.

32. **Hakea lasiantha** *R.Br.* ramulis villosiusculo-tomentosis, foliis petioli brevissimi torsione verticalibus, ovalibus lanceolatisque mucronulo obtusiusculo recto sphacelato terminatis, immerse triplinerviis, submarginatis, junioribus adpresse pilosiusculis; fasciculis axillaribus subsessilibus, pedicellis flore brevioribus; pistillo substipitato, glabro, calycem dense patenti-villosum subaequante, stigmate laterali ovali plano antice umbonato; capsula lanceolata, ecalcarata, subcompressa. — R.Br. suppl. pag. 29.

Inter frutices densos sylvae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 573, cum fruct. jun. et in region. interior. Australiae merid.-occid. No. 570. (Swan-River, 1827, Fraser, fide A. Cunningham! in Hb. DC.)

„Frutex 7-pedalis". *Rami* elongati, graciles, recti, teretes, sparse ramosi, inferne demum glabrescentes, tomento juniore ferrugineo, vetusto sordide cinereo. *Folia* viridia, patula v. semierecta, 1-2-pollicaria, 3-7 lin. lata, utrinque aequaliter attenuata, omnia lanceolata acuta, aut passim (praecipue in ramulis novellis) ovalia obtusa, margine nerviformi saepius obsoletissimo, apiculo sphacelato nigro brevissimo obtusiusculo, nervis quamvis immersis tamen semper plus minus conspicuis, petiolo 1-1½ lin. longo torto. *Fasciculi* 3-6-flori, pedicellis ferrugineis, 2 lin. longis, pilosiusculis, involucri ovati squamis obtusissimis fuscis glabriusculis minute ciliatis. *Calyx* 4 lin. longus, gracilis, pilis patentissimis brevibus flavidis dense hirsutus, infra limbum diu clausum obtusissimum vix incurvum haud constrictus demum 4-partitus. *Glandula* hypogyna antica parvula, depressa. *Pistillum* calyce subbrevius, ovario attenuato-substipitato, stigmate semilineam longo, mucronulo centrali brevissimo acuto. *Capsula* (submatura?) 6-7 lin. longa, utrinque attenuata, fusca, laeviuscula, opaca.

33. **Hakea oleifolia** *R.Br.* foliis horizontalibus, lanceolatis v. lineari-lanceolatis, pungenti-mucronatis, attenuato subpetiolatis, immerse uninerviis penniveniis, submarginatis, junioribus ramulisque sericeo-puberulis; fasciculis axillaribus terminalibusque, involucri squamis tomentosis; capsula ovata, subgibba, subtuberculoso-rugosa, apice subcompresso divaricato-bicalcarata, seminis nucleo hinc convexo rugoso, uno margine semialato, quam ala terminalis latiuscula subbreviore.

In rupibus calcareis montis Baldhead, Sinus Regis Georgii III. Herb. Preiss. No.. 555 et in solo sublimoso-glareoso sylvae ad flum. Kalgan, Plantagenet. No. 554. m. Oct. et Nov. 1840, alibique, (loco proprio haud memorato,) No. 556 fructif. (Sinus Regis Georgii, 1818. A. Cunningh., in Hb. DC.)

„Frutex 10-pedalis“ (No. 555 et 556.) v. „arbuscula circ. 25 ped.“ (No. 554.) — Praecedenti similis, sed foliorum nervatione, tomento adpresso sericeo, et capsulis facile distinguenda. *Folia* ½-3-pollicaria, 3-5 lin. lata, basi haud torta, mucrone tenui, brevi, acuto, pallido. *Flores* ignoti. Gemmae sessiles, aut vere axillares aut ramulos terminantes, ovatae, ferrugineo-tomentosae. *Capsulae* saepe fasciculatae, 10-12 lin. longae, flavescentes subnitidae, inaequaliter rugosae et plus minus tuberculis obtusis apice nigris verrucosae, calcaribus fere horizontaliter patentibus 1-1½ lin. longis rectis.

34. **Hakea falcata** *R.Br.* „foliis integerrimis, linearibus, subfalcatis, trinervibus, aveniis, apiculo acuto sphacelato; capsulis subovatis, acuminatis, ecalcaratis“. — R.Br. suppl. pag. 29.

β? **subuninervis.** ramulis puberulis, foliis elongatis, anguste linearibus, glabris, uninerviis v. subenerviis, subtus convexis, supra subconcavis margineque subincrassatis; fasciculis axillaribus sessilibus paucifloris, pedicellis florem subaequantibus; pistillo subsessili, glabro, calycem dense villosiusculum aequante, stigmate sublaterali ovali umbonato.

In solo sublimoso inter frutices planitiei ad flum. Canning, d. 15. Jan. 1841. Herb. Preiss. No. 603. (Drummond n. 605.)

Ramt graciles, sparse ramulosi, teretes, inferne glabri, fusci, epidermide cinerea decidua, apice pube minuta canescentes. *Folia suberecta*, torsione verticalia, 1½-5-pollicaria, ⅔-1½ lin. lata, crassiuscula, pallida, opaca, avenia, novella puberula, nervo medio subtus obtusissime prominulo, supra saepius inconspicuo, lateralibus nullis aut cum margine plerumque paulo incrassato confluentibus, mucronulo terminali brevi nigro vix pungente. *Involucrum* nigricans, glabrum. *Fasciculi* 4-8-flori, pedicelli albo-pilosiusculi, 2 lin. longi. *Calyx* paululum longior, „sulphureus“, pube brevi patula dense tectus, 4-sepalus, sepalis spathulatis acutis. *Pistillum H. lasianthae*, sed minus, calycem haud superans. *Capsulam* non vidimus. — Stirps nostra a Browniana (nobis haud visa) cujus flores ignoti, forsan specifice distincta; accedit quoque ad *H. stenophyllam* R.Br., quae tamen patria (ora septentrionali-occidentali) et foliis enervibus abhorret.

35. **Hakea Leucadendron** *Meisn.* ramis apice puberulis, foliis sessilibus, lanceolatis subimmerse plurinerviis, glabris, apiculo brevi sphacelato; fasciculis axillaribus multifloris, pedicellis flore parvulo longioribus; pistillo sessili, glabro, calycem tomentosum aequante, stigmate obliquo ovali umbonato; capsula ventricoso-globosa, ecalcarata, laeviuscula, apiculo brevi adscendente; semine ala circulari cincto, nucleo obovato hinc parum convexo rugoso.

In limoso-lapidosis vallis prope cataractam ad caput flum. Cygnorum, d. 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 578 flor. In planitie arenosa Quangen, Victoria, prope praedium rusticum rev. Wittenoom, York, et in glareosis montis Greenmountain, m. Mart. et Apr. 1840 et 1841. No. 568 et 572. fruct, (Drummond n. 603 flor.)

„Frutex 1-3-pedalis“. *Ramt* apice cano-tomentosi. *Folia* 1-3-pollicaria, 2-5 lin. lata, viridia v. subglauca, interdum torta, utrinque aequali-

ter attenuata, basi latiuscula deorsum plus minus incrassato-producta, nervis 3 (raro 5) immersis v. subprominulis, nonnunquam obsoletissimis. *Involucrum* praecedentis. *Pedicelli* 1½-3 lin. longi calycesque lineam longi, 4-sepali, dense albido-pilosiusculi. *Pistillum* praecedentis. *Capsula* crassa, vix pollicaris, basi brevissime contracto-attenuata, carnea, nitidula, fusco-maculata et minute punctata, attamen fere laevis, apiculo acuto, semilineam longo, pedicello mediocri lineam crasso. *Semen* orbiculare, nucleo nigro, obovato basi attenuato, hinc grosse rugoso et tuberculato, ala tenerrima fusco-cinerea, undique subaequalis 2-2½ lin. lata. — Omnia fere *H. incrassatae* R.Br. suppl. pag. 29, quae tamen fide specim. Gaudichaudiani! in Herb. DC., et Hook. ic. t. 442. differt capsulis majoribus, pedicello valde incrassato et praecipue semine obovato, nucleo hinc subaptero.

36. **Hakea cyclocarpa** *Lindl.* ramis glaberrimis, apice angulatis, foliis oblongis v. spathulato-oblongis *) attenuato-subpetiolatis immerse plurinerviis, glabris, apice sphacelato obtusiusculo; fasciculis axillaribus sessilibus, multifloris, pedicellis calyci subaequalibus; pistillo sessili, glabro, calycem sericeum superante, stigmate obliquo rotundo umbonato; capsula plano-compressa, oblonga, in annulum curvata, minute rugulosa et punctata, calcaribus brevissimis rotundatis compressis, semine semilunari, nucleo obovato marginibus aptero hinc rugoso, quam ala terminalis obtusa lata breviore. — Lindley Swan-River pag. XXXVI. n. 176.

In solo limoso-calculoso prope Halfwayhouse, jugi montium Darling's-range, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 576, fl. et fr. (Drummond n. 609 et coll. I.)

„Frutex 5-pedalis, gracilis". *Rami* subsimplices, sanguinei, inferne teretes laeves, tenuissime striati, apice angulati, saepe acute compresso-triquetri. *Folia* semierecta, horizontalia v. basi torta, 3-7-pollicaria, 9-24 lin. lata, plus minus glauca, nervis 3-5 immersis v. paululum prominulis divergentibus apice evanescentibus, venis intercostalibus laxis plerumque obsoletis, petiolo praecedentis. *Calyx* 4-5 lin. longus, basi obliquus, adpresse albido-v. flavescenti-sericeus, limbo diu clauso, valde recurvo, subgloboso. *Glandula* hypogyna antica majuscula, obtusa. *Pistillum* 6-7 lin. longum. *Stigma* parvum, fere terminale, rotundum, umbone brevi acutiusculo. *Capsula* in orbem diametro 15 lin. curvata, apice basi contiguo, valvis plano-compressis, crassis, 8 lin. latis, extus sordide flavis dense minuteque rugulosis punctisque poriformibus conspersis apice hinc calcaris loco in processum brevem latum compressum rotundatum exeuntibus.

37. **Hakea eucalyptoides** *Meisn.* ramis glabris, foliis lingulatis, in petiolum teretiusculum longe attenuatis, triquintuplinerviis, laevibus, glabris, apice sphacelato obtusiusculo subrecurvo, fasciculis axillaribus sessilibus; capsulis aggregatis, breve crasseque pedicellatis, ovatis, crassis, ecalcaratis, ventre acute carinatis, apice compresso obtusis, laeviusculis; seminis nucleo undique alato, oblongo, hinc parum convexo laeviusculo, alam terminalem subaequante.

Inter frutices densos in glareosis sterilibus ad radices collium Konkoberup promont. Cape-Riche, d. 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 565.

*) Fide cl. Lindley subinde lobatis, qualia nunquam vidimus.

„Frutex 10-pedalis“. *Ramuli* graciles subsimplices, apice sanguinei subangulati. *Folia* 5-6-pollicaria, 5-8 lin. lata, praecedentibus tenuiora, plus minus falcata, nervis 3 v. rarius 5 subparallelis ad apicem usque excurrentibus utrinque prominulis (lateralibus e mediano plus minus a basi remote ortis) venis paucis obsoletissimis v. prorsus invisibilibus, margine plus minus nerviformi, petioli basi paulo dilatata et deorsum in processum triangularem brevem subconvexum producta. *Flores* haud suppetunt. *Capsulae* 5-7 fasciculatae (rarius abortu solitariae) pollicem longae lataeque (diametro verticali paulo minore) margine ventrali valde arcuato, in carinam acutam lineam latam integram producto, cortice cinereo laevi subnitido punctis maculisque poriformibus consperso, pedicello crassiusculo, 2-3 lin. longo. *Semen* nigrum, nucleo obovato-oblongo parce verruculoso valde complanato, hinc et basi obliqua anguste inde late alato, quam ala terminalis sursum attenuata obtusa vix diaphana parum breviore. — Species foliis accedens ad *H. tricostatam* Hook. ic. t. 435, sed jam capsulis distinctissima.

38. **Hakea loranthifolia** *Meisn.* glaberrima, foliis elliptico-oblongis lanceolatisque, attenuato-subpetiolatis, obsolete trinerviis aveniis, margine scabriusculis, acumine brevi apice sphacelato subpungente; fasciculis axillaribus subsessilibus, dense multifloris, pedicellis calycem stylo vix superatum parvum subaequantibus, stigmate terminali conico; capsula subsessili, ventricoso-ovata, acuta, ecalcarata, nitida, laeviuscula; seminis nucleo uno margine alato, hinc convexo verruculoso, alam terminalem obtusiusculam subaequante.

In lapidosis sylvae haud longe ab oppido York, d. 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 567. (Drummond n. 606.)

„Frutex 6-pedalis“, conferte ramosus et foliosus, *ramulis* teretibus sanguineis saepe subverticillatis, semipatentibus. *Folia* horizontalia, v. basi torta, verticalia, sparsa (ordine spir. $^2/_5$) patentia, rigide coriacea, plana, viridia v. glauca, $1^1/_2$-2-pollicaria, 5-10 lin. lata, acumine 1-2 lin. longo (interdum toto sphacelato mucroniformi) recto, nervis immersis (subinde obsoletissimis) venis plerumque invisibilibus. *Involucrum* fugacissimum non vidimus. „*Flores* albi“, in receptaculo axillari conico minuto pubescente dense fasciculati. *Calyx* lineam longus. *Pistillum* sessile, glabrum, calycem subaequans, stigmate parvulo conico-capitato. *Capsulae* 8 lin. longae, subacuminato-acutiusculae, basi rotundatae, flavo-cinereae, obsolete rugosae et parce verrucosae, plus minus deflexae. *Semen* nigrum, ala marginali lineam lata, altero margine basique apteris. — A *H. laurina*, cui affinis videtur, differt foliorum forma et nervatione.

39. **Hakea corymbosa** *R.Br.* ramulis involucrisque incano-tomentosis, foliis lanceolato-linearibus, inferne attenuatis, pungenti-mucronatis, uninerviis, marginatis, aveniis laevibus, glabris, subtus carinatis, „floribus glabris, stigmate subcylindraceo“; capsulis ovatis, ventricosis, ecalcaratis, laevibus, acumine conico recto. — R.Br. suppl. pag. 28.

Inter frutices in glareosis sterilibus promontorii Cape-Riche, d. 20. Nov. Herb. Preiss. No. 566, frut. et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. No. 571 steril.

„Frutex bipedalis“. *Rami* inferne sparse, apice dense corymboso-v. umbellato-ramulosi. *Folia* suberecta, rigidissima, 1-3-pollicaria, $1^1/_2$-$2^1/_2$ lin. lata, deorsum valde angustata, attamen sessilia, haud torta, supra leviter canaliculata, subtus nervo valde prominulo carinata, rarius plana,

margine nerviformi paulo incrassato, venis paucis interdum conspicuis. *Flores* non vidimus. *Capsulae* in axillis subsessiles, solitariae, 10 lin. longae, cinereae, opacae, verruculis paucissimis conspersae v. fere laeves, margine superiore fere rectilineo, acumine 2 lin. longo obtusiusculo haud compresso *).

40. **Hakea stenocarpa** *R.Br.* glabra, ramulis apice angulatis; foliis sessilibus linearibus v. lanceolato-linearibus, planis, sphacelato-mucronatis, uninerviis, venosis margine nerviformi punctato-scabriusculis; corymbis axillaribus sessilibus, fasciculiformibus; rhachi brevissima pubescente; stylo calycem pedicello longiorem vix superante, stigmate terminali conico; capsula lineari-lanceolata, subfalcata, rostrato-acuminata, ecalcarata. — R.Br. suppl. pag. 29. Hooker ic. t. 444!

In confragosis jugi montium Darling's-range et in planitie arenosa Quangen, Victoria, alibique in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Mart. et Apr. Herb. Preiss. No. 574 et 575. (Drummond coll. I.)

„Frutex pygmaeus, bipedalis". Omnes partes, excepta corymborum rhachi (1-1½ lin. longa, conica) glaberrimae. *Ramuli* graciles, sanguinei. *Folia* plus minus glaucescentia. *Calyx* 2 lin. longus. *Stigma* obtusiusculum, basi incrassatum, ⅓ lin longum. *Capsulam* non vidimus.

41. **Hakea marginata** *R.Br.* ramulis puberulis, foliis sessilibus, lanceolatis, planis, pungenti-mucronatis, uninerviis, obsolete venosis v. aveniis, margine nerviformi laevibus, glabris, junioribus subtus parce adpresseque pilosiusculis; fasciculis axillaribus sessilibus, pedicellis calycem glabrum stylo superatum subaequantibus, stigmate terminali conico; capsulis subsessilibus, lanceolatis, acuminatis, ecalcaratis, nitidis, sublaevibus. — R.Br. prodr. pag. 385.

In solo calcareo planitiei districtus Murray, m. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 562, steril. et inter frutices in glareosis sterilibus promontorii Cape-Riche, d. 20. Nov. 1840. No. 563 fr. (Drummond n. 604.)

Praecedenti proxime affinis, flores penitus iidem, stylo tantum paulo longiore. „Frutex 7-pedalis". *Folia* patentia, pollicem haud superanda, 2-3 lin. lata. *Capsula* flava maculis verruculisve paucis, nigris obsita, 7-8 lin. longa, recta, acumine brevi.

42. **Hakea costata** *Meisn.* foliis sessilibus, linearibus lanceolatisve, brevibus, pungenti-mucronatis, uninerviis, margine subnerviformi scabriusculis, junioribus ramulisque villosis; fasciculis axillaribus sessilibus, pedicellis calyce glabro stylo superato brevioribus; stigmate terminali, conico; capsulis subsessilibus, ventricoso-ovatis, acutis, turgidis, ecal-

*) **Hakea ulicina** R.Br. ramulis apice puberulis, foliis linearibus, pungenti-mucronatis, trinerviis, aveniis, planis, marginatis, laevibus, fasciculisque axillaribus glabris, pedicellis calyce parvo stylo parum superato brevioribus, stigmate terminali conico; „capsulis erectis, ovatis, acutis, ecalcaratis". — R.Br. suppl. pag. 29. — Circa *Port Philipp* legit cl. Latrobe. (Herb. Shuttleworth!) — *Folia* 1½-2pollicaria, lineam lata. *Flores* glabri, sepalis vix 1½ lin. longis, subfiliformibus, stylo capillari 2-3 lin. longo. *Capsulam* non vidi.

caratis, laeviusculis; seminis nucleo undique alato, hinc valde convexo rugoso, quam ala terminalis acuta longiore.

α **linearis.** foliis linearibus, utrinque aequaliter attenuatis (½–⅔ lin. latis, 3–6 lin. longis) summis fere subulatis, inferioribus lanceolatis, subtus quasi bisulcatis (costa media crassiuscula prominula marginibusque subincrassatis v. subrecurvis).

β **lanceolata.** foliis lanceolatis v. subspathulatis (1½–2 lin. latis, 4–8 lin. longis) obsolete venosis, costa tenuiore, margine subnerviformi.

In planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 20. Mart. 1840 utramque formam. Herb. Preiss. α No. 533 fruct. et β No. 532, steril. (Drummond coll. I. var. α. Herb. DC.! fl. et fr.)

„Frutex 1½-2-pedalis". *Ramuli* tomento albido molli (in var. β parciore) cano-subvelutini, foliis confertis semierectis (junioribus subimbricatis) fere absconditi. *Folia* crassiuscula, laete viridia, margine punctato-scabriuscula, mox glabra, juniora praecipue in var. β pilis tenerrimis longiusculis patulis parce vestita. *Involucrum* subglobosum parvulum, villosum, squamis subrotundis acutis v. submucronatis. *Flores* praecedentis. *Capsula* subgloboso-ovata, 4 lin. longa lataque, fusca, subnitida, margine superiore fere recto. *Semina* nucleus obovatus, niger, valde convexus et obtuse rugoso-tuberculatus, ala fusco-cinerea hinc paulo angustiore.

43. **Hakea ruscifolia** *Labill.* ramulis hirsutis, foliis sessilibus v. petiolatis, oblongis ellipticis obovatisve, pungenti-mucronatis, uninerviis, aveniis, supra margineque punctato-scabriusculis, glabris v. junioribus pubescentibus; fasciculis axillaribus ramulosque breves terminantibus sessilibus, folium subsuperantibus, involucro oblongo sericeo, pedicellis flore glabro longioribus; pistillo calycem subaequante stigmate terminali depresso-conico; capsula pedicellata, oblonga, ecalcarata, compressa, opaca, granulato-puncticulata; seminis nucleo parum convexo, sulcato-rugoso, margine basique angustissime alato, alam terminalem obtusam aequante. — Labill. Nov. Holl. 1. pag. 30. t. 39. R.Br. prodr. pag. 385.

In arenosis inter frutices densos, in planitie ad Caput flum. Cygnorum, d. 18. Jan. Herb. Preiss. No. 611 flor. Prope Freemantle, m. Dec. No. 612; ad radices meridionales montis Wuljenup, m. Oct. No. 613, fruct. alibique in districtu Plantagenet, m. Dec. No. 614 et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. No. 615 et 616. (Sinus Regis Georgii, 1818, A. Cunningham! in Hb. DC., Drummond, coll. I.)

„Frutex 2-8-pedalis". *Rami* densissime foliosi, pube brevi densa villosiusculi pilisque longis patentissimis mollibus interspersis plus minus hirsuti. *Folia* plana, horizontalia, crassiuscula, viridia v. subtus glaucescentia; rami primarii sessilia, oblonga, usque ad 1½ poll. longa, 3-4 lin. lata; ramulorum dimidio minora, plerumque attenuato-petiolata (petiolo subtereti 1-3 lin. longo) elliptica, v. obovato-oblonga, v. obovata, mucrone 1-2 lin. longo, recto acutissimo fusco; nunc omnino glabra, nunc subtus subtomentosa, nunc utrinque parce adpresseque puberula, juniora saepius pilis patentissimis (iisdem ac caulinis) obsita. *Gemmae* ramulorum conico-oblongae, squamis obtusis imbricatis, croceo-sericeis, demum glabrescentibus. *Flores* inter summa ramulorum folia erecta dense fasciculati et semiabsconditi, glabri,

albi? v. carnei?, pedicellis 3-4 lin. longis, filiformibus. *Calyx* 2 lin. longus. *Stigma* parvum, conico-subcapitatum. *Capsula* 10 lin. longa, 4 lin. lata, obtusa, basi breve attenuato-stipitata, fere recta, nigricans. *Semen* nigrum, ala sordide fusco-cinerea.

44. **Hakea myrtoides** *Meisn.* ramulis apice puberulis, foliis sessilibus, patulis, ovalibus suborbicularibusve, pungenti-mucronatis, uninerviis, venosis, marginatis, laevibus, glabris; fasciculis axillaribus sessilibus, pedicellis calyce glabro stylo longe superato brevioribus, stigmate terminali subcylindraceo; capsula parva ovata, turgida, ecalcarata, laeviuscula, acumine brevissimo adscendente; seminis nucleo anguste alato-marginato, ala terminali brevissima.

In limoso-arenosis ad flum. Cygnorum, prope villam Cl. Mitchell, d. 28. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 534. (Drummond n. 606.)

„Frutex adscendens". *Rami* graciles, nunc longe simplices, nunc corymboso-ramulosi, apice pube minuta subsericeo-canescentes, epidermide albida mox secedente, corticem sanguineum tenuiter sulcatum denudante. *Folia* sparsa (ordine spir. $^3/_8$) nonnunquam ternatim approximato-subverticillata, saepius patentissima, horizontalia, 4-8 lin. longa, 3-4 lin. lata, viridia v. vix glaucescentia, nitida, mucrone $^2/_3$ lin. longo recto fusco, margine nerviformi laevi, nervo medio venisque pinnatis subreticulatis utrinque prominulis. *Flores* undique glaberrimi, „miniati, antheris flavis" (sicci nigricantes) pedicellis 1-2 lin. longis, calyce 3 lin. longo, limbo ovali obtuso incurvo, sepalis mox liberis. *Glandula* hypogyna antica, semiannularis, minuta. *Pistillum* 5 lin. longum, sessile, stylo filiformi tenui, demum subrecto, stigmate $^1/_2$ lin. longo basi paululum incrassato. *Capsula* 4-5 lin. longa, teres, cinereo-fusca, subnitida, parietibus utrinque subaequalibus $^3/_4$ lin. crassis. *Seminis* nucleus oblongus, hinc valde convexus rugulosus, alis marginalibus $^1/_2$ lin. latis, terminali lineam longa.

45. **Hakea petiolaris** *Meisn.* foliis petiolatis, ellipticis, acuminatis, apice sphacelato obtusiusculis, triplinerviis, marginatis, venosis, ramulisque apice subsericeo-puberulis, demum glabris; corymbis axillaribus capituliformibus, subsessilibus, densissime multifloris, rhachi brevi velutina, involucro glaberrimo, pedicellis calyce glabro stylo superato sublongioribus, stigmate terminali subcylindraceo, capsula oblonga, ecalcarata, subacuminata, nitida subrugosa; seminis nucleo circumcirca alato, anguste oblongo, quam ala terminalis acuta paulo breviore, hinc parum convexo laevi.

In rupestribus ad latus septentrionali-occidentale montis Currie, York, d. 15. Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 557, fl. et fr.

„Frutex 6-pedalis". *Rami* graciles, pauciramosi, subsanguineo-fusci, apice incani, internodiis $^1/_2$-1 poll. longis. *Folia* sparsa (ordine spir. $^2/_5$) patentia, cum petiolo 4-5 lin. longo semitereti 2-3-pollicaria, 10-14 lin. lata, utrinque aequaliter attenuata, acumine 2-3 lin. longo apice sphacelato obtusiusculo terminata, rigide coriacea (tamen non crassa) glauca, pilis brevibus adpressis subtus longius persistentibus conspersa, nervis tribus (rarius 5) prope basin ortis ad apicem usque excurrentibus (lateralibus arcuatis) venisque acutangulis laxe reticulatis utrinque prominulis, margine nerviformi. *Gemmae* axillares, pedunculo 1-2 lin. longo puberulo suffultae, ovatae, obtusae, glaberrimae, squamis cinnamomeis rotundatis arcte imbricatis. *Capitula* evoluta globosa, nucis *Juglandis* mole, receptaculo oblongo obtuso (2 lin. longo) dense villosulo, pedicellis capillaribus. *Calyx* 2-3 lin.

longus, ruber?, limbo oblongo incurvo. *Pistillum* sessile, glabrum, 5 lin. longum, stigmate stylo parum crassiore sursum subattenuato fere lineam longo. *Capsula* 15 lin. longa, fere recta, apicem versus supra paulo gibba, olivaceo-fusca, nitida, rugosa, pariete altera crassiore. *Semen* nigrum, nucleo alisque marginalibus lineam latis. — Affinis videtur *H. laurinae*, quae (ex diagnosi) foliorum forma et nervatione differt.

46. **Hakea crassinervia** *Meisn.* foliis ovato-orbicularibus, utrinque breviter acuminatis, apice sphacelato acutiusculis, marginatis, uninerviis, penniveniis, dense reticulatis, junioribus ramulisque subsericeo-puberulis.

Inter fragmenta rupium in summitate montis Hardy prope praedium rusticum cl. Whitfield et ad fontem Bonan's-well, d. 16. Mart. 1840, steril. Herb. Preiss. No. 559.

„Frutex 8-pedalis", praecedenti quidem similis, sed distinctus foliis suborbicularibus 1½ poll. longis latisque (rarius late ovatis 2½ poll. longis, aut ovalibus) et praecipue nunquam triplinerviis, sed conferte penniveniis, venularumque reticulo arctiore magisque prominulo.

LAMBERTIA Smith. Endl. gen. n. 2145. Meisn. gen. pag. 332. (245.)

1. **Lambertia uniflora** *R.Br.* foliis ternis, petiolatis, ovalibus obovatisque, mucronatis, reticulatis, scabriusculis, glabris, novellis ramulisque pubescentibus; involucri uniflori squamis anguste linearibus acutis calyceque glabris; folliculo laevi, hinc cuspidato, inde ecorni. — R.Br. prodr. pag. 386.

Inter frutices densos in confragosis sylvae ad latus meridionale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 762.

„Frutex 8-10-pedalis, gracilis". *Folia* cum petiolo 1-2 lin. longo, 6-14 lin. longa, 3-6 lin. lata, plana v. margine leviter undulata, laete viridia, puncticulis sparsis (margine praecipue) scabriuscula. *Flores* axillares v. ramulos breves terminantes; involucri squamae stramineae glabrae, interiores anguste lineares, 3-5 lin. longae, acutae, exteriores sensim breviores obtusiusculae. *Calyx L. formosae*, sed undique glaber, „coccineus". *Pistillum* 16 lin. longum, calyce vix ⅓ longius; stigma 1 lin. longum, stylo vix crassius, continuum, basi aequale (nec subnodosum). *Folliculus* sessilis, laevis, quam *L. formosae* fere dimidio minor, cornu fere 2 lin. longo, altero angulo rotundato.

2. **Lambertia inermis** *R.Br.* foliis ternis, sessilibus, obovato-v. spathulato-lanceolatis linearibusque, obtusis, muticis, laevibus, aveniis, margine recurvis, supra glabris, subtus ramulisque tomentosis; involucri 7-flori squamis interioribus lanceolatis calyceque dimidio longiore glabris; stylo longissime exserto, glabro; folliculo laevi hinc cornuto, inde rotundato. — R.Br. prodr. pag. 387.

In planitie arenosa prima cis flum. Gordon, Hay. Herb. Preiss. No. 763 et in confragosis clivium inter montem Manypeak et Cape-Riche, m. Nov. 1840. No. 764. (Lucky Bay, R.Br.! in Hb. DC. Drummond n. 594.)

„Frutex 6-8-pedalis". *Folia* 6-8 lin. longa, basi attenuata, nunc obovata 3 lin. lata (No. 764), nunc spathulato-linearia 1½-2 lin. lata (No. 763), pagina inferioris tomento nunc cano opaco, nunc (in specim. Brown.) ferrugineo sericeo. *Flores* ramulos terminantes, viscidi, nunc „coccinei" nunc (in No. 763 ex parte) „sulphurei"; involucri squamae interiores 8-9 lin. longae, 1-2 lin. latae, obtusae v. acutiusculae, apice subciliatae, mox glabrae. *Calyx* 16 lin. longus, profundius (saepe ad medium fere usque) divisus, laciniis apice extus parcissime pilosis. *Stylus* 18-20 lin. longus, in stigma 2 lin. longum acutum ipso vix crassius sensim transiens. *Folliculus* praecedentis. Ad formam nostram angustifoliam (Preiss. No. 763 et specim. Brown.! in Hb. DC.) referendam esse suspicamur *L. ericifolia* R.Br. suppl. pag. 30 quae, ex diagnosi saltem, vix distincta videtur. Specimina Drummondiana hanc formam inter et obovatam exacte medium tenent. Specimina floviflora excepto floris colore a rubris nequaquam diversa.

3. **Lambertia multiflora** *Lindl.* ramulis angulatis, apice puberulis; foliis ternis, sessilibus, linearibus, mucronulatis, transverse venosis, glaberrimis, margine plano laevibus; involucris 13-v. 19-floris, squamis interioribus calyce dimidio brevioribus linearibus apice puberulis; calyce stylo piloso ⅓ breviore, lobis apice pilosiusculis; stigmate basi subnoduloso; folliculo laevi, hinc breviter cuspidato, inde longe bicorni. — Lindley Swan-River pag. XXXII. n. 154.

In solo limoso-lapideso ad radices montium prope cataractam ad Caput flum. Cygnorum, d. 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 766 bis. (Drummond n. 595 et coll. I.)

„Frutex 3-4-pedalis". *Folia* viridia, 1-2-pollicaria, 1½-2 lin. lata, basi nunc attenuata nunc rotundata v. suprema saepius paulo dilatata, mucronulo recto brevi saepe obsoleto, margine interdum leviasime recurvo, venis transversis subimmersis plerumque nonnisi supra conspicuis. *Involucra* ramulos terminantia, squamis cinnamomeis tenuiter striatis vix lineam latis, floribus 13 v. 19, rarissime 7. *Calyx* praecedentis (aurantius, fide Lindl.) tubo glabro aut parce puberulo. *Stylus* tenuissime pilosus; stigma *L. formosae*, sed paulo brevius. *Capsulae* acumen conicum obtusiusculum, lineam longum, cornubus triplo longioribus rectis compressis vix divergentibus.

4. **Lambertia echinata** *R.Br.* ramis pubescentibus, foliis ternis, subsessilibus, obovato-oblongis, cuneatis, reticulatis, glabris, apice 3-5-dentatis, dentibus mucronato-pungentibus; involucri 7-flori squamis glabris, interioribus calycis glabri vix apice puberuli dimidium superantibus; stylo superne glabro, inferne piloso, stigmate tenui aequali; folliculo echinato, hinc rostrato, inde bicorni. — R.Br. prodr. pag. 387, suppl. pag. 31.

In asperis inter frutices planitiei prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 761.

„Frutex 7-pedalis". *Folia* laete viridia, 6-9 lin. longa, inferne cuneato-angustata, 1-2 lin. lata, integerrima, saepius in petiolum ½-1 lin. longum contracta, apice dilatato 3-4 lin. lato trilobo, lobis 1-2 lin. longis latisque spinescenti-mucronatis, lateralibus (rarius omnibus) integris, terminali latiore trimucronato v. brevissime 3-dentato. *Involucra* ramulos terminantia, squamis praecedentis, sed glaberrimis et tenuius striatis. *Calyx* aureus, 12-14 lin. longus, stylo fere dimidio brevior. *Stylt* pars inclusa parce pilosa, exserta superne glabra stigmate continuo (basi haud noduloso) non tenuior.

Folliculus L. formosae, paulo tantum minor, undique v. solummodo secus margines echinatus, spinulis saepe lineam longis.

5. **Lambertia ilicifolia** *Hook.* ramulis puberulis, foliis quaternis ternisque, subsessilibus ovatis v. cuneato-obovatis, superne spinoso-paucidentatis passimque integris, reticulatis, glabris; fasciculis axillaribus, sessilibus, 7-floris, folium vix superantibus; calycis tubo involucro aequali, lobis apice styloque pilosis; stigmate tenui, continuo, glabro. — Hooker ic. t. 553.

In regionibus interioribus Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840, specim. manca. Herb. Preiss. No. 766.

Ramuli quaternatim et ternatim verticillati. *Folia* (glauca?) rami primarii quaternatim, ramulorum ternatim verticillata, in nostra stirpe semper ovata, 3-6 lin. longa, 3-4 lin. lata, basi rotundata v. subcuneata, integerrima v. prope medium utrinque denticulo v. mucrone armata. *Involucri* squamae interiores 4 lin. longae, ⅔ lin. latae, obtusae, glabrae, obsolete ciliolatae et striatae, fulvo-stramineae, obtusiusculae. *Flores* flavi? Fructus ignotus.

XYLOMELUM Smith. Endl. gen. n. 2146. Meisn. gen. pag. 333. (245.)

1. **Xylomelum occidentale** *R.Br.* ramulis, foliis junioribus, pedunculis calycibusque cano-tomentosis; foliis petiolatis, ovatis ellipticis oblongisque, venosis, utrinque stomatiferis, demum glabris, ramorum floriferorum summis integerrimis, inferioribus passim dentatis; spicis axillaribus, folio sublongioribus, breve pedunculatis, densifloris; stylo calycem subaequante, inferne piloso, stigmate subclavato oblongo obtusissimo. — R.Br. suppl. pag. 31. Hooker ic. t. 446!

In arenosis sylvae secundum flum. Cygnorum prope praedium rusticum D. Hardy et hinc illinc terrae inferioris cis Darling's-range, d. 8. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 754. (Drummond n. 616.)

„Arbor circ. 25-pedalis". *Folia* (ex ic.) interdum terna. *Spicae* patentes, semper simplices, in axillis solitariae v. haud raro geminae v. ternae, 4-5-pollicares, pedunculo vix semipollicari, floribus sessilibus geminatim bractea subrotunda cucullata fultis. *Calyx* 4-5 lin. longus, sepalorum ungue lineari, lamina oblonga (lineam longa) obtusiuscula parum concava. *Stigma* fere lineam longum, basi attenuatum. *Ovarium* sessile, puberulum, glandulis hypogynis 4 liberis ipso brevioribus (semilineam longis) erectis cinctum. *Folliculus* dense tomentosus, ovato-oblongus, obtusus, bivalvis. *Semen* bipollicare, oblongum, nucleo atrofusco, cuneato, hinc concavo inde convexo quam ala oblonga acuta tenerrima cinnamomea obsolete venosa fere duplo breviore.

BANKSIA Linn. fil. Endl. gen. n. 2157. Meisn. gen. pag. 333. (246.)

Sect. I. Eubanksia Endl. Stylus calyce longior, unguibus citius solutis hinc arcuatim exsertus, stigma laminis tardius secedentibus inclusum. Amentum floriferum cylindraceum, rarius abbreviatum sphaeroideum, fructiferi folliculis transversis v. obliquis pluribus.

1. **Banksia sphaerocarpa** *R.Br.* fruticosa, foliis (pollicaribus) acerosis, integerrimis, mucronulatis; amentis globosis, calycibus extus undique sericeo pilosis; stigmate brevi subulato, basi incrassato; folliculis transversis v. obliquis, ventricosis, apice compressiusculis. — R.Br. prodr. pag. 391.

In confragosis sylvae ad latus orientale montis Wuljenup, alt. 500 ped. Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 486, fl. et fr. et in uliginosis inter Restiones prope oppidum Guildford, d. 31. Aug. 1839. No. 487 fl. et fr. In glareoso-lapidosis inter frutices montis ad Two-peopled Bay. No. 494. flor. et in sylva ad latus meridionale montis Barrow, Plantagenet, m. Nov. 1840. No. 497 (steril.) (Ora austr., A. Cunningham! in Hb. DC. — Swan-River, Drummond No. 648, 649, et Coll. I.)

„Frutex 2-4-pedalis". *Ramuli* teretes, cano-tomentosi. *Folia* semierecta, glabra, laevia, linearia, pollicaria v. paulo breviora, rarius subbipollicaria, ⅓ lin. lata, supra plano-convexa, subtus marginibus arcte revolutis subcanaliculata, ex apice obtuso brevissime mucronulata. *Amentum* densissime multiflorum, receptaculo ovoideo tomento croceo densissimo lanuginoso. *Sepalorum* lamina oblongo-lanceolata aeque ac unguis pilis rufis longiusculis subadpressis persistentibus subsericea. *Stylus* glaberrimus, pallidus, demum exsertus, hamatus, stigmate ½ lin. longo atro subconico (e basi levissime incrassata attenuato) obtusiusculo. *Strobilus fructifer ovi Gallinacei* majoris mole, folliculis crebris, lanugine densa croceo-fusca crispa nusquam adhaerente semiimmersis, horizontalibus v. leviter obliquis, depressis, apice turgidis, margine obtuso glabris.

2. **Banksia nutans** *R.Br.* fruticosa, foliis acerosis, mucronatis, amentis nutantibus, calycibus sericeis, folliculis apice dilatatis depressis. — R.Br. l. c.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 499.

„Frutex ..... strobilis oblongis". — Specimen mancum, haud rite determinandum, habitu et foliis circ. pollicaribus praecedenti simile, sed diversum ramulis glabris subangulatis, foliis tenuioribus patulis subteretibus, subtus unisulcis (marginibus subtus revolutis subcontiguis) calycis pube breviore pallidiore magisque adpressa, stigmate breviore et folliculis dimidio minoribus magis depressis apice haud turgidis undique tomentosulis. — An vera *B. nutans*? an n. sp.? *)

*) Exstat inter plantas Drummondianas coll. I. (Hb. DC.! et Shuttl.!) *Banksiae* sp. aut nova aut ad *B. nutantem* referenda, quod fructu ignoto, dijudicare non audemus.

3. **Banksia Meisneri** *Lehm.* fruticosa, ramulis canopuberulis, foliis (semiunguicularibus) patentibus subreflexisque, acerosis apice incurvo submucronulatis, amentis ovalibus; sepalorum unguibus tomentosis, laminis glabris; stigmate depresso-capitato; folliculis depressis, undique lanuginosis.

In planitie arenosa prima cis flum. Gordon, Hay, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 488.

„Frutex 2-3-pedalis". *Rami* graciles, inferne glabrescentes et penna columbina parum crassiores, ramulis plerumque subumbellatis. *Folia* 1½-2 lin. longa, supra convexa saepiusque basi obsolete unisulca, subtus marginibus arcte revolutis subcontiguis profunde unisulca v. canaliculata, apice acuto mucronuliformi leviter sursum incurvo. Caetera fere *B. pulchellae*, sed *amenta* paulo minora, flores stylique patentes (nec, ut in illa, deflexi) calyx pube breviore potius tomentosus quam lanatus, stylus brevior, 7-8 lin. (in illa 8-10 lin.) longus, inferne paulo crassior, stigma paululum majus. *Strobilus fructifer* obovato-subglobosus, folliculis satis numerosis, leviter oblique transversis, receptaculi lanugini fulvae semi-immersis, valde depressis, latioribus quam longis (7-8 lin. longis) lanuginoso-tomentosis.

Valde quidem affinis *B. pulchellae*, sed notis indicatis, praecipue foliis patentissimis v. deflexis duplo triploque brevioribus acutisque (in illa erecto-subadpressis 3-5 lin. longis obtusissimis muticis) bene distincta. — Plantae juveniles (e sem. Preiss. cultae) folia 2-4 lin. longa, pilosiuscula, acuta, patentissima v. arcuato-subrecurva.

4. **Banksia occidentalis** *R.Br.* fruticosa, ramulis glabris; foliis elongato-linearibus, extra medium spinuloso-serratis, subtus aveniis niveo-tomentosis; amento elongato, cylindrico, bracteis late triangularibus, acutis, apice glabris, infimis elongatis subulatis; calycibus marcescentibus, sericeo-puberulis, unguibus basi intus pubescentibus; stylo praelongo, stigmate minuto sphacelato; folliculis ventricosis, tomentosis, apice compressiusculo nudis. — R.Br. prodr. pag. 392.

In turfoso-arenosis hyeme inundatis prope Seven-miles Bridge, Plantagenet, m. Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 491.

„Frutex 6-8-pedalis, erectus". *Folia* 2-4-pollicaria, 1-2 (raro 3) lin. lata, apice truncata v. saepissime breve 2-3-cuspidata, extra medium aut solummodo prope apicem paucidentata (dentibus brevissimis, saepe ad mucronulum reductis) saepiusque integerrima, marginibus recurvis, nervo supra impresso sulciformi subtus valde prominulo glabro. *Amenta* 4-5-pollicaria (quandoque dimidio breviora) inter ramulos subverticillatos sessilia, bracteis infimis filiformibus, 4-5 lin. longis, basi parum dilatatis erectis, reliquis dense imbricatis brevibus, 2 lin. latis, apice triangulari acuto glabro fusco rugoso. „*Flores* coccinei". *Calyx* gracillimus, sepalis extus pube brevissima adpressa pallida sericeis, unguibus basi intus rufo-pilosiusculis, laminis lanceolatis demum glabrescentibus. *Stylus* pollicaris, glaberrimus, hamatus, stigmate vix incrassato obtuso nigro apice pallido. *Folliculi* cuneato-obovati, 6 lin.

Ramorum pubescentia, *foliis*, *amentis*que omnino convenit cum *B. sphaerocarpa*, sed constanter recedit *sepalorum* unguibus pube breviore adpressa pallide sericeis, *laminis* paulo latioribus (ovali-oblongis) glabris apice basique tantum puberulis, et *stigmate* dimidio breviore et paulo crassiore conico.

longi, 5 lin. lati, sericeo-tomentosi, apice valde deplanati, margine acutiusculo.

5. **Banksia littoralis** *R.Br.* arborea, ramulis tomentosis; foliis elongato-linearibus, spinuloso-serratis, basi attenuata integerrimis, subtus aveniis albido-tomentosis; amento elongato, cylindrico; bracteis late triangularibus, obtusis, apice tomentosis, infimis elongatis subulatis; calycibus deciduis, tomentosis, vix sericeis, unguibus basi intus pubescentibus; stylo praelongo, stigmate parvulo sphacelato; folliculis compressis, tomentosis. — R.Br. prodr. pag. 392.

In arenosis hyeme inundatis prope oppidum Perth, d. 13. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 479. (Drummond n. 647 et coll. I.) Huc quoque pertinere videntur specimina Preissiana sterilia, in turfosis humidis umbrosisque sylvae ad radices montis Elphinstone prope oppidum Albany, Plantagenet. No. 496 et in region. interior. Australiae merid.-occid., m. Oct. 1840 lecta. No. 498.

„Arbuscula 20-40-pedalis". — Cum praecedente facile confundenda, sed notis indicatis constanter distincta. *Ramuli* cano-tomentosi, apice subangulati. *Folia* longiora et praecipue latiora, 2½-raro 4 lin. lata, usque infra medium (rarius prope apicem tantum) serrata, serraturis majoribus. *Strobilus* 8-10-pollicaris; calycis tomento densiore et minus sericeo, sepalorum unguibus basi latioribus, *stylo* apice minus attenuato. Fructum non vidimus. — Variat foliorum dentibus crebris et paucis, 3-15 lin. ab invicem remotis.

6. **Banksia cylindrostachya** *Lindl.* arborea, ramulis tomentosis; foliis elongato linearibus, subaequaliter serratis, basi attenuata integris, subtus albido-tomentosis venosis, supra nitidis; amento cylindrico, elongato, densissimo; calycibus glaberrimis, marcescentibus; stylo mediocri, stigmate conico-oblongo, fusco, apice pallido; folliculis transversis turgidis, velutinis, margine obtusis. — Lindley Swan-River pag. XXXIV. n. 162.

In arenosis prope oppidum Perth, d. 8. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 475. (Drummond coll. I.)

„Arbor circ. 40-pedalis; aboriginibus *Mangeit*". — A praecedente, cui proxime affinis, praeter notas indicatas differt: *foliis* latioribus (4-5 lin. latis) plerumque fere ad basin usque serratis, serraturis 2-3 lin. (nunquam plus) ab invicem remotis innocuis obtusiusculis (nec spinescentibus), marginibus planis v. vix recurvis, amento (5-6-pollicari) adeo densifloro ut bracteae nusquam appareant, *floribus* albis minoribusque, *stylo* 8-9 lin. longo, hinc sulco longitudinali percurso, stigmate duplo longiore (fere ⅓ lin. longo) apice et hinc superne albido, *folliculis* fere pollicem latis (transverse ovalibus) 6 lin. crassis, nec compressis. — Ab affinibus *B. media* et *Caleyi* R.Br. suppl. pag. 35, differt *foliorum* venulis haud glabratis, *calyce* glabro, caet. — Accedit quoque ad *B. attenuatam* R.Br., quae amento quidem, floribus glabris, styli longitudine stigmateque omnino similis, sed foliis latioribus, reticulatione subtus fortiore et glabra nec non amenti squamis apice longiuscule pilosis distincta.

7. **Banksia verticillata** *R.Br.* arborescens, ramulis apice tomentosis; foliis verticillatis, petiolatis, lanceolatis, obtusis, muticis, integerrimis (stirpis juvenilis apice saepius paucidentatis) subtus aveniis niveis; amento cylindrico, elon-

gato, squamis obtusissimis tomentosis, infimis, elongatis subulatis apice hirsutis; stylo calycem sericeum vix superante, stigmate minuto obtuso. — R.Br. prodr. pag. 394.

In rupestribus ad latus orientale montis Baldhead, Sinus Regis Georgii III., m. Oct. 1840, steril. Herb. Preiss. No. 493. (All. Cunningham! 1818. Hb. DC., flor.)

„Arbuscula 18-pedalis, late vagans, rara". *Ramuli* sordide cinerascentes. *Folia* plerumque sena, regulariter aut nonnunquam oblique in orbem disposita, cum petiolo 2-4 lin. longo (in stirpe juvenili saepe nullo) 2-3-pollicaria, 4-6 lin. lata, supra laete aureo-viridia. *Amentum* semipedale. *Flores* pollicares. Caet. *B. littoralis*. *Folliculos* non vidimus *).

8. **Banksia Menziesii** *R.Br.* arborea, ramis tomentosis; foliis sparsis, petiolatis, late linearibus, elongatis, truncatis, obtuse denticulatis; subtus venoso-costatis venuloso-reticulatis tomentosis, venis glabrescentibus; amenti ovati squamis acutiusculis, tomentosis; calycibus sericeis, deciduis; stylo praelongo, glabro, stigmate elongato cylindraceo sulcato; folliculis tomentosis, hinc styli basi mucronatis. — R.Br. suppl. pag. 36.

In arenosis prope oppidum Perth, d. 13. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 477. (Drummond! coll. I.)

„Arbor circ. 35 pedum". *Ramuli* strobiliferi crassitie digiti, sordide cano-tomentosi. *Folia* cum petiolo 3-6 lin. longo 8-10-pollicaria, 7-14 lin. lata, erecta, supra avenia, laevia, nitida, laete viridia, margine plano simplici v. subtus obsolete recurvo, dentibus brevissimis patentibus obtusis muticis, 2-3 lin. distantibus, sinubus rectilineis aut rarius levissime incisoemarginatis, nervo medio crasso rufo-tomentoso, venis patentissimis rectis ad dentes sinusque excurrentibus, prope marginem venula obliqua junctis, venulis interstitialibus dense reticulatim anastomosantibus multo minus prominulis, tomento minutissimo rufo demum decolori. *Amentum* 4-5-pollicare, axi crasso basi sterili pedunculum fere pollicarem formante; squamae late triangulares, parvae, tomentosae, basi atrofuscae, apice decolores. *Calyx* 12-14 lin. longus, extus undique pube densa adpressa flavido-sericeus, laminis 3 lin. longis, lineari-lanceolatis. *Stylus* adscendens, sesquipollicaris, violaceo-purpureus; *stigma* 2 lin. longum, stylo haud crassius, sed basi strictura quasi ab eo distinctum, rufum, longitudinaliter acute sulcatum, apice obtusiusculo pallido. *Strobilus fructifer* ovatus, 3-pollicaris, ovariis plerisque sterilibus bracteisque tomentosis eleganter tessellatus, folliculis paucis hinc inde maturis, transversis, depressis, 12-14 lin. latis, hinc styli basi brevi apiculatis, cano-tomentosis, margine acutiusculis, valvis lignosis crassis late hiantibus, hinc a parte dorsali (postica) fissura sejunctis, folliculum quasi inaequaliter trivalvem reddentibus. *Semen* haud vidimus.

9. **Banksia prionotes** *Lindl.* arborea, ramis tomentosis; foliis sparsis, petiolatis, latiuscule longeque linearibus, truncatis, sinuato-serratis, subtus tenuiter venosis reticulatisque tomentosis, lacunis subniveis, venis glabrescenti-

*) Sub No. 495 cl. Preiss. ramulos misit steriles „Arbusculae 10-pedalis", in solo turfoso ad litus portus Princess Royal Harbour, m. Oct. 1840 lectos, haud rite determinandos, aut *B. verticillatae* varietatem insignem, aut novam speciem sistentes, ab illa nonnisi foliis fere ad basin usque inaequaliter serratis discrepantes. Folia 3-6 verticillata, petiolo 1-1½ lin. longo.

bus; amento ovato, calycibus lanato-villosissimis, laminis muticis; stylo glabro, calycem primum aequante, deinde longe superante, apice incrassato et infra stigma cylindraceum sulcatum constricto. — Lindley Swan-River pag. XXXIV. n. 160.

In arenosis sylvae ad lacus haud longe ab oppido Perth, d. 9. Mai 1839. Herb. Preiss. No. 476.

„Arbor circ. 30-pedalis". — Praecedenti primo vultu similis, sed notis jam indicatis facile distinguenda. *Folia* vix unquam semipollice latiora, dentibus duplo majoribus aequilateris et saepe inaequilateris sinu semper obtusangulo (nec rectilineo) separatis, venis multo tenuioribus vix prominulis, lacunis minutis albidis, *floribus* lanugine patula fulva subsericea undique dense tectis, *stylo* infra apicem constrictum leviter strumoso, *stigmate* paululum crassiore et breviore conico-cylindrico. *Fructus* haud suppetit.

10. **Banksia coccinea** *R.Br.* fruticosa, ramis tomentosis; foliis sparsis, breve petiolatis, late ovatis obovatis oblongisve, truncatis, remote denticulatis, subtus costato-venosis reticulatis tomentosis, nervo medio costisque glabrescentibus; amenti sphaeroidei foliis obvallati bracteis subulatis, calycibus lanatis; stylo praelongo glabro, stigmate conico subangulato basi annulato-incrassato; folliculis parvis, transversis, immersis, depressis, tomentosis. — R.Br. prodr. pag. 394.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 481. (Sinus Regis Georgii, specim. in expeditione Gallica Astrolabii lect., in Hb. DC.)

„Frutex 6-8-pedalis". *Folia* nunc late ovalia, fere 3-pollicaria, 2 poll. lata, basi truncata, nunc dimidio angustiora oblonga, nunc, praecipue summa, obovata et plus minus cuneata, inferiorum petiolo 1-2 lin., summorum (involucralium) usque ad pollicem longo, marginis plani denticulis mucronuliformibus obtusiusculis sinu 3-6 lin. lato levissime arcuato v. rectilineo separatis, costis rectiusculis tarde glabrescentibus venularumque reticulo acute prominulis, tomento minuto decolori, lacunis concoloribus (vix albidis). *Amentum pomi* majoris mole, inter folia fere occultum, „floribus coccineis", calycibus pollicaribus bracteisque dense albido-v. fulvo-lanatis, unguium basi glabra sulcata, laminis oblongis demum glabrescentibus; sepalis diu in tubum cylindricum gracilem apice 4-fidum hinc ad basin usque stylo erumpente fissum cohaerentibus. *Stylus* sesquipollicaris, purpureus, glaber; *stigma* atrum, lineam longum, e basi paululum incrassata annuliformi conico-attenuatum, obtusum, obsolete sulcato-angulatum. *Strobilus fructifer* ovatus, *ovi Gallinacei* magnitudine, polycarpus; folliculi 4 lin. lati, receptaculi lanugini crispae densissimae sordide cinerascenti immersi, margine tantum acutiusculo glabrescente atrofusco prospicientes, cum receptaculo adeo conferruminati, ut incolumes separari haud possint.

11. **Banksia quercifolia** *R.Br.* fruticosa, ramulis glabris; foliis sparsis, sessilibus, oblongo-cuneatis, inciso-serratis v. grosse sinuato-dentatis, utrinque glabris, subtus venosis obsolete reticulatis, dentibus mucronatis; amenti ovati bracteis parvis, apice triangulari glabris, infimis subulatis; calycis sericei laminis glabrescentibus, arista terminatis; stylo glabro, mediocri, stigmate minuto sphacelato obtuso;

folliculis glabriusculis. — R.Br. prodr. pag. 396. Bot. Reg. t. 1430.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Sinus Regis Georgii III., d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 489, sine fr. (ibid. 1821. Allan Cunningham! Hb. DC.)

„Frutex 6-pedalis". *Folia* 2-4-pollicaria, 5-12 lin. lata, interdum attenuato-petiolata, ramulorum nonnunquam opposita. *Amenta* ramulos breves laterales terminantia, magnit. *ovi Gallinacei*. *Calycis* pubescentia rufo-sericea, laminarum arista subulata recta, sesquilineam longa glabriuscula, initio recurva. *Stylus* calycem parum superans, *stigmate* obsoleto. *Fructum* non vidimus.

12. **Banksia marcescens** *R.Br.* fruticosa, ramulis tomentosis; foliis sparsis, petiolatis, cuneato-oblongis, truncatis, margine plano extra medium breviter obtuseque dentatis, glabris, subtus obsolete venoso-reticulatis, lacunis albidis; amento cylindrico elongato, floribus glaberrimis muticis persistentibus, stigmate minuto; folliculis orbicularibus, depressis, rugulosis, glabris, margine obtusis, muticis. — R.Br. prodr. pag. 395.

B. praemorsa Andr. Bot. Repos. t. 258.

B. asplenifolia Knight et Salisb. Prot. pag. 113. (excl. syn. Salisb. Prot.)

In subcalcareis tergi montis Baldhead, Sinus Regis Georgii III., m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 484.

„Frutex 6-pedalis", ramis dense foliosis. *Folia* laete viridia, 1-2-pollicaria, 5-7 lin. lata, aut prope apicem tantum aut ad basin usque dentata, dentibus brevibus muticis (stirpis juvenilis subtus incana, inciso-serrata, dentibus acutangulis mucronatis). *Amentum* semipedale, crassum, densissimum, floribus rubris? adscendentibus. *Folliculi* fusci 8 lin. lati.

13. **Banksia repens** *Labill.* caule prostrato, tomentoso; foliis sparsis, petiolatis, longis, pinnatifidis, lobis oblongis obtuse sinuato-dentatis passimque integris utrinque plurinerviis et reticulato-venosis, lacunis subtus albido tomentosis; amenti ovato-oblongi bracteis infimis subulatis, calycibus stylo glabro dimidio brevioribus, unguibus filiformibus puberulis, laminis lanceolatis lanato-villosis muticis, stigmate obsoleto. — Labill. Voy. 1. pag. 412. t. 23; Nov. Holl. 1. pag. 118. R.Br. prodr. pag. 396.

Banksia polypodiifolia Knight et Salisb. Prot. pag. 113.

In planitie arenosa prima cis flum. Gordon, Hay, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 483 (sine fr.)

Caulis digiti crassitie, decumbens, *amento* adscendente 4-pollicari terminatus, cum petiolis (1-3 poll. longis) bracteisque tomento denso ferrugineo tectus. *Folia* erecta, rigidissima, flavo-viridia, 10-pollicaria, lobis pollicaribus, 3-4 lin. latis patentibus v. subfalcato-adscendentibus, basi confluentibus, sinubus rotundatis v. passim in lobum brevem late triangularem productis, nervo uno forti costaeformi subexcentrico, lateralibus utrinque 1-2 subtus obsoletis.

14 **Banksia prostrata** *R.Br.* caule prostrato, tomentoso; foliis sparsis, petiolatis, longis, pinnatifidis, lobis latis in-

tegerrimis obtusiuscule mucronatis subtus plurinerviis reticulatis, lacunis albido-tomentosis; amenti aphylli cylindrico-oblongi bracteis infimis subulatis calycibusque lanatis, laminis muticis mox glabratis; stylo glabro, calycem marcescentem parum superante, stigmate minuto sphacelato; folliculis depressis, obovatis, hirsutis. — R.Br. suppl. pag. 36. Bot. Reg. t. 1572.

In umbrosis sylvae ad latus septentrionali-orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 480.

„Frutex repens, foliis amentisque erectis". *Folia* fere praecedentis, (saepius pedalia) sed lobi semper integerrimi, latiores (saepius 6-7 lin. lati) et plerumque breviores (5-8 lin., rarius pollicem longi) nervis subtus minus aequalibus, supra obsoletis. *Amentum* 3-4-pollicare, basi haud crassius, juvenile tomento croceo-rufo (stratum 1-2 lin. crassum formante) flores omnino abscondente densissime tectum. *Sepalorum* ungues lana brevi crispa rufa persistente tecti, laminae pilis longioribus croceis caducis barbatae, mox glaberrimae, lanceolatae, atrae diu cohaerentes et stigma retinentes. *Stylus* albidus, 8-9 lin. longus, gracilis, diu persistens, demum deflexus, stigmate vix ½ lin. longo continuo, apice vix incrassato atro. *Strobilus fructifer* incrassatus; folliculi transversi, mutici, 8 lin. longi, 6 lin. lati, haud turgidi, margine obtusissimi, pilis coccineo-fuscis dense hirsuti. — Fruticis juvenilis folia minus profunde incisa, utrinque (magis tamen subtus) lanugine brevi albida subtomentosa.

15. **Banksia grandis** *Willd.* arborea, ramulis tomentosis; foliis sparsis, breve petiolatis, longis, pinnatifidis, lobis late ovato-triangularibus integerrimis acutis planis plurinerviis utrinque reticulatis, lacunis subtus albido-tomentosis; amenti cylindrici elongati bracteis infimis subulatis calycisque decidui unguibus villosis, laminis muticis glabris; stylo glabro, demum praelongo, stigmate oblongo sphacelato apice pallido obtuso; strobili fructiferi axi valde incrassato tuberculato, folliculis transversis depressis immersis demum glabris. — Willd. sp. pl. 1. pag. 535. R.Br. prodr. pag. 396.

In arenosis sylvae prope oppidum Perth, m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 474 et in rupestribus collium ad promont. Cape-Riche, m. Nov. 1840. No. 492.

„Arbor circ. 40 pedum". *Folia* pedalia et ultra, ad costam usque pinnatim lobata, supra laete viridia nitida, subtus discolora, sinubus acutis, lobis 12-20 lin. longis, 12-18 lin. latis subaequilateris, nervis 3-6 subparallelis rectis supra impressis subtus prominulis subaequalibus. *Amentum* fere pedale. *Calycis* tubo sordide villoso, limbo oblongo acuto mutico 4-gono glabro fusco. *Stylus* 30 lin. longus, gracilis, albidus, stigmate paululum incrassato, ⅔ lin. longo. *Strobilus* polycarpus fere pedalis, diametro 2½ pollicum, receptaculo valde incrassato inter folliculos perfecto ovariorum sterilium bractearumque vestigiis dense tuberculoso sordide cano-tomentoso, tuberculis aliis acute conicis aliis muticis rotundatis. *Follicuti* 6-8 lin. lati, laeves, juniores tomentosi, demum glabri, virescentes, margine solo exserto acutiusculo, valvis late hiantibus subreflexisque, ⅔ lin. crassis, margine demum fissis.

16. **Banksia Baxteri** *R.Br.* fruticosa, ramulis longe villoso-barbatis, demum glabris; foliis sparsis, petiolatis, oblongis, pinnatifidis, truncatis, lobis triangulari-oblongis

acuminato-acutis integerrimis planis, supra laevibus aveniis, subtus plurinerviis reticulatis discoloribus subglabris; amenti globosi bracteis infimis calycibusque villosis, laminis anguste lanceolatis acuminatis plumoso-sericeis; stylo calycem persistentem vix superante, piloso, apice glabro, stigmate attenuato subulato; strobilo oligocarpo, folliculis transversis, magnis turgide lenticularibus, tomentosis, exsertis, margine acutiusculo hinc styli basi rostrato. — R.Br. suppl. pag. 36.

In rupestribus collis prope montem Manypeak, Tjilberup, d. 16. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 485.

„Frutex 6-8-pedalis", praecedenti foliis similis, sed notis indicatis optime distinctus. *Folia* multo breviora, 2½-6-pollicaria, lobis plerumque angustioribus (6-7 lin. latis) submucronato-acuminatis, nervis supra inconspicuis, subtus minus prominulis. *Amentum* magnitudine *Aurantii* majoris, foliis obvallatum. *Calyx* 15-18 lin. longus, villositate sordida (laminarum longiore albido-sericea) laminis 4 lin. longis, ½ lin. latis, antheris subaequilongis linearibus. *Stylus* ruber? adscendens firmus, fere bipollicaris, inferne dense pilosus, superne glabrescens, apice glabro in stigma 1½ lin. longum basi subincrassatum fuscum attenuatus. *Folliculi* 20 lin. lati, pollicem crassi.

17. **Banksia dryandroides** *Baxter mss.* fruticosa, ramis tomentosis; foliis sparsis, sessilibus, elongato-linearibus, pinnatifidis, lobis isoscelo-triangularibus muticis margine recurvis, subtus enerviis aveniis niveo-tomentosis; amentis ramulos laterales breves terminantibus, ovatis, parvis; calycibus sericeis, laminis glabrescentibus muticis stylo glabro parum superatis, stigmate minuto capitato; folliculis transversis, depressis, limbo glabrato, margine obtuso sulco lineari exarato. — Sweet Flor. Austral. t. 56. R.Br. suppl. pag. 36.

In rupestribus collium Konkoberup, promont. Cape-Riche, d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 490.

„Frutex 1-2-pedalis, strictus", subsimplex, *radice* verticali pauciramosa, *ramis* paucis brevibus, cano-tomentosis, novellis ferrugineis. *Folia* 4-6-pollicaria, lobis ad nervum medium usque separatis, 3 lin. longis, basi 2 lin. latis sinubusque acutis, supra laete viridibus enerviis aveniis, subtus niveis lanato-tomentosis. *Amenta ovi Gallinacei* minoris magnitudine, ad inferiorem caulis partem lateralia, pedunculo ferrugineo-tomentoso semipollicari aphyllo v. ramulo brevi paucifolio suffulta. *Flores* semipollicares, rufo-sericei, laminis demum glabris oblongis atris. *Folliculi* 10 lin. lati.

18. **Banksia Brownii** *Baxter mss.* arborescens, ramulis gracilibus tomentosis demum glabratis; foliis subverticillatis, subsessilibus, linearibus, pinnatifidis, lobis linearibus parallelo-approximatis adscendenti-falcatis muticis, subtus niveo-tomentosis uninerviis aveniis, margine recurvo; amento terminali, sessili, cylindrico-oblongo, bracteis tomentosis, infimis subulatis, calycibus totis sericeis subpersistentibus; stylo glabro demum praelongo, stigmate minuto obtuso; folliculis semiexsertis, depresso-planis, suborbicularibus, tomentosis, margine acutis. — R.Br. suppl. pag. 37.

In rupestribus inter frutices densos ad latus occidentale montis Waljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 478.

„Arbuscula 10-20-pedalis, *ramis* fastigiatis", ramulis ad basin strobili terminalis 8-10 subverticillatis, internodiis 1-2-pollicaribus. *Folia* 3-6 pseudo-verticillata (sc. in spira valde depressa obliqua v. penitus horizontali approximata) inferiora passim sparsa solitaria, 2-4-pollicaria, petiolo 1-2 lin. longo, lobis ad nervum usque separatis, 3 lin. longis, ½-1 lin. latis obtusiusculis, supra laete viridibus subconvexis, subtus tomento adpresso niveis, nervo unico tenui v. obsoleto, marginibus valde revolutis apicem versus contiguis. *Amentum* 4-5-pollicare, diametro sesquipollicari. *Calyx* gracillimus 8 lin. longus, laminis anguste lanceolatis acutis muticis, unguibus pilis brevibus subadpressis ferrugineo-v. cinereo-sericeis. *Stylus* ruber? demum 20 lin. longus, stigmate vix ac ne vix incrassato sphacelato. *Folliculi* 6 lin. lati, vix 2 lin. crassi, horizontales.

Sect. II. Isostylis R.Br. Stylus rectus, calycem vix superans. Sepala apice libera, inferne diutius in tubum hinc fissum cohaerentia. Amentum subdepresso-globosum, fructiferum folliculo subsolitario verticali.

19. **Banksia ilicifolia** *R.Br.* arborea, ramis tomentosis; foliis sparsis, subsessilibus, oblongo-obovatis, basi cuneatis, extra medium spinoso-dentatis, supra aveniis nitidis, subtus obsolete venosis, glabriusculis, lacunis punctiformibus albidis; amenti receptaculo hemisphaerico basi depresso, squamis obtusis velutinis, calycis tubo sericeo-puberulo apice limboque glabro, stigmate brevi cylindrico tenui sphacelato obtuso; folliculis 1-2 verticalibus, aut pluribus subhorizontalibus. — R.Br. prodr. pag. 396; suppl. pag. 37.

B. Aquifolium Lindl. Swan-River pag. XXXIV. n. 161.

In arenosis prope oppidum Perth, d. 13. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 482.

„Arbor circ. 40-pedalis". *Folia* 2-3-pollicaria, 1-1½ poll. lata, juniora subtus tenuissime puberula (stirpis juvenilis elongata, inciso-pinnatifida) margine plana v. obsolete undulata, dentibus brevibus latis mucrone recto pungente facile deciduo terminatis. *Receptaculum* floriferum nucis *Avellanae* mole. *Calyx* ruber? pollicaris, hinc ad basin fere usque fissus, apice 4-fidus, laminis lanceolatis acutis glabris. *Stylus* pallide roseus? glaber. *Fruct.* non vidimus. — Specimina nostra absque dubio ad speciem Lindleyanam pertinent, quam a Browniana (cui tribuuntur „folia inciso-serrata") vix satis distinctam suspicamur.

DRYANDRA R.Br. Endl. gen. n. 2158. Meisn. gen. pag. 333. (246.) Josephia Knight et Salisb.

Sect. I. Eudryandra. Folliculus bilocularis, dissepimento ligneo semibifido.

1. **Dryandra floribunda** *R.Br.* foliis cuneato-obovatis oblongisve, inciso-serratis; dentibus spinescentibus, planis,

glabris, subtus venosis, lacunis albo-tomentosis; capitulis sessilibus, involucri squamis ciliatis glabriusculis, exterioribus brevioribus ovatis laevibus, interioribus oblongis striatis; sepalorum unguibus sericeo-villosiusculis, laminis glabris; stigmate tenui subclavato obtuso. — R.Br. prodr. pag. 397. Bot. Mag. t. 1581.

Josephia sessilis Knight et Salisb. Prot. pag. 110.

Inter frutices et saxa calcarea prope oppidum Freemantle, d. 18. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 520. In solo limoso-calculoso sylvae prope Mahogany-creek, Darling's-range et in region. interior. Australiae merid.-occid., d. 3. Sept. 1839. No. 521. (Drummond n. 638, 639 et coll. I.)

„Frutex 5-8-pedalis". *Flores* citrini. — Variat *ramulis* glabris (nonnunquam apice glauco-pruinosis) et pubescentibus tomentosisque, *foliis* sessilibus et breve petiolatis, 1-2-pollicaribus, 6-10 lin. latis, nunc valde cuneatis, nunc basi vix attenuatis, ad basin usque subaequaliter inciso-serratis aut inferne integerrimis v. basi tantum dente auctis, nunc laete viridibus, nunc subglaucis v. subtus saltem paulo discoloribus. — Stirpis juvenilis rami et folia pilis longis hispida.

2. **Dryandra cuneata** *R.Br.* foliis cuneato-obovatis, inciso-serratis; dentibus spinescentibus, planis, subtus venosis reticulatisque tomentosis, venis demum glabrescentibus, lacunis albis; capitulis sessilibus, involucri squamis sericeo-tomentosis subaequilongis laevibus, extimis passim pinnatim spinosis v. foliaceis; sepalorum unguibus laminisque sericeo-villosiusculis; stigmate tenui subulato, acutiusculo. — R Br. l. c.

In region. interior. Australiae merid.-occid. Herb. Preiss. No. 525.

Praecedenti simillima, notis tamen indicatis constanter, ut videtur, distincta et facile dignoscenda. *Folia*, plerumque petiolo 1-3 lin. longo praedita, in specim. Preiss. vero subsessilia, forma et magnitudine similiter variant, rarius tamen quam in illa basin versus integra observantur. *Ramuli* tomentosi. *Flores* sulphurei.

3. **Dryandra armata** *R.Br.* foliis oblongo-linearibus, pinnatifidis; lobis patentibus, rectis, triangulari-oblongis, spinescentibus, decurrenti-confluentibus, planis, terminali proximis longiore, subtus trinerviis reticulatis cano-tomentosis, venis glabratis; capituli sessilis squamis enerviis, exterioribus brevioribus ovatis glabratis; interioribus oblongis sericeis; sepalorum unguibus sericeis, laminis superne glabris; stylo basi pubescente, stigmate tenui cylindrico-subfusiformi obtuso leviter sulcato. — R.Br. prodr. pag. 397.

In solo limoso-lapidoso ad latus montis prope cataractam ad Caput flum. Cygnorum, d. 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 519. (Drummond coll. I. Sinus Reg. Georg., A. Cunningham! in Hb. DC.)

„Frutex 2-4-pedalis". *Rami* apice cano-tomentosi (ex Br. glabri). *Folia* subsessilia, 2-3-pollicaria, lobis 2-5 lin. longis, basi 1-3 lin. latis, apicem basinque folii versus decrescentibus, supra aveniis nitidis laete viridibus, subtus (junioribus) cano-tomentosis v. subglabris viridibus. *Capitula* et florum color praecedentium, *involucri* squamae tantum majores. *Stigma* 1-1½ lin. longum, fuscum apice pallidum.

4. **Dryandra carduacea** *Lindl.* foliis sessilibus, lanceolatis, semipinnatifidis, basi cuneata integris; lobis triangularibus, subaequilateris, decurrentibus, pungenti-mucronatis, planis, supra glabris enerviis, subtus cano-tomentosis obsolete plurinerviis; capitulis ramulos breves terminantibus, sessilibus, involucri squamis lanceolatis glabris, interioribus ciliatis, exterioribus dimidio brevioribus subulato-acuminatis; calycis unguibus laminisque sericeis; stylo glabro stigmateque cylindrico obtusiusculo tenuibus. — Lindley Swan-River pag. XXXIII. n. 156.

In calculosis sylvae prope Halfwayhouse jugi montium Darling's-range, d. 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 516.

„Frutex 12-pedalis". *Rami* graciles, apice pubescentes, mox glabri, laxiuscule foliosi. *Folia* patula, 2-6-pollicaria, 4-6 lin. lata, inciso-pinnatifida, dentibus utrinque 3-7 oppositis alternisve, 2-3 lin. longis, decurrenti-confluentibus, sinubus acutangulis venis primariis (loborum nervis) subtus parum prominulis rectis patulis parallelis, venulis tomento sordide albido (in planta juvenili niveo) penitus absconditis v. rarius demum glabrescentibus. *Capitula* magnit. nucis *Juglandis*, inter ramulorum brevium folia summa verticillato-congesta sessilia. *Involucri* squamae interiores erectae, 3-4 lin. longae, ½ lin. latae, acutiusculae cinnamomeae, tenuissime striatae, exteriores laxiusculae apice recurvae stramineae. *Calyx* sulphureus, stylo fere capillari vix ⅓ brevior. *Stigma* ½ lin. longum, stylo paululum crassius, obsolete angulatum.

Proxima *D. conchnnae* R.Br. suppl. pag. 38, quae differre videtur foliis supra reticulatis, involucro tomentoso et sepalorum lamina glabra.

5. **Dryandra Serra** *R.Br.* ramis glabris, foliis petiolatis, linearibus, semipinnatifidis, supra reticulatis glabris, subtus subenerviis aveniis cano-tomentosis; lobis triangularibus, subaequilateris, pungenti-mucronatis, planis; capitulis axillaribus v. ramulos brevissimos apice foliosos terminantibus, sessilibus; involucri squamis lanceolatis, subcarinatis, puberulis; calycis unguibus laminisque sericeis; stylo glabro, tenui, stigmate brevi subconico obtusiusculo. — R.Br. suppl. pag. 38.

In confragosis porrectis sylvae ad latus meridionale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 513.

„Frutex 10-12-pedalis, strictus, ramosus". Habitus praecedentis, *folia* plerumque bipollicaria (raro 3-4-poll.) usque ad petiolum (2-6 lin. longum) aequaliter inciso-serrata, dentibus utrinque 10-15 mucrone tenui pallido saepe lineam longo recto v. adscendenti-incurvo pungentibus, margine subtus obsolete recurvo. *Ramuli* floriferi 1-3 lin. longi foliis verticillato-congestis patulis capitulum longe superantibus coronati, puberuli. *Flores* praecedentis, sed *stigma* paulo brevius et crassius. *Folliculi* in quoque capitulo plerumque gemini, semipollicares, suberecti, semiovato-oblongi, obtusi, subcompressi, fusci, tomentosi, demum glabrescentes.

6. **Dryandra stuposa** *Lindl.* ramis villosissimis, foliis subsessilibus, elongato-linearibus, semipinnatifidis; lobis subaequilatero-triangularibus, pungenti-acutis, supra enerviis aveniis glabris, subtus plurinerviis subreticulatis tomentosis margine leviter recurvis; capitulis axillaribus ter-

minalibusque sessilibus; involucro patulo, floribus triplo breviore, extus tomentoso, squamis interioribus oblongis obtusiusculis intus glabris striatis; calyce supra basin glaberrimam lanato, laminis sericeo-villosis; stylo glabro, stigmate fusiformi sulcato obtusiusculo. — Lindley Swan-River pag. XXXIII. n. 157.

In glareosis sterilibus cis flum. Adams, Grantham, d. 7. Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 502. (Drummond n. 643.)

„Frutex 10-pedalis, a radice ramosus", *rami* dense foliosi, pube brevi ferrugineo-tomentosi simulque pilis longis patentissimis albidis mollibus barbati. *Folia* suberecta, 3-5-pollicaria, 3-5 lin. lata, ad basin usque inciso-serrata; dentibus utrinque 15-24, subaequalibus, patentibus subdecurrentibus, plerumque rectilineis, submucronato-acutis, sinubus acutangulis, subtus albido- v. ferrugineo-tomentosis, nervis tenuibus, lateralibus convergentibus. *Capitula* magnit. *D. formosae*, interdum subaggregato-approximata. *Involucri* squamae interiores 5-6 lin. longae, 1-2 lin. latae, intus fuscae tenuiter denseque striatae. *Calyx* pollicaris, gracillimus, ima basi glaberrimus fuscus nitidus, deinde pube densa crispa ferruginea lanatus, superne breviter pilosus, laminis anguste lanceolatis acutis, 2 lin. longis, extus dense cano-sericeis apice longius rufo-barbatis. *Stylus* gracilis 15 lin. longus, pallidus, glaber, stigmate subcontinuo, lineam longo, fusco acute sulcato. *Folliculi* in quoque capitulo plures, verticales, lenticulari-subrotundi, margine acuti, nitidi, glabri, 2-2½ lin. lati.

7. **Dryandra nobilis** *Lindl.* ramis villosis, foliis petiolatis, elongato-linearibus, pinnatifidis; lobis isoscelo-triangularibus, submucronato-acutis, decurrenti-subconfluentibus, margine recurvis, supra laevibus glabris, subtus plurinerviis reticulatis cano-tomentosis; capitulis lateralibus, subsessilibus; involucri foliolis exterioribus foliaceis serratis, interioribus membranaceis oblongis recurvis intus glabris striatis capitulo multo brevioribus; calyce supra basin glabram lanato, laminis sericeis apice barbatis; stylo praelongo glabro, stigmate cylindrico sulcato obtusiusculo. — Lindley Swan-River pag. XXXIII. n. 158.

In glareosis sterilibus montium districtus Wicklow, d. 9. Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 523, steril. (Drummond n. 646 et coll. I.)

„Frutex 7-pedalis, erectus". — A simillimo praecedente differt: *ramorum* tomento sordide albido, pilis patentibus brevioribus mixto, *foliis* longioribus (saepius 8-pollicaribus) petiolatis (raro subsessilibus) fere ad nervum usque incisis, lobis plerumque dimidio majoribus (4 lin. longis latisque) subdecurrentibus, sinubus latioribus (saepius rectangulis) *capitulis* dimidio majoribus, *calycibus* pollice longioribus, baseos lana laminarumque villis rarioribus brevioribusque, *stylo* bipollicari crassiore, *stigmate* duplo longiore (2 lin. longo) basi subarticulato. — Proxima *D. mucronulatae*, sed bracteae interiores muticae.

8. **Dryandra plumosa** *R.Br.* ramulis tomentosis, apice villosis, foliis petiolatis, elongato-linearibus, pinnatifidis; lobis isoscelo-triangularibus, confluentibus, patentibus, pungenti-acutis, margine subrecurvis, supra laevibus glabris, subtus plurinerviis niveo-tomentosis; capitulis lateralibus, subsessilibus, involucri foliolis interioribus

filiformibus plumoso-villosis flores superantibus; calyce supra basin glabram lanato, laminis sericeis, stylo tenui, stigmate continuo obsoleto cylindrico obtuso. — R.Br. prodr. pag. 398.

In glareoso-lapidosis ad radices collium Konkoberup promontorii Cape-Riche, d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 507. (Sinus Regis Georgii, A. Cunningham! in Hb. DC.)

„Frutex bipedalis, foliis dense intertextis". *Ramorum* pubescentia *D. nobilis, foliorum* forma et dimensiones *D. stuposae*, lobis tamen magis aequilateris haud decurrentibus, saepius ad nervum usque separatis, mucrone obsoletissimo. *Involucri* squamae interiores pollicares, lineari-filiformes, molles, rufescentes, pilis longis patulis pallidis dense plumosae, exteriores longiores, rigidae, subulatae, superne foliaceae, spinuloso-v. dentato-pinnatae. *Calyx* 8 lin. longus, *stylo* tenui parum brevior, inferne pube crispa lanatus, superne patenti-pilosus, limbo subadpresse piloso apice subbarbato. *Stigma* continuum, stylo haud crassius, vix ½ lin. longum, teres. *Folliculi* erecti oblique obovati, valde compressi, 6-8 lin. longi, 4-5 lin. lati, castanei, radiatim sulcato-striati, marginem acutum versus parce pilosi v. demum glabri.

9. **Dryandra favosa** *Lindl.* ramulis tomentosis, foliis pinnatifidis, nitidis, adultis utrinque glaberrimis; floralibus tantum basi villosis; lobis triangularibus, planis, pungentibus, subtus alte lacunosis, pilis citissime deciduis; calycis apice glabro; stylo basi villoso, stigmate tereti obtuso. — Lindley Swan-River pag. XXXIII. n. 155.

In region. interior. Australiae merid.-occid., m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 524.

Folia 4-7-pollicaria, 5-8 lin. lata, semipinnatifida, lobis patentibus ovato-triangularibus subpungenti-acutis (nec mucronatis) 2-3 lin. longis, 2-4 lin. latis, sinubus acutangulis, nervis venularumque reticulo subtus acute prominulis glabris, lacunis albido-tomentosis.

10. **Dryandra formosa** *R.Br.* ramulis tomentosis, foliis petiolatis, elongato-linearibus, pinnatifidis; lobis scaleno-triangularibus, muticis, subtus obsolete venosis niveis, sinubus angustissimis; capitulis ramulos breves terminantibus, involucri sericeo-tomentosi squamis ovatis capitulo dimidio brevioribus, exterioribus folio pinnatifido terminatis, interioribus exappendiculatis oblongis linearibusque intus glabris striatis, receptaculo dense paleaceo-villoso; calyce stylum glabrum subaequante, basi lanato, superne sericeo-piloso, laminis apice longe barbatis; stigmate tenui, cylindrico sulcato obtusiusculo. — R.Br. prodr. pag. 397. Bot. Mag. t. 4102!

In rupestribus summitatis montis William, Plantagenet, d. 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 501.

„Frutex 8-10-pedalis". Species bene cognita, in viridariis nostris jam non rara, dum capitulis croceo-aureis saepe subcorymbosis ornata pulcherrima. Foliorum lobi margine plus minus recurvi, rarius plani.

11. **Dryandra Baxteri** *R.Br.* ramis cano-tomentosis, apice patenti-pilosis; foliis petiolatis, elongato-linearibus, pin-

natifidis; lobis scaleno-triangularibus, submuticis, margine incrassato-recurvis, subtus niveo-tomentosis enerviis v. uninerviis, sinubus acutangulis latiusculis; capitulis lateralibus, subsessilibus; involucri extus lanati floribus dimidio brevioris bracteis demum recurvo-patentibus, exterioribus oblongis folio pinnatifido terminatis, interioribus linearibus muticis subulatisve intus glabris striatis; calyce stylum glabrum subaequante, inferne lanato, superne sericeo, laminis longe barbatis demum calvescentibus, stigmate continuo, attenuato, obtuso. — R.Br. suppl. pag. 38.

In glareosis sterilibus inter frutices densos ad latus occidentale montis Waljenup, Plantagenet, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 500.

„Frutex 4-6-pedalis, ramis foliisque dense intertextis". *Folia* 3-6-pollicaria, patula, plus minus incurva v. flexuosa, ad costam usque aequaliter pinnatifida, lobis 1-1½ lin. longis latisque, saepe decurrentibus, rectilineis v. recurvo-falcatis, simpliciter acutis v. obsoletissime apiculatis, subtus niveis v. sordide canis. *Capitula* fere praecedentis, sed involucrum extus sordide albido-villosum (nec sericeum) et receptaculum breviter rufo-villosum. *Calyx* circ. pollicaris, supra basin glabram rufo-lanatus, unguibus filiformibus superne minute pilosiusculis, laminis angustissimis parce sed longe barbatis demum fere glabris. *Stylus* crassiusculus pallidus, in stigma obsoletum subulato-attenuatus. *Folliculi* in quoque capitulo 3-5, erecti, semiovato-oblongi, obtusi, 8 lin. longi, 3-4 lin. lati, compressissimi, atrofusci, demum glabri nitidi, tenuiter radiato-striati.

12. **Dryandra nivea** *R.Br.* caulibus abbreviatis, subsimplicibus, glabris; foliis petiolatis sessilibusve, elongato-linearibus, pinnatifidis; lobis scaleno-triangularibus, saepe decurrentibus oblongisve, recte patentibus v. adscendentibus, acutis mucronatisve, margine recurvis, subtus niveo-tomentosis 1-3-nerviis v. subenerviis; capitulo terminali, sessili, foliis longissimis obvallato; involucri floribus dimidio brevioris squamis erectis, oblongis linearibusque, muticis, demum glabris, ciliatis; calycis semi-quadrifidi parte tubulosa tota glaberrima ungues filiformes sericeos subaequante, laminis barbatis; stylo glabro, calycem ⅓ superante, stigmate brevi conico-cylindraceo obtuso basi oblique incrassato. — R.Br. prodr. pag. 398.

Banksia nivea Labill. voy. 1. pag. 413, t. 24; Nov. Holl. 2. pag. 118.

Josephia rachidifolia Knight et Salisb. Prot. pag. 111.

In solo limoso-glareoso jugi montium Darling's-range. Herb. Preiss. No. 504 et in limoso-calculosis sylvae ad latus occidentale montis Greenmountain, Perth, d. 13. Sept. 1839. No. 510. In glareosis inter frutices montis Clarence, Plantagenet, d. 30. Sept. No. 508 et in confragosis umbrosis sylvae ad latus septentrionali-orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. No. 506. (Ad oram austr., A. Cunningham! in Hb. DC. — Swan-River, Drummond n. 640, 641, 645 et coll. I.)

Caudex hypogaeus? crassus (diametro semipollicari) subhorizontalis, tortuosus, apice caules emittens plures, subsimplices erectos subpedales v. breviores, capitulo solitario terminatos, rarius apice ramosos, ramulis 3-4 brevissimis verticillato-congestis monocephalis. *Caulis* ramulorumque basis

squamis (foliis abortivis) ovato-triangularibus imbricatis v. demum remotiusculis tecta. *Folia* immo in eodem caule valde variabilia, ita ut varietates a cel. Brown indicatae certis limitibus distingui haud possint saepiusque in uno eodemque individuo conjunctae observentur. *Folia* 5-10-pollicaria, basi cuneato-angustata integerrima plus minus petioliformi; lobi 2-3 lin. longi, nunc rectilineo-triangulares inaequilateri, patentes v. plus minus adscendentes, interdum (praecipue infimi cujusque folii) decurrentes; nunc curvilineo-triangulares v. oblongi subaequilateri, patentes adscendentes v. apice leviter recurvo subfalcati, sinubus nunc angustis acutangulis nunc latis et quandoque fere rectangulis; nervis 1-3 parallelis subtus plus minus prominulis et nonnunquam glabratis, aut omnino inconspicuis. *Involucri* bracteae exteriores partim foliis conformes capitulo longiores, partim subulatae abbreviatae pinnatim spinulosae; interiores squamiformes oblongae linearesque, fuscae ½-1 poll. longae, pleraeque obtusae, plus minus ciliatae, caeterum glabrae v. apice subtomentosae. *Calyx* circ. 15 lin. longus, sepalis circ. ad medium usque in tubum gracilem glabrum integrum coalitis, superne liberis plus minus pilosis, pube sericea cana v. rufa, laminis lanceolatis pube longiore et densiore subpersistente barbatis. *Stylus* 1-1½-pollicaris, pallidus; *stigma* semilineam longum, atrum, e basi oblique subincrassata conico-cylindraceum, nonnunquam styli apice vix crassius.

13. **Dryandra Brownii** *Meisn.* caule glabro, apice ramuloso-polycephalo; foliis longe liaearibus, petiolatis, pinnatifidis, lobis inferioribus remotis angustis rectis spiniformibus v. falcato-subrecurvis, superioribus contiguis scalenotriangularibus submucronulatis margine recurvis subtus niveis 1-3-nerviis; capitulis inter folia sessilibus; involucri bracteis exterioribus foliaceis v. subulatis pinnatim spinulosis capitulo sublongioribus, interioribus oblongis linearibusque acutis ciliatis glabris calyce dimidio brevioribus; calyce semiquadrifido, parte tubulosa supra basin glabram dense sericeo-lanata, unguibus pilosiusculis, laminis parce barbatis; stylo calycem ⅓ superante, stigmate minuto basi vix incrassato.

In glareosis sterilibus ad montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 509.

Praecedenti simillima, notis indicatis tamen, praecipue floribus, satis distincta et vix mera varietas. — „Frutex 2-3-pedalis“. *Folia* saepius pedalia, immo sesquipedalia, rigidissima, lobis inferioribus 6-8 lin. ab invicem distantibus margine tantum angustissimo secus rhachin decurrente conjunctis, superioribus sensim magis approximatis decurrenti-confluentibus acutis, summis subaequilatero-triangularibus saepe obtusis. *Involucrum D. niveae.* *Calyx* fere sesquipollicaris, parte tubulosa integra subpollicari, basi glabra, 2-3 lin. longa, unguium parte superiore libera filiformi breviter denseque pubescente, laminis oblongis demum subimberbibus. *Stylus* bipollicaris, stigmate vix ⅓ lin. longo atro. — *Dryandrae niveae* formae quaedam foliis ad hanc valde accedunt, sed florum characteribus constantissime differunt.

14. **Dryandra arctotidis** *R.Br.* foliis caulem glabrum aequantibus v. superantibus, petiolatis, linearibus, pinnatifidis; lobis lanceolato-linearibus, pungenti-acutis, decurrentibus, margine incrassato recurvis, enerviis, subtus niveo-tomentosis; capitulo terminali, sessili, involucro floribus dimidio breviore, squamis oblongis linearibusque gla-

briusculis ciliatis; calycis basi tubulosa, glabra, unguibus laminisque barbatis dimidio breviore; stylo praelongo, glabro, stigmate brevi conico-cylindraceo obtuso basi subincrassato. — R.Br. suppl. pag. 39. Bot. Mag. t. 4035.

In glareosis prope montem Manypeak, Tjilberup, d. 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 515 et in region. interior. Australiae merid.-occid. m. Oct. 1840. No. 518, steril.

Habitus, inflorescentia et involucrum omnino *D. nivea*e, nec non foliis ad hujus formas tenuilobas valde accedens, attamen notis indicatis facile dignoscenda. *Folia* rigidiora, vix semipedalia, lobis vix basi lineam latis angustissime decurrentibus; plerumque semipatentibus subfalcatis et semitortis sinu acutangulo semper multo angustioribus. *Involucri* squamae exteriores breviores pauloque latiores. *Calyx* fere sesquipollicaris, basi glabra 5-6 lin. longa, unguibus albido-laminis rufo-barbatis. *Stylus* 20 lin. longus.

15. **Dryandra Fraseri** *R.Br.* foliis caule erecto ramoso glabro multo brevioribus, subsessilibus, lanceolatis, pinnatifidis, margine revolutis; lobis subteretibus, spinescentibus, subfalcatis, subtus niveis unisulcis v. canaliculatis, rhachi angustissima subtus bisulca; capitulis terminalibus lateralibusque, foliis obvallatis, involucri squamis lineari-subulatis pubescentibus flore dimidio brevioribus; calyce stylo glabro parum breviore pilosiusculo, basi tubulosa glabra brevi, laminis demum glabrescentibus; stigmate continuo, cylindrico, tenui, longiusculo, obsolete sulcato, obtuso. — R.Br. suppl. pag. 39.

In arenosis districtus York, d. 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 517. (Drummond n. 642 et coll. I.)

„Frutex 2-3-pedalis". *Caulis* atrofuscus v. sanguineus, plus minus verruculoso-punctatus, superne ramosus apice puberulus, ramis brevissimis (raro subpollicaribus) plerumque ad foliorum fasciculum axillarem reductis, superioribus capitulo solitario terminatis. *Folia* 2-3-pollicaria, laciniis 4-6 lin. longis basi rhachique (supra sulcata) ⅔ lin. latis, semipatentibus, rectis v. subrecurvo-falcatis, parallelis, sinu 3-5 lin. lato separatis, marginibus revolutis subtus in lobis plerumque sibi invicem in rhachi nervo contiguis. *Involucri* squamae 4-8 lin. longae, e basi lanceolata aristato-acuminatae. *Calyx* circ. pollicaris, basi tubulosa glabra, 3 lin. longa, unguium laminarumque pube brevi subadpressa fulva, laminis 2 lin. longis, angustis anthera paulo longioribus. *Stylus* 16 lin. longus, pallide luteus, stigmate 1½ lin. longo cinerascente. *Folliculi* oblique semiobovati, 9 lin. longi, 6 lin. lati, compressissimi, fusco-olivacei, flabellato-sulcati, secus margines acutos pilosiusculi, demum glabri.

16. **Dryandra cryptocephala** *Meisn.* ramis cano-villosis, densissime foliosis; foliis sparsis et in axillis fasciculatis, arcuato-deflexis, petiolatis, linearibus, extra medium pinnatifidis, subtus niveis, margine recurvis; laciniis pungentibus, semipatentibus, rectis, decurrentibus, enerviis rhachique linearibus; capitulis numerosis, axillaribus, subsessilibus, parvis, foliis obvallatis; involucri floribus longioris bracteis subulatis plumoso-ciliatis, exterioribus longioribus pinnatim spinulosis; calyce stylum glabrum subaequante, supra basin glabram lanato, laciniis pilosiuscu-

lis, laminis demum glabratis; stigmate continuo, attenuato, subacuto.

Inter frutices in glareosis planitiei prope montem Wuljenup, Plantagenet, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 514. „Rara"!

„Frutex 2½-pedalis, strictus". *Caulis* ut videtur, simplex, apice pauciramosus, undique foliis approximatis et in axillis fasciculatis densissime tectus et penitus absconditus. *Folia* arcuato-deflexa, summa tantum erecto-patula, satis rigida, 2-3-pollicaria, extra medium remote pinnatifida; lacinilis utrinque 3-5, sinu 3-4 lin. lato separatis, linearibus, acutis v. submucronatis, 1-2 lin. longis, ½ lin. latis, margine anguste recurvis, supra sub lente parce elevato-punctatis (tactu tamen haud scabris) terminali proximis dimidio longiore, rhachi ⅔ lin. lata, infra medium integerrima marginata petioliformi, nervo supra impresso subtus prominulo et margine angustissimo recurvo a laciniis decurrente comitato. *Capitula* vix *Cerasi* minoris magnitudine, pauciflora? secus totum fere caulem axillaria, numerosissima, interdum approximato-subaggregata, foliorum fasciculo cincta et fere abscondita. *Involucri* squamae exteriores ex parte foliaceae virides elongatae foliis conformes, reliquae cinnamomeae e basi paululum dilatata subulatae, 4-8 lin. longae, pilis tenerrimis longis patentissimis dense barbato-ciliatae. *Calyx* circ. semipollicaris, parte tubulosa 2-3 lin. longa, basi glabra, a medio inde rufo-lanata, unguibus filiformibus pilosiusculis, laminis linearibus demum glabris. *Stylus* rufus, inferne crassiusculus, stigmate tenui concolore obsoleto.

17. **Dryandra tenuifolia** *R.Br.* ramis glabris, foliis sparsis, laxe patulis, petiolatis, longe linearibus, serrato-pinnatifidis, subtruncatis, margine recurvis, subtus niveis, lobis triangularibus, decurrentibus, enerviis, adscendentibus patentibusve, apice subrecurvo obtusis acutisve; capitulis axillaribus, subsessilibus, ovatis, foliis obvallatis; involucri squamis ciliatis muticis, exterioribus ovatis acutis glabris imbricato-adpressis, interioribus multo longioribus flores aequantibus lineari-oblongis obtusis sericeis demum glabratis; calyce stylum glabrum subaequante basi lanato, unguibus superne laminisque glabris; stigmate continuo, attenuato, sulcato. — R.Br. prodr. pag. 398.

D. uncata Cunningh.! Mss. 1829 (fide Hb. DC.)

Ad ripam fluminis Beaufort, Wicklow, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 505. (Ora austral., A. Cunningham! in Hb. DC.)

„Frutex 4-6-pedalis". *Rami* fusci, rugoso-rimosi. *Folia* 4-8-pollicaria, 2-3 lin. lata, in petiolum filiformem (rarius ad basin usque marginatum) longum attenuata, plerumque curvata v subflexuosa (nunquam stricta) extra medium aut apice tantum (rarius fere ad basin usque) pinnatifida, supra obsolete reticulata v. laevia, subtus nivea avenia; lobis scaleno- (rarius isoscelo-) triangularibus, decurrentibus, sinu acutangulo ad nervum usque inciso, 3-4 lin. lato sejunctis, rectis v. subfalcato-recurvis, patentibus adscendentibusve, margine anguste revoluto subincrassato. *Capitula* axillaria (rarius terminalia) solitaria, subinde approximato-aggregata, ramulum 2-3 lin. longum dense foliosum terminantia, strobiliformia, magnit. *Prunt* mediocris. *Involucrum* fuscum, squamis exterioribus nitidis, arcte adpressis, minute albido-ciliatis, 3-4 lin. longis; interioribus 1-1½-pollicaribus, 1-2 lin. latis, laxiuscule erectis, pilis aureo-fulvis adpressis deciduis sericeis. *Receptaculum* sericeo-villosum. *Calyx* circ. pollicaris, inferne rufo-lanatus, superne glaber, unguibus capillaribus, laminis fere 3 lin. longis angustissimis obtusiusculis antheras superantibus glabris. *Stylus* albidus, ima

basi parce pilosiusculus; stigma tenue, 2½ lin. longum, fuscescens, tenuiter sulcatum.

18. **Dryandra proteoides** *Lindl.* ramis glabris, foliis subsessilibus suberectis, strictis, longe linearibus, acutis, semipinnatifidis, margine recurvis, subtus cano-tomentosis subreticulatisque; lobis rectangulo-triangularibus, brevibus, decurrentibus, patentissimis, spinescentibus; strobilis axillaribus, brevissime pedunculatis, aphyllis, magnis, ovatis, demum patulis; involucri squamis multiseriatis, adpresse imbricatis, ciliatis, sericeo-tomentosis, demum glabrescentibus, exterioribus ovatis acutis, interioribus sensim longioribus, intimis linearibus obtusis flores longe superantibus; calycis glabri laminis elongato-linearibus; stylo vix longiore, glabro, stigmate continuo elongato tenui sulcato obtusiusculo. — Lindley Swan-River pag. XXXIII. n. 159.

In limoso-calculosis planitiei prope praedium rusticum cl. G. Moore, York, d. 9. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 503. (Drummond, coll. I.)

Praecedenti proxime affinis et involucro calycis laminis stigmateque simillima, sed notis indicatis bene distincta, foliis potius ad *D. longifoliam* accedens. — „Frutex 4-pedalis". *Folia* 6-8-pollicaria, stricta, rigidissima, fere ad basin usque spinoso-serrata, rhachi 1½-2 lin. lata; laciniis 1-1½ lin. longis, decurrenti-confluentibus, angulo recto constanter patentibus, 5-6 lin. ab invicem distantibus (raro magis approximatis) subtus subniveis v. sordide incanis v. rufidulis, saepiusque venulis obsoletis (interdum glabrescentibus) reticulatis. *Capitula Pomi* mediocris mole! ramulum axillarem 2-3 lin. longum tenuem aphyllum apice imbricato-squamulosum terminantia, solitaria. *Involucrum* praecedentis, sed squamae numerosiores, majores, tarde glabrescentes (intimae 2½-pollicares). *Receptaculum* setoso-paleaceum. *Calyx* glaber, marcescens, ad basin usque vix puberulam 4-partitus, laminis anguste linearibus 4 lin. longis! antheram linearem dimidio superantibus. *Stylus* bipollicaris, stigma 3 lin. longum. Caet. praecedentis.

19. **Dryandra Lindleyana** *Meisn.* ramis glabris, apice foliosis monocephalis; foliis subsessilibus, longissimis, strictis, anguste linearibus, truncatis, pinnatifidis; lobis patentibus, approximatis, rectangulo-triangularibus, acutis, decurrenti-confluentibus, rectilineis, margine recurvis, subtus niveis obsolete nervosis enerviisque; capitulo terminali mediocri, sessili, foliis longissimis obvallato; involucri floribus dimidio brevioris squamis lineari-oblongis obtusis sericeo-tomentosis, exterioribus brevioribus subulatis; calycis stylo glabro ⅓ brevioris semi-quadrifidi parte tubulosa glabra, laciniis filiformibus laminisque lanceolatis villosis; stigmate brevi e basi subincrassata conico-attenuato, obtuso, subsulcato.

In calcareo-arenosis umbrosis prope Pointwater, d. 17. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 511. Aboriginibus: „Budjan".

Species *D. niveam* inter et *longifoliam* subambigua, ab utraque tamen, ni fallor, bene distincta; a priore, cui caule abbreviato apice comoso-folioso, capituli situ et magnitudine, involucro et praecipue calyce stylo stigmateque exactissime similibus convenit, differt *foliis* strictis, rigidioribus angustioribus longioribusque (saepe pedalibus) lobis rectangulo-triangulari-

bus (nunquam adscendentibus) brevioribus, 1-1½ lin. longis, semper rectilineis, et *involucri* squamis interioribus rufo-sericeis non? glabrescentibus; a *D. longifolia* vero, cui foliis rigidis strictis accedit, differt: *caule* glabro, *foliorum* lobis magis approximatis, 2-3 lin. ab invicem distantibus, dimidio minoribus patentibus (nec adscendentibus) venis obsoletioribus v. plane nullis, sinubus profundius (fere ad nervum usque) incisis rectangulisque, subtus plerumque niveis (in illa plerumque cinereis v. ferrugineis) *involucri* squamis muticis sericeis (nec aristato-acuminatis barbato-ciliatis) *calycis* laminis brevioribus haud glabrescentibus, *stylo* denique calycem superante et stigmate breviore basi incrassato.

Sect. II. Diplophragma R.Br. Folliculus bilocularis, dissepimento membranaceo ad basin usque in laminas duas planas solubili.

20. **Dryandra bipinnatifida** *R.Br.* caule decumbente tomentoso, ramis adscendentibus brevibus squamatis apice foliosis monocephalis; foliis petiolatis, elongato-oblongis, basi pinnatifidis superne bipinnatifidis, supra pilosiusculis et punctato-scabriusculis, subtus tomentosis; laciniis linearibus, mucronulatis, margine revolutis, subtus uninerviis; capitulo sessili, ovato-oblongo; involucri squamis adpresse-imbricatis, tomentosis, demum inferne glabrescentibus, exterioribus ovatis acutis, interioribus sensim longioribus, intimis flores superantibus lineari-oblongis obtusis; calycis basi tubulosa angulato-turbinata brevi glabra, unguibus inferne villosis laminis longe linearibus glabris, stylo calycem aequante glabro, apice attenuato sulcato, stigmate obsoleto acutiusculo. — R.Br. suppl. pag. 39.

In solo limoso calculoso jugi montium Darling's-range, d. 18. Sept. 1839. Herb. Preiss, No. 522. (Drummond n. 644 et coll. I.)

Caulis brevis, decumbens, apice adscendens et in ramulos 1-2-pollicares divisus, cum ramulis tomento croceo-rufo subsericeo squamisque ovatis imbricato-adpressis (foliorum rudimentis) glabris tectus. *Folia* stricta, ½-1-pedalia, circumscriptione spathulato-oblonga, ad nervum usque pinnatifida; laciniis patentibus, parallelis, 1-2 lin. ab invicem distantibus, vix decurrentibus, rectis v. subarcuatis, inferioribus sensim decrescentibus indivisis v. passim 2-3-fidis, 3-12 lin. longis, 1 lin. latis, superioribus 1-2-pollicaribus pinnatim 3-7-fidis, lacinulis sursum decrescentibus 2-8 lin. longis, 1-1½ lin. latis, subtus sordide cano-tomentosis, supra cum rhachi angustissime marginata laxe pilosis demum glabrescentibus et elevato-puncticulatis, tactu tamen vix scabriusculis. *Capitula* solitaria, bipollicaria. *Involucri* squamae cinnamomeae, tomento flavo demum evanido tectae, exteriores ovatae et ovato-oblongae, ciliolatae tenuiter striatae, intimae bipollicares 1-2 lin. longae. *Receptaculum* villosum. *Calyx* 20 lin. longus, basi tubulosa glabra 2 lin. longa, cuneata plus minus acute 3-4-gona, unguibus inferne linearibus subcarinatis villoso-ciliatis, apice filiformibus laminisque angustissimis circ. 3 lin. longis glabris. *Stylus* calycis longitudine, glaber, albidus, inferne crassiusculus subangulatus, apice attenuato teres sulcatus fuscescens, stigmate minuto subconico.

21. **Dryandra Preissii** *Meisn.* foliis caule glabro esquamato longioribus, petiolatis, pinnatifidis, extra medium bi-

pinnatifidis, supra glabris laevibus, subtus tomentosis; laciniis linearibus, acutis, margine recurvis, subtus uninerviis; capitulo terminali subsessili, subgloboso; involucri squamis linearibus, exterioribus basi dilatata pubescentibus superne glabris, interioribus triplo longioribus flores subaequantibus extus glabris apice intus barbatis setaceo-acuminatis; calycis unguibus laminisque villosis; stylo exsulco, basi pilosiusculo, stigmate minuto subcapitato.

In solo glareoso sterili sylvae prope flum. Gordon, Hay, d. 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 528.

A praecedente, habitu foliisque simillima, praeter notas jam indicatas differt: *foliis* brevioribus, raro dimidio pede longioribus, subinde (praecipue circa capitula) simpliciter pinnatis, laciniis minus patulis margine angustissime recurvis, *capitulo* forma et magnitudine fere *Dryandrae Fraserl*, *involucri* squamis ½ lin. latis, interioribus cum arista terminali 2-3 lin. longa sesquipollicaribus superne intus atrofusco-barbatis caeterum glabris, exterioribus basi ovato-lanceolatis.

Sect. III. Aphragma R.Br. Folliculus unilocularis, dissepimento nullo, seminibus leviter cohaerentibus.

22. **Dryandra nervosa** *R.Br.* foliis caule humili tomentoso longioribus, pinnatifidis; lobis patentibus, linearibus oblongisque, basi dilatata subconfluentibus, mucronatis margine recurvis, subtus 1-plurinerviis tomentosis, supra laevibus glabris, terminali abbreviato cuneiformi subtruncato; capitulo terminali subsessili globoso; involucri floribus dimidio brevioris bracteis tomentosis, exterioribus ovatis, interioribus sensim longioribus angustioribusque muticis; calyce stylum glabrum aequante, supra basin cuneatam glabram lanato-tomentoso, superne sericeo, laminis angustissimis apice penicillato-barbatis; stigmate subcontinuo tereti attenuato obtuso. — R.Br. in Sweet Flor. Austral. t. 22; suppl. pag. 39.

In confragosis umbrosis sylvae ad latus septentrionali-orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 512.

„Frutex repens“, (erectus humilis, ex Br.) Habitus, caulis, tomentum *D. bipinnatifidae*. *Folia* ½-1½-pedalia, fere ad basin usque pinnatifida; laciniae circ. semipollicem distantes, oppositae v. alternae, 10-18 lin. longae, 2-3 lin. latae (fruticis juvenilis latiores) inferiores sensim decrescentes, supra laeves glabrae, subtus rufo-canescentes v. ferrugineae, nunc 1-nerviae nunc (dum latiores) parallele 3-5-nerviae, venulis nullis aut rarius parum conspicuis, margine anguste recurvo. *Capitulum* et *involucrum* forma et magnit. fere *D. formosae*, sed tomentum atrofuscum velutinum. *Calyx* pollicaris, basi tubulosa superne inflata, tomento crispo fusco lanata, inferne glabra attenuata, laminis ungue vix latioribus, 3 lin. longis, antheram longe superantibus acutiusculis muticis. (Aristam brevem a cel. auctore indicatam non videmus). *Stylus* albidus, apice attenuato (stigmate) fuscescente tereti exsulco transverse ruguloso. — Stirpem nostram, non obstantibus calycis laminis muticis, ad *D. nervosam* referendam esse, vix dubitamus. Valde quidem similis est *D. pteridifoliae* R.Br. Bot. Mag. t. 3500 (fide specim. A. Cunningham.! in Hb. DC.) sed haec recedit *foliorum* lobis subtus saepius

distincte reticulatis magisque ferrugineis, *involucro* pube longiore sanguineo-fusca villoso-barbato, squamis majoribus, interioribus flore vix ⅓ (nec dimidio) brevioribus, *calyce* longiore (20 lin. longo) laminis (etiam muticis) pube densiore adpressa pallide flavo-sericeis. — Specimina denique Drummondiana (coll. I.) a Cunninghamiano solummodo recedunt foliorum lobis subtus egregie reticulatis, venulis glabrescentibus, lacunis fusco-v. cano-tomentosis. — An omnes unius speciei varietates?

HEMICLIDIA R.Br. Endl. gen. n. 2159. Meisn. gen. pag. 333. (246.)

1. **Hemiclidia Baxteri** *R.Br.* ramis pubescentibus, foliis cuneato-oblongis, inciso-pinnatifidis, supra aveniis, subtus reticulatis, venis glabrescentibus, lacunis cano-tomentosis, lobis spinescentibus, terminali abbreviato; capitulo terminali, foliis obvallato, imbricato; calyce stylum glabrum aequante, gracillimo, ima basi tubulosa attenuata glabro, unguibus filiformibus sericeo-puberulis, laminis oblongis obtusis glabris; stigmate brevi, clavato, exsulco. — R.Br. suppl. pag. 40. Bot. Reg. t. 1455.

Dryandra falcata R.Br. prodr. pag. 397.

In rupestribus collium Konkoberup, promont. Cape-Riche, d. 21. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 527. „Frutex 5-pedalis".

Supersunt inter plantas Preissianas specimina pauca sterilia ideoque haud determinanda, monente cl. collectore ad *Dryandrae* genus spectantia; nempe No. 526. „Frutex 5-pedalis, in limoso-calculosis sylvae ad Mahogany-creek, m. Sept. 1839" lectus, foliis ad *Banksiam quercifoliam* accedens; et No. 529 (ex region. interior. Australiae austr.-occid.) foliis breve petiolatis, lineari-lanceolatis, integerrimis, 4 poll. longis, 3 lin. latis, planis, pinnatim venosis, glabris, folliculis (separatim adjectis) omnino *Dryandrae Frasert.*

THYMELAEAE Juss.

(Auctore C. F. Meisner.)

PIMELEA Bks. et Soland. Endl. gen. n. 2098. Meisn. gen. pag. 330. (242.)

§. 1. Folia opposita, involucralia rameis dissimilia. Capitulum terminale.

1. **Pimelea Preissii** *Meisn.* foliis lanceolatis, acutiusculis, aveniis ramulisque glabris; involucralibus 4 ovatis, acutis, ciliatis, capitulo ¼ brevioribus, receptaculo subgloboso, vil-

loso; calyce extus dense sericeo-villoso, tubi basi laxius longiusque pilosa, limbi lobis ovato-oblongis tubo gracili subquadruplo brevioribus; antheris subsessilibus, semi-inclusis.

In limoso calculosis sylvae cis Halfwayhouse, Darling's-range, 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1266.

Simillima *P. glaucae* R.Br. sed distincta calycis basi pilis longiusculis patulis satis dense tecta (nec „nudiuscula".) *Folia* internodiis longiora, semierecta, subimbricata, pallide glauco-viridia, 6-8 lin. longa, 2½-3½ lin. lata, floralia plus minus majora. *Flores* 9-12 lin. longi, „pallide rosei". — Variat caulibus subsimplicibus, floribus brevioribus, limbi lobis latioribus, ovatis. (Drummond n. 554.)

2. **Pimelea decussata** *R.Br.* foliis ovalibus obovatisve, decussatis, aveniis ramulisque glabris; involucralibus 4 subrotundo-ovatis, semi-coloratis, utrinque glabris, haud ciliatis; calyce extus a basi ad medium usque patentim piloso, superne breviter adpresseque pubescente, limbi lobis oblongo-lanceolatis; staminibus exsertis, limbum subaequantibus. — R.Br. prodr. pag. 360

Pimelea ferruginea Labill. Nov. Holl. 1. pag. 10. t. 5.

In littore arenoso ad Point Possession, sinus Regis Georgii III., d. 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1272.

„Frutex 1-1½-pedalis. *Flores* incarnati". — Specimina spontanea cultis omnino congrua.

3. **Pimelea rosea** *R.Br.* foliis lanceolato-linearibus, acutis, subvenosis, intermedio longioribus ramulisque glabris; involucralibus 4 ovatis, acuminatis, subcoloratis, utrinque glabris, margine ciliatis nudisve, capitulum subaequantibus, deciduis; receptaculo longiuscule villoso; calyce extus superne adpresse sericeo v. pubescente, infra medium patentim hispido, supra basin glabriusculam haud articulato, limbi lobis lanceolato-oblongis stamina exserta vix superantibus. — R.Br. l. c. Bot. Mag. t. 1458.

In depressis arenosis ad paludem prope oppidum Perth, d. 23, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1262 et in rupestribus arenosisque umbrosis ad latus septentrionale montis Clarence, Plantagenet, d. 5. Oct. 1840. No. 1276. (Drummond n. 550.)

β? **calocephala** *Meisn.* capitulis majoribus; floribus albis, longioribus, involucrum viride (nec coloratum) superantibus, superne magis sericeis. — An species?

In arenosis sylvae prope lacum Keiermulu, Perth, d. 4. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1267.

„Frutex 2-4-pedalis, erectus", ramosus, ramis gracilibus rectis, (in β „saepe approximato-corymbosis simplicibus"). *Folia* 6-9 lin. longa, 1-1½ lin. lata (summa interdum duplo latiora) subcoriacea, obscure pennivenia, exsiccatione plerumque margine revoluta apiceque uncinato-recurva nec non interdum nigricantia; involucralia quadruplo latiora, 5-6 lin. lata, tenuia, in acumen acutum sensim producta, medio plus minus rubentia (rarius tota viridia) capitulo nunc paulo longiora nunc aequalia aut parum breviora, saepe floribus citius a pedunculi apice paulo dilatato quasi articulatim secedentia. *Flores* fere *P. decussatae*, paululum tantum longiores, (in β fere pollicares,

„albi, odorati“,) tubo inferne pilis 2 lin. longis patentibus hispido, supra ovarium demum haud rumpente. *Antherae* in β „aurantiaceae“.

4. **Pimelea tinctoria** *Meisn.* foliis coriaceis, ellipticolanceolatis, acutiusculis, petiolatis, aveniis cauleque subsimplici glabris, summis majoribus; involucralibus 4-5 oblongis, herbaceis, ciliatis, utrinque glabris, capitulo subaequalibus? calycis articulati basi fructigera hirsuta.....

In solo glareoso sterili prope montem Wuljenup, Plantagenet, d. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1280.

„Frutex 2-3-pedalis“. *Caulis* erectus, strictus, inferne defoliatus, simplicissimus aut superne fastigiato-pauciramosus, ramis brevibus simplicibus monocephalis. *Folia* subcarnoso-coriacea, in petiolum distinctum, quamvis vix semilinea longiorem attenuata, 5-6 lin. longa, 1¼-2 lin. lata, plana, exsiccatione (more *Polygoni tinctorii, Indigoferarum* quarundam etc.) ex cyaneo-viridi nigricantia (materiem, ut videtur, *Indigo* succedaneam continentia ideoque forsan tinctorum usui adhibenda?) suprema sensim majora (9 lin. longa, 3½ lin. lata) involucralia 10-12 lin. longa, 4-5 lin. lata. *Capitula* magnit. *P. roseae*. *Flores* praeter basin fructiferam oblongam acutam, 2-2½ lin. longam, pilis longiusculis sat dense hirsutam non vidimus.

5. **Pimelea Lehmanniana** *Meisn.* foliis lanceolatis acutis v. submucronatis, subaveniis ramisque simplicibus glabris; involucralibus 4 capitulum subaequantibus, ovato-oblongis, breviter acuminatis, acutis, subcoriaceis viridibus, utrinque glabris; calyce extus supra ovarium non rumpente, hispido, superne infraque glabrescente tubo apice infundibuliformi, limbi lobis lineari-oblongis; staminibus limbum superantibus.

In confragosis sylvae ad latus orientale montis Wuljenup, Plantagenet, d. 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1271.

Proxima *P. hispidae* R.Br., quae ex ic. Bot. 1578. Bot. Mag. t. 3459 differt capitulis pedunculatis, (pedunculo 1-1½-pollicari) involucrum dimidio superantibus, foliis dimidio brevioribus obtusiusculis patulis. — „Frutex 2-pedalis“. *Rami* graciles, pedales, simplices, rufi v. nigricantes, internodiis plerumque semipollicaribus. *Folia* 12-14 lin. longa, 2½ lin. lata, (summa nonnunquam paulo latiora) subcoriacea, suberecta, laete viridia v. supra subglaucescentia, obsolete 1-nervia, venis haud conspicuis. *Capitulum* majusculum, diametro sesquipollicari. *Involucri* foliola 5-6 lin. lata. *Flores* 10-12 lin. longi, nonnisi supra ovarium brevi spatio pilis mollibus longis patulis albo-hispidi, infra et supra hanc partem pilis raris brevibus adpressis conspersi, aut fere glabri, albi? v. pallide flavi, tubo gracili tenero anguste infundibuliformi, limbi lobis 1½-2 lin. longis obtusiusculis. *Filamenta* 2-3 lin. longa *).

6. **Pimelea suaveolens** *Meisn.* foliis lineari-lanceolatis, acutis, coriaceis, aveniis ramisque glabris; involucralibus 8 biseriatis, capitulum subaequantibus, ovato-v. lanceolato-oblongis, acuminatis, pallidis, submembranaceis, venosis,

*) **P. spectabilis** Lindl. Swan-River pag. XLI. n. 183. Bot. Reg. 1841 t. 33, (a Preissio haud missa) fide specim. Drummond. (coll. 1.) a *P. Lehmanniana*, cui valde affinis, differt: foliis subvenosis, involucro colorato, floribus longioribus, limbo extus sericeo etc.

ciliatis, utrinque glabris; calyce extus ubique aequaliter patenti-piloso, supra basin demum glabrescentem tarde rumpente, tubo filiformi, limbi lobis oblongis stamina exserta superantibus.

In limoso-calculosis montis Greenmountain, Perth, d. 13. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1268. (Drummond n. 548.)

A praecedente, cui valde similis, praeter notas indicatas facile distinguenda: caulibus apice saepe corymboso-ramosis, foliis utrinque magis attenuatis, exsiccatione margine involutis (in illa revolutis) involucralibus caulinis interdum parum latioribus (3-4½ lin. latis) sed semper tenerioribus diaphanis pallide flavo-viridibus, florum pubescentia paulo breviore sed ubique aequaliter densa patulaque, tubo apice haud infundibuliformi et praecipue filamentis limbi lobos haud aequantibus (1-1½ lin. longis). — „Frutex 1-2-pedalis. *Flores* sulphurei, suaveolentes".

7. **Pimelea Menkeana** *Lehm.* foliis lanceolato-linearibus, obtusiusculis, coriaceis, aveniis, subimbricatis ramisque glabris; involucralibus 8 biseriatis, capitulo paulo brevioribus, ovatis ovalibusque, submembranaceis, pallidis; calyce extus ubique piloso, tubi articulati pube longiore patula, limbi lobis oblongis obtusis stamina vix superantibus.

In region. interior. Australiae meridionali-occidentalis, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1269.

„Frutex pedalis". *Rami* (ut in praecedentibus aliisque speciebus) ex infima caulis parte plures, erecti, simplicissimi, subaequales, inferne defoliati. *Folia* pallide flavo-viridia, erecta, subadpressa, internodiis (superioribus vix 3-2 lin. longis) longiora, 4-7 lin. longa, 2-2½ lin. lata, utrinque aequaliter attenuata, dorso plus minus convexa (marginibus exsiccatione involutis) apice inermi obtusiusculo. *Capitulum* magnitudine *Scabiosae atropurpureae*, sessile. *Involucri* foliola exteriora ovata, breviter acuminata, interiora ovalia, ciliata, intus pilosiuscula, demum glabrata, 4-5 lin. lata, 6-8 lin. longa, subdiaphana et obsolete venosa. *Flores* lutei 8-10 lin. longi, fere *P. suaveolentis*, sed limbi lobi paulo latiores et extus minus pilosi.

8. **Pimelea lanata** *R.Br.* foliis ovali-lanceolatis, acutis, subaveniis, utrinque ramulisque glabris; involucralibus 4 capitulum subaequantibus, ovatis, rameis vix latioribus subbrevioribus, coriaceis, viridibus, margine membranaceis decoloribus, intus sericeis demum glabris; calyce extus ubique longiuscule piloso, tubo supra ovarium articulato, apice anguste infundibuliformi et cum limbo demum glabrescente, lobis oblongo-linearibus stamina exserta vix superantibus tubo vix triplo brevioribus.

In arenosis prope litus maris, distr. Sussex, d. 28. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1279.

„Frutex 4-pedalis. *Rami* sanguinei" ramulis subcorymbosis patulis, plerumque simplicissimis. *Folia* laete flavo-viridia, patula, sessilia, internodio plerumque breviora, 6-7 lin. longa, 2½-3 lin. lata, plana, mucronulo minuto obtuso terminata, summa paulo majora. *Capit.* magnitudine *P. decussatae*, floribus vix semipollicaribus albis?

§. 2. Folia opposita (rarius alterna), involucralia rameis similia. Capitula terminalia.

9. **Pimelea sylvestris** *R.Br.* glaberrima, ramis gracilibus; foliis herbaceis, lanceolatis, acutis, involucralibus 4-6 capitulo pedunculato brevioribus; receptaculo hemisphaerico brevissime villoso; calyce glabro, supra basin inflatam tarde rumpente, tubo infundibuliformi inferne angustissimo, limbi staminibus superati lobis ovato-oblongis. — R.Br. prodr. pag. 361. Bot. Reg. t. 1582. Bot. Mag. t. 3276. Bot. Cab. t. 1965.

In solo sublimoso sylvae ad summitatem montis (alt. 500 ped.) prope Two-peopled Bay, Plantagenet, d. 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1270. (Drummond n. 551.)

„Frutex 3-pedalis. *Flores* pallide rosei". — Specimina spontanea cum planta in hortis nostris jam vulgari exacte conveniunt.

10. **Pimelea graciliflora** *Hook.* glaberrima, ramis abbreviatis rigidis; foliis coriaceis, glaucis, confertis, lanceolatis, acutis, involucralibus capitulo breviter pedunculato brevioribus; receptaculo ovato-conico velutino; calyce glabro, supra basin parum inflatum articulato, tubo subinfundibuliformi, limbi lobis oblongis stamina subaequantibus. — Hooker in Bot. Mag. t. 3288.

Inter saxa calcarea collis haud procul ab oppido Freemantle, d. 24. Dec. 1838. Herb. Preiss. n. 1274.

„Frutex 1-2-pedalis. *Flores* pallide rosei; antherae purpureae". *Rami* inferne crebre verruculoso-cicatrisati ramulique incurvo-adscendentes, saepe corymboso-approximati. *Capitula* praecedentis, pedunculo florifero vix 2-4 lin. longo, fructifero semipollicari. *Flores* supra ovarium parum angustati (nec filiformes) apice minus infundibuliformi-dilatati (nec adeo ut in ic. cit., caeterum cum planta nostra exacte congrua, repraesentantur). Species *P. sylvestri* certe proxima, at notis indicatis bene distincta.

11. **Pimelea flava** *R.Br.* foliis coriaceis, ovalibus, orbiculatis, obovatis lanceolatisve, obtusiusculis, aveniis ramulisque glabris, involucralibus capitulo subaequalibus; calycis extus sericei tubo cylindrico inferne articulato, limbi lobis ovalibus obtusis stamina breviter exserta superantibus, stylo longe exserto. — R.Br. prodr. pag. 361.

In arenosis sylvae prope Pine-Apple, Perth, d. 8. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1278. (Drummond n. 549 et coll. 1.)

„Frutex 1-1½-pedalis". *Caules* e basi communi plures, graciles, nunc subsimplices, nunc apice corymboso-ramosi, ramo centrali interdum fastigiato-elongato. *Folia* plerumque internodii longitudine, 3-6 lin. longa, 2-3 lin. lata (summa saepius dimidio majora) nunc omnia obtusa, nunc acutiuscula. *Capitula* magnit. *Cerasi* mediocris, aut duplo majora. „*Flores* viridi-sulphurei; antherae flavae".

12. **Pimelea imbricata** *R.Br.* foliis lanceolatis, obtusiusculis, junioribus imbricatis subtus ramulisque pubescentibus, adultis glabris; involucralibus numerosis, paulo lon-

gioribus et angustioribus, utrinque pilosis, capitulo brevioribus; calyce villoso, tubo inarticulato? fauce haud dilatata, limbi lobis lanceolatis tubo quadruplo brevioribus stamina exserta vix superantibus. — R.Br. prodr. pag. 361.

In rupestribus sylvae ad tergum montis Clarence, Plantagenet. d. 25. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1273.

„Frutex pedalis", decumbens? (habitu fere *Genistae pilosae*) ramosissimus, ramulis brevibus incurvo-adscendentibus. *Folia* plana, ramulorum sterilium 1-2 lin. longa, ½ lin. lata, fertilium summa fere duplo majora. *Capitula* multiflora, *Cerasi* magnitudine; „flores rosei", 4-5 lin. longi, pube patula dense sericeo-villosi. *Receptaculum* globosum, velutinum, vix semen *Viciae* aequans *).

13. **Pimelea longiflora** *R.Br.* foliis alternis oppositisque, linearibus, obtusis, dorso ramisque pilosis demum glabratis; involucralibus 8-10 villosis, capitulo multifloro brevioribus; calyce adpresse sericeo-villoso, articulato, limbo dimidium tubum aequante, lobis lanceolatis acutis, antheris subsessilibus exsertis, stylo incluso. — R.Br. prodr. pag. 361. Bot. Mag. t. 3281.

In solo turfoso-arenoso circa oppidum Albany, Plantagenet, d. 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1263. (Vidimus etiam specim. a. b. Fraser lecta.)

„Frutex sesquipedalis". *Rami* graciles, erecti, apice corymbosi. *Folia* in specim. nostris raro opposita, 3-7 lin. longa, vix lineam lata, coriaceo-rigidula, semierecta, dorso plus minus convexa, obsolete 1-nervia (nec 3-nervia, ut in ic. cit. repraesentantur) floralia interdum paulo breviora saepiusque basi latiora (lanceolata). *Capitula* magnit. *P. roseae* v. paulo minora. *Flores* 5 lin. longi, pallide rosei? *Receptaculum* defloratum ovato-globosum, magnit. *Pisi*, breviter cinereo-villosum. — Species haud dissimilis, ut videtur, *P. gracili* R.Br. (nobis haud visae) quae differt foliis oblongo-linearibus basi attenuatis et capitulis saepe lateralibus.

14. **Pimelea nana** *Grah.* foliis sparsis, lineari-lanceolatis, acutis, dorso ramisque subhirsuto-pilosis; involucralibus numerosis, laxiusculis, capitulo multifloro subaequalibus; calyce sericeo, inferne patenti-piloso, haud articulato?, limbi tubo angusto triplo brevioris lobis lanceolatis acutis genitalia exserta subaequantibus. — Graham in Edinb. Phil. Journ. Jul. 1840 et Bot. Mag. t. 3833! (Descriptio optima.)

In lapidosis montium continuorum Darling's-range. Perth, d. 1. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1275; in limoso-calculosis montis Greenmountain et in planitie arenosa Quangen, Victoria, d. 15. Oct. 1839. No. 1277. (Drummond n. 533.)

---

*) **Pimelea microcephala** R.Br. l. c. secundum specimina Drummondiana (No. 552 et coll. I.) a *P. imbricata*, cui valde affinis, differt: caulibus erectis ramisque elongatis gracilibus glabris, foliis remotioribus linearibus obtusioribus omnibus subaequalibus glabris, dorso convexis, involucralibus numerosioribus latioribus sed vix longioribus glabris, floribus albis? minus sericeis supra ovarium articulatis, lobis tubo angusto infundibuliformi vix triplo brevioribus ovato oblongis acutiusculis. Hujus var. insignis est *β major* nob., (Drummond n. 552) caule bipedali, capitulis duplo majoribus, involucri foliolis saepius ovatis (basi 1½-2 lin. latis). — Specimina nostra omnia e diagnosi apud Fl. Brown l. c. recedunt foliis obtusis et involucro capitulum nunquam superante, saepius tamen dimidio breviore.

„Frutex 1-2-pedalis“, corymboso-ramosus. *Radix* subsimplex, descendens, fibrosa. „*Flores* albi“. Variat involucri foliolis linearibus et (No. 1277) lanceolatis, capitulo paulo longioribus brevioribusve.

§. 3. Folia opposita v. alterna. Flores axillares, aggregati.

15. **Pimelea argentea** *R.Br.* foliis oppositis, subimbricatis, ovalibus lanceolatisque utrinque ramulisque adpresse argenteo-villosis, axillis summis 2-4-floris; calyce folium vix superante, puberulo, supra basin demum glabram articulato, limbi minuti lobis ovalibus obtusis, antheris subinclusis, stylo exserto. — R.Br. prodr. pag. 362.

Inter fragmenta rupium (Quartz,) montis Mathildae, York, d. 11. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1265.

„Frutex 3-5-pedalis, erectus“. *Rami* inferne glabrescentes, cortice rufo rugoso-striato; ramuli adscendentes, saepe tortuosi, fastigiato-corymbosi. *Folia* 3-4 lin. longa, 2-2½ lin. lata, obtusiuscula, conferte approximata. *Flores* in ramulorum apice spicam foliosam densam cylindricam obtusam 1-2-pollicarem formantes. *Calycis* basis fructifera rufa glabra, 2 lin. longa.

16. **Pimelea myriantha** *Meisn.* foliis sparsis, remotiusculis, patulis, utrinque ramulisque sericeo-tomentosis, inferioribus oblongo-lanceolatis, superioribus (floralibus) dimidio brevioribus ovato-oblongis, axillis 2-8-floris; calyce folio breviore extus puberulo, articulato, limbi lobis ovalibus obtusiusculis stamina exserta vix superantibus, stylo incluso.

In limoso arenosis ad radices montis Brown, York, et prope Beljarup, Goderich, d. 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1264.

„Frutex 4-pedalis“. *Rami* fastigiati, graciles, inferne glabrescentes, cortice cinnamomeo leviter rugoso-striato. *Folia* inferiora pollicaria, 2-3 lin. lata, basi rotundata, superiora sensim minora, floralia 2-4 lin. longa, 1½-2½ lin. lata, obtusiuscula. *Flores* albi? magnit. et forma praecedentis, limbo ante explicationem globoso, tubo etiam infra articulationem filiformi et pubescente. — Folia plerumque sordide cano-viridia, interdum tamen pube rariore vix sericea pallide flavo-viridia *).

*) Inter plantas olim a Prof. Philipp a cl. Latrobe lectas exstant solummodo *Pimelea glauca* et *curviflora* R.Br.

SANTALACEAE R.Br. *)

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

CHORETRUM R.Br. Endl. gen. n. 2074.

Observ. Generis characteri apud *Endl. gen.* n. 2074 adde:
Drupa subsicca basi bracteis, apice perianthii limbo clauso genitalibusque instructa, *nucula* ossea durissima secundum longitudinem sulcata, *seminis* inversi *spermodermide* tenui cum endocarpio connata, *albumine* carnoso, *embryone* recto in apice albuminis incluso, *radicula* supera.

1. **Choretrum glomeratum** *R.Br.* floribus ramos laterales terminantibus, binis ternisve. R.Br. prodr. pag. 354. ed. germ. pag. 210. Endl. Iconogr. gen. n. cit. icon. optima!

Crescit in montibus districtus Victoriae, 17. Mart. 1840 lect. Herb. Preiss. No. 2091.

„Arbuscula 15-pedalis". — Nostram ad speciem citatam referendam esse, non solum brevioris phraseos *Brunontanae* congruentia sed inprimis eximia *Bauert* Tabula extra omnem dubitationem ponit. Etsi nostra specimina fructibus, Baueriana floribus instructa sint, genitalia in drupis superstitia immutata ad unguem cum analysi citata congruunt. — *Drupa* in apice ramuli fructiferi solitaria (unico 3 florum tantum foecundo) basi *bracteis* 4 vel raro 3 ellipticis, obtusis, concavis marginibus extenuatis subtilissime lacero-fimbriolatis stipata, obovato-globosa, *perianthii* limbo clauso et genitalia intacta includente coronata, sordide fusca, subfurfuraceo-maculata, sicca, 5-6 mm. circiter longa, *pericarpio* tenui arcte adhaerente, *putamine* osseo, durissimo, crasso, sordide flavo, globoso, eleganter 14-costulato-sulcato, costulis alternis majoribus; *spermodermide* tenuissima alba cum ejus pariete interno connata, *albumine* carnoso albicante, *embryone* in ejus apice incluso recto parvo, adhuc parum efformato.

Choretri glomerati forma tenerior? crescit in calcareis districtus Wellington, „5. Dec. 1839 lect." Herb. Preiss. No. 2116.

2. **Choretrum Preissianum** *Miq.* (Praeter ramos nascentes aphyllum) foliis sparsis minutis lanceolato-linearibus, canaliculato-carinatis, floribus spicatis unibracteatis (?)

„Crescit in arenosis insulae „Gardenisland", 9. Nov. 1839 lect. Herb. Preiss. No. 2101.

„Frutex 7-pedalis", sparteus, strictus. *Rami* omnes lutescenti-virides, vetustiores cylindrici laeves vix rugulosi, juniores striato-costulati, sparsi, erecti, *ramuli* angulato-compressi. *Folia* minuta, sparsa, erectiuscula, molliuscula, lanceolato-linearia, carinata, antice canaliculata, viridia, marginibus extenuata et demum sub lente subserrulata, recta vel apice leviter incurva 3-4 mm. longa. *Spicae* (racemos ob flores inferne pedicellatim contractos mentientes) secus ramos sparsae, plures, erectae, patulae vel pendulae, flaccidae, facile deciduae, 1-1½ cent. longae, remotiflorae, *rhachi* tenui angulosa glabra. *Flores* articulatim inserti, patuli, albi, sessiles (sed ob *tubum* tenuem contractum quasi pedicellati, hacce contrarium probante) 1½-2 mm. longi, *bractea* ut videtur unica, lanceolata, concava, citissime

*) Accedunt genera affinia.

decidua suffulti: *Perianthii tubus* tenuis teretiusculus pallide viridescens, demum in drupam tumens, *limbo* albo 5-partito, clauso 5-angulari 5-sulcato, aperti phylla elliptica fornicata, carina introrsum descendente, basi extus *calyculo* minutissimo 5-dentato sustenta. *Stamina* 5, *filamentis* brevissimis, *antheris* bilocularibus, loculis discretis, singulis in duas valvulas fissis, hinc anthera quadrilocellata. *Stylus* brevis, *stigmate* stellato-quinquelobo, lobis planis, latis, obtusis, albidis. *Disci* epigyni 5-lobulati lobis obtusis concavo-elevatis atrofuscis, glandulas referentibus. *Bacca* immatura sessilis ovato-globosa, glabra, lutescens, perianthio clauso coronata.

3. **Choretrum spinosum** *Miq.* subaphyllum, ramis ramulisque teretibus sulcatis rigidis apiceque spinescenti-induratis, foliis ramulorum nascentium minutis appressis pulvinulo verrucaeformi impositis lanceolatis subcanaliculatis fuscescentibus, spicis brevibus aliquando subglomeruliformibus paucifloris, floribus unibracteatis, bractea lanceolata decidua.

In limoso-calculosis districtus Hay, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2105.

„Frutex pedalis“, ramificatione et ramorum indole *Leptomerium Lehmanni* quodammodo referens, rigidissimus. *Rami vetustiores* teretes, cortice fusco ruguloso obducti; *juniores ramulique* in sicco lutescentes, tereti-angulosi, sulcati, apice (inprimis ramuli breviores horizontaliter patuli) spinoso-indurati, omnes cicatricibus nigricantibus elevatis minutis foliorum lapsorum instructi. *Folia* in ramulis nascentibus tantum obvia, pulvino elevato inserta, membranaceo-succulenta, in sicco fusca, albo-marginata, appressa, lanceolata, utrinque acuta, antice subcanaliculata, 1 mm. circiter longa. *Flores* in *spicis* brevibus, aliquando subglomeruliformibus, pauci ob perianthii tubum contractum quasi pedicellati, racemosi, unibracteati, *bractea* lanceolata decidua. *Rhachis* spicae angulosa; *tubus* et *calyculus* perianthii in sicco fuscescentes, *limbus* albus. *Flores* minutissimi in nostris adhuc clausi, 1 mm. paullo longiores, ½ ad apicem crassi. *Calyculus* perianthii limbum suffulciens, repando-truncatus. *Limbi* laciniae et genitalia non nisi magnitudine paullo minore ab iis praecedentis speciei differunt, quantum ex alabastrorum analysi concludere licuit.

Observ. Species duae praecedentes a reliquis *floribus unibracteatis* differunt, minime autem a genere separandae sunt, cum florum structura ad unguem quadret. Generis ab omni parte vere naturalis character essentialis in singulari forma laciniarum perianthii positus est. Harum forma transitum struere videtur a praefloratione valvata ad induplicatam.

LEPTOMERIA R.Br. Endl. gen. n. 2075.

Observ. Generis characteri apud *Endlich. gen.* n. 2075 adde:

Drupa baccata vel exsucca, perigonii limbo genitalibusque persistentibus coronata, senescens aliquando calva, *nucula* subossea vel lignosa fragili sulcato-costata, *testa* tenui membranacea majorem partem cum pericarpio connata, *albumine* carnoso, *embryone* brevi recto in apice albuminis incluso, *radicula* supera.

Sectiones generis a cel. *Brown* propositae et *Xeromeriae*, *Omphacomeriae* et *Oxymeriae* nominibus a cl. *Endlicher* insignitae, maxime naturales olim fortasse, florum et fructuum differentiis melius perspectis, ad generum dignitatem evehendae.

Sectio Xeromeria Endl.

1. **Leptomeria hirtella** *Miq.* ramulis angulatis foliisque junioribus postice versus basin minute hirtellis, his sparsis patulis subulato-semiteretibus utrinque acutis, introrsum curvatis, floribus axillaribus solitariis pedicellatis, quinquefidis, disci lobis subglandulaeformibus, drupis exsuccis subobovato-ellipticis striato-costulatis.

Inter saxa calcarea clivuli haud longe a maris littore in regione Perth, 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2113.

„Frutex 1-2-pedalis", purpurascens vel viridis. *Radix* perpendicularis, rhizomatosa, subfusiformis, flexuosa, albicans, 20 cent. circiter longa. *Rami* caulis inde a basi plures, teretiusculi, rugulosi, sordide fusci vel grisei, vage ramosi, *ramulis* densis erectiusculis sparteis, viridibus vel purpureis, angulosis, striato-sulcatis, lineis elevatis e foliorum basi descendentibus, patentim subtiliter hirtellis. *Folia* sparsa, conferta, ericino-acerosa, patula, subsemiteretia, postice convexa, laevia, juniora versus basin sparse hirtella, antice inprimis versus basin planiuscula vel concaviuscula, versus apicem paullo crassiora et minus plana, apice ipso breviter tereti-acutato, viridia vel purpurascentia, introrsum arcuatim curvata, 2-3 mm. longa. *Flores* axillares solitarii. *Drupa* exsucca, subobovato-elliptica, in sicco fusca, glabra, secundum longitudinem striolato-costulata et transverse rugulosa, fere 4 mm. longa, limbo patulo genitalibusque coronata, *pedicellum* teretem paullo superans. *Limbi* quinquefidi lobis apertis, ellipticis, concavis, fuscis, crassis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato-subulatis, *antheris* pallide luteis bilocularibus, lato-ovatis a dorso subcompressis. *Stylus* brevissimus, *stigmate* emarginato. *Discus epigynus* quinquelobus, lobis subglandulaeformibus inter stamina subelevatis. *Pericarpium* tenuissimum fuscum. *Putamen* conforme sordide pallide flavum, sulcato-costulatum, crassiusculum, duriusculum, subcrustaceum. *Spermodermis* mediante tela cellulari laxa cum pericarpio coalita, tenuis, papyracea. *Albumen* carnosum albicans. *Embryo* nondum bene efformatus.

2. **Leptomeria empetriformis** *Miq.* patenti-ramosa, stricta, foliis sparsis densiusculis acerosis, semitereti-vel subulato-trigonis, antice canaliculatis, floralibus (bracteis persistentibus) planiusculis brevioribus, floribus supra ramulos spicaeformes pedicellatis, bractea ½-⅓ brevioribus, quinquefidis, disci lobis brevibus liberis, stigmate vix emarginato.

In arenosis sylvae ad fluvium Cygnorum, d. 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2094.

„Frutex bipedalis". *Rami ramulique* patentes, stricti, rigidi, teretes, sordide fusci vel grisei, parumper rugulosi, nascentes virides vel violaceo-purpurascentes, tri-vel tetragoni aut compressi, lineis elevatis e foliis descendentibus, subtiliter resinoso-glandulosi. *Folia* ex articulatione facile decidua, sparsa, conferta, patula, ericina, subulato-semiteretia, trigona, antice profunde lato-canaliculata, apice acuto subsphacelato duriusculo leviter incurva, viridia vel fuscescentia, 5-7 mm. longa. *Folia ramulorum florentium* (vix recte bracteae dicenda) inprimis inferiora, magis plana, latiora, breviora, teneriora, pallida, apice rubello-violacea, persistentia. *Flores* ex eorum axillis solitarii, pedicellati, fusci (*pedicello* versus basin pallido, sursum fusco) bractea ½-⅓ breviores, expansi 1 mm. in diam. *Limbus* clausus globosus, rotatus, quinquefidus, phyllis ellipticis, concavis enerviis. *Discus epigynus* quinquelobus liber, lobis brevi-triangularibus obtusis vel

subemarginatis, in sicco atro-fuscis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato-subulatis totis inter discum et perianthium immersis, *antheris* dilute flavis, bilocularibus. *Stylus* brevis, *stigmate* glanduloso-subcapitellato, vix emarginato pallido.

Observ. Differentia inter inflorescentiam spicatam et axillarem in hac aliisque speciebus fere incerta est, cum folia e quorum axillis flores oriuntur, a genuinis parumper saltem differant, post florescentiam persistant et ramulus ipse (seu axis spicae) *aliquando* vegetationem continuet.

3. **Leptomeria ericoides** *Miq.* ramis ramulisque strictis erectiusculis subtetragono-angulatis foliatis, foliis acerosis viridulis vel subrubescentibus erecto-appressiusculis semitereti-compressis pungenti-acutatis, floribus spicatis brevissime pedicellatis, bracteis foliiformibus patulis leviter incurvatis persistentibus, perianthio quinquefido, disco epigyno in glandulas 5 erectas obtusas compressas soluto.

In confragosis montis Wuljenup, Plantagenet, m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2117.

„Frutex pedalis", foliis *L. empetriformi*, floribus *L. Brownii* cognatus. *Rami* stricti, erecti, rigidi, tetragono-angulati, inferne nudi et cicatricibus foliorum elevatis instructi, superne foliati, apicibus foliis nascentibus imbricatis tumentibus; *ramuli florifert* patuli. *Folia* sparsa, remotiuscula, erecto-appressa, semitereti-compressa, *juniora* rubescentia, antice canaliculata et introrsum curvata, *vetustiora* magis compressa, antice plana, et fere recta, rigida, apice pungenti-acutato, dorso carinata, 4-6 mm. longa. *Spicae* (ramuli florentes), 1-2 cent. longae, tenerae, *bracteis* quam folia tenerioribus, patulis, haud pungentibus, caeterum conformibus et persistentibus. *Flores* subsessiles, *tubo* subcyathiformi, *limbo* quinquefido, lacinlis ellipticis, planiusculis enerviis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato subulatis, *antheris* albicantibus bilocularibus. *Stylus* brevissimus, *stigmate* 2-3-sublobulato-emarginato. *Discus epigynus* quinquelobus, lobis liberis in glandulas obtusas compressas atro-fuscas terminatis. *Drupae* immaturae, perianthio et genitalibus coronatae, obovatae, fuscae, haud striatae.

Observ. De inflorescentia idem valet ac de praecedente monui.

4. **Leptomeria Cunninghami** *Miq.* ramis ramulisque tereti-angulatis, striato-sulcatis, foliatis, foliis sparsis remotis, rameis semitereti-trigonis erecto-incurvis acutatis, ramulinis subpatulis semitereti-subulatis, floribus spicatis quinquefidis, disco in 5 glandulas soluto, bracteis lanceolatis carinato-concavis persistentibus.

In limoso-calculosis sylvae prope Emuplains, Darlingsrange, 12. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2096.

„Frutex bipedalis", gracilis, haud rigidus, *L. Brownii* prae reliquis cognatus. *Rami* inferne simplices teretes sulcati viridescentes, *foliis* remotis subappresso-erectis, semitereti-trigonis, antice planis vel versus basin canaliculatis dorso subcarinatis, apice plus minus pungenti-acutatis, 6-7 mm. longis. *Ramuli* versus ramorum vertices confertiusculi, suberecti, *foliis* magis patulis, brevioribus, versus basin compressiusculis et antice concavatis. *Spicae* erectiusculae numerosae ½-1 cent. longae, remotiflorae, *bracteis* lanceolatis acutis, basi coarctatis, carinato-concavis, lutescenti-viridibus, flores paullo superantibus, persistentibus. *Flores* ob perianthii tubum teretem angustatum longiusculum quasi pedicellati, in sicco fusci, *perianthii* quinquefidi lobis ellipticis, concaviusculis enervlis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato-subulatis, *antheris* albicantibus bilocularibus. *Discus epigy-*

nus in glandulas 5 fuscas elevatas liberas solutus. *Stylus* brevis, *stigmate* subincrassato fusco irregulariter emarginato.

5. **Leptomeria chrysadena** *Miq.* ramis ramulisque subtetragonis sulcatis, his junioribus densissime aureo-glandulosis aphyllis, foliis ramulorum nascentium erectis, lanceolatis carinato-subcanaliculatis fusco-luteo-marginatis et suberosulo-laceris, spiculis brevibus, bracteis deciduis foliiformibus nascentes flores velantibus, floribus quinquefidis, disci lobis elevatis subglandulaeformibus, drupis globosis sessilibus.

In turfosis humidis planitiei inter montes Melville et Elphistone, Plantagenet, 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2124.

Species distinctissima. „Frutex 2-3-pedalis". *Rami* tetragoni sulcati, fusci, cicatricibus foliorum elevatis obsiti, *ramuli* lutescentes et sub lente visi glandulis croceo-aureis densissime tecti, ita ut costae elevatae *crenatae* videantur. *Folia* in nascentibus ramulis tantum obvia, lata basi tuberculo caulis innixa, fusca, mollia, erecto-patula, 1½-2 mm. longa, lanceolata, antice canaliculata, marginibus lutescentibus sublacera, extenuata. *Spicae* numerosae, sessiles, adspectu ochraceae, ½ cent. longae, subpyramidatae, densiflorae, *rhachi* obiter foveolata, *bracteis* foliis similibus, brevioribus, sed latioribus, fere ovato-acuminatis, dorso carinatis, versus basin imprimis concavis, deciduis. *Florum tubus* anguste cyathiformis brevis, *limbus* clausus depresso-globosus, rotatus, *lacinitis* convergentibus ellipticis concavis acutatis. *Stamina* 5, *antherae* albicantes. *Stylus* brevis, *stigmate* obtuso vix emarginato. *Discus epigynus* quinquelobus, lobis elevatis glandulas compressas referentibus. *Drupa* sessilis globosa sicca vix rugulosa, limbo clauso coronata.

6. **Leptomeria laxa** *Miq.* ramis teretiusculis ramulisque erectis tetragono-angulatis striatis, foliis sparsis serius deciduis molliusculis acerosis, semiteretibus antice canaliculatis, patulis antrorsum incurvatis, acutis vetustis sphacelato-spinoso-acutatis, floribus spicatis, bracteis ellipticolanceolatis, floribus quinquefidis, drupis ovato-globosis costulatis.

In Novae Hollandiae austro-occidentalis regionibus interioribus, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2120.

„Fruticulus semipedalis flexilis e *radice* albicante perpendiculari fusiformi". *Caules* plures aequilongi erecti, tenues, viridescentes, simplices, teretiusculi, striati, inferne aphylli, superne foliati, *ramulis* sparsis erectis tetragonis vel tetraquetris sulcato-striatis dense onusti. *Folia* sparsa remota, serius decidua sed in siccis facile solubilia, viridia, molliuscula, in sicco rugosula (in vivo fortassis carnosula), semiteretia, antice plana vel tereti-trigona, adulta apice spinoso-indurata, introrsum arcuatim curvata, 1 cent. fere longa, ramulorum breviora. *Spicae* patentiusculae, remotiflorae, *bracteis* foliiformibus erecto-patulis, elliptico-lanceolatis, planiusculis, 1-2 mm. longis. *Drupa* adest unica sicca, limbi 5-fidi rudimentis instructa, subcalvescens, subovata, 3 mm. longa, fusca, circiter 16-costulata, breviter pedicellata.

7. **Leptomeria Brownii** *Miq.* ramis junioribus ramulisque patulis angulatis, foliis sparsis minutis triangularisemiteretibus, rigidis, acutatis, arcuatim patulis, floribus spicatis, bracteis brevi-lanceolatis basi dilatatis, persistentibus, floribus pedicellatis quinquefidis.

In rupestribus umbrosis sylvae ad latus meridionale montis Wuljenup, Plantagenet, 14. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2109.

„Frutex quinquepedalis, rigidus, strictus, ramis elongatis strictis“ ramulis patulis. — *Rami vetustiores* teretiusculi, ruguloso-costulati, foliati, *juniores ramulique* patuli angulosi, lineis elevatis e foliis descendentibus instructi. *Folia* sparsa remota, in sicco rigida, pungentia, semitereti-trigona, antice plana vel concava, apice rigido-acuta, arcuatim recurva, juniora dorso carinata, vetusta, inprimis prope apicem, concavata, 2 mm. circiter longa. *Spicae* patulae, remotiflorae, *bracteis* foliiformibus, verum quam folia latioribus, brevioribus, rectis, patulis, breviter elliptico-lanceolatis, basi dilatatis, concaviusculis, post druparum casum persistentibus. *Flores* pedicellati bracteas superantes, in sicco fusci, clausi globosi; *perianthii limbo* rotato quinquefido, vix 1 mm. lato, lobis ellipticis planiusculis, obtusiusculis, infra apicem concaviusculis, marginibus sub lente erosulis, enerviis, *tubo* anguste cyathiformi fusco in *pedicellum* brevem viridescentem extenuato. *Disci epigyni* profunde quinquelobi lobis elevatis, apice atro-fuscis, obtusatis incurvato-concavis in glandulas elevatas liberas mutatis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato-subulatis, *antheris* albicanti-luteis bilocularibus, inter disci sinus emergentibus. *Stylus* brevissimus, *stigmate* 2-3-obtusoradiato (?). *Drupa* globosa, laevis, glabra, brevissime pedicellata, perianthio aperto coronata, tandem calva, 1½ mm. in diam., sicca griseo-fusca, *pericarpio* tenuissimo, *putamine* isabellino crustaceo-fragili, laevi haud nitido, *spermodermide* tenuissima cum ejus pariete interno cohaerente. *Albumen* in massam amorpham exsiccatum.

8. **Leptomeria obovata** *Miq.* foliosa, glabra, foliis planiusculis carnosis breviter petiolatis obovatis vel elliptico-obovatis, acutiusculis vel obtusis, supra concavis, subtus convexis, enerviis, floribus axillaribus quinquefidis, disco epigyno in glandulas 5 soluto, stigmate emarginato.

In regionibus interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, Febr. 1841. Herb. Preiss. No. 2108.

Species foliorum forma a reliquis omnibus distinctissima. Frutex, *ramis* teretibus griseis, *ramulis* herbaceis, angulosis subtetragonis, foliatis. *Folia* sparsa, alterna, basi in brevem *petiolum* contracta, carnosa, in sicco rugosa fuscescentia, obovata vel obovato-elliptica, acutiuscula, subacutata vel obtusa, supra concava subtus convexa, nervis nullis visibilibus, 4-6 mm. longa, 2-3 mm. lata, patula, leviter incurva. *Folia ramulorum florentium* minora angustiora ceteroquin haud diversa. *Flores* solitarii, axillares, *tubo perianthii* contracto tereti sursum parumper incrassato, 1 mm. propemodum longo quasi pedicellati, *limbi* 5-fidi laciniis ellipticis, *staminibus* 5, *antheris* albicantibus, *disco epigyno* in glandulas 5 obtusas atro-fuscas soluto, *stylo* brevi, *stigmate* emarginato.

9. **Leptomeria? odorata** *Miq.* dense foliosa, ramulis sulcatis, foliis linearibus uni-vel obsolete trinerviis, ramulorum subfalcatis, acutiusculis, spicis longiuscule pedicellatis minutis filiformibus subremotifloris, bracteis squamaeformibus adnatis apice dentiformi patulo, persistentibus, floribus sessilibus parumper immersis, quinquefidis, stigmate quinquangulari.

In arenosis sylvae districtus Sussex, 19. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2093

Frutex? *Rami ramulique* confertissimi dense foliati, illi teretes, cortice fusco lineis elevatis percurso, ligno albicante, hi densissimi, erecti, viri

descentes, anguloso-compressi. *Folia ramea* ramulinis multo majora, linearia aut sublanceolato-linearia, crassiuscula, subindurato-acuta, supra subcanaliculato-concava, subtus convexa, nervo medio prominulo, duobusque lateralibus magis obsoletis subtrinervia, 3-4 cent. longa, 3-fere 4 mm. lata. *Folia ramulina* sparsa, densa, teneriora, minora, basin versus magis coarctata, acuta vel obtusiuscula, parumper obliqua, subfalcata, uni-vix subtrinervia, 2 cent. longa, 2½ mm. lata, pallide viridia. *Spicae axillares*, filiformes, pedunculatae, laxiusculae, 1 cent. circiter longae *pedunculo* ½-½ longiores aut aequales, subremotiflorae. *Bracteae* squamaeformes adnatae, apice dentiformi patulae, infimae aliquando subfoliaceae, lineares et patulae, persistentes. *Flores* quam brevissime pedicellati, rhacheos foveolis insidentes bracteaeque apice sustenti, depresso-globosi, in sicco sordide flavicantes. *Limbus* rotatus, quinquefidus, lobis triangulari-ellipticis concavis, obsolete trinerviis, marginibus sub lente fortiore subtilissime serrulatis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus lato-subulatis, *antheris* subovatis postice affixis, pallide luteis, bilocularibus, loculis discretis antice rima hiantibus, singulis dissepimento perpendiculari persistenti instructis, unde anthera quadrilocellata. *Discus epigynus* 5-angularis. *Stylus* brevissimus crassus. *Stigma* atrofuscum, nitidum, 5-angulari-sublobulatum. — Odor totius plantae resinoso-aromaticus, gratus, haud fortis.

Observ. Ovarium in fl. juvenilibus haud bene observare licuit. — Anne potius Exocarpi Species?

Sectio Oxymbria Endl.

10. Leptomeria Lehmanni *Miq.* subaphylla, ramis teretibus ramulisque sulcato-striatis minute resinoso-glandulosis, foliis sparsis aliquando binatim vel ternatim approximatis bracteisque caducis lanceolatis mollibus, primo marcescenti-truncatis dein deciduis, floribus spicatis quinquefidis, limbi laciniis apice uncinatim incurvis, disci lobis obtusis semiadnatis, stigmate 5-radiato.

In asperis inter frutices densos haud longe a monte Wuljenup, Plantagenet, 20. Oct. 1840 sp. bacciferum. Herb. Preiss. No. 2107; ibid. No. 2121 sp. fl. et baccif. in arenosis inter frutices densos haud longe ab urbiculo Freemantle, 18. Dec. 1838, sp. fere sterile No. 2106. In solo sublimoso-glareoso distr. Goderick, Nov. 1820. No. 2097.

Differt a *L. acida* R.Br. limbi laciniis integris, baccarum forma, a *L. Billardieri ejusd.* disco lobato nec in glandulas soluto, a *L. aphylla ejusd.* bracteis lanceolatis nec obovatis. „Frutex quadripedalis“ strictus. *Rami* teretes, sordide lutescentes demum atro-fusci, *ramuli* stricti, rigidi erecti vagi, in quibusdum binatim vel ternatim approximati, angulosi, striato-sulcati, cicatricibus elevatis nigricantibus foliorum instructi, sub lente, inprimis in vegetioribus speciminibus, superficiei glanduloso-subvitreae, aphylli. *Folia* in ramulis nascentibus tantum obvia, molliuscula, lutescentia, lanceolata, 2 mm. circiter longa, apice acuminata, sphacelata sensimque emortua et apice soluto obovato-truncata, denique decidua. *Spicae* breves pauciflorae, *bracteis* foliiformibus deciduis. *Flores* breviter pedicellati, *limbo* rotato quinquefido, lobis ellipticis, apice subuncinato-incurvis. *Disci* epigyni quinquelobi lobis obtusis liberis. *Stamina* 5, *filamentis* brevibus, lato-subulatis, *antheris* pallidis bilocularibus. *Stylus* brevis, *stigmate* quinqueradiato. *Drupae* in spicae apice solitariae oblongo-obovatae vel cylindrico-obovatae, limbo patulo, genitalibusque coronatae, 5-7 mm. longae, succulentae, sordide fuscae, rugosae, epicarpio aetate provectiore sensim soluto, *putamen* albicans denudante. Hoc subligneum, fragile, sulcis longitudinalibus profundis in 10 segmenta diremtum. *Semina* in omnibus cassa.

Variat haec species quo ad ramorum dispositionem; hi enim mox omnino sparsi mox binatim vel ternatim subapproximati.

Leptomeria Lehmanni, forma tenerior. Folia magis dissita et paullo minora. Rami teneriores minus rigidi. Flores non nisi magnitudine paullo minore differunt.

In sublimoso-glareosis sterilibus sylvae cis fluvium Gordon, Hay, 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2123.

„Frutex 4-pedalis".

SANTALUM Linn. R.Br. Endl. gen. n. 2080.

1. **Santalum Preissianum** *Miq.* foliis crasso-coriaceis lanceolatis utrinque acutis nec pungentibus subaequilateris aveniis vel supra obsolete venulosis, paniculis terminalibus brachiatis, floribus in apice ramulorum ternis vel pluribus, filamentis postice ad basin fasciculatim pilosis, drupa baccata subglobosa limbi rudimento coronata, putamine globoso durissimo ruminato-foveato.

In arenosis ad litus maris, distr. Sussex, 25. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2102.

„Frutex 6-8-pedalis", *Santalo lanceolato* R.Br. prodr. pag. 356 ed. germ. pag. 212 cognatus, sed ob hujus folia oblongo-lanceolata dicta, ni fallor, diversus. *Rami vetustiores* teretes, cortice griseo-nigricante parum ruguloso obducti; *ramuli* tetragoni vel tetragono-compressi. *Folia* opposita, decussata, erectiuscula quasi in *petiolos* semiteretes vel trigonos ½ cent. paullo longiores contracta, crassius carnoso-coriacea, pallide viridia?, lanceolata, subaequilatera, basi attenuata, apice acuta sed haud pungentia, marginibus plerumque leviter revoluta, 3-7 cent. longa, ½-1½ lata, nervo medio supra subprominulo, subtus ad basin prominente, venulis fere obsoletis patulo-erectis, supra obiter prominulis. *Panicula* terminalis composita, opposite ramosa, ramis superioribus simplicibus brevioribus pyramidata, 3 cent. circiter longa, *bracteis* citissime caducis, ovatis acuminatis antice concavis. *Flores* in apicibus pedunculorum sessiles, terni, plures, vel et subsolitarii, quibusdam saepe haud perfecte evolutis. *Limbi* quadrifidi laciniae ellipticae crassae. *Stamina* 4, *filamentis* brevibus postice ad insertionis locum fasciculato-pilosis ita ut sejuncto filamento pars pilorum limbi laciniae adhaereat. *Antherae* biloculares. *Glandulae* 4. *Stylus* brevis, *stigmate* obtuso. *Drupa baccata* subglobosa, basi in brevem pedicellum contracta, apice limbo subpersistente coronata, 3 cent. circiter longa, pericarpio exsiccato adhaerente coriaceo rugoso. *Putamen* maturum globosum pallide subochraceum, durum, crassum, lapideo-lignosum, extus ruminatum laeve, foraminibus subpertusis et costulis verrucaeformibus variae magnitudinis.

2. **Santalum Cygnorum** *Miq.* foliis rigide coriaceis utrinque glaucis supra praesertim venulosis, anguste oblongo-lanceolatis, basi acutis, apice (majoribus) obtusis muticis aut submucronatis vel (minoribus) spinoso-acutis, racemis paniculatis axillaribus vel terminalibus, spicato-ramosis, floribus ternis vel ad basin ramuli solitariis, bracteis deciduis ovato-acuminatis vel rotundatis, disci glandulis compressis latiusculis, antheris quadrilobis, filamentis postice fasciculatim pilosis.

In lapidosis distr. York, incolis „Nuttree" dictum, 11. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2108.

„Arbor circiter 20 pedum, cujus lignum odorem gratum spirat.“ *Rami* rigidi, teretes, atrofusci, rugosi. *Ramuli* tetragono-compressi, fusci, laeves. *Folia* opposita, erecto-patula, rigide sed crasse coriacea, utrinque praesertim supra glauca, lanceolata, sed ob margines fere parallelos anguste oblongo-lanceolata, basi acuta, apice obtusa, mucronata vel mutica, alia, inprimis juniora acuto-spinosa, 4-6½ cent. longa, 8-15 mm. lata, basi contracta fere petiolata, nervo medio percurrente utrinque prominente, in sicco fusco, venulis ramulosis praesertim supra conspicuis; marginibus vetustiorum subrevolutis. *Racemi* spicati brachiati (paniculam sistentes) ramosi, superiores simplices, fragiles 1½ cent. longi. *Bracteae* ovato-acuminatae aut rotundatae, crassae, concavae, deciduae. *Flores* sessiles, plerumque terni, medio normali, lateralibus saepe haud bene efformatis, vel ad basin rami inflorescentiae solitarii, depresso-globosi, tetragoni. *Perianthii* quadrifidi laciniae crassae, ellipticae, acutae. *Disci epigyni* lobi elevati compressi, obtusi, glandulaeformes. *Stylus* brevis, *stigmate* subbilobulato. *Stamina* 4, *filamentis* brevibus, postice ad basin fasciculatim pilosis. *Antherae* fuscae lato-ovatae, dorso compressae, quadrilobae.

Observ. Limites inter Fusanum et Santalum genera vix certi, praecedentis speciei structura perpensa fere vaccillantes; nam inter disci epigyni *lobos glandulaeformes* et *glandulas veras* facilis transitus. Drupae *calvae* vel *apice marginatae* fortuitos potius quam ponderosos et constantes characteres praebent.

3. **Santalum obtusifolium** *R.Br.* foliis oblongo-ovalibus obtusis coriaceis subtus glaucis aveniis: superioribus passim alternis, racemis paucifloris, caule fruticoso. R.Br. prodr. pag. 356. ed. germ. pag. 212.

In limoso-arenosis prope urbiculum York, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2104.

Phrasis in nostris speciminibus quadrat excepta foliorum glaucedine in siccis haud superstite. *Racemi* simpliciusculi rudimentum saltem superest.

„Arbor 25-pedalis.“

4. **Santalum cognatum** *Miq.* foliis coriaceis utrinque subtiliter venulosis subfalcato-lanceolatis, apice oblique et pungenti-acutis, racemo terminali brachiato, filamentis glabris, antheris fuscis lato-ovatis postice compressis, subquadrilocellatis.

In solo arenoso sylvae haud procul ab oppidulo Perth, 31. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2098; in solo sublimoso fertili distr. Peel, Febr. 1841. No. 2100.

Specimina citata quantum video haud diversa, illud e frutice septempedali, hoc ex arbore 15 pedes alta carptum. *Rami* teretiusculi, *ramuli* subtetragoni. *Folia* opposita, erectiuscula, petiolo semitorto subinversa, lanceolata, utrinque acuta, plurima falcato-lanceolata, altero latere convexo, altero recto vel concavo, *petiolo* semitereti antice plano marginibus acuto, 6 mm. longo, coriacea, in siccis rigida, apice acutato subspinosa plerumque parumper incurva, 5-6½ cent. longa, 7-12 mm. lata, pallide subglaucescenti-viridia, nervo medio percurrente utrinque, venulis praesertim supra prominulis. *Flores* in racemis terminalibus brachiatis paniculato-pyramidatis, 3-3½ cent. longis, *bracteis* caducis. *Pedunculi* inferiores fere centimetrum longi, superiores sensim breviores, apice parumper incrassato floriferi. *Flores* articulati, articulis concavis crasso-marginatis inserti, facile decidui, terni et plures, vivi „virides, odoris, grati“ (No. 2098) sicci fusci, breviter pedicellati, virginales depresso-globosi tetragoni, 3 mm. in diam., *perianthio* quadrifido, laciniis ellipticis concavis, intus ad marginem unum lacero-fimbriatis. *Discus epigynus* in 4 glandulas obtusas compressas solutus. *Stamina* 4, *filamentis* brevibus complanatis fuscis glabris, *antheris*

lato-ovatis fuscis, loculis discretis, fere quadrilocellatis. *Stylus* brevis, *stigmate* 3-2-lobo.

Observ. Repugnat itaque et haec species ob defectum pilorum ad filamentorum basin characteri generis a cl. *Endlicher* exarato. Caeteroquin procul dubio ejus generis civis.

FUSANUS Linn. Endl. gen. n. 2077.

1. **Fusanus? diversifolius** *Miq.* arboreus, foliis (superioribus alternis) membranaceo-coriaceis, inferioribus elliptico-lanceolatis rectis, superioribus lineari-lanceolatis falcatis, omnibus versus basin attenuatis, apice subuncinato-acutis, utrinque venulosis, floribus spicatis, drupa globosa calva marginata, putamine conformi ligneo ochraceo.

In limoso-arenosis apertis ad fl. Avon distr. York, 2. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2111.

„Arbor circiter viginti pedum". *Ramuli* fusci, teretes, striati, cicatricibus foliorum lapsorum tuberculatis. *Folia* (ramulorum) alterna, subsessilia (nisi basis valde coarctata pro petiolo sumatur) membranaceo-coriacea, opaca, pallide viridia, glabra, inferiora elliptico-lanceolata, subaequilatera, versus basin valde attenuata, 7-8 cent. longa, 2 lata, superiora sensim angustiora, lanceolata et linearia, falcata, 6-7 cent. longa, 5-8 mm. lata, omnia apice haud duro uncinato-incurva acuta, nervo medio percurrente numerosas venulas parallelas adscendentes prominulas emittente. *Inflorescentia?* Fragmentum adest *spicae* axillaris pauciflorae. *Drupa* globosa 2½ cent. in diam., sordide fusca; parum rugosa, apice calvo lato-marginata, mesocarpio spongioso compacto sicco ochraceo, *putamine* globoso libero crasso, ligneo duro, extus ochraceo opaco, leviter ruminato. *Semen* cum ejus pariete interno ope textus spongioso-cellularis laxi cohaerens, *spermodermide* tenui cum hoc textu confluente, *albumine* albo carnoso, *embryone* albo recto, in ejus apice incluso, ⅕ mm. long., tereti, radicula brevi supera.

Observ. Ob foliorum situm et inflorescentiam ad Fusanum relata. An *F. acuminato* R.Br. affinis?

Plantae Santalaceae dubiae, ne quoad ordinem quidem certae.

2. **Fusanus? emarginatus** *Miq.* foliis alternis erectis rigido-coriaceis spathulato-oblongis, apice obtuso plerumque profunde emarginatis aveniis, spica axillari pauciflora, bracteis rotundatis concavis carnosis?

In asperis haud longe a monte Wuljenup distr. Plantagenet, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2112.

Frutex. *Folia* rigidissima, 3½-4½ cent. longa.

3. **Fusanus? an spicatus** *R.Br.* foliis lineari-oblongis obtusiusculis muticis, spicis axillaribus compositis, caule arborescente. R.Br. prodr. pag. 355. ed. germ. pag. 211.

Ad prom. Cape-Riche, 21. Nov. 1840 lect. Herb. Preiss. No. 2119.

Habitu et foliorum compage praecedenti simillimus; sed statura minor. *Folia* alterna haud subbinatim conferta, erecta, anguste oblongo-lanceolata

vel spathulato-lanceolata, versus basin valde contracta fere petiolata, apice obtuso subsphacelata, 3-4 cent. longa, 4-6 mm. lata, subavenia.

Planta Santalacea? *Ramuli* tri- vel quadrangulares. *Folia* linearia uninervia, apice acuminato-sphacelata, incurva, glabra, 3-5 cent. longa, 3 mm. lata, opposita, superiora alterna, raro terna.

In glareosis sterilibus districtus Grantham, Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 2118. „Frutex 5-pedalis, erectus, ramis subflaccidis".

EXOCARPUS Labill. Endl. gen. n. 2088.

1. **Exocarpus spartea** *R.Br.* caule fruticoso procumbente, ramis ramulisque teretibus sulcatis, foliis minutis denticuliformibus triangularibus marcescentibus, spiculis sessilibus glomeruliformibus, floribus 4-fidis. R.Br. Prodr. pag. 356. ed germ. pag. 212.

In asperis distr. Grantham, Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 2114, et alibi (2115).

Phrasis Brunoniana satis in nostra specimina quadrat. In sp. baccifero (No. 2115) folia omnia ceciderunt. *Nux* globosa viridescens furfuracea (immatura) $3\frac{1}{2}$ mm. in diam., *pedunculum* incrassatum parumper superans, *epicarpio* tenuissimo in maturis sensim deliquescente, *putamen* osseum subfragile, costulato-striatum, castaneo-fuscum, nitidum apparet. Immaturae nuces basi perianthio quinquefido appresso fere adnato suffultae.

Exocarpus spartea, forma gracilis. *Ramulis* erectis virgatis, superne foliatis.

Inter fragmenta rupium prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum, 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2125.

Arbuscula 12-15-pedalis. *Rami ramulique* sparsi, erecti, virgati, graciles, flexiles, teretes, sulcati, pallide virides vel subglaucescentes, aphylli, cicatricibus foliorum atrofuscis nitidulis instructi. *Folia* in summis ramulis obvia, herbacea, acerosa, angusta, antice praesertim versus basin profunde canaliculata, viridia, apice subsphacelato leviter recurvo, basi quasi decurrentia, 3-5 mm. longa. *Spicae* numerosae, axillares, solitariae, rarissime binae, subsessiles vel sessiles, pyramidato-teretes, fere defloratae, 5-8 raro 10 mm. longae, rectae, floribus densissime tectae. *Flores* inferiores omnes ceciderunt. *Bracteae* rhombeae, virides, totae praeter apicem exiguum dentiformem pallidiorem subpatulum adnatae, persistentes aut serius saltem evanescentes. *Flores* scrobiculis obsoletis oblongo-quadratis pallidis centro cicatrice notatis innixi, virides vel lutescentes, adhuc clausi depresso-globosi. *Perianthium* quinquefidum, lobis valvatis extus convexis versus basin leviter sulcatis, ellipticis, uninerviis. *Stamina* 5, loborum facie interiore concava inclusa, *filamentis* brevibus lato-subulatis, glabris, *antheris* albicantibus ovatis, apice emarginatis, bilocularibus, introrsis. *Ovarium* ovatum, 5-subsulcatum, *stylo* brevissimo, *stigmate* fusco irregulariter emarginato. *Discus epigynus* quinquangularis aut subquinquelobus lobis semiadnatis.

Exocarpus spartea, forma tenerior?

Inter saxa calcarea clivuli haud longe a maris ora in distr. Perth, 19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2092.

Statura tenerior. *Spiculae* omnes fere sessiles. *Bractearum* apex dentiformis brevior.

2. **Exocarpus glandulacea** *Miq.* ramis ramulisque striato-sulcatis glabris subaphyllis, foliis semitereti-linearibus patulis subrecurvis, spiculis brevibus breviter pedunculatis, nucibus oblongis striatis nitidis.

Crescit in Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 2122.

Exocarpo spartea similis, sed nucum forma omnino sui juris. *Rami* teretes striato-sulcati, ramuli trigono-compressi, angulis acutis. *Folia* in summis tantum ramulis persistentia, acerosa, semitereti-linearia, angustissima, utrinque acuta, 1 cent. circiter longa, erectiuscula, leviter recurvata. *Spiculae* breviter pedicellatae, defloratae ½ cent. circiter longae. *Nux* in qualibet spicula una, terminalis aut lateralis, oblonga, utrinque obtusa, 4-5 mm. longa, 2 mm. crassa vel crassior, pedicello longior, striata, nitida, laevis, fusca, vertice obsolete tricostulata.

LAURINEAE Endl. gen. pag. 315. N. ab E. Syst. Laur.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Tribus XIII. Cassytbae Endl. l. c. pag. 323. N. ab E. l. c. pag. 639. Laurinae, Subordo I. Cassyteae Meisn. gen. pag. 324. (237.)

CASSYTA Linn. Endl. gen. n. 2067. N. ab E. l. c. pag. 641. Meisn. gen. pag. 324. (237.)

* *Perianthio urceolato.*

1. **Cassyta Casuarinae** *N. ab E.* glabra, spicis pedunculatis indivisis capituliformibus bi-trifloris, bracteolis perianthiique laciniis exterioribus membranaceo-marginatis, staminibus 9 fertilibus.

In *Casuarina* (distyla?) districtus York, Martio a. 1840. Herb. Preiss. No. 1624.

Caules filiformes, graciles, glabri. *Pedunculi* solitarii vel gemini, ½-¾ poll. longi, glabri, apice 2-3-flori. *Bracteae* sub singulo flore tres, glabrae, ovatae, obtusae, apice praesertim albo-membranaceae. *Flores* oblongi vel subcylindrici, glabri; tubus longitudine laciniarum interiorum, cylindricus; fructifer longior, oblongus, venoso-costulatus; laciniae exteriores ovatae, bracteis similimae, interiores triplo longiores, ovali-oblongae, obtusae, apice albidae. *Stamina* 1^{i} et 2^{i} ordinis conformia, fertilia, filamento crasso, anthera parva obtusiuscula, alba; 3^{ii} ordinis stamina extrorsum versa, filamentis similibus, antheris subulato-cuspidatis. *Staminodia* e basi subcordata subulata, subsessilia. *Stigma* obtusum. *Perianthium fructiferum* 2½-3 lin. longum, subpruinosum. 4.

2. **Cassyta digitata** *N. ab E.* glabriuscula, spicis geminis ternisve pedunculatis indivisis capituliformibus pauci-floris, perianthiis pedunculisque albo-pubescentibus, tubo ovali, (staminibus primi et tertii ordinis petaloideis).

Ad portum „Princess royal Harbour" (in *Adenantho cuneata* Labill.), Decembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1626.

Similis *Cassytae melananthae* R.Br., sed diversa floribus pube brevi alba adpressa canescentibus. *Caulis* filiformis, hinc inde subpubescens. *Pedunculi* gemini, rarius solitarii ternive, caule crassiores, incurvi, pubescentes, ½-1 poll. longi, apice capitatim 3-5-flori. *Tubus perianthii* ovalis, laevis; *lacinlae interiores* oblongo-lanceolatae, tubo duplo breviores; *exteriores* latae, interioribus quadruplo breviores. *Stamina* exteriora sterilia, ovato-lanceolata, brevi-stipitata, laciniis interioribus paulo breviora, ciliolata; his stamina tertii ordinis similia, magis acuta, locellorum vestigiis at sterilibus iis. Stamina 2i ordinis structurae communis. *Staminodia* 4i ordinis parva, lanceolata, subsessilia. *Stigma* acutum. ♃.

3. **Cassyta pomiformis** *N. ab E.* pubescens, spicis geminis ternisve pedunculatis indivisis capituliformibus pauci-floris, tubo subgloboso, staminibus primi ordinis petali-formibus.

Prope oppidulum Freemantle, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1625.

Differt a *Cassyta digitata* pubescentia patula caulis et tubo perianthii breviore crassiore. Structura *limbi* et *staminum* ut in illa. *Staminodia* minora, latiora. *Stamini tertii ordinis* perfecta. *Fructus* magnitudine *Pisi*, globosus, glaber, flavescens, limbo persistente coronatus, umbonatus. Pubescentia florum microscopica, patula, rigidula. *Pedunculi* saepe recurvi, ½-¾ poll. longi. ♃.

** *Perianthio rotato* (flavo.)

4. **Cassyta flava** *N. ab E.* dense patenti-pubescens, capitulis subglobosis pedunculatis plurifloris, perianthii tubo brevissimo subtomentoso, staminibus novem conformibus.

Prope oppidulum Freemantle, Perth, Januario a. 1839 in *Melaleuca acerosa* Schauer Myrt. Herb. Preiss. No. 1622.

Caulis gracilis, praesertim apicem versus pilis mollibus patentibus longiusculis sat dense vestitis, subinde canescens. *Pedunculi* in axillis ramuli, graciles, pubescenti-cani, 3-6 lin. longi. *Capitulum* 7-9-florum, densum, globosum. *Flores* sessiles, dum clausi subglobosi, basi pubescenti-tomentosi. *Bracteae* ovatae, acutiusculae, ciliatae. *Flores* flavi; *lacinlae* limbi *exteriores* interioribus triplo breviores, multo angustiores, acutiusculae; *interiores* ovatae, obtusae, incurvae. *Filamenta* brevia; antherae breviovatae, obtusae, latere bivalves, tertii ordinis retro spectantes. *Staminodia* parva, sessilia, subtriangularia. Fundus floris pubescens. *Ovarium* liberum, conicum, pubescens, *stylo* brevi, *stigmate* capitato. ♃.

5. **Cassyta coronata** *N. ab E.* dioica, pubescens, capitulis brevipedunculatis paucifloris geminis ternisve pedunculo brevi crasso recurvo, perianthiis rotatis (alabastro globoso), laciniis exterioribus vix duplo brevioribus, staminibus primi ordinis petaloideis, fructu obovato tomentoso vertice hexagono depresso coronato.

In Australia occidentali in *Acacia cuspidata* Cunningh. Herb. Preiss. No. 1627.

Differt a *Cassyta capitata* floribus duplo majoribus paucioribus in capitulo, caule pedunculisque duplo crassioribus, pedunculis brevioribus, pubescentia breviore (albicante) omnes partes praesertim flores dense vestiente. An *Cassytae pubescentis* R.Br. forma?

Pedunculi 2-3 lin. longi, recurvi. *Flores* magnitudine *Piperis*, dum clausi globosi tubo brevissimo aequiter pubescente. *Bracteae* et *bracteolae* ovatae, obtusiusculae; bracteolae subduplo minores. *Laciniae perianthii* subcoriacei *exteriores* interioribus vix duplo breviores, ovatae, acutiusculae, densius pubescentes; *interiores* ovatae subrotundae, obtusissimae, concavae. *Stamina* in nostro specimine (fructifero) omnia videntur infoecunda; exteriora ovata, obtusa, petaloidea; 2^i^ ordinis paulo minora, filamento brevi crasso, anthera hemiconoidea acutiuscula, dorso convexa latere interiori plano locellorum oblongorum macula fenestrali; tertii ordinis stamina retrospectantia, filamento brevi a tergo utrinque glandula ovata stipato; *anthera* conica, obtusa, utrinque plana, a tergo locelli oblongi vestigii. *Staminodia* parva, conica, acuta, subsessilia. *Ovarium* conicum, cano-pubescens, *stylo* brevi, *stigmate* obtuso. *Fructus* magnitudine *Pisi*, obovatus, cano-subtomentosus, corrugato-subangulatus, plica verticis sexangulari, angulis alternis minoribus et intra ejus aream depressiorem laciniarum staminumque residuis coronatus. ♃.

Flores succo viscidissimo scatent.

6. **Cassyta multiflora** *N. ab E.* subpubescens, spicis longe pedunculatis paniculatim congestis subsimplicibus, floribus imbricatis subcapitatis, perianthiis clausis obovatis pubescentibus, staminibus omnibus perfectis, secundi ordinis angustioribus.

In *Melaleuca thymoide* Labill. „King Georges Sound". All. Cunningham in herb. Schauer. Herb. Preiss. No. 2629.

Differt a *Cassyta paniculata* R.Br. inflorescentia capituliformi et floribus dense, licet subtilissime, pubescentibus.

Caulis filiformis, superne crassior, sparsim puberulus. *Pedunculi* gemini vel a basi bifidi, subinde solitarii, 1-½-¼ poll. longi, incurvi, glabri aut subpubescentes; inferiores magis distantes, supremi approximati irregulariter paniculati. *Flores* in apice pedunculorum capitatim conferti, 3-7, sessiles vel brevissime pedicellati, in tubum brevem attenuati, limbo erecto, hinc subinfundibuliformes, toti flavescenti-pubescentes. *Bractea* ad basin et *bracteolae* duae laterales perianthio appressae, orbiculatae, ciliatae. *Perianthii* laciniae exteriores interioribus triplo breviores et angustiores, ovatae, obtusiusculae, medio pubescentes; *interiores* oblongo-ovales, obtusae, undique pubescentes. *Stamina* limbo breviora, filamentis linearibus; exteriora anthera triangulari-subhastata acutiuscula, secundi ordinis anthera lineari filamento vix latiori, truncata cum mucronulo, tertii ordinis anthera subconica retrospectante, locelli antherarum prope ab apice siti, exigui. *Staminodia* parva, subsessilia, conica, mucronata, purpurascentia. *Glandulae* grandiusculae. *Ovarium* glabrum; *stigma* obtusum. ♃.

7. **Cassyta racemosa** *N. ab E.* glabra, racemis simplicibus compositisve brevipedunculatis, floribus distantibus, perianthii glabri tubo brevissimo, staminibus tribus exterioribus petaloideis.

Prope oppidulum Freemantle, Perth, Decembri a. 1838 in *Melaleuca Hügelii* Endl. Herb. Preiss. No. 1623.

Differt a reliquis *floribus brevipedicellatis*, in ramulis solitariis geminisve circiter semipollicaribus brevipedunculatis dispositis flavis. Ubi axis

fasciculatim compositus, magis panicularis evadit, flores sunt imperfecti magisque sessiles, subinde penitus abortivi, quam ob rem inflorescentiam simpliciter racemosam statum hujus plantae perfectum et regularem esse puto.

Caules tenues, omnium maxime convoluti et implexi, papillis suctoriis crebris per spatia praediti, in statu sicco flavi. *Bracteae* ad basin racemulorum apice membranaceae, albae, lacerae. *Flores* 5-7, alterni, distantes, bractea brevi ovata obtusa ad basin pedicelli brevis, *bracteolis*que binis ad basin perianthii subrotundis adpressis. *Lacinlae* tres *exteriores perianthii* breves, rotundatae, obtusissimae; *interiores* ovatae, obtusae, incurvae, poris subrotundis notatae; perianthii clausi figura ovalis est. *Stamina* tria primi ordinis oblonga, obtusa, integra; secundi et 3ii ordinis perfecta, illa filamento lineari anthera obtusa *introrsum* haec filamento brevissimo, anthera lineari apice truncata et albo callosa *extrorsum* magisque latera versus dehiscentia. *Staminodia* 4i ordinis subsessilia, e basi ovata subulato-cuspidata, cuspide truncata. *Glandulae* ad basin staminum 3ii ordinis magnae, ovales. *Stigma* acute triquetrum. Latitudo perianthii expansi unius lineae est. 24.

NYCTAGINEAE Juss. Endl. gen. pag. 310.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

BOERHAAVIA Linn. Endl. gen. n. 2000. Meisn. gen. pag. 318. (230.)

1. **Boerhaavia mutabilis** *R.Br.* procumbens, glabra vel tenuissime pubescens, caule tereti, foliis subovatis repandis obtusis paginis discoloribus, floribus 3-2-andris. RBr. prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 422. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 278. n. 1.

In solo arenoso districtus Victoria, Martio a. 1839. Herb. Preiss. No. 2389.

„Herba prostrata. Flores pallide rosei. Fructus echinatus".

Caulis non perfecte teres, sed basin versus compresso-subangulatus est. ⊙.

POLYGONEAE Juss.

(Auctore C. F. Meisner.)

POLYGONUM Linn. Endl. gen. n. 1986. Meisn. gen. pag. 317. (288.)

1. **Polygonum (Persicaria) glandulosum** *R.Br.*? „floribus hexandris, digynis, glabris; spicis alternis, pedunculatis, cylindricis; bracteis ochreisque nudis; foliis elongato-lanceolatis, acuminatis, subtus glandulosis, margine scabris pedunculisque glabris“. R.Br. prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 419.

In solo sublimoso locorum umbrosorum prope praedium rusticum cl. G. Moore, Perth, d. 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1356.

„Frutex adscendens; venenifer habetur, ab ovibus vaccisque haud editur“. (Preiss. in sched.) — Caulis procumbens?, inferne sublignosus, ramis adscendentibus. Flores 5-andri, hemidigyni, — an itaque species distincta? Specimina nimis imperfecta.

2. **Polygonum (Persicaria) minus** *Ait.* spicis laxifloris, subcylindrico-linearibus, basi interruptis; bracteis brevi-ciliatis, glabris, subbifloris; floribus 5-6-andris, hemi-2-3-gynis, parvis, calyce 5-fido eglanduloso; achaenii lenticularis (rarius triquetri) faciebus laevibus, nitidissimis; ochreis ciliatis, parce adpresso-strigosis; foliis lanceolatis linearibusve, basi obtusis, glabriusculis, ciliolatis; caule prostrato v. adscendente, basi radicante.

Polygonum strictum All. Meisn. monogr. Polyg. prodr. pag. 74. (non Ledeb.)

α **subcontinuum.** spicis brevibus, contractioribus, vix basi interruptis, floribus confertioribus. Meisn. in Wallich Pl. Asiat. rar. III. pag. 57.

In fossa ad radicem montis Eliza, Perth, d. 22. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1354.

MÜHLENBECKIA Meisn. Meisn. gen. pag. 316. (227.) *)

1. **Mühlenbeckia polybotrya** *Meisn.* dioica? glaberrima, caulibus basi lignosis; foliis lanceolatis oblongisve,

*) Genus etiam nunc, postquam species plures ei adscribendas examinavi, ex rationibus l. c. expositis sui juris censeo, nec omnino adsentire possum cl. Endlichero, qui, postquam olim (in Prodr. Fl. Norfolk. pag. 42). *Polygonum australe* Rich. (generis typum) „*Rumici* propinquius quam *Coccolobae*“ dixit, *Mühlenbeckiam* nostram postea (gen. plant. suppl. II. pag. 34.) ipsi *Coccolobae* tanquam subgenus conjunxit.

utrinque attenuatis, acutis, subavenijs, margine planis integerrimis; racemis axillaribus, masculis basi, femineis apice foliosis.

In arenosis umbrosis sylvae prope oppidum Perth, d. 12. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1353, specim. masc. (Specim. masc. et fem. vidi in coll. Drummond, sine No.)

Caules (ex specim. Preiss.) evidenter basi lignosi, decumbentes, apice adscendentes, hinc parce ramosi, crassitie pennae anserinae, costato-sulcati, strictiusculi, nodis parum incrassatis, internodiis ½-1 poll. longis. *Ochreae* membranaceae, oblique truncatae, parce nervosae, initio internodia aequantes et arcte vaginantes, mox lacerae fuscae subdeciduae. *Folia* subcarnoso-coriacea, 1-4 poll. longa, 3-12 lin. lata, in petiolum brevem sensim attenuata, in planta mascula plerumque angustiora, immo lineari-lanceolata, in feminea latiora apiceque minus attenuata. *Racemi* (rectius rami floriferi) 1-3-pollicares (masculi inferiores interdum 5-6-pollicares) erecti, densiflori, superiores sensim breviores semperque in planta masc. aphylli et simplices, inferiores basi plus minus foliosi et quandoque ramosi; feminei omnes simplices basi aphylli, superne foliati. *Flores* (ex specim. nostris omnes abortu unisexuales et, ut videtur, dioici) in bracteis ochreiformibus brevibus fasciculati, numerosi, basi breviter attenuata cum pedicello filiformi, 1-2 lin. longo, vix exserto articulati, patuli, feminei dimidio fere masculis majores, (magnit. *Polygoni Hydropiperis*) pallide flavo-virentes? *Calyx* ultra medium 5-fidus, laciniis oblongis obtusis subaequalibus. *Stamina* 8 (rarissime 9) Polygonorum more inserta et posita; fertilium filamenta calyce parum breviora, libera, fusiformi-incrassata apice subulata, antheras medio dorso affixas versatiles ovales biloculares gerentia; sterilia (florum fem.) brevissima, basi in annulum germen cingentem connata, nodulo (anthera abortiva) terminata. *Germen* ovato-triquetrum (in fl. masc. exiguum rudimentarium) fuscum; *stigmata* 3 subsessilia, patula, brevia, subtrifida v. dentato-incisa. *Achaenium* ..... — Floris structura, exceptis filamentis fertilibus incrassatis, stigmatibus haud papilloso-fimbriatis et floribus masc. germinis rudimento praeditis, cum *M. australi* (Endl. iconogr. t. 87.) bene congruit.

2. **Mühlenbeckia flexuosa** *Meisn.* dioica? glaberrima, fruticosa, ramosa, ramulis egregie flexuosis; foliis ovatis, acutis, basi subtruncatis v. vix attenuatis, margine minute undulato-crenulatis; racemis terminalibus foliosis.

In solo sublimoso district. Goderich, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1355.

„Frutex erectus, ramis strictis, scopariis, fastigiatis apice ramulisque flexuosis". *Ochreae* parvae, deciduae. *Folia* subcarnoso-coriacea, subavenia, cum petiolo 1-3 lin. longo ½-1-pollicaria. *Flores* in ramorum extremitate sparsi, quasi racemos foliosos constituentes, in singula bractea (ochrea) subterni, parum exserti, virescentes, magnitudine vix *Polygoni aviculartis*, in specim. nostris omnes abortu feminei, structura praecedentis, exceptis stigmatibus fimbriato-laceris. *Achaen.* (immaturum) calyce aucto sed non baccato inclusum, trigono-subglobosum, nitidum nigrum, angulis rotundatis *).

*) Proxime huic affinis est *M. adpressa* nob. (Polygonum adpressum Labill. Nov. Holl. 1. pag. 99, t. 127. R.Br. prodr. pag. 420.) a cl. Preiss. non lecta, ad quam vero referenda nobis videntur specimina mascula a cl. Drummond nuper sub No. 704 missa. Huic filamenta fertilia sunt brevissima, basi tantum dilatata, et calycis laciniae satis inaequales. — Alia species affinis et absque dubio congener est *M. complexa* nob. (Polygonum complexum A. Cunningh. in Ann. of nat. Hist. 1. pag. 454. *Sarcogonum complexum* Kunze! pugill. II, in Linnaea XVII. 1843, pag. 570.) fide specim. cult. comm. ab amic. Kunze.

RUMEX Linn. Endl. gen. n. 1993. Meisn. gen. pag. 317. (228.)

1. **Rumex (Lapathum) oxysepalus** *Meisn.* foliis lanceolatis, basi obtusis margine minute undulato-crispulis, inferioribus longe petiolatis; ochreis cylindricis, longis, diu persistentibus; racemis terminalibus, laxiusculis, apice aphyllis, verticillis paucifloris; sepalis anguste lanceolatis, acutis, apice uncinato-incurvis, exterioribus interiora superantibus (fructiferis ignotis).

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1357.

Herba pedalis, erecta, habitu *R. crispi*. *Caulis* simplex, teres, sulcato-striatus, glaber, inferne sanguineo-fuscus, ad nodos vix incrassatus, ima basi ochrearum reliquiis squamatus. *Ochreae* membranaceae, tenerae, cinnamomeae, laeves, glabrae, cylindricae, caulem satis arcte vaginantes, nervis tenuibus parallele lineatae, demum fisso-lacerae, infra medium (3-4 lin. supra basin) foliigerae, infimae bipollicares, superiores sensim breviores, attamen pro more generis longiusculae. *Folia* petiolata, lanceolata; *petiolus* inferiorum 5-6-pollicaris, internodia aequans v. parum superans, superiorum sensim brevior, filiformis, supra canaliculatus; *lamina* 4-5-poll. longa, 5-7 lin. lata, plana, acutiuscula, e basi subrotundata in petiolum breviter producta, margine minute denseque undulato-crispula, costa subtus prominente satis valida, venis primariis et secundariis tenuibus vix conspicuis, pagina utraque glabra (v. ad marginem costamque minutissime scabriuscula. *Flores* omnes hermaphroditi, in apice caulis subaphyllo ramulisque e summis axillis ortis laxe racemoso-verticillati, verticillis discretis, 4-2-floris, folio lineari brevi fultis v. nudis; *bracteae* ochreiformes, hyalinae, rufo-albidae, nitidae, minutae (vix 1 lin. longae) mox deciduae; pedicelli circ. 1 lin. longi, calycem subaequantes, erecti v. patuli, medio obsolete articulati. *Sepala* lineari-lanceolata, apice subulato-acuminato inflexo, exteriora concava interioribus planis paulo longiora et latiora, omnia integerrima laevia, nec dentium nec granuli vestigium exhibentia. *Stamina* et pistilla generis *).

EMEX Neck. Endl. gen. n. 1992.

1. **Emex australis** *Steinh.* sepalis interioribus rotundatis apice breviter aristatis. Steinheil in Ann. d. Sc. nat. sec. sér. Bot. Tom. IX. pag. 195—196 in nota Tab. VII. fig. 16. *Emex spinosus β capensis Campd.*

Crescit in arenosis sylvae prope Pointwater, 18. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1895.

---

*) Inter plantas recentius a Drummondio missas sub No. 703 ante oculos habemus etiam *Rumicis* speciem, in colonia Swan-River lectam, forsan novam, sed e specimínibus nostris haud satis cognoscendam. Plurimis notis convenire videtur cum *R. Brownii* Campd. Rum. pag. 81. (*R. fimbriatus* R.Br. Prodr. pag. 421, non Poir.) sed differt foliis superioribus lanceolatis (nec subhastatis) minute crispulis, summis linearibus, et praecipue valvulae (sepali interioris) unius nervo medio tumescente, verisimiliter demum granifero. *Folia* inferiora non vidimus.

Non solum sepalorum interiorum forma, sed foliis etiam minoribus magis ovalibus ab *E. spinoso*, cujus sepala interna lanceolata acuta sunt, distinguitur. (Miquel.)

AMARANTACEAE R.Br.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Tribus 1. Gomphrenear Endl. l. c. pag. 301.

ALTERNANTHERA Forsk. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 416. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 272. Mart. Nov. gen. et spec. 2. pag. 53. t. 152. Endl. gen. n. 1956. Meisn. gen. pag. 318. (230.)

1. **Alternanthera denticulata** *R.Br.* perianthiis glabris foliolis ovato-acuminatis utriculo (obreniformi) fere duplo longioribus, foliis angusto-lanceolatis (mucronatis) denticulatis cauleque procumbente tetragono glabris, axillis barbatis. Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. l. c. 417. (273.) n. 1. Roth. Nov. pl. sp. pag. 174. R. et Sch. S. Veg. 5. pag. 556. n. 4.

In arenosis ad fluvium Cygnorum prope urbiculam Perth, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1360.

Herba perennis.

Tribus 2. Achyranthear Endl. l. c. pag. 302.

Subtribus 2. Aërvear Endl. l. c.

TRICHINIUM R.Br. Prodr. 1. pag. 414. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 270. Mart. Amar. in Nov. Act. Ac. N. Cur. 13. pag. 317. Endl. gen. n. 1963. Meisn. gen. pag. 319. (231.)

1. **Trichinium fusiforme** *R.Br.* foliis angustissime linearibus ramisque glabris, caule multiplici, radice fusiformi, capitulis subovatis, bracteis acutis uninervibus (laciniis perianthii a basi ad apicem villosis). R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. l. c. pag. 415. (271.) n. 1. 2.

α **minus.** calycibus pallidis.

In solo sublimoso montium districtus Victoria, Martio a. 1840. Herb. Preiss. No. 1375.

Caules semipedales, vix pedales, simplices, plures e collo radicis multicipitis. *Capitulum* magnitudine *Avellanae*, album. *Perianthium* 3 lin. altum, laciniis lineari-lanceolatis acutis rigidulis, extus ad apicem usque hirsutis.

β **majus.** calycibus rubicundis (4 lin. longis).

In arenosis ad flumen Cygnorum, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1374.

? †, Spicis omnibus abortivis angustioribus oblongis pallidis e solis bracteis constantibus, caule ad basin ramosissimo subaphyllo.

In glareosis sylvae inter praedia rustica cl. cl. Barker et Lenard, York, Aprili a. 1840. Herb. Preiss. No. 1369.

„Herba 3-4-pedalis".

2. **Trichinium sericostachyum** *N. ab E.* caule herbaceo procumbente angulato corymboso-ramoso ramis monostachyis, foliis lanceolatis margine crispato-dentatis caulesque puberulis, spicis ovalibus subcylindraceis, laciniis calycinis linearibus villis dense articulatis sericeis fastigiatis apicemque laciniae aequantibus a tergo vestitis, bracteis ovatis setaceo-acuminatis dorso medio sparse villosis.

In arenosis sylvae prope Limekiln, Perth, Novembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1372.

„Herba perennis, procumbens". Accedit ad *Trichinium macrostachyum* R.Br., a quo differt spicis quidquam minoribus floribusque inter lanam suam fere latentibus tum caule pluri-(3-4-) stachyo foliisque (licet subtilissime) pubescentibus. A *Trichinio polystachyo* Gaudich. differt inprimis bracteis haud obtusis sed acutis acumine in setae formam abeunte et dorso villis raris adspersis nec glabris. — *Caules* plures ex una radice, angulati, inferne simplices apicem versus ramosi, ramis 3-4 subfastigiatis patulis simplicibus. *Folia* vix poll. 1 longa et 2 lin. lata, acuta, angusta basi sessilia, eroso-dentata et in margine undulata, parce puberula. *Spicae* poll. 1-1½ longae, crassae, adscendentes, densissimae. *Bracteae* et *bracteolae* 3 lin. longae, hyalinae, in costa laxe villosae, juxta acumen utrinque serratae. *Perianthium* 6 lin. longum; laciniae lineares, obtusae, canaliculatae, flavescentes, villis multis tenuissimis fastigiatis apicem aequantibus flavescentibus basi albis in tergo vestitae, solo apice extremo brevissimoque spatio glabro, eoque vel concolore vel pallide roseo. *Stamina* perfecta tria vidi, basi connata, filamentis filiformibus basi villosulis, antheris bilocellatis ovalibus. *Stylus* persistens, longitudine staminum.

3. **Trichinium macrocephalum** *R.Br.* foliis caulinis lanceolatis undulatis ramisque angulatis glabris, spica oblonga (globosaque), rhachi lanata. R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. c. n. 5.

In arenosis sylvae ad Portum Leschenault, Decembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1358 et in arenosis sylvae prope lacum Keiermulu et in limosis prope praedium rusticum Maddington, Perth, Octobri a. 1839. No. 1359.

„Herba perennis prostrata". *Folia* (ut folia praecedentis) singulari undulatione marginis dentata; radicalia oblonga in petiolum longum attenuata. *Capitulum* a magnitudine nucis Juglandis ad Pomi mediocris volumen crescens. *Flores* fere pollicares, laciniis linearibus obtusis basi albis apice roseis. *Pili* perianthii longi, nodulosi, candidi.

4. **Trichinium villosum** *N. ab E.* foliis lanceolatis acutis undulatis cauleque angulato villosis, spica terminali ovato-conica brevi, bracteolis late ovatis mucronato-aristatis apicem versus subserratis hyalino-nitentibus glabris.

In arenosis sylvae haud procul ab ora maris, Perth, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1365.

„Herba prostrata". *Caulis* simplex, gracilis, fere pedalis. *Folia* infima (radicalia) subspathulata, caulina conferta, 1-1½ poll. longa, 2 lin. lata, utrinque praesertim basi (in petiolum) attenuata, villis longiusculis subarachnoideis vestita. *Spica* in nostro specimine 5 lin. longa, conica, obtusa, densa. *Bracteae* ovatae, setaceo-acuminatae, longitudine perianthii, laxe villosae, uninerves, apicem versus purpurascentes basi uti bracteolae, quae paulo latiores et apicem versus plerumque serratura una alterave acuta praeditae sunt, albae. *Perianthium* 3 lin. longum, laciniis rigidulis lanceolatis mucronato-acutis basin versus virescentibus dorso densissime lanatis. *Stamina* tria (?); antherae et fructus ut in reliquis. 2.

Affinis esse videtur *Trichinio lanato* R.Br., quod quidem „tomentosum" describitur spicisque *lateralibus* et *terminalibus*.

5. **Trichinium humile** *N. ab E.* foliis linearibus subspathulatis caulibusque procumbentibus glabris, radice filiformi (annua), spicis terminalibus conicis, bracteis acutis glabris enervibus, laciniis perianthii tenerrimis a basi ad medium lanatis lana lacinia breviore.

In limoso-calculosis ad latus orientale montis Brown, York, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1363 ex parte.

„Herba prostrata". Planta parva, *Trichinii mucronati* minoris similitudine, in nostris speciminibus sordibus, nescio an glutine vel humore quodam viscido, conspurcata. *Caules* ex radice tenui 5-8, vix digitales, humifusi, simplices, angulati, glabri, foliosi. *Folia* 5-3 lin. longa, vix lineam lata, acutiuscula, glabra, mollia, linearia, basi attenuata; radicalia paulo latiora neque longiora. *Spicae* in caulibus terminales, 6 lin. longae, conicae, candidae, nitentes. *Rhachis* dense lanata. *Bracteae* et *bracteolae* aequales, ovatae, mucronato-acutae, hyalinae, glabrae, 2 lin. longae. *Perianthii* laciniae lineari-oblongae, obtusae vel subtruncatae cum mucronulo, 2-2½ lin. longae, tenerrimae, hyalinae, macula viridi lanceolata a basi ad medium ducta notatae dorsoque eodem tractu albo-lanatae, hinc usque ad apicem glabrae et nitidae. *Stamina* 5, *filamentis* capillaribus aequalibus basi cohaerentibus villosisque, omnibus perfectis; *antheris* parvis ovalibus bilocellatis. *Ovarium* subglobosum, pallidum; *stylus* brevis, conicus, obtusus absque capitulo distincto. ⊙.

6. **Trichinium mucronatum** *N. ab E.* foliis ovato-oblongove-spathulatis, summis lanceolatis spinuloso-mucronatis cauleque simplici procumbente villosulis, axillis barbatis, spica terminali adscendente ex conoideo cylindrica, bracteis bracteolisque ovatis acutis integerrimis dorso villosis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Martio a. 1841. Herb. Preiss. No. 1366. In limoso-calculosis ad latus orientale montis Brown prope urbiculam York, Septembri a. 1839. No. 1363 (cum *Trichinio humili*) et 1373.

„Herba perennis, prostrata". *Radix* (sive rhizoma) crassa, perpendicularis, cylindrica. *Folia* radicalia ovato-subrotunda vel deltoideo-ovata, obtusiuscula, in petiolum gracilem lamina multo longiorem attenuata. *Caules*

multi, prostrati, spithamei, graciles, subangulati, inferne demum glabri, sub spica semper villis adspersi, cicatricibus foliorum delapsorum crebris notati axillarumque barbula praediti. *Folia* plus minus unguicularia, pleraque spathulata obtusiuscula; supremum in uno specimine ad basin spicae majoris residuum 7-8 lin. longum, 1½ lin. latum, lanceolatum, integerrimum, basi attenuatum, apice mucronulo spiniformi fusco (deciduo?) armatum, subtus villis adpressis laxe indutum. *Spica* juvenilis conica, perfecta cylindrica, speciosa, flava, crassa, bipollicaris, adscendens, apice nonnihil incurva, densissima, villis nodulosis vestita longitudine laciniarum perianthii. *Perianthium* 5 lin. longum; laciniis linearibus strictis acutis, apice subcallosis. *Stamina* in nostro specimine haud perfecta 2-3, antheris parvis globosis praedita, 2-3-castrata. *Fructus* generis. 4. — Affine videtur *Tr. spathulato* R.Br., nisi sit ejusdem forma villosa.

7. **Trichinium Preissii** *N. ab E.* foliis elongato-lanceolatis pubescentibus, caule erecto sulcato-angulato ramoso articulato-villoso, spicis terminalibus cylindricis elongatis, bracteis ovalibus obtusis ventricosis uninervibus glabris.

In collibus calcareis arenosis sylvae prope Pointwater, Perth, Julio 1839. Herb. Preiss. No. 1370.

„Herba 2-3-pedalis." *Caulis* inferne ramosus, apice bifurcus ramis superioribus longioribus, adultus angulatus juvenilis sulcatus, pilis mollibus noduloso-articulatis albis vestitus, foliosus. *Folia* 3½-4½ poll. longa, 5-6 lin. lata, acuta, basi attenuata, pubescentia, nodulosa brevi, in margine costaque longiori vestita, attamen viridia, in statu sicco margine repanda, erecta. *Spica* primum 1½-2 poll. longa, oblonga, demum ad 4-5 poll. longitudinem protensa tenuior, inferne solis bracteis bracteolisque residuis vestita. *Rhachis* albo-tomentosa. *Bracteae* et *bracteolae* 2 lin. longae, late ovatae, obtusae, hyalino-nitentes, albae, glabrae, uninerves, margine incurvae. *Perianthium* 6 lin. longum, laciniis erectis linearibus obtusis in statu sicco canaliculatis, a basi ad ⅘ longitudinis albis villisque lacinia brevioribus nodulosis concoloribus vestitis, hinc apice glabris laevissimis aurato-flavis. *Stamina* 5, perianthio breviora; *filamentis* filliformibus glabris. *Stylus* longitudine staminum. *Utriculus* lenticulari-compressus fusco-brunneus. 4.

8. **Trichinium candicans** *N. ab E.* foliis oblongo-lanceolatis subsessilibus cauleque procumbente sulcato ramoso articulato-villosis incanis, spicis in ramis adscendentibus terminalibus cylindricis elongatis bracteis ovalibus obtusis ventricosis uninervibus glabris.

In solo sublimoso ad Avon Dale, York, Aprili a 1840. Herb. Preiss. No. 1371.

„Herba perennis, procumbens". A *Trichinio Preissii* parum differt, nec certus sum, an sit ejus varietas; recedit ab illo: caule procumbente, ramis adscendentibus una cum foliis villis pulchre nodulosis longioribus densiusque confertis vestitis, foliisque multo brevioribus vix pollicem longis 4-5 lin. latis obtusis cum mucronulo brevissimo fusco ramos ad spicam usque ornantibus, neque ut in *Tr. Preissii* in ramorum elongatorum basi tantummodo obviis, basi parum attenuatis subsessilibus. — Siccata folia corrugato-undulato-dentata adparent. *Spicarum, bractearum* et *florum* conditio eadem ac in *Tr. Preissii*. *Perianthii* lacinae apice stramineae, haud nitentes nec laevigatae, sed nervoso-striatae opacaeque. 4.

?9. **Trichinium corymbosum** *Gaud.* caule herbaceo erecto apice corymboso-ramoso 2-4-stachyo (polystachyo?),

foliis linearibus, spicis globoso-ellipticis, laciniis calycinis lanceolatis acutis dorso pilosis basi villoso-hirsutis, bracteis acuminato-mucronatis uninerviis glabris. Gaudich. in Freyc. voy. Bot. pag. 444. Presl. Repert. 1. pag. 136. Dietr. Synops. 1. pag. 164. n. 7.

?β caule magis ramoso polystachyo.

In solo sublimoso pingui prope praedium rusticum cl. Marrell, York, Martio a. 1840. Herb. Preiss. No. 1368.

Est specimen valde incompletum, fructiferum, subaphyllum. *Caulis* rigidus, 1½ pedes altus, angulatus, glaber, ramosus, ramis alternis corymboso-ramosis. *Folia* inferiora desunt; superiora distantia, (unum vidi infrarameum parvum lineare glabrum mucronatum sessile subtus convexum). In summo caule ramisque deesse videntur folia. *Spicae* terminales, aliae in ramulis brevissimis cernuae, aliae in ramulis longioribus subsquamosae, magnitudine nucis Moschatae. *Bracteae* et *bracteolae* albo-hyalinae, late ovatae, mucronato-acutae, 1½ lin. longae. *Perianthium* 5 lin. longum, subcampanulato-patens; laciniae lanceolatae, acutae, rigide chartaceae, uninerves, in disco usque ad apicem virides pilisque adpressis sericantibus brevibus vestitae, basi in tubum brevem cohaerentes extusque magis hirsutae. *Rhachis* tomentosa. *Stamina* quinque, ima basi connata, filamentis (defloratis) longis planiusculis flexuosis rufis. *Antheras* non vidi. *Utriculus* subglobosus, vix compressus, monospermus, coronatus stylo longo recto; stigma parvum emarginatum. ⊙?

Quod ad florem accedit *Trichinio humili*, sed habitu ab isto longius discedit.

PTILOTUS R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 415. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 271. Mart. Amar. in Nov. Act. Ac. N. C. 13. pag. 318. Endl. gen. n. 1964. Meisn. gen. pag. 319. (231.)

Adnot. Ptiloti genus a *Trichinio* habitu satis differt, sed characteribus plurimis congruit. Differt maxime perianthii laciniis haud tota superficie plumoso-lanatis sed vel glabris vel plus minusve (at laxius) villosis, et tribus interioribus a basi usque ad medium fere introrsum lana densissima connexis fructumque ejus ope recondentibus. Quod ad formam laciniarum attinet, in aliis et lineares sunt sicut in *Trichinio*. Duratio annua est. Caules elatiores sunt, saepe ramosi. Inflorescentia spicata est, spica primo brevi dein elongata bracteisque persistentibus vestita, rhachi lanata.

Ptilotus exaltatus *N. ab E.* caule erecto stricto ramoso foliisque oblongo-lanceolatis glabris, spicis elongatis cylindricis, bracteis ovatis aristato-cuspidatis, filamentis filiformibus.

In sublimosis ad flumen Avon inter praedia rustica cl. cl. Heals et Whitfield, Mart. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1367.

„Herba 2-3-pedalis“. *Caulis* sulcato-angulatus, glaber, paniculato-ramosus. *Folium* non nisi unum vidi, ramum superiorem fulciens, pollice paulo longius, 4 lin. latum, crassiusculum. *Rami* longi, apice bifidi vel corymboso-ramosi. *Ramuli* apice monostachyi. *Spica* 4 poll. longa, cylindrica, dense nec admodum crassa. *Bracteae* et *bracteolae* delapso flore persistentes, ovatae in cuspidem setaceum productae, membranaceae, uninerves, illae 2 lin. longae, costa apiceque fusco-purpurascentes, hae 3 lin. longae, totae hyalinae. *Perianthium* 8 lin. longum, laciniis linearibus obtusis cum mucronulo pallide purpurascentibus dorso villosulis, tribus interioribus ad ⅓ a basi lana densa alba fauces obturante vestitis. *Stamina* 5, basi connexa et pubescentia; *antherae* oblongae, bilocellatae. *Stylus* gracilis; *stigma* capitatum, parvum. *Fructus Trichinii.*

2. **Ptilotus declinatus** *N. ab E.* caulibus simplicibus declinatis scabris, foliis lanceolato-linearibus subciliatis, spica terminali globosa involucrata, bracteis oblongis acutis, calycis laciniis linearibus subfalcatis dorso aequaliter hirsutis apicibus extremis glabris, staminibus basi altius connatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Novembri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1362.

Caules arcu declinati, vix digitales, striati, setulis raris brevissimis scabri, herbacei. *Folia* sparsa conferta, adscendentia, 4-5 lin. longa, ⅓-½ lin. lata, sessilia, acuta, setula hinc inde ciliata, uninervia, avenia, crassiuscula. *Capitulum* terminale, adscendens, nucis Juglandis volumine, subglobosum, foliis supremis subfalcatis involucratum. *Bracteae* et *bracteolae* 5 lin. fere longae, ovato-oblongae, setaceo-acuminatae, hyalinae, dorso laxe villosae; illae subinde in medio subfuscae. *Perianthia* rigida, incurva, 9 lin. longa, laciniis linearibus canaliculatis obtusis cum mucronulo, in tergo pilis albis aequalibus patulis usque ad apicem fere vestitis, ipso apice glabro albo mucronis in speciem convoluto; tres interiores ad basin introrsum lana densissima crispa molli pulvini ad instar tumente et genitalia obtegente vestitae. *Tubus staminеus* modo fructum subaequans, modo brevior. *Filamenta* longa, glabra; *antherae* subpeltatae, oblongae, bilocellatae, flavae. *Stylus* longitudine staminum, filiformis, glaber; *stigma* capitatum. *Fructus* utricularis, obliquus, monospermus, compressus, stylo excentrico.

Occurrit staminum tubo decandro, filamentis longioribus brevioribusque alternantibus, utrisque autem antheriferis.

LACHANOSTACHYS Hook. ic. t. 414 et 415. Endl. gen. suppl. 3. pag. 64. n. 1964/2.

1. **Lachanostachys albicans** *Hook.* foliis lanceolato-ellipticis imbricatis ramisque albo-tomentosis, bracteis flore brevioribus, perianthio sexlobo staminibus exsertis, tubo filamentis subaequelongo, ovario superne densissime piloso. Hook. Ic. plant. Vol. V. t. 414.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1376, (fragmentum); in districtu Wellington, Decembri a. 1839. No. 1377 (planta sterilis.)

CHENOPODEAE Vent. Endl. gen. pag. 292.

(Auctore Nees ab Esenbeck.)

Subordo I. CYCLOLOBEAE Meyer, Moq.-Tend. Endl. l. c.

Tribus 1. Salicornieae Endl. gen. l. c. Moq.-Tend.

ARTHROCNEMUM Moq.-Tend. Chenopod. pag. 111. Endl. gen. suppl. 2. pag. 39. n. 1908/1.

1. **Arthrocnemum halocnemoides** *N. ab E.* articulis teretiusculis apice infundibuliformi-dilatatis truncatis margine submembranaceis, spicis terminalibus cylindricis articulis trifloris, floribus monandris, caule fruticoso coarctato.

In turfosis aqua marina subinde inundatis prope oppidulum Freemantle, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1910.

Articuli *caulis* longiusculi, *spicarum* brevissimi, marginibus superis imbricatis flores obtegentes. *Perianthium* margine spinuloso-dentatum. *Flores* polygami. *Fructum* non equidem vidi, sed de genere vix dubito.

2. **Arthrocnemum bidens** *N. ab E.* articulis subangulatis apice dilatatis excavatis emarginato-bidentatis dentibus ovatis acutis patulis concavis, spicis terminalibus quadrangularibus squarrosis, articulis trifloris, floribus monandris, caule fruticoso patulo.

In coenosis ad ripam fluvii Cygnorum, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1261.

„Frutex 3-4-pedalis“. Species facilis distinctu articulis ramorum mediocribus obconicis corrugato-quadrangularibus vel subancipitibus apice dilatato-bicornibus, dentibus ovatis patulo-incurvis. — *Spicae* terminales, breves, articulis brevibus, apice (ut caulinis) bicornibus, quo fit, ut spicae quadrangulares et subsquarrosae evadant. *Flores* inter cavitatem dentis articuli inferioris et foveam dorsi articuli superioris latentes, ejusdem structurae ac in praecedente, et huic quoque speciei polygami. *Anthera* magna, cordata. *Stigmata* filiformia, puberula. *Fructum* et in hac specie non vidi.

Tribus 2. Atriplicbae C. A. Meyer. Endl. gen. pag. 293. Spinacieae Moq.-Tend.

ATRIPLEX Tournef. Endl. gen. n. 1912. Suppl. 2. pag. 32. Moq.-Tend. Chenop. pag. 50. Meisn. gen. pag. 319. (232.)

1. **Atriplex Halimus** *Linn. R.Br.* fruticosum, erectum, squamuloso-incanum, ramulis angulatis, foliis lanceolato-oblongis (ovalibusve) obtusis integerrimis in petiolum attenuatis, perianthii fructiferi valvulis rhombeis (obovatis basi attenuatis) obtusis integerrimis dorso obtuse bidentatis. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 406. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 262. n. 1. Halimus I. Clus. pl. Hisp. pag. 73. cum icone.

α **erecta.** candida, macrophylla.

In clivulis arenosis insulae Rotenest, Augusto a. 1839 (absque floribus). Herb. Preiss. No. 1259; in littore arenoso maris prope urbiculam Freemantle, Julio a. 1840 (planta ♀ fructifera). No. 1258.

β **adscendens.** candida, microphylla, spicis compositis densioribus, partialibus cylindricis compactis. ♂

In littore arenoso maris prope urbiculam Busselton, Sussex, Decembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1260.

Rhachis inter flores squamuloso-hirsuta, squamulis membranaceis tenuissimis. *Calycis masculi* laciniae denticulatae. *Calyx femineus* magnus, ovato-subrotundus, basi longe et abrupte cuneiformi-attenuatus, valvulis in dorso medio dentibus binis subcylindricis obtusis armatis. ♃

„Frutex 3-8-pedalis".

§. c. Dialysex Moq.-Tend. Endl. Suppl. 2. pag. 32.

2. **Atriplex paludosum** *R.Br.* suffruticosum, procumbens, squamuloso-incanum, foliis integerrimis oblongis obtusis basi acuta, supra nudiusculis, floribus dioicis, masculis spicatis, femineis glomerulatis, perianthiis fructiferis deltoideis laevibus. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. c. n. 3.

In clivulis arenosis insulae Rotenest, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 1255. Planta masculina.

„Frutex prostratus". Differt ab *A. Halimo* var. β caule prostrato et integumento caulis et foliorum multo minus conferto, colore igitur virescente. — *Caulis* ut in *Halimo* octangulus. *Spica masculina* in ramis terminalis, composita ramis aliis brevissimis unde flores glomerato-verticillati, aliis cum floribus compactis cylindricis. *Folia* superiora acutiuscula. Caetera ut in *Halimo*. An Var.?

3. **Atriplex hypoleucum** *N. ab E.* suffruticosum, procumbens, foliis integerrimis oblongis obtusis in petiolum

attenuatis subtus cretaceo-albis supra nudiusculis, floribus monoicis, masculis verticillato-spicatis spicis terminalibus alternis pendulis, femineis axillaribus subsolitariis, perianthiis fructiferis deltoideis laevibus.

In subarenosis humidis umbrosisque inter frutices secundum fluvium Cygnorum, haud procul ab urbicula Freemantle, Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1251.

„Suffrutex 2-3-pedalis, ramis elongatis laxis". Ab *Atr. paludoso* evidenter differt floribus monoicis, masculinis in spicis 2-3 terminalibus alternis pendulis dispositis glomerulis multifloris verticillos effingentibus. — *Folia* circiter pollicaria, 3 lin. lata, subtus candida. *Involucra* ♀ incana, subsolitaria, brevipedicellata, fere triangularia.

4. **Atriplex glomuliferum** *N. ab E.* herbaceum, humile, glabrum, caule ramosissimo erecto, foliis oblongo-lanceolatove spathulatis obtusis in petiolum attenuatis integerrimis, floribus monoicis (?), masculinis...., femininis exiguis in glomerulos axillares sessiles multifloros compactis, involucris pedicellatis diphyllis foliolis in fructu liberis obovato-subrotundis integerrimis tenuibus.

In cultis ad caput fluvii Cygnorum, Januario a. 1840. Herb. Preiss. No. 1257.

„Herba digitalis, ramosissima, glabra, coarctata". *Rami* angulati. *Folia* lanceolato-spathulata, 2 lin. longa, obtusa, in petiolum angustum attenuata, integerrima, plana, succulenta, viridia. *Glomeruli feminini* albi ex omnium fere foliorum angulis, inferiores minores, superiores grani Papaveris fere magnitudine, dense compacti. *Flores* singuli nudo oculo vix distinguendi. *Involucrorum pedicelli* rhachillae brevissimae inserti, foliolis suis paulo breviores, pellucidi. *Foliola* involucri fructu paulo longiora, hinc inde glandula globosa stipitata stipite 2-3 articulato-inspersa, avenia, laxe cellulosa, patula. *Perianthium* nullum. *Ovarium* oblique ovale, membranaceum; *stylus* alteri marginum propinquior; stigmata filiformia, longa, pubescentia. *Ovulum* adscendens. *Utriculus* obtusus, stylo stigmatibusque coronatus, non dehiscens. *Semen* figura utriculi, fuscum. Flores ♂ non vidi.

Atriplici prostratae et *Pumilioni* affinis esse videtur, sed singulari habitu floribusque minimis longius distat ab omnibus speciebus hujus generis, quae cognovimus.

Tribus 3. Chenopodieae Meyer. Endl. gen. pag. 294.

Subtribus 1. Camphorosmeae Endl. l. c.

ANISACANTHA R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 410. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 266. Endl. gen. n. 1919. Meisn. gen. pag. 320. (232.)

Perianthium ore quadrifido. *Stamina* 3-4 imo perianthio inserta. *Stylus* bifidus, pubescens. *Utriculus* tenuissimus, inclusus perianthio indurato (nucamentaceo) exsucco, infra apicem bi-quadri-spinoso, (spinis, ubi quatuor, inaequalibus). *Semen* verticale, albuminosum, integumento simplici, embryone cyclico, radicula supera.

1. **Anisacantha diacantha** *N. ab E.* villoso-sericea, fructibus bispinis.

In glareosis sterilibus apertis ad planitiem Quangen, Victoria, Martio a. 1840. Herb. Preiss. No. 2379.

Fruticulus humilis, ramosissimus, rudis, superiora versus cicatricibus fructuum delapsorum annularibus notatus, hirtulus, inferne delapsis foliis nudus. *Folia* alterna, approximata, semiteretia, acuta, pilis adpressis incana, 6-7 lin. longa, incurva. *Flores* axillares, sessiles basique cauli nonnihil immersi, ovati, compressiusculi, obtusi, hirsuti. *Perianthium* rigide chartaceum, ore quadrilobo lobis obtusis, antico posticoque paulo latioribus muticis, lateralibus infra apicem et saepe medium versus spina recta flavicanti fusca armatis. *Stamina* quatuor. *Ovarium* obovatum, tenue; *stylus* validus, *stigmata* duo, gracilia. Sub fructu perianthium grani Cannabis mole est, magisque durascit ore arcte clauso, styli apice tamen prominulo. Tempore maturitatis delabitur fructus monstratque basin excavatam obtuse marginatam in disco umbonatam. *Utriculus* inclusus, liber, tenerrimus, irregulariter lacerus. *Semen* oblique dacryoideum, acumine supero acuto; testa fusca; *albumen* candidum, magnum. *Embryo* ab apice seminis in margine convexiori seminis decurrens, hinc ad hilum rursus adscendens, albuminis 3 partes cingit. — Occurrunt fructus monstrosi, solito majores, pulvinati, tomentosi, cum ovario concreti, cavo angusto inani, perianthio ab inferiore parte libero dehiscente soloque vertice in integumentum crassum cum ovario transformato styloque brevi exserto accreto coronato.

Anisacanthae adscribere mutato in levioribus quibusdam charactere, quam novum condere genus levi sane charactere adhibito satius ducebam.

ENCHYLAENA R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. I. pag. 407. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 263. Endl. gen. n. 1925. Meisn. gen. pag. 320. (233.)

1. **Enchylaena tomentosa** *R.Br.* foliis teretibus ramisque tomentosis, floribus trigynis. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. l. c. pag. 408. (ed. N. ab E. pag. 264.) n. 1. R. et Sch. s. Veg. pag. 252.

In fluvio exsiccato Avon, prope praedium rusticum Dom. Philips, Victoria, 19. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1935.

THRELKELDIA R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 409. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 265. Endl. gen. n. 1920. Meisn. gen. pag. 320. (233.)

1. **Threlkeldia diffusa** *R.Br.* l. c. pag. 410. (266.)

In arenosis humidis ad flumen Cygnorum, haud procul ab urbicula Freemantle, Perth. Januario a. 1839. Herb. Preiss. No. 1235.

„Frutex prostratus". Planta glabra, glauca. *Rami* elongati, angulosi, ramosissimi, virgati ramulis erectis. *Folia* ramea 6 lin. longa, ⅔ lin. lata, linearia, acutissima, semiteretia, carnosa, ramulorum minora et apicem versus nonnihil dilatata, in reliquis similia et ea acutissima. *Flores* in superiorum foliorum angulis sessiles, solitarii. *Thecae* floribus similes, lineam

longi. *Perianthii* limbus truncatus, obtuse repandus. *Squamulae* tres interiores margine ciliatae. *Stamina* et duo vidi et tria, longitudine perianthii, filamentis subulatis. *Ovarium* oblique ovatum, compressum; stylus validus, infra stigmata pubescens; *stigmata* duo, filiformia, apice recurva. *Utriculus* latere rumpens. *Embryo* peripheriicum, radicula supera. *Calyx fructus maturi* induratus, 1½ lin. longus, basi crassior, nec fere baccatus, utriculum liberum fuscum fovens.

CHENOPODIUM Linn. Endl. gen. n. 1930. Meisn. gen. pag. 322. (231.)

1. **Chenopodium biforme** *N. ab E.* foliis rhombeo-ovatis acutis acute inaequaliter serrato-dentatis basi longe cuneato in petiolum decurrentibus, subtus floribusque pulverulentis, superioribus lanceolatis remotius dentato-serratis, spicis compositis foliatis glomerulis multifloris.

In arenosis prope Pointwater, Perth, Julio a. 1839. Herb. Preiss. No. 1256.

„Planta bipedalis". Specimen unum, inter *Chen. murale* et *album* ambiguum. *Folia* sunt illius, *inflorescentia* fere hujus, at paulo magis patula et ramosior; florum conditio et magnitudo omnino, et pulvisculus micans, his atque foliis (juvenilibus inprimis) inspersus omnino ut in *Chenopodio albo*.

Chenopodium erosum R.Br. affine putarem nostro, nisi folia „subcordata" et dentes eorum „obtusiusculi" describerentur, qui sicut apex folii acuti semper in nostro et fere acuminati inveniuntur. — *Caulis* simplex videtur, angustus, a basi fere florens. *Semina* laevia.

RHAGODIA R.Br. Prodr. 1. pag. 408. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. pag. 264. Endl. gen. n. 1932. Meisn. gen. pag. 321. (234.)

1. **Rhagodia dioica** *N. ab E.* fruticosa, erecta, ramis inermibus acute angulato-costatis, foliis oppositis alternisve oblongis obtusis cum mucronulo in petiolum attenuatis planis glaucis subtus pallidioribus puberulo-pulverulentis, spicis terminalibus compositis, masculis laxioribus.

In arenosis ad fluvium Cygnorum prope oppidulum Freemantle, Decembri a. 1838. (♀) Herb. Preiss. No. 1253, ibidemque ad littora maris arenosa, eodem tempore No. 1254. ♂

„*Frutex* 6-8-pedalis, ramosissimus"; ramis coarctatis octangulis. *Folia* in ♀ praesertim opposita, eidemque minora, (quippe solis rameis in nostro specimine residuis), 9-10 lin. longa basique paulo minus coangustata, *maris* folia fere sesquipollicaria, ex oblongo cuneata pauloque minus glaucescentia, sed haec vel in eodem individuo ex una forma in alteram ludere videntur. *Substantia* foliorum succulento-coriacea. *Flocculi* exigui, nudo oculo vix conspicui ramis novellis et foliis tum rhachibus spicae et perianthiis, magisque in femina, inspersi sunt. *Spicae* in caule ramisque terminales, compositae, ramis patentibus, maris longioribus gracilioribus glomerulisque magis distantibus praeditis, *feminae* brevioribus glomerulisque paulo compactioribus minus distantibus. *Bracteae* nullae. *Rhachis* quadriquetra, in ♀ flocculoso-subtomentosa. *Glomeruli* 4-6-flori, subverticillares. *Perianthium*

parvum, flavescens (?), subglobosum, tenue, quinquepartitum, laciniis suborbiculatis membranaceis, margine tenuioribus obtusis concavis, extus et in margine flocculoso-puberulis. *Mas staminibus* 5 patulis longitudine perianthii; antheris subrotundis. *Femineus* flos arctius connivens pistillumque tegens. *Ovarium* subglobosum, laeve, uniovulatum; *stylus* brevis; stigmata duo, filiformia, exserta. *Fructum* perfectum non vidi, de genere autem non dubito propter summam *Rhagodiae Billardieri* similitudinem.

2. **Rhagodia radiata** *N. ab E.* fruticosa, erecta, ramis inermibus acute angulatis, foliis lanceolatis margine revolutis, subtus canis, spicis terminalibus compositis patentiramosis rigidis, calyce fructus plano patente, floribus triandris.

In elevatis arenosis juxta urbiculam Freemantle, Decembri a 1838. Herb. Preiss. No. 1250.

A *Rhagodia Billardieri* differt foliis subtus vix pulverulentis margine revolutis et calyce fructus haud adpresso sed stellatim patente radiato, fructus diametrum adaequante aut etiam superante, laciniis secundum costam mediam subcallosis laevibus, quo discus perianthii post delapsum fructum figura stellae callosae quinqueradiatae notatur. Reliqua ut in *Rh. Billardieri*. *Fructus* ruber, sphaerico-depressus. *Rami spicae* compositae patentissimi, rigidi. — A *Rh. linifolia* R.Br. caule erecto foliisque margine revolutis, saltem quoad id e siccis speciminibus concludere fas est, tum indole revera fruticosa differt. — *Flores* dioici. *Stamina* tria in flore masculino inveni. *Semen* lenticulare, atrum, nitidum, scrobiculatum, hilo lanceolato.

? 3. **Rhagodia linifolia** *R.Br.* suffruticosa, decumbens, foliis integerrimis lanceolato-linearibus planis, floribus 1-2-andris. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. I. pag. 408. Opp. ed. N. ab E. pag. 264. n. 3.

In limoso-arenosis subumbrosis sylvae haud procul ab urbicula York, Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1252.

Ramosissima, laxa. *Caulis* et *rami* novelli pulverulento-scabriusculi. *Folia* obscure viridia. *Spicae* terminales compositae, polygamae. *Flores* in nostro specimine valde incompleti, parvi, glabri. *Antherae* incompletae, loculis connectivo transverso discretis. *Stigmata* in ovario subgloboso imperfecto duo, sessilia. *Folia* alterna, raro subopposita.

Subordo 2. SPIROLOBEAE Endl. l. c. pag. 297. Moq.-Tend. l. c.

Tribus 3. Salsoleae Endl. gen. n. 1944. Meisn. gen. pag. 321. (234.)

1. **Salsola macrophylla** *R.Br.* suffruticosa, erecta, glabra, glauca, foliis subulatis spinosis divaricatis basi triquetris, bracteis divaricatis, perianthii fructiferi alis membranaceis, Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. 1. pag. 411. Opp. ed. N. ab E. 3. 1. psg. 267.

In arenosis inter frutices ad ostium fluvii Cygnorum, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 2396.

Folia patentissima, recurva.

URTICACEAE Endl. gen. pag. 282. URTICEAE Gaudich. in Freyc. voy. pag. 492. sqq. Presl. Repert. 1. pag. 158. sqq.

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

FREIREA Gaudich. in Freyc. voy. pag. 502. Presl. Rep. pag. 167.

PARIETARIA, b FREIREA Endl. gen. pag. 167. Meisn. gen. (260.)

1. **Freirea australis** *N. ab E.* foliis longe petiolatis deltoideo-ovatis in acumen breve obtusum productis caulequ sparse puberulis aetate glabrescentibus, floribus axillaribus aggregato-glomeratis, involucro femineo triphyllo 1-2-floro foliolis ovatis pubescenti-hirtis florem superantibus, floribus masculis nudis.

In arenosis colliculosis insulae Rotenest, Augusto a. 1839. Herb. Preiss. No. 2399.

Proxime affinis est *Freireae alsinaefoliae*, differt statura robustiore, foliis minus rotundatis apice magis productis et involucris plerisque glomeruli evidenter pedicellatis. *Caulis* a basi ramosissimus ramis adscendentibus angulatis. *Folia* unguicularia et paulo majora, ovata, basi subinde subcordata parumve etiam producta, integerrima, quintuplinervia, nervis costaque et margine pilosulis caeteraque superficie plerumque pilis brevissimis adspersa, aetate fere glabra, punctata; siccata folia atro-viridia sunt. *Glomeruli florum* versus apicem caulis tum in ramulis brevibus microphyllis tum in ipso caulis apice approximati, multiflori. *Flos* glomeruli singuli *medius* saepe masculinus, sessilis, quadrifidus, aetate, uti femininus, ferrugineus, hirtus. *Involucra* feminina pedicellata, plura, 1-2-flora. *Flores feminini* in involucro sessiles, quadrifidi, laciniis ovali-lanceolatis lanceolatisve, altera paulo latiore. *Utriculus* tenuissimus. *Semen* ovale, nitido-fuscum, laeve.

CASUARINEAE Mirbel.

(Auctore F. A. Guil. Miquel.)

CASUARINA Rumph. Endl. gen. n. 1838 *).

Sectio I. Eucasuarina Miq. Bracteolae coni maturi muticae.

1. **Casuarina Lehmanniana** *Miq.* ramulis glabris glaucescentibus strictis pentagono-sulcatis, vaginarum dentibus 5-6 brevibus triangulari-lanceolatis appressis apice plerumque sphacelatis, strobilis femineis confertis ovato-oblongis, bracteis e basi lato-ovata ciliolata rostrato-acuminatis.

In planitie arenosa Quangen, distr. Victoria, 20. Mart. 1840, fem. mat. Herb. Preiss. No. 2009; in solo sublimoso distr. Hay, 7. Nov. 1840, fem. flor. No. 2005.

„Frutex 7-pedalis“ (No. 2009) vel „8-10-pedalis, ramis inferioribus humifusis“ (No. 2005). *Rami* vetustiores teretes, vaginarum dentibus elongatis, lanceolatis vel lanceolato-setaceis patentibus, ad nodos quasi ciliati. *Ramuli* densissimi saepe unilaterales, strictiusculi, glauci, glabri, sulcis costisque 5-6 instructi, internodiis 4-5 mm. longis, *dentibus* brevibus appressissimis. *Strobili femineі* laterales, conferti, erecti, obovato-oblongi, florentes apice sterili submucronati, 1 cent. circiter longi, *pedunculis* squamis ovato-lanceolatis, ciliatis imbricatis tectis, ½ cent. circiter longis. *Bracteae* appressae, lato-ovatae, ciliolatae sensim glabratae, in acumen lineare rigidum excurrentes. *Strobili* maturi subsessiles, 1½ cent. superantes, obtusi, foveis seminiferis angustis, basi *bractea* lata brevi-acutata suffultis.

Affinis videtur *C. distylae* Vent.

2. **Casuarina torulosa** *Ait.? Hort. Kew.* ramulis gracilibus pallide viridibus glabriusculis striato-sulcatis, dentibus octo lanceolatis apice sphacelatis, subciliolatis, strobilis femineis maturis ovato-subglobosis.

In arenosis sylvae circa oppidum Perth, 9. April 1840, sp. foem. effoet. Herb. Preiss. No. 2000.

Phrasis satis quadrat. — „Arbor 25-pedalis“. *Rami* annulati, vaginarum dentibus elongatis, sphacelatis, reflexis. *Ramuli* graciles, pallide virides, glabriusculi, striato-sulcati, *dentibus* vaginarum 8 lanceolatis, apice sphacelatis, subciliolatis, primo erectis demum patulis. *Amentum femineum* maturum effoetum ovato-subglobosum, 2½ cent. longum, tuberculatum. *Bracteae* ovato-acutatae, praesertim versus basin pubescentes. *Bracteolae* tuberculato-prominentes, puberulae sensim glabratae, foveam profundam late aperientes.

*) *Observ.* In determinandis hujus generis speciebus magna difficultas e brevioribus cognitarum diagnosibus iisque ad species discriminandas saepe saepius haud sufficientibus oboritur, quare quibusdam novarum, quae hic proponuntur non eam quam optassem, fidem tribuere possum.

Casuarina torulosa *Ait. Forma gracilior?*

Crescit in solo subturfoso sylvae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet 14. Oct. 1840, sterile. Herb. Preiss. No. 2007.

3. **Casuarina Preissiana** *Miq.* ramulis glaucescentibus glabriusculis densis erectis strictiusculis, 5-6-angulatis sulcatis, amentis masc. terminalibus subpyramidato-cylindraceis densifloris, femineis lateralibus subsessilibus oblongis utrinque obtusis, maturis ochraceis verruculosis, foveis seminiferis elliptico-tetragonis, bracteis latis breviacuminatis, versus basin pilosulis, bracteolis margine superiore pubescentibus.

In virgultis inter saxa calcarea haud longe ab oppidulo Freemantle, sp. fem. mat., 18. Dec. 1838; in calcareis ad littus meridionale montis Elizamountain, 19. Maj. 1839, sp. masc. fl.; in arenosis inter frutices planitiei prope Albany oppidum, reg. Plantagenet, 5. Oct. 1840 (sp. masc.) Herb. Preiss. No. 2008.

„Frutex 3-5-pedalis divaricatus (sp. fem.), 4-6-pedalis ramis fastigiatis, vel saltem bipedalis" (spp. masc.) *Rami* vetusti teretes, fusci, subannulati, *dentibus* vaginarum deciduis cicatrices elevatas relinquentibus. *Ramuli* densissimi, 3-plures verticillati, erecti, angulis acutis, sulcis latis rectangularibus, glabriusculis; internodiis 4-6 mm. longis; *dentibus* brevibus lanceolatis pallide viridibus albido-marginatis, 5-6, appressis. *Amenta masc.* 1-2 cent. longa, 3-4 mm. crassa, versus apicem attenuata, rubiginosa. *Feminea matura* subsessilia, oblonga, 2-2½ cent. longa, ochracea-rubiginosa, *bracteolis* verruculosis margine sup. puberulis.

4. **Casuarina obesa** *Miq.* ramulis teretibus striolatis glabris, vaginarum dentibus 15 et pluribus lanceolatis appressis sensim sphacelatis et deliquescentibus, strobilis femineis breviter pedunculatis, maturis subglobosis utrinque truncatis, multifoveatis cristato-tuberculatis, bracteis lanceolatis fusce rostratis, marginibus extenuatis lacero-ciliolatis.

In depressis turfosis humidis ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, 27. Jun. 1839, et in solo calcareo ad aestuarium portus Leschenault 30. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2002.

Casuarinae equisetifoliae Forst. cognata, sed glabritie et vaginarum dentibus statim dignoscenda.

„Arbor 25-35-pedalis". *Rami* vetustiores sordide fusci subannulati, vaginarum dentibus hic illic persistentibus. *Ramuli* strictiusculi erecti, in sicco cinereo-virides, glaberrimi, laeves, cylindrici, subtili[illegible]striati, internodiis 1-1½ cent. longis. Vaginarum *dentes* erecti, lanceolat[illegible]sci, versus apicem albi, floccoso-laceri vel subciliati, apicibus sensim deliquescentibus. *Strobili feminei nascentes* obovato-globosi *pedunculos* dense bracteatos fere aequantes, *maturi* effoeti breviter pedunculati, subglobosi, utrinque truncati, hinc fere brevi-cylindrici 1-1½ cent. longi, *bracteolarum* marginibus acutatis prominentibus extus puberulis cristati. *Bracteae* lanceolatae fuscescentes, marginibus albicantibus lacero-ciliatae.

5. **Casuarina Hügeliana** *Miq.* ramulis teretibus elevato-striatis puberulis subverruculoso-scabriusculis, dentibus vaginarum 8-9 lanceolatis erecto-patulis sensim deliquescentibus, amentis masculis filiformibus erectis subre-

motifloris, antheris obovatis, femineis (maturis) ovatis, bracteolis maturis subsemiglobosis intus ochraceo-pubescentibus.

Inter fragmenta rupium ad latus orientale montis Brown, distr. York, 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2006

„Arbor 35 pedum circiter altitudinis". *Rami* teretes nigricantes griseo-striati, annulati. *Ramuli* graciles, debiles, erecti, teretes, costulis 8-9 elevatulis verruculosis totidemque striis puberulis instructi, tactu subscabriusculi, cinereo-virides, internodiis 1-1½ cent. longis, vaginis fuscescentibus in *dentes* 8-9 erectos subpatulos lanceolatos fuscos marginibus apiceque albicantes et deliquescentes partitis. *Vagina* infra amentum masc. dentibus longioribus instructa. *Amenta masc.* ramulos terminantia, 4-6 cent. longa, rectiuscula vel flexuosa, filiformia, internodiis 1½-2 mm. longis, hinc subremotiflora. *Vaginarum* dentes fere ut in ramulis, sed plerumque octo. *Antherae* ochraceo-fuscae, obovatae, basi acutae. *Amentum femineum* maturum ovatum, 2 cent. longum, subobliquum, foveis seminiferis angustis utrinque *bracteola* incrassata nigricante hemisphaerica, extus glabriuscula, intus fusce pubescente instructis. *Bractea* acuminata. *Semen* triangulare compressum, atro-fuscum, nitidum, subtilissime striolatum, superne alatum.

Observ. Casuarinae glaucae Sieber affinis videtur.

6. **Casuarina trichodon** *Miq.* ramulis teretibus octocostulatis subsulcatisque laevibus in sulcis nascentibus minutissime puberulis, vaginarum dentibus 8 raro 9, nascentibus lineari-lanceolatis filiformibus patulis e basi fusca albidis junioribus (praesertim floriferis) inprimis versus basin ciliolatis, amentis masc. erectis subremotifloris.

In saxosis ad latera collium Konkoberup, distr. Kent, 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2001.

„Frutex octopedalis". *Rami* teretes, angulato-sulcati, cinerascentes, nodosi. *Ramuli* densissimi, erecto-appressi, laete virides, rigidiusculi, vaginis inprimis junioribus filiformi-lanceolatis elongatis, albidis, singularem adspectum prae se ferentes, teretes, costulis 8 plerumque elevatis canaliculisque planis, latiusculis, junioribus puberulis cito glabratis, instructi, laeves, virides, internodiis ½-1½ cent. longis, superne sensim longioribus. *Dentes vaginarum* elongati, patentes, lineari-vel subfiliformi-lanceolati, inferne fusci, caeterum albicantes, subtorti, cito delitescentes, basi appressa saltem persistente. *Amenta masc.* nondum, florentia, recta, stricta, teretia 2-3 cent. longa, *vaginarum floriferarum* dentibus basi praesertim ciliatis, patulo-recurvatis, elongatis, facie etiam subpuberulis.

Sectio II. Acanthopitys Miq. Amenta masc. abbreviata. Bracteolae strobili feminei maturi longe et uncinatim spinosae, maturae in duas laminas perpendiculariter fissae (an juniore aetate jam solutae?), externam majorem longe, internam breviter spinosam vel muticam. Seminum ala mucronata. — Habitus et ramificatio admodum singulares. Olim fortasse generice separanda.

7. **Casuarina (Acanthopitys) thuyoides** *Miq.* ramulis subpatulis brevibus tereti-tetragonis glabris, vagina-

rum dentibus 4-5 brevi-lanceolatis viridibus appressis, vetustioribus longiusculis subpatulis, amentis femineis in apicibus ramulorum solitariis brevibus exiguis, vaginis floriferis 4-5-dentatis, strobilis femineis maturis breviter pedunculatis subglobosis, bracteolis longe uncinato-spinosis.

In planitie arenosa Quangen, distr. Victoria et in planitie arenosa prima cis fl. Gordon, distr. Hay, 20. Mart. et 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2004.

„Frutex bi-tripedalis, ramosissimus", habitus fere cypressoidei. *Rami vetustiores* haud nodosi, cortice castaneo-fusco laevi, teretes, *juniores* vaginarum rudimentis subannulato-nodosi. *Ramuli* cinereo-virides, oppositi terni, 1-3 cent. longi, patuli, recti vel leviter curvati, tenues, tereti-tetragoni inque faciebus sub lente sulcati, glabri, internodiis (nudo oculo vix distinguendis) 2 mm. plus minus longis. *Vaginae* pallide virides in dentes 4-5 acutos adpressos concolores partitae, dentibus in vetustioribus emortuis paulo longioribus patulis. *Amenta masc.* (ante florendi terminum) 3-4 mm. longa, *vaginis floriferis* remotiusculis plerumque 4-6, singulis 4-5-denticulatis. *Bracteolae* minutae, tenerae, pallidae, ciliato-lacerae. *Perigonii* phylla fusca nitentia, apice cohaerentia. *Strobili feminei maturi* laterales, ramis vetustioribus inserti, breviter pedunculati, subglobosi, 2-2½ cent. in diam., uncinato-spinosi. *Bracteae* latae, breviter acuminatae, puberulae. *Bracteolae* longe exsertae, singulae perpendiculariter bifidae, *lamina externa* triangulari sensim in spinam compressiusculam, uncinato-recurvatam excurrente, *interna* plana, brevi-spinosa vel mutica. *Semen* atro-fuscum nitidum, compressum, triangulare, in alam nervo medio excurrente mucronatam terminatum.

Observ. An *C. tenuissimae* Sieb. cognata?, differt ex descriptione amentis masc. haud filiformibus, ramulisque haud erectis.

8. **Casuarina (Acanthopitys?) microstachya** *Miq.* ramulis oppositis alternis dichotomisque, obtuse tetragonis tenuiterque sulcatis glabris, vaginarum dentibus plerumque 4 lanceolato-acuminatis, acumine sphacelato patulo sensim delitescente, amentis masc. terminalibus et lateralibus, solitariis et aggregatis, abbreviatis ellipticis densifloris, vaginarum dentibus 4 bracteolisque ciliatis.

In solo sublimoso-glareoso distr. Hay, 8. Nov. 1840 florens. Herb. Preiss. No. 1997; in arenosis planitiei haud longe a praedio rustico Maddington distr. Perth, 2. Nov. 1839, nondum bene florens No. 1999.

„Frutex 1-3 pedalis ramosissimus" ob ramulorum frequentissimam ramificationem alternam, oppositam et quasi dichotomam, amentaque brevia numerosa singularem habitum prae se ferens. *Rami* tetragoni, angulis protractis, faciebus concavis. *Ramuli* cinereo-virides, ad vaginas fuscas parumper contracti, tetragoni, angulis obtusis sub lente repando-crenulatis, faciebus sulcatis glabris, nascentibus subpuberulis; internodiis 2-5 mm. longis. *Vaginarum dentes* tali fere nigricanti-sphacelati. *Amenta masc.* ad ramulos lateralia conferta aggregata vel et terminalia sessilia brevia ovato-elliptica vel elliptica, 3-4 mm. longa, adspectu castaneo-fusca. *Dentes* vaginarum basi, *bracteolaeque* marginibus ciliatae.

Forma omnibus partibus tenerior; ramulorum sulcis junioribus perspicue puberulis.

In subarenosis planitiei haud longe a praedio rustico G. Moore, distr. York, 10. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1997.

„Frutex bipedalis".

Casuarinae nanae Sieb. affinis? sed in hac dentes vaginarum appressi.

9. **Casuarina (Acanthopitys) selaginoides** *Miq.* ramulis strictis patulis plerumque unilateralibus hexagonis sulcatisque glabris, vaginarum dentibus viridibus abbreviatis acutiusculis oppressissimis, amentis masc. terminalibus solitariis cylindrico-teretibus strictis densifloris, vaginarum dentibus latis bracteolisque carinaeformibus viridulis integerrimis.

In arenosis inter frutices montis Baldhead, 16. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2003.

„Frutex tripedalis". *Rami* rigidi, subteretes, subhexagono-costulati, subnodosi, ad nodos vaginarum rudimentis instructi. *Ramuli* oppositi, terni, quaterni, densi, patuli, plerumque unilaterales, recti vel curvati, stricti, 3-5 cent. longi, laete virides, glabri, plerumque hexagoni, faciebus sulcato-concavis, internodiis 4-5 mm. longis, *dentibus* brevissimis nudo oculo vix discernendis. *Amenta masc.* nondum florentia 1 cent. circiter longa, teretia, recta vel curvata, densiflora. *Pertanthii* phylla obovata, concava, apice cohaerentia, sed dein jam ante filamenti incrementum apice soluta et seorsim decidua. *Vaginarum dentes* lati, rigidi. *Bracteolae* glabrae, carinatae, acutae, facie concava perianthium amplectentes.

Observ. In omnibus Casuarinis a me examinatis folia cum internodiis coalita et apice tantum libera esse (vaginarum i. d. dentes) observavi. Spatium quod inter folia adnata in axi nudum manet, sulcum sistit. Primum apex folii (seu deus vaginae) moritur et non nisi in vetustioribus ramis reliqua pars squamatim solvitur atque verus cortex in conspectum venit, nodis vaginalibus nunc omnino evanescentibus.

CUPRESSINAE Richard.

(Auctore F. A. G. Miquel.)

CALLITRIS Vent. Endl. gen. n. 1792.

Sectio I. Eucallitris (Callitris Vent.) Strobili squamae sub apice mucronatae. Seminum testa utrinque in alam membranaceam producta.

Sectio II. Akentron. Squamae muticae. Testa membranacea fragilis in alam crassam acutatam extensa.

1. **Callitris (Akentron) Preissii** *Miq.* foliis ramulorum supremorum ternis squamaeformibus appressis triangulari-acutis, amentis masc. terminalibus aggregatis cylindrico-ellipticis, strobilo subgloboso in sex valvas ellipticas acutas extus crasse tuberculatas dehiscente.

In arenosis prope Rocky-Bay et Woodman's-point, distr. Perth, Jun. 1839 cum strob. effoetis. Herb. Preiss. No. 1312; in arenosis insulae Rotenest, 19. Aug. cum strobilis femin. maturis et amentis masc. florentibus. No. 1310.

„Arbor 20-30 pedum, aboriginibus insulae Rotenest *Marro* dicta.“. *Rami* cylindrici vel subtrigono-cylindrici, cortice laevi parumper ruguloso griseo-fuscescente obducti; *juniores* verticillati, oppositi vel alterni, trigoni et subtrisulcati, articulati, foliorum persistentibus rudimentis instructi. *Ramuli* pallide virides, tenues, trigoni, profunde trisulcati, articulati, articulis 1-2 mm. longis. *Folia* terna minutissima, squamaeformia, appressa, triangulari-acuta, dorso convexa. *Amenta masc.* in ramulorum apicibus aggregata, terna et plura, tereti-elliptica, 2-3 mm. longa, *squamis antheriferis* rhombeis integerrimis, dorso convexis. *Strobilus femineus* paene maturus *pedunculo* sursum incrassato crasso, 1-1½ cent. longo sustentus, depresso-globosus, 2-2½ cent., sordide fuscescens, tuberculatus, sex-valvis. *Valvae* alternatim angustiores ac breviores, ellipticae, crassissimae, *minores* apice acutae, *majores* obtusiusculae. *Semina* inferne tri-, medio bi-, et demum superne uniserialia, ad valvas majores 10 et plures, ad minores minus alte disposita pauciora, subtriquetra, angulo interno obtusata, lateralibus in alam crassam acutatam extenuatis, facie inter alas contenta concavatae. *Testa* membranacea fragilis, castaneo-fusca, nitida (descr. sec. sp. No. 1310).

In sp. sub No. 1312 citato, strobili paulo brevius pedunculati, imo aliquando subsessilis, paulo majores, nigricantes et multo crassius ac frequentius tuberculati, alioquin autem haud diversi.

ACTINOSTROBUS Miq.

Fructus strobilaceus subglobosus, *squamis* imbricatis pluriseriatis lignescentibus, *inferioribus* minutis sterilibus, sex *superioribus* fertilibus magnis, demum valvatim dehiscentibus, seriei antecedenti oppositis, oblongis acutis, basi dispermis. *Semine inferiore* normali, *superiore* sterili. *Semina* e basi erecta triquetra, *testa* subossea membranaceo-trialata, fovea ad singulum angulum resinifera. *Embryo* in axi albuminis carnosi rectus trigonus, *radicula* brevi cylindracea, *cotyledonibus* 2 oblongis obtusis. — Frutex pyramidalis, ramulis triquetris articulatis, foliis ternatis minutis squamaeformi-triquetris acutis rigidis patulis, strobilis pedunculatis, pedunculis squamatis.

Observ. Genus, inter *Callitr.* et *Thujam* fere medium, seminibus trialatis semine superiore abortivo, squamarum seminiferarum pariter ac sterilium eas suffulcientium indole, ni fallor satis distinctum.

1. **Actinostrobus pyramidalis** *Miq.*

In planitie arenosa hyeme aqua salsa inundata prope fluvium Gordon distr. Hay, et in depressis districtuum Perth et Wellington, 6. Nov. 1840 et Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1311.

„Frutex 5-8-pedalis, pyramidalis“. *Rami* teretes, cortice laevi griseo-fusco hic illic fisso obducti et foliis persistentibus spinescentibus instructi, plerumque alternatim ramosi, *ramuli* erecti ramulosi, pallide virides, triquetri, angulis acutis, faciebus medio anguste sulcatis, articulati, articulis 2-5 mm. longis, *foliis* ternis patulis squamaeformi-trigonis triangularibus rigidis pungenti-acutis 1-vix 1½ mm. longis. *Strobili* ad basin ramulorum solitarii vel geminati, *pedunculis* sursum incrassatis, subangulosis, ½-fere 1 cent. longis, *squamis* ovatis acutis inferne minutis sursum sensim majoribus subimbricatim tectis, sustenti, ipsique serie simplici squamarum oblongarum fuscarum, albo margine angusto membranaceo cinctarum squamisque strobili fructiferis oppositarum, 5-8 mm. longarum suffulti, quas squamas strobili inferiores steriles merito dicimus. *Strobilus* laevis, *immaturus* ovatus

clausus, *maturus* sordide fuscescens, ovato-globosus, 1½ cent. circiter longus, 6-valvis, *valvis* magnitudine alternatim vix minoribus, oblongis acutis, extus inferne convexiusculis, intus versus apicem incrassatis, basi dispermis, *semine* inferiore normali, *superiore* abortivo. *Columna centralis* teretiacutata, ½ longitudinis strobili. *Semina foecunda* e basi erecta circa axin centralem imbricata, 1 cent. circiter longa, fusco-lutea, triquetra, angulis complanato-acutatis membranaceo-alatis, antici ala plerumque lateraliter divergente latiore quam lateralium. *Testa* subossea, fusca, in quovis sinu fovea resinam balsamicam liquidam fundente elevata instructa. *Semen* sterile complanatum bialatum.

Observ. Num cum *Callitri pyramidali* Sweet., mihi ignota, comparandus?

CYCADEACEAE Endl.

MACROZAMIA Miq. Monogr. Cycad. pag. 35. tab. IV — V. Endl. gen. suppl. 2. pag. 103. Heinzel de Macrozamia Preissii pag. 17. tab. I—IV.

1. **Macrozamia Preissii** *Lehm.* caudice cylindrico (3-4 ped.); frondibus circumscriptione lanceolatis; stipite crasso tetragono inermi, angulis lateralibus acutis reliquis obtusis; foliolis linearibus apice attenuatis mucronatis glaucescenti-subpruinosis, inferioribus alternis reliquis suboppositis; conis solitariis pedunculatis, *mare* oblongo-cylindrico, *femineo* crassiore oblongo-acuminato; spadicum utriusque sexus superiorum apicibus longissimis lanceolato-linearibus rigidis pungentibus. Lehm. Pugill. plant. VIII. pag. 31. Heinz. l. c. pag. 18.

In Nov. Holl. ora occident. Floret m. Oct., maturat fructus m. Januario. Herb. Preiss. No. 1313.

Caudex cylindricus, 3-5-pedalis, pedem ad 1½ ped. in diametro transversali crassus, superne lana fusca dense obtectus, cicatricibus rhomboideis frondium delapsarum notatus. Frondes numerosae, flavo-virides, 5 ad 5½ ped. longae, rigidae, paulo recurvae. Stipes crassus, 10-16 poll. longus, basi semipollicem s. pollicem fere in diametro transversali crassus, inaequaliter tetragonus, angulis lateralibus complanatis acutatis, antico obtuso, postico elevato, obtuso, reliquis majore. Etsi nullae spinae adsint, verruculae quaedam ad superiorem stipitis partem angulis lateralibus impositae, rudimenta quasi calli ad basin foliolorum normalium observati, quemadmodum spinae *Cycadum* stipites investientes foliolorum rudimenta merito habentur. Rhachis in universum crassa, superne valde attenuata, interdum ultra suprema foliola paululum excurrens. Foliola utrinque fere 70, approximata, inferiora 1½ ad 1¾ poll. distantia, alterna, superiora densiora, subopposita, plus minusve per paria approximata, imbricata, omnia oblique affixa, ita ut margo inferior postice aliquomodo decurrat et facies folioli postica superioris anticam spectet, adscendentia, subconvergentia, linearia, infima 8-9,

media 10-11, suprema 6-3 poll. longa, apice attenuata et spinose acuminata, paulo supra basin constricta, cum rhachide subarticulata, majora 5 lin., minora 2½ lin. lata, recta, vel (imprimis superiora) versus apicem extrorsum falcata. Compages coriacea, rigida, superficies glaberrima, glaucescenti-subpruinosa; pagina superior subconvexa, inferior aliquo modo concava; nervi tenuissimi paralleli, circiter 15. Folioli basis postica callo duro verrucoso brunneo extra latera protuberante adeo instructa est, ut hic antice in conspectum veniat, et obtusum aculeolum subinde imitetur.

Conus mas erectus, pedunculatus, juvenilis lana fusca vestitus, oblongo-cylindricus, cuspidatus, 8-12 poll. longus, 3-4 poll. in diametro transversali crassus; rhachis solida, crassa, lignea, uti pedunculus (longitudine fere coni) cavitatibus gummiferis praedita, undique densissime spadicibus (i. e. columnis staminalibus) ligneae compagis, spiraliter dispositis instructa, quorum inferiores minores, sed crassi et obtusi, acumine fere carentes, abortivi, steriles, squamaeformes, reliqui omnes antheriferi, sed magnitudine et forma inter se diversi, inferiores scilicet breviores et breviter acuminati, superiores longiores et longissime acuminati. In spadicibus s. columnis staminalibus corpus antheriferum horizontale et acumen sterile adscendens distinguendum, quae angulo recto conjunguntur. Corpus antheriferum est ligneo-coriaceum, planum, prope apicem incrassatum, obovato-oblongum vel subspathulatum, nervo medio subtus prominente, laeve, supra vix scrobiculatum, marginibus acutis, subundulatis, 1-1⅕ poll. longum, infra 5 lin., supra fere pollicem in diametro transversa, cavitatibus gummiferis, haud raro oculo nudo conspicuis instructum, e quibus gummi large exsudat. Facies inferior antherifera; antherarum area usque ad margines extensa, apice biloba, duabus scilicet areis ultra medium confluentibus. Antherae aurantiaco-lutescentes, numerosissimae, confertissimae, lignosae, dimidiatae, uniloculares, saepe quaternatim, sed et ternatim et binatim consociatae, insertae, (non innatae), oblongo-sphaericae, rima transversa hiantes. Granula pollinica in loculis antherarum segregata pulveracea, albicantia aut flavescentia, plicis 1-3 longitudinalibus instructa. Acumen sterile in infimis spadicibus fere deest, in mediis ⅓-⅓ longitudinis partem corporis antheriferi metitur, in superioribus et supremis multo longius, sublanceolatum lineari-angustatum, spinoso-acuminatum, rigidum, marginibus acutatum, laevissimum, fere politum, nervo medio distincto instructum, medio 1-1½ lin. latum.

Conus femineus erectus, oblongus, pedunculatus. Pedunculus longitudine coni aut paulo longior crescente fructu recurvatus, sulcis profundis irregularibus angulosus, juvenilis lana fusca vestitus, cavitatibus gummiferis ut omnes fere coni partes instructus. Flores singuli nudi, perianthia desunt ita ut quisque flos femineus e solo carpidio existat. Carpidia (spadices) circa rhachin communem undique inserta, spiraliter disposita, sed multo pauciora quam spadices in cono mare, 8-9 in singula linea perpendiculari, lignosa, confertissima, imbricata, squamaeformia, in summo cono adpressa, erecta, in medio cono patentissima, triangularia, unguiculata, longe acuminata. Unguis compresso-quadrangularis, lateribus latioribus concavis, angustioribus bisulcatis, in carpidiis medii coni longitudine laminae, in supremis vero et infimis brevior. Laminae carpidii late triangulares, basi cordatae, supra unguem maxime incrassatae, subreclinatae, excavatae, in utroque latiori unguis latere foveam (placentam) transverse obovato-oblongam ovariiferam gerentes, margine integerrimae, subundulatae, argutae, nervo medio subtus prominenti. Acumen adscendens, rigidum, lignosum, lamina longius, in inferioribus carpidiis brevius, oblongo-deltoideum aliquando subdifforme, in sequentibus sensim longius, demum in superioribus et supremis carpidiis longissimum evadit, lineari-lanceolatum, acuminatum, pungens, marginibus undulatum, suberoso-denticulatum, glabratum vel pubescenti-pilosum, inflexum, angulum fere rectum cum lamina efficiens; in summo cono acumina conniventia sunt. Carpidia in summo cono infimo cono sterilia, in medio cono duabus placentis foveaeformibus instructa, in fovea unaquaque semen unguem aequans foventia. Semina drupacea, nuda, orthotropa, pendula, 2 poll.